





600094439Z




BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

HISTORIA REVELATIONIS DIVINAE

Novi Testamenti

a Christo Domino ad obitum usque
s. Joannis Apostoli
sive Historiarum Revelationis Divinae
Veteris et Novi Testamenti Pars altera

Scriptore Josepho Danko
SS. Theologiae Doctore eiusdemque in
c. r. scientiarum Universitate Vindobonensi
Professore Ecclesiae Metropolitanae
Strigoniensis Canonico hon.





UNTES DOCETE OMNES GENTES MATTH

Historia
Revelationis Divinae
Novi Testamenti

Scriptore

Josepho Danko

SUÆ SANCTITATIS SUMMI PONTIFICIS CAMERARIO SECRETO, ECCLESIÆ METROPOLITANÆ STRIGONIENSIS CANONICO HONORARIO S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE EIUSDEMQUE IN C. R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE.



VINDOBONAE MDCCCLXVII.

SUMTIBUS GUILELMI BRAUMÜLLER

BIBLIOPOLAE C. R. AULAE ET UNIVERSITATIS.

TYPIS DESCRIPSIT ADOLPHUS HOLZHAUSEN
C. R. Universitatis Vindobonensis typographus.

BEATISSIMIS APOSTOLIS

PETRO ET PAULO

QUI

ANTE HOS MILLE ET OCTINGENTOS ANNOS

FUNDATA

SACRAMENTO CRUCIS CHRISTI

ROMANA ECCLESIA

ELECTIONE PARES LABORE SIMILES

FINE AEQUALES

CORONAM IMMORTALITATIS

REPORTARUNT.

O. N. D. D. D.

P. M.

Celsissimus et Reverendissimus Dominus Princeps JOANNES SIMOR *Primas Regni Hungariae et Archiepiscopus Strigoniensis, cum anno 1862. Limina Apostolorum inviseret, Historiae Revelationis Divinae V. T. volumen* BEATISSIMO PIO IX. PAPAE DOMINO NOSTRO SANCTAE ET UNIVERSALIS ECCLESIAE PONTIFICI *gratiose obtulit. Scriptor autem libri homagiun suum humillimum his exhibuit verbis: „*BEATISSIME PATER! *Mirari non debes, si sacerdotes etiam inferioris ordinis ad thronum tuum accedere reverenter audent, et sibi licere putant offerre sua. Tu enim cum tanta ista Dignitate et amplitudine coelo proxima, Christi benignitatem, quae moribus nostris obsoleverat, veteri exemplo coniungis: ut vere appareat Te Sanctissime Pater, Illius esse Vicarium, apud quem non est acceptio personarum. Accipe ergo aequo animo scriptorem Tuis pedibus provolutum; qui primum quidem Religionis Catholicae mysteria in Capite ipso Ecclesiae veneratur: deinde Tibi commentarium suum de ‚Historia Revelationis Divinae Veteris Testamenti' sistere sibi sumit; ut sit monimentum singularis amoris, quo Tibi Beatissime Pater semper adhaesit adhaerereque pergit. Et sane quam belle cadit tempora multo durissima, quibus regimen Tuum Summe Pontifex circumscribis, posse a me literarum monimento consignari: exili illo si cetera, magno si argumentum spectes: agitur enim de Summa Salutis, de ipsa Veritate ad nos de coelo allata. Si plura dicam; non Te modo, sed me quoque ipsum, adhucdum ferme in literis tironem, ignorare videar. Illud unum postremo loco adiiciam: si Sanctitas Tua per quem Deus loquitur, haec studio vigiliisque nostris parta, et summa cum animi demissione oblata favente manu accipere, probareque non dedignabitur; Unus nobis instar omnium Auctor eris, ad eiusmodi commentaria in posterum quoque porro alacriter edenda. Quod omni exspectatione maturius accidet, si nobis fausta precantibus faverit omnium* MODERATOR ILLE, *qui rebus prospicit humanis, nec Te modo incolumem diutissime servaverit; sed etiam tranquilla pacataque tempora Ecclesiae suae providerit." —. Quam paterno affectu sanctissimus Pater* PIUS IX. PAPA *excipit omnem rem filialis obsequii, non solum oblatum sibi exemplar libri benigno animo accepit; sed etiam scriptori literas gratissimas Eius nomine per Illustrissimum Joannem Sottovia, S. S. D. N. ab epistolis latinis, exaratas misit:*

‚Commentarium a Te lucubratum de Historia Revelationis Divinae Veteris Testamenti Sanctissimus Dominus Noster benigne excepit, meque iussit per literas certiorem Te facere, gratissimum sibi et munus et obsequium auctoris fuisse. Licet enim pro commissa Sibi pastoralis officii sollicitudine multis gravibusque distentus curis libri illius lectioni vacare nequiverit, intellexit tamen multo studio et labore opus fuisse confectum, magnaeque Tibi laudi vertit, quod in re tam gravi et sancta vigilias et ingenium tuum occupaveris. Confidens itaque, Te diligenter omnia servasse, quae doctum et catholicum auctorem decent, Apostolicam Tibi Benedictionem peramanter est impertitus.'

APPROBATIO.

,Opus, cui titulus ,Historia Revelationis Divinae Novi Testamenti' scriptore Josepho Danko, s. s. Theologiae Doctore eiusdemque in c. r. scientiarum Universitate Vindobonensi Professore p. o. laudabili industria concinnatum; in omnibus Ecclesiae Catholicae principiis consonat, uberemque sacrae eruditionis thesaurum profert, ex quo lectores sanam doctrinam hauriant. Quamobrem idipsum opus, ut publici iuris fiat typisque imprimatur, hisce omnino dignum censemus atque approbamus.'

Joann. Kutschker m. p.
Episcopus Carrhen. Vicar. general.

,Cum opus, quod inscribitur: ,Historia Revelationis Divinae Novi Testamenti' per Rssam. D. Vram. magno labore, industria et summa sedulitate conscriptum Illmus. ac Rssmus. Dns. Joannes Kutschker Eppus. Consecratus Carrhens. et Generalis Vicarius in A.-Dioecesi Vindobonensi recognoverit, et in lucem edi posse probaverit; ut typis mandetur, facultatem lubens concedo.'

Joannes
Card. A.-Eppus.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ

IN

HISTORIAM REVELATIONIS DIVINAE NOVI TESTAMENTI.

Annotatio praeposita, qua de Historiae Novi Testamenti obiecto, ratione et partibus disputatur.

1. Eorum quae narranda sunt propositio. Ab exordio mundi homines, quos lapsus Adae reos fecerat, miseriis obnoxii hac una spe recreabantur, quam maxima bonitatis suae largitate Deus dederat: futurum culpae Reparatorem. Multifariam multisque modis significavit Deus, quae aliquando erat facturus: promissis, figuris et typis expressit opus Redemtionis[1]. Nec unius aut alterius Prophetae sermone annuntiavit, quae novissimis temporibus futura erant; sed omni avito instituto Veteris Foederis, quasi vaticinio in operibus posito. Tandem advenit plenitudo temporis, qua Deus mittere decrevit ex se genitum, suaeque substantiae Filium, candorem lucis aeternae[2]; lumen verum de lumine[3]; solem iustitiae[4]. Cuius cum iam crepusculum, abundanti calamo licet impolito, in Historia Revelationis Divinae Veteris Testamenti descripserimus; quod reliquum est ipsum orientem solem[5] usque ad ascensionem spectemus; i. e. Novi respectu primi et Veteris[6], Testamenti vere coeleste exordium et cursum oculis subiiciamus. Ab ipso igitur Christi Redemtoris Nostri adventu sumto narratio-

[1]) Hebr. 1, 1. s. [2]) Sap. 7, 26. [3]) Joann. 1, 7. 8. [4]) Mal. 4, 2. Luc. 1, 78. [5]) Apoc. 1, 16. [6]) II. Cor. 3, 14. Hebr. 8, 13.

nis initio, primum ‚Historiam Jesu Christi Domini Nostri'; sive ea quae Ille iuxta Evangelia[1] et Ecclesiastica Monimenta[2] gessit et docuit, enarrare conabimur. Adiecta parte altera describemus: Ecclesiae, quae fundata est in Apostolis et discipulis primordia. Quomodo fuerit mirabiliter per Spiritum Sanctum corroborata, per orbem multiplicata et a volentibus eam extinguere liberata. Post cognita proinde quatuor Evangelia, in quibus agitur de Capite Ecclesiae Jesu Christo; deveniemus ad Apostolica scripta — s. s. Pauli, Jacobi, Petri, Joannis et Judae —, in quibus agitur de eodem Capite Ecclesiae, quantum ad illa quae pertinent ad eius eruditionem; habita ratione credendorum agendorumque. Denique Apocalypsim proponendis futuris et extremis fatis Ecclesiae destinatam considerabimus.

2. *Plurimae sunt propriae Historiae Revelationis N. T. commendationes.* Enimvero omnes, quas Christus docuit doctrinae, pendent ab ipsius historiis; miracula isthic narranda summam habent vim ad characterem divinae auctoritatis personae Jesu eiusque doctrinae vindicandum[3]; resurrectio[4] non solum fidem facit omnibus quae dixit, sed et luculentissimum argumentum est revera vitam post mortem etiam a nobis esse exspectandam[5]. Si laudandi sunt, qui se se obiicientes periculis iter faciunt in terram sacram, modo ut viderent urbes et loca, ubi ‚Σωτήρ' ille divinus vitam egit; nonne sit laudandum magnopere: vitam ipsius cognoscendo invenire viam consequendae aeternae salutis? Haec sane infinitus est thesaurus, omnibus hominibus divinitus datus; quo qui bene usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei[6]. ‚Qui me elucidant, inquit divina Sapientia, vitam aeternam habebunt'[7].

3. Ut *de nostrae tractationis ratione ac scopo*, qua προθεωρίας institutum constringendum putavimus, ne per incertum vagaretur,

---

[1]) Quae singillatim recensebimus. [2]) Quisquis enim cupit manifestationes Christi, quas in suscepta ὑποστατικῶς humanitate patefecit, integras cognoscere; is cum Evangeliis Traditionem coniungat, et ex utrisque colligat quid Salvator pro humano genere praestiterit. Et re sane vera, tota atque plena Jesu Christi historia ex neutro seorsum fonte hauritur. [3]) Cf. N. Fogtmann, comment. de miraculis Christi. Havniae 1821. p. 111. s. J. Koestlin, de miraculorum quae Christus et primi eius discipuli fecerunt natura et ratione. Vratisl. 1860. p. 18. s. [4]) Ut alia omittamus. [5]) V. H. R. D. N. T. p. 158. s. [6]) Sap. 7, 14. [7]) Eccli. 24, 31.

aliquid loquamur, utile erit annotare: Cum Historiae D. N. J. C. diverso modo enarrari possint[1], nos vestigia prementes scriptorum, qui annales sacros condiderunt; summatim actus et sermones Salvatoris divinissimi ordinandos suscipiemus. Quae vero Redemtor hominum gessit et dixit, verius et certius non possunt contexi, quam e relatione Evangeliorum; in quibus cum sparsa et divulsa reperiantur, in unum colligi debent: i. e. suis locis et temporibus reddi; quod fit cum enarrantur eo ordine, quo contigere. Itaque qui ad scribendas illas Historias mentem applicant, debent inquirere in veram seriem ἀκολουθίας actuum et sermonum Domini, in quam Evangelistae conveniant. Sed nec ista series sufficit Historiis D. N. J. C. perfecte recensendis; nisi etiam pateat, quam quisque actus et sermo Christi habeat certam temporis mensuram, atque constet: non solum quo ordine cuncta fecerit et docuerit Jesus; sed quo intervallo etiam, quo anno, quo mense, qua die et hora? hoc acciderit, si id sciri potest, indagandum erit. Ut autem certi quid statuamus circa tempora nativitatis, vitae et mortis Domini, et ut possimus actus et sermones eius complures[2] disponere iuxta proprios annos, quibus contigit, hos fieri, illos dici, necessarius est Apparatus Chronico-Historicus. Atque ut ipsa narratio H. R. D. N. F. ordine decurreret, pari instituto res gestae Apostolorum retexendae fuerant[3]. Propositum nobis est

[1]) Etenim quod si verba Evangelistarum etiam non afferantur, series tamen rerum quas narrant, repraesentari potest. [2]) Non omnes sed complures, etenim de quibusdam fatendum: ignota nobis esse tempora, ad quae referuntur. [3]) Diu haerebamus animo anxii, nec satis poteramus apud nos constituere, expediretne excurrere extra Evangelium et Actus A., ut illis lucem accersamus e veterum Historiarum monimentis et Temporum calculis? Utrum conveniret explicandis praecipuis Dominicae atque Apostolicae Chronologiae capitibus augere molem libri futuri per se omnino iusti? Annon conficeret animum curis, opus tanto labore parandum? quodque ut bene sustineretur requirit hominem totum, et quidem non unum. Sed cum oculo in id semper fuerimus intenti, ut Historias Sacras nobis aliisque redderemus expeditiores; subiimus laborem ut aliis — inprimis illis quibus facultas deesset opera chronologica, ubi pleraeque res huc spectantes requirendae essent, legendi — prodessemus; sed et ipsi disquirendo Chronotaxim N. F., in narratione rerum a Christo atque Apostolis gestarum, haud mediocriter adiuti sumus. In hoc si finem nobis propositum non attigerimus, aliique feliciori id facientes successu, nostros si quos invenerint, errores correxerint; adeo non feremus id aegre, ut cum animi gratulatione sincera

investigare quibus in locis, quo quique tempore Novi Testamenti Libri scripti fuerint. Proinde ut verbis utamur d. Chrysostomi: nemo hunc laborem extra rem esse, neque hanc disquisitionem superfluam et ex curiositate fieri putet. Nam epistolarum tempus non parum ad quaesita solvenda confert'[1].

4. *Partes H. R. D. N. F. maiores duae* fieri debent, quarum prior[2]: Historias ab Incarnatione D. N. Jesu Christi usque ad eius Ascensionem in coelos enarrat; altera Historias Apostolorum refert. Prima sectione tradentur: Ortus et infantia Christi; tempus antecedens praedicatum Evangelium; primordia ministerii Salvatoris et praeconium anni primi; sequentur historiae secundi et tertii anni; ultimum Pascha, quo facta est passio; denique resurrectio Domini ex mortuis et ascensio in coelum[3]. Historiae

---

cessuri eis palmam simus. Nemo ergo S. Scripturarum amans refugiat lectionem Apparatus nostri Chronico-Historici, tanquam rem difficiliorem et molestam. Fructus iucunditas superat arduum conatum et operosam attentionem. Ope enim Chronologiae, inter alia subsidia apologetica, certa fit veritas Evangelii et R. D. N. T. in genere, quam in praesenti contra incredulos demonstrandam habemus; quod hic loci animadvertimus, ne iniquo iudicio statuatur omnem quaestionum chronologicarum inanem et superfluam esse tractationem. Veritas quidem Evangelii atque doctrinae N. F. universae ideo indubitata censeri debet, quia nulla antiqua et certa monimenta Historiarum, nullique Temporum calculi ei adversantur; sed omnia consentiunt; atque Salvator divinissimus eo accurate tempore natus et mortuus est, quo ex Prophetarum vaticiniis Messias a Judaeis expectatus nascendus munus Doctoris obiturus, Ecclesiam fundaturus, moriturus resurrecturus et ad Coelos ascensurus erat. Verum haec non tantum dici, sed et probari volunt idoneis testimoniis; discussis et praecisis dubiis et difficultatibus. Quod non fit, nisi expensis Chronologiae Dominicae atque Apostolicae fundamentis; item collectis omnibus, quae Evangelio doctrinaeque Apostolorum testimonium perhibere possunt vetustis et certis monimentis, ex quibus quae deducuntur probanda sunt pro veris. Deus utinam aspiret coeptis!

[1]) Prooem. in Epist. ad Rom. n. 2. Oper. ed. B. de Montfaucon Par. 1731. IX, 427. [2]) Coll. H. V. T. p. XI. [3]) Igitur res D. N. J. C. notiores reddet, ut Sacras Paginas percurrens pius Lector, quos parere debet illa lectio uberes fructus percipiat. Non enim id maxime agitur, ut noverimus accuratius, quaenam in coniecturis posita, quae tandem plurimum torqueant eruditos; — quamvis etiam haec non plane omittenda sint — sed id quaeritur potissimum, ut Evangelii narrationes eo quo decet studio colamus atque observemus. Cogitemus, cum Hagiographa legere aggredimur: sancta non modo sanctis impertienda; sed et sancte esse habenda. Quis enim nesciat Spiritum Christi sub verborum sententiarumque contextu tradidisse gestorum suorum dictorumque salutares Historias.

Apostolorum Ecclesiae nascentis primordia, incrementa, certamina et victorias exhibent: ut et Dei providentiam in ea constituenda, amplianda et servanda cognoscamus; et pietate non minus quam sapientia crescamus. Ad extremum: Historiarum Salvatoris et Apostolorum seriem contexturi S. S. P. P., S. S. e. e., et proborum interpretum mentem et sententias praetermittere fas non duximus [1]. Ut tamen vera a falsis, certa a dubiis, sincera ab apocryphis secernerentur, quantumpote diligenter curavimus: rerum gestarum doctrinarumque summam ita exponere, ut nihil ferme diceremus, quod non gravibus probatissimisque testibus firmaretur. Quorum idcirco testimonia, ex accuratioribus editionibus, in textu vel notis libri annotavimus, vel integra saepe saepius laudavimus. Haec habuimus, quae de H. R. D. N. T. praemoneremus; atque hoc Historiarum, quas exhibemus consilium est; in quo cum divo Augustino [2] fatemur nos: ‚ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt et scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso; nec mirandum est nec dolendum, sed potius ignoscendum atque gratulandum; non quia erratum est, sed quia improbatum.‘

Ad res, et voces Christi percipiendas, Christi spiritu accedere satagemus. Dux ipse est venientibus ad se. Ad ipsum non itur, nisi per ipsum.

[1]) Verum enim Theologum i. e. Dei et divinae Traditionis discipulum minime decet, in re quaque quid orthodoxi Theologi docuerint, vel ignorare vel omittere. Itaque in Historiis Sacris enarrandis, non solum veterum expositorum cogitationibus; sed etiam interdum verbis usi sumus. Per omnes eos qui scripsere antehac scriptores, profecisse nos non diffitemur; quin gaudemus gloriamurque. Esto habeatur liber noster pro breviario, quod ex aliena penu depromserimus; quoquo modo ille demum adpelletur: non nostra refert, modo cum molis sit eiusmodi corpus, quod nec tenuitate deficeret; neque nimia vastitate taedium crearet, citra fastidium legatur, et collectis undique luminibus coelestium rerum piae notiones animo ingerantur. [2]) Ep. 143, 2. Oper. ed. Venet. 1729. II, 463.

De Synopseos vel Harmoniae Evangeliorum contexendae scientia.

5. *Evangeliorum consensus et dissensus.* Historiam Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi, pariter atque Apostolorum literis mandaturi; priusquam ipsam enarrare aggrediamur, explicandum esse iudicavimus: quid, collatis cum veterum tum recentiorum lucubrationibus, sit et esse debeat „Synopsis" vel „Harmonia" Evangeliorum, et quantum conferat ad Historiarum Christi intelligentiam; ne institutum illud existimetur, curiosum magis quam utile. Et sacras quidem Salvatoris Historias a quatuor Evangelistis, utpote a s. Matthaeo, s. Marco, s. Luca atque s. Joanne, tanquam testibus omni exceptione maioribus; a quovis suo, eoque divino modo conscriptam esse nemo nescit. V. H. N. T. p. 260. s. Verum enimvero cum illorum hoc in scriptione sibi propositum consilium esset in universum coll. Joann. 20, 31.: e sermonibus et rebus a Christo gestis ea modo scribere, quibus fides Ecclesiae altissimis mysteriis per universum mundum instrueretur, confirmaretur, et in omne aevum venturum propagaretur; utque credentes vitam haberent per nomen ipsius, huius consilii potius, quam ordinis et temporis anxiam rationem in scribendis commentariis suis habuerunt. Unde accidit, quod Hagiographi illi licet in dictorum et actorum Domini veritate, summum servent consensum; in serie tamen Historiarum quisque peculiarem sibi rationem sequatur. Ut diserte olim iam advertit s. Epiphanius, haer. LI, 61. I, 427.: „Nonne singulis propria quaedam attribuit; ut Evangelistae quatuor ad praedicandum Evangelium delecti suum quoddam praecipuum munus haberent? Ita quidem ut nonnulla concordi ac consentanea voce narrarent; quo se ex eodem hausisse fonte monstrarent, quaedam vero a singulis praetermissa alius exponeret, cui privatim illud esset a Spiritu Sancto pro rata portione concessum.... Sic in iis quae Beatus Joannes mandavit memoriae, quaeque Spiritu Sancto gubernante fide omni ac veritate stabilita sunt, id videlicet actum, ut non solum ea quae saepius nunciata fuerant, proponerentur; sed et necessaria quaedam adderentur dogmata, quae ceteri ante illum minime scriptis attigissent." Paria habet s. Joannes Chrysostomus, in Matth. homil. I, 2. p. 5. „Cur porro cum tantus sit discipulorum numerus duo tantum ex Apostolis scribunt, et duo ex eorum sequacibus? nam alter Pauli alter Petri discipulus, cum Joanne et Matthaeo Evangelia scripserunt. Quia nihil per ostentationem faciebant, sed omnia ad utilitatem. Quid igitur? an non sufficiebat unus Evangelista, qui omnia narraret? Sufficiebat quidem ac licet quatuor scripserunt, neque eodem in tempore neque eodem in loco, neque congregati simul et ex mutuo congressu; et tamen cum quasi ex uno ore omnia pronuncient hinc magna emergit veritatis demonstratio. Atqui inquies omnino contra accidit, saepe enim inter se dissentire deprehenduntur. Certe illud ipsum magnum est pro veritate argumentum. Si enim omnia accurate consonassent et quantum ad tempus, et quantum ad loca et quantum ad ipsa verba, ex inimicis nemo crediturus erat, sed ex mutuo humanoque consensu haec scripta fuisse putassent, atque huiusmodi consonantiam non ex simplicitate sinceritateque procedere. Jam vero illa quae in exiguis rebus deprehendi videtur diversitas, omnem ab ipsis suspicionem depellit, scribentiumque fidem clare vindicat." Cf. Küchler, de simplicitate scriptorum sacrorum in commentariis de vita Jesu Christi. I. II. Lips. 1821. 7.

6. *Evangeliorum connexio; ἁρμονία et σύνοψις.* Cum itaque alius quatuor Evangelii scriptorum aliud vel clarius expresserit, vel significantius enuntiarit, vel fusius narraverit; cum res etiam aut voces maximi momenti in aliis reperiantur, in aliis desiderentur; cum etiam saepe alter alteri connexi mutuam sibi in locis obscurioribus lucem adferant: iam ab ipsis primis Ecclesiae temporibus inventi sunt, qui quatuor Evangelistarum inter se collatis, unam Historiarum Jesu Christi seriem efficere adumbrareque conarentur. Ut sic Scriptores quatuor de Salvatore, quasi uno ore loqui videantur; et quadruplici vocum veritate, sed firmissima rerum concordia perfectum Historiarum Evangelii concentum edant. Poterat id varia fieri ratione. Multis ea placuit connexio, qua res a singulis Evangelistis scriptae in unam, eamque continuam narrationem conflantur ita dispositam, prout temporum decursus rerumque natura flagitare videbatur. Aliis usu venit uni alterive Evangeliorum continenter descripto, particulas reliquorum cognatione cum illo iunctas apponere. In quibus particulis apponendis, nihil differebat; num loci propinqui ad verbum attexerentur, an signis, numeris iuxta et pone collocatis distinguerentur. Prior illa Evangeliorum concinnandorum ratio nominibus: συνφωνία; ἁρμωνία sc. τῶν εὐαγγελίων; τὸ διὰ τεσσάρων, μονοτέσσαρον, τετράμονον; haec altera σύνοψις. Attamen neutra suam adpellationem et conditionem privam retinuit; nam nomine saepe saepius permutato, utraque simul ab altera proprias huic virtutes mutuata est. Sicuti interdum rebus Christi e quadrigis Evangeliorum in perpetuam narrationem coniunctis loci paralleli aspergebantur, iuxta orationem contextam positi; ita pariter scriptores Synopseon, interrupta verborum Sacrae Scripturae serie, verba gestaque Christi eum in ordinem distribuere, qui circumstantiis loci et temporis maxime consentaneus putabatur. Id vero utraque tractatus ratio commune habet, quod s. Historias Jesu Christi quamtumpote ipsis sacris Evangeliorum verbis enarrare pergant.

7. *Commoda quae Harmonia Evangeliorum gignit.* Servata notione et re Harmoniae atque Synopseos Evangeliorum, quis est, qui connexionem eiusmodi non expetat? qui se modo Christianum esse meminerit. Cum enim Harmonia Evangeliorum nihil aliud sit, quam Historiae Evangeliorum longe clarius, planius et distinctius repraesentatae; absque ullo negotio Scripturae Sacrae studiosus agnoscet, quantae sit Concordia Evangelistarum utilitatis, cuius nos praecipua quaedam momenta succincte recensebimus. Et primo quidem α. hoc loco satis est indicasse, omni tempore fuisse homines impios, qui verae fidei calumnias de vanitate et falsitate inde struere conabantur: quod ipsae Historiae Evangeliorum, sibi non viderentur constare, atque Scriptores Sacri inter se pugnare. Hi quidem cum foris sint, nostros neutiquam sibi vindicant labores; utpote quibus unice propositum est, non extraneos ad Ecclesiam disputando vocare; sed domesticos fidei, S. S. Literarum cupidos lectores instruere. Veruntamen non minus etiam his metuendum est, ne maxime si curiosiores existant, aliquid in fide offensionis patiantur; idque si forte, ut S. Augustini verbis — de consensu Evangelist. l. II. prol. 1. p. 27. — utamur „non utcumque perlectis, sed quasi diligentius perscrutatis Evangelicis libris inconvenientia quaedam et repugnantia se deprehendisse existimantes, magis ea contentiose obiectanda, quam prudenter consideranda esse arbitrantur.“ Istud quidem genus periculi potissimum impulit sanctos Patres et Scriptores E., ut concordiam quatuor

Evangeliorum inirent. Deinde β. cum diligens observatio in lectione Hagiographorum ostendat, Historias Christi ita a quatuor Evangelistis contextas esse; ut haud obscure apparaet, non tantum rerum ipsarum — quod praecipuum est — verum etiam ordinis aliquam rationem habitam; — etenim notationes circumstantiarum in plerisque quasi intento ad ordinem digito id praemonstrare videntur — sequitur: Historias illas quae omnium summae sunt, quaeque aeternam nostram salutem complectuntur, dignissimas esse, in quibus tantum industriae et operae ponamus; ut ex eius circumstantiis vel certis et manifestis investigemus, ac quoad eius fieri potest constituamus tempus et ordinem conversationis Christi in terris. Licet enim Evangelistarum institutum non fuerit ephemerides, vel ἡμερολογίαν Salvatoris scribere; non tamen tumultuariam et confusa perplexitate indigestam narrationem tradiderunt. Spiritus Sanctus, qui auctor est ordinis, in Veteris Foederis temporibus digestis non minus, quam in iis Novi Foederis „εὐταξίαν“ habere voluisse censendus est. Unde haud perperam sumitur Hagiographos in praecipuis Historiarum Christi partibus ordinem temporum et rerum gestarum observasse, qui adeo ex circumstantiis etiam ostendi potest. In reliquis rationes vero similes et coniecturae licitae pio Lectori, qui non praecisionem exquisitam, subtilem et curiosam singulorum momentorum, sed ordinem aliquem „ἐν πλάτει“ quaerit, sufficiunt. In his cum de summa fidei non agatur, investigantium eruditorum diligentia absque dissensionum acerbitate variare potest; ut propositis variis sedulo inquirentium opinionibus, liberum lectori iudicium relinquatur: quaenam earum collationi circumstantiarum simplicissime conveniat. Et haec sane investigatio vocatur Harmonia vel Concordia Historiarum Evangelii; sicut de Veterum huius argumenti adpellationibus antea diximus. Tertio γ. Harmonia Evangeliorum multa monet utiliter, et pulcherrime illustrat de rebus Domini, ut vice apti commentarii esse possit haec Concordia in Historias Christi. Inde enim facile disci poterit: quibus in locis et apud quos doctrina et miraculis inclaruerit? quot annos cursum publici sui in terris ministerii confecerit? quae certamina et cum quibus habuerit? quomodo Salvator dulcissimus ministerio Messiae absoluto definita annorum periodo, „Dimidiae scilicet hebdomadis“ salutiferam mortem oppetierit: et tertia die victor ab inferis propria virtute in vitam redierit. Haec autem omnia, quae vel vario tempore, vel vario ordine lecta, aut mentem levius tetigerant, aut e mente citius effluxerant; una serie, uno contextu, uno obtutu cum cernimus, quasi radiis omnibus qui dispersi fuerant in unum collectis; novus quidam ac plane inusitatus Evangelicae veritatis splendor exoritur. Quantus ille fructus sit, et quanti habendus is demum plane intelligit, qui quantum sit Evangelium, et quanti habendum, digne perpendit. V. p. 262. Quid enim aliud Evangelium quam Christus, ipse dum hic viveret divina faciens et humana patiens. „Os Christi, ut praeclare ait S. Augustinus, serm. LXXXV. de verbis Evang. Matth. 19. II, 1. IV, 453., Evangelium est. In coelo sedet sed in terra loqui non cessat.“ „Nos itaque“ iuxta eundem in Joann. 7. tract. XXX, 1. 1. III, 516., „sic audiamus Evangelium, quasi praesentem Dominum.“ Quae observatio praeter iucundum memoriae subsidium, ad religiosas etiam considerationes et pias meditationes Vitae et Officii Salvatoris incitamenta praebet suavissima. „Imo vero“ inquit idem insignis Doctor, serm. CXLIII. de verb. Evang. Joann. 10. IX, 10. ib. 690., „semper ante habes, quem sequaris, Dominus exemplum in terra posuit cum Evangelium tecum reliquit, in Evangelio

enim tecum est." Si vel minima Dei opera Deum referunt atque admirationem omnem superant; quid Deus ipse? quid Dei vel minima vox, si minima vocanda est, quae divina est? Haec plane verba Evangelii sunt, de quibus illud longe verissimum: non esse numeranda sed ponderanda. Quodque olim nonnemo temere ac leviter, id nos apte admodum et sancte de divinis illis S. Evangeliorum vocibus dicamus:.... „grave et immutabile sanctis pondus adest verbis et vocem facta sequuntur." De voluptate ex Historiis D. N. J. C. in concordiam redactis, haurienda tacemus. Cf. G. H. ab Einem, disp. exhib. hist. Christi. et Apost. Gott. 1758. C. H. Albers, comm. de momento et veritate Historiae Jesu. ib. 1795. p. 13. s. Staudenmaier, Einl. in d. Leben Jesu, in ann. Zeitschr. f. Theol. Freib. 1842. VIII, 87. s.

8. Quaenam e pluribus Harmoniam concinnandi viis ineunda? Etsi divino plane consilio factum sit, ut divinissimi Salvatoris Nostri acta dictaque non ab uno, sed a quatuor Scriptoribus fidei nostrae commendarentur; semper tamen u. v. probata est eorum industria, qui Harmonias Evangeliorum contexere i. e. unum veluti e quatuor libris scriptum conficere conati sunt. Et hoc quidem viri isti fecerunt, cum ut per hanc mutuam Evangelistarum inter se collationem, quae varia a diversis referuntur, suo quaeque tempori aptata integras Jesu Christi Historias uno contextu legendas offerrent: tum ubi eadem vel verba vel facta a pluribus aut ab omnibus enarrantur, se invicem illustrarent, et explicarent. Qua autem ratione id praestari debeat, non omnino convenit inter eruditos, qui hac in re operam collocarunt. Prima dissidendi occasio est, an ista Evangeliorum inter se collatio, ita institui debeat; ut proprius cuiusque Evangelistae ordo nusquam interturbetur, sed interponantur tantum quae apud ceteros leguntur. Non desunt sane, qui ita fieri debere arbitrantur; sed non omnes eadem ex causa. Alii enim — e. g. Andreas Osiander, Harm. Evang. lat. Antv. 1537. et 1540. lat. et gr. Basil. 1537. et 61. — hoc ideo fecere, quia in ea sunt sententia: singulos Evangeliorum scriptores accuratum ordinem temporum et exactam rerum gestarum seriem, in cunctis quas tradiderunt historiis observasse. Alii autem idem peregerunt — veluti C. Molinaeus, Collat. et un. q. Evang. Hann. 1565. Alanus Copus, Histor. Evang. unit. Lov. 1572. C. Becillus, p. C. Orat. connexio Evang. Romae. 1625. — quod iis fixum sedeat, ad contextum a s. Matthaeo servatum reliquorum narrationes accommodandas esse; multi autem quia s. Lucam ducem ordinis elegerunt, eo quod in praefatione 1, 3. dicat se „καθεξῆς" scripturum, vel quia licet agnoscant plura ὕστερον πρότερον a sacris illis Scriptoribus exposita, religioni tamen ducunt, quem quisque secutus sit ordinem invertere; sed unum hoc sibi agendum sumsere: ut notationem ordinis sine ulla textus transpositione indicent per observationes ad loca, quae per anticipationem vel recapitulationem ab unoquoque relata existimant. Ab utrisque discedimus, cum priorum sententia vero absimilis sit; posteriorum religio inutilis reperiatur. Res ipsa ostendit, si quis mediocri attentione circumstantias persequatur: Evangelistas in ordine Historiarum non minus quam in rebus ipsis illustrandis, mutuas sibi invicem symbolas contulisse. Quod ipsum facile reperimus, modo Evangelia legamus, et sedulo comparemus; neque enim alia via patet qua id consequi possumus. Non enim hoc in negotio προληπτικῶς unus e quatuor Evangeliorum Scriptoribus seligendus, ad cuius exemplum ceterorum capita in Harmoniam redigantur; sed ex diligenti consideratione circumstantiarum, quae apud omnes

et singulos Evangelistarum reperiuntur, ordo consequentiae investigandus est. Manifeste enim apparet, quod s. Matthaeus et s. Marcus res non ea serie descripserint, qua gestae sunt. Cf. e. gr. Matth. 14, 3. s. Marc. 6, 17. s. Matth. 21, 1—9. coll. 23, 39. Marc. 3, 22—35. coll. 10, 11. 12. Adverbium „καθεξῆς" in prologo tertii Evangelii, non significat accurate exactum ordinem in omnibus — a quo semel 1, 80. coll. 2, 1. s., atque iterum 3, 19. 20. coll. v. 21. 22. 4, 5. s. S. Lucas recessit —; sed quod altius historias Christi repetere, ac continua deinceps narratione rerum „πραγμάτων" 1, 1. exponere velit. V. p. 288. S. Joannes quidem, qui reliquis serius scripsit, id sibi proposuisse videtur; ut historias Domini ex ordine digereret — unde res rebus connectit, ut quisque intelligat illas prius, has postea gestas esse, solus per paschata ministerium Christi distincte, distribute et quasi per gradus exhibet —; ceteri vero saepius a temporis ordine declinarunt, cum vel omissa recolunt, vel quod antea factum est, praeoccupant, ut scribit s. Augustinus, de cons. Evang. II, 21. n 51. p. 54.

9. Qui sumunt nullum Evangelistam aliquid extra seriem Historiarum narrasse reiiciuntur: α. diligenti collatione circumstantiarum, quae frequenter diversum urgent tempus; iidem β. in eas rediguntur angustias, ut pleraque Christi facta et miracula, quae res ipsa testatur et tota antiquitas sensit, eadem esse; contra communem sensum diversa facere cogantur. E. g. narrationes Luc. 8, 26. s. coll. Matth. 8, 28. s. Marc. 5, 1. s. Luc. 7, 2. s. Matth. 8, 5. s. Cum vero certum sit, non omnia esse diversa, quae a variis Evangelistis descripta sunt, sed plerumque eadem variatis paulisper circumstantiis; non igitur nisi exigente quasi necessitate talium circumstantiarum, quae ita certae sint, ut ad diversitatem statuendam, non tam suadere quam cogere videantur, illa quae res ipsa testatur eadem esse, diversa facienda sunt. Cf. Joann. 4, 46. et Matth. 8, 5. Joann. 2, 14. et Matth. 21, 12., quas res quidam easdem facere voluerunt. Ut autem ad alteram classem Harmoniarum nos convertamus, quorum auctores non tantum opus texuerunt ipsis Evangelistarum verbis; sed etiam in suis connexionibus nulla unquam transpositione utuntur, ne s. Evangeliorum textus nimium perturbetur: isti satis se ordini prospexisse arbitraretur, cum quae per anticipationem et recapitulationem dicta sunt; ad quae loca pertinent diligenter notant, productis etiam in margine lineis, ut facilius conspici possint, in locis autem ad quae pertinent, qualia ad ipsa sint transferenda, et unde apponunt. Ast haec Harmoniam texendi ratio in scopulum, quem fugiebat, impingit; quod α. ea ratione non continuas Christi historias habeamus, qui Concordiae Evangeliorum scopus esse debet; sed tamen ut et eadem res frequenter sit repetenda, et novo labore opus, ut perspiciamus, quid in iisdem Historiis narrandis quisque Evangelistarum singulare habeat, quid cum aliis commune. Nemo β. in dubium vocat utilissimum esse scire, quem quisque Evangelistarum ordinem secutus est; sed eum integrum habere non possumus, nisi cum unumquemque seorsim legimus. At vero si quando de quatuor Evangeliis in unum connectendis agitur; non iam de cuiusque proprio, sed de communi, hoc est temporis et rerum ipsarum ordine satagendum erit. Ars compingendi in unum Evangelistas laudes meruerat apud Veteres, unde sine scrupulo Sacrae Scripturae studiosi ad plenariam Harmoniae structuram hac via uti possunt. Quae cum ita sint ad optimam Concordiarum Evangeliorum contexendi rationem usitatior et receptior via praeferenda erit: ut ad nullius Evangelistae solius contextum alligetur; sed ut ex toto corpore Evangeliorum ordo

consequentiae investigetur et colligatur, sicque in notatione temporum omnes quatuor s. Scriptores mutuas inter se tradere operas appareat.

10. Regulae in investigatione ordinis Evangeliorum observandae. Historiarum Domini Nostri Jesu Christi seriem contexturi, regulas investigandi ordinis, s. Augustini ut plurimum vestigia legentes, praetermittere fas non duximus. Sublimis iste Interpres — et ipsum secutus Joannes Gersonius, in Monotessaro, Op. ed. du Pin. Ant. 1706. IV, p. 83. s. — docet de doctr. Chr. III, 36. n. 52. III. a, 62. triplicem esse ordinem in narrationibus Evangelistarum. Vel enim a. suo loco et tempore describunt seriem rerum gestarum; vel b. data occasione id quod posterius accidit per anticipationem prius recensent; vel c. quae antea facta sunt ex aliqua causa narrant inter illas historias, quae postea gestae sunt. Postremum s. Augustinus recapitulationem, ἀνακεφαλαίωσιν, adpellavit. „Sic enim, scribit, dicuntur quaedam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora quae praetermissa fuerant, latenter narratio revocetur; quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur.“ Ut autem colligi possit, quemnam ex hocce triplici ordine Scriptores Evangeliorum in singulis locis sequantur, haec fere momenta sedulo attendenda erunt. I. Cum omnes Hagiographi, qui easdem historias narrant, in ordine quod ad antecedentia et consequentia attinet, consentiunt; atque nota quadam tempus indicant, tunc ratio ordinis plana est. II. In omnibus reliquis casibus prae ceteris notandae sunt diligenter praecipuae illae formulae, quibus continuatio, seu consequentia rerum designatur. Idque sic fieri potest: Nominatur expresse dies: in illo die; Matth. 13, 1. ex illa die; ib. 22, 46. altera die; Joann. 1, 29. post duos autem dies; ib. 4, 40. 43. in sabbato secundo primo; Luc. 6, 1. mansit eo loco duobus diebus; Joann. 11, 6. Vel indicatur pars diei: et diluculo valde surgens; Marc. 1, 35. et diluculo iterum venit; Joann. 8, 2. vespere autem facto. Matth. 8, 16. Series factorum distinguitur etiam his notis: et descendentibus illis de monte; Marc. 9, 8. coll. Matth. 17, 9. et ecce leprosus veniens adorabat eum; Matth. 8, 2. et veniunt mater eius et fratres; Mar. 3, 31. et ecce venit vir cui nomen Jairus; Luc. 8, 2. in illo die exiens Jesus de domo; Matth. 13, 1. et exivit de templo, Joann. 8, 59. Huc item referuntur formulae dicendi: μετὰ ταῦτα, post haec autem ambulabat Jesus in Galilaeam; Joann. 7, 1. 2, 12. tunc dimissis turbis venit in domum; Matth. 13, 36. cum consummasset Jesus sermones istos migravit a Galilaea. Matth. 19, 1. Item Verbum ἀποκρίνω, respondeo, quando non praecedit quaestio, arguit continuationem. Luc. 3, 16. Matth. 11, 25. Penes s. Marcum particula πάλιν, iterum, plerumque continuat ordinem historiarum: v. c. 2, 1. 5, 23. 7, 14.; penes s. Lucam vero tales voculae sunt: ἐν τῇ ἑξῆς, V. deinceps; 7, 11. ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ; 9, 37. ἐν τῷ καθεξῆς. 8. 1. III. A formulis specialibus quibus consequentia monstratur, accurate secernere omnino oportebit illas, quae certum connexionis ordinem non praeseferunt; sed generalis cuiusdam sunt tenoris. E. g. in illo tempore; Matth. 11, 25. 12, 1. in diebus illis. Luc. 2, 1. 9, 36. Tales sunt etiam: cum turbae irruerent in eum; Luc. 5, 1. cum appropinquassent Jerusalem; Matth. 21, 1. circuibat castella; Marc. 6, 6. cum transiret inde Jesus; 9, 9. 15, 29. exiit in montem orare. Luc. 6, 12. Eiusmodi sunt pariter locutiones: περιπατῶν ambulans; Matth. 4, 18. Marc. 1, 16. συνήρχοντο, conveniebant, Luc. 5, 15. ἰδὼν, videns; Matth. 5, 1. ἐλθὼν, Mar. 9, 14. ἐγένετο, factum est. Matth. 7, 28. Demum tritissime in Evangeliis synopticis et Actis

Apostolorum; in una dierum Luc. 5, 17. atque voces similes. IV. Quaedam particulae aliquando ordinem continuum, aliquando interruptum, appositis scilicet aliis, indicant; quod ex contextu eruendum est. Ita μετὰ ταῦτα Joann. 3, 22. et Luc. 5, 27. ordinem continuum designat; sed Joann. 5, 1. 6, 1. plurima supplenda sunt. Idem valet de particulis: δὲ ἰδού, καὶ, τὲ τότε. V. Accidit ut duo Evangelistae consentiant, et tertius aliam seriem rerum exhibeat; quo casu duorum suffragium praeferendum, nisi tertius certos et manifestos servati ordinis characteres habeat. Cf. Matth. 4, 18. s. Marc. 1, 16. Luc. 5, 1.; item. Marc. 5, 21. s. Luc. 8, 41. coll. Matth. 9, 18. seq. VI. Cum post expositam aliquam rem, Scriptores sacri, varias subiungunt historias; quaeri debet uter eorum rationem temporis attenderit? In quibusdam locis ratio haec certior est, in aliis probabilis, in quibusdam dubia. Observandum itaque an in narratione unius Hagiographi, una re post aliam sequente, atque ita ut sequentem posteriorem esse constet, inter hanc praecedentem et illam sequentem aliquae aliae res inserendae? id quod diligens circumstantiarum consideratio docebit. E. g. Luc. 2, 39. coll. Matth. 2, 13. s. Marc. 3, 13. s. coll. 6, 17. s. 7, 1. s. Sive igitur per anticipationem sive per recapitulationem facta sit transpositio; a reliquis Evangelistis discendum, quo loco et ordine collocetur? atque in illa disquisitione tamdiu progrediendum erit, donec nihil amplius quod proponendum, seu interserendum sit occurrat. V. Joann. 11. coll. Matth. 19, 1. 20, 1. Luc. 9, 51. Non parum hic adiuvat interpretem consideratio temporis peregrinationum et commorationum Christi. VII. Fit interdum ut aliqua de iisdem personis in nexu historiarum coniungantur, quae tamen non simul aut eodem tempore; sed diverso evenerunt. Quo casu investigandum est, quomodo distingui et quodvis suo loco et ordine ponendum sit. Ita fit Matth. 10, 1. s. coll. Marc. 6, 7. Luc. 9, 1. s. Sed et quandoque similia referuntur, atque tunc sedulo attendendum; an praecipuae circumstantiae conveniant; si ita, tunc eadem esse reperiuntur. Ubi vero diversa loca, tempora, variae personae, occasiones sunt; tunc propter solam similitudinem, quae apud plures Evangelistas repetita sunt, non debent commisceri, sed potius discerni. Cf. Matth. 20, 29. s. coll. Marc. 10, 46. Luc. 18, 35. seq. Ceterum non abs re erit monere: penes omnem cautionem, eos qui Evangelia pro rerum ac temporum ratione contexunt, hoc non praestare; ut semper evincant seriem Historiarum, quae a Hagiographis relatae sunt eam esse revera, sed eam esse posse. Neque illud ad extremum silentio prememus, inique agere interpretes, qui se vocant criticos; quive talem Evangelistarum concordiam, qualem a profanis Historiarum conditoribus nemo exspectat, ita flagitant; ut illam etiam discrepantiam carpant, quae a diverso sive narrandi modo, sive scriptoris consilio derivanda est.

11. In mutuam Evangeliorum relationem inquiritur. Quamvis otio minime abundemus, ac iam dudum in tanta hypotheseon copia, quibus saeculum nostrum in tractandis S. Scripturis abundat fastidiosi simus; ut tamen quorumdam desideriis satisfiat, quaestionem instituimus: de mutua Evangelistarum inter se relatione; vel ut alii scribunt de fontibus quibus Evangelistae in Historiis D. N. J. Ch. referendis usi sint. Ista quidem quaestio, de qua nimbosi turbines in scholis excitari solent talis est, quali Revelationis divinae tam veritas quam dignitas facile caret. L. O. Zöckler, die Evangelienkritik und das Lebensbild Christi nach der Schrift. Darmst. 1865. p. 34. Pro certitudine fidei sane parum interest scire, an ut passim nunc sumitur s. Marci commentarium e Matthaei et

Lucae Evangelio fluxerit; — sic existimarunt: Griesbach, commentat. qua Marci Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstratur; in Vol. I. Comment. edit. a Velthusen. Lips. 1794. p. 360. s. H. E. G. Paulus, de origine Ev. Marc. invenienda, in Introductione in N. T. cap. sel. Jen. 1799. p. 263. item Entstehungsart der dr. e. Kan. Ev. Heidelb. 1822. p. 129. s. Döllinger, Christenthum und Kirche. Regensb. 1860. p. 132. s. — sive ut alii perorant Evangelium s. Marci omnium primum conscriptum sit — ita opinantur: G. C. Storr, de fonte Ev. Matthaei et Lucae, apud Velthusen, Comment. III, 140. s. Herder, vom Gottes Sohn der Welt Heiland. Op. theol. XI. ed. Vindob. 1823. p. 353. s., item Regel der Zusammenstimmung unserer Evang. aus ihrer Entsteh. ib. XII, 3. s. J. Th. Plitt, de compositione Evang. synopt. Bonnae. 1860. p. 2. s. 7. s. —; vel denique ut rursus quidam contendunt origines Evangeliorum a testium oralium narrationibus repetantur; sive fons communis statuatur „κηρύγμασι" tantum constans. — Hoc placuit C. G. Theile, de trium Evang. necessit. Lips. 1823. p. 33. s. M. Roedigero, symbolae ad N. T. Evangel. Hal. 1827. p. 10. s. Friedlieb, zur Gesch. der Entstehung der h. Ev., in ephem. Oest. Vierteljahresschr. f. Kath. Theol. Vind. 1864. p. 68. s. — Nihilo magis cum ab omnibus Evangeliorum commentatoribus disquisitio hac de re instituatur; nos quoque de eadem agimus Veterum iudicio obnoxii. In Evangeliis, modo ea inter se comparentur magnam in verbis, locutionibus et rebus reperiri convenientiam animadvertimus; quo fit ut unum ex altero pendere facile intelligamus. Sed et mutuus obtinet Evangeliorum nostrorum dissensus, non solum in rerum tractandarum ordine et ratione, singulis vocibus et peculiaribus dicendi formulis; sed in ipsis haud raro etiam rebus: ita quidem ut neque quae congruant, neque quae discrepent ad certas leges possint exigi, sed miro prorsus modo inter se sint mixta. Singillatim ita habet Synopticorum necessitudo: Narrationis quidem ambitus maximam partem communis est Scriptoribus trium priorum Evangeliorum. Quippe in quadraginta duobus, quae integram fere contineant rerum D. N. J. C. epitomen, capitibus rarius nonnisi duo consentiunt. In specie s. Matthaeus et s. Lucas decies et quater; s. Marcus et s. Matthaeus duodecies; s. Marcus et s. Lucas quinquies. Paucissima habent singuli sibi propria capita; nimirum s. Matthaeus quinque, s. Marcus duo, s. Lucas novem. — Cf. Düret, das gegenw. Verhältniss. d. Matth. u. Marc. Ev., in ann. Vindob. Zeitschr. f. K. Theol. 1852. IV, 1. s. 219. s. — In summa, quae sunt a praeconio Joannis Baptistae ad Ascensionem Domini, factorum convenientia; dissidere deprehenduntur in quibusdam rebus, quae dissensio ex diverso consilio scribentium explicari nequit. Nam utcumque diversum cuiusque sit consilium, ex eo quidem explicatur, qua de causa aliqua omissa alia enarrata; cur s. Matthaeus argumenti, d. Joannes temporis potissimum rationes sequatur. Earum vero, quae in oratione quam dicunt montanam, item in precatione dominica; verbis institutionis S. S. Eucharistiae et ordine observantur discrepantiarum ratio, non intelligitur. Quod magis mirum est, cur alter unum dixerit ubi alter duos posuit. E. g. Matth. 8, 28. coll. Marc. 5, 2. Luc. 8, 27. et Matth. 20, 30. coll. Luc. 18, 35. In iis quoque quae Christo post mortem acciderunt, cur singuli adeo differant; hoc quidem arduum foret tantum a dispositione et compositione uniuscuiusque Libri Evangeliorum derivare. Similiter ab invicem recedunt in institutionis parabolicae speciminibus. Cuius trium Evangeliorum vicissitudinis ratio, cum a casu quodam non repeti posse facile pateret, causas et fontes aperire

conati sunt interpretes. Quot et quam diversas de Evangeliorum similitudine et dissimilitudine propositae fuerint coniecturae, in unaquaque s. d. Introductione N. T. legitur. V. Ad. Maier, Einl. in die Schriften d. N. T. Frib. 1852. p. 16. s.; et copiosius de Wette, Lehrb. d. hist. Krit. Einl. in die Kan. Bücher des N. T. Berl. 1860. p. 150. s. Cf. e. L. J. Rhesa, de tr. Evang. in Can. N. T. pr. fonte ac origine. Regim. 1829. p. 11. s.

12. Refelluntur variae opiniones circa mutuam Evangeliorum inter se relationem. Ad nos qui historico — criticam commentationem de libris N. F. minime scribimus, non attinet singulas hac de quaestione opiniones recensere. V. Maignan, les Evangiles et la critique au XIX., siécle. Par. 1864. Sufficiat commemorasse primo absurdam illam, tot iterum tamque diversis formis disputatam opinionem „de Evangelio primitivo" sententiam. Omnino autem res ad idem redit; sive unum ponant Evangelium, quod dicunt primitivum, literis hebraicis s. aramaicis exaratum — ita P. A. Gratz fecit, neuer Versuch die Entstehung der Ev. zu erklären. Tüb. 1812. p. 51. s. Komm. ü. d. Ev. d. Matth. ib. 1821. I, 2. s. et alii —, sive plura fingant partim hebraea partim graeca fragmenta, singulares D. N. J. C. historias orationesve complexa — ita Fr. Schleiermacher, ü. d. Schrift. d. Lukas. Berlin. 1817. 1. s. aliique —; istae similesque hypotheses semper reprobandae erunt propter implicitam earum et valde temerariam rationem. En argumenta: α. desideratur huius quod appellent „πρωτευαγγέλιον" vestigium in tota, qua late patet antiquitate; β. quid vel Apostolos vel alios discipulos movere potuisset, ut tale sive talia relinquerent primitiva monimenta? Cum γ. in omnibus cuiuscumque rebus τὸ simplex merito habeatur indicium veri; etiam in hac quaestione quo paucioribus indulserimus coniecturis, parciusque laxaverimus luxuriantis ingenii frena, eo propius a rei veritate censebimur abesse. Reliquarum autem tres adscribere opiniones iuvat. Vel sumitur Evangelistas e suis invicem commentariis — quae sententia rursus triplex ipsa, prout sive Matthaei sive Marci, sive Lucae Evangelium primoprimum existimatur —; vel e communi fonte eoque scripto; aut ore propagato hausisse. Jam vero quid de ordine, quo se exceperint s. Scriptores tenendum sit, rationibus internis confici nequit; maxima enim licentia et temeritate viros criticos in una eademque quaestione ex animi sui sententia et huiusmodi argumentis internis alios aliter statuisse, neque ignotum, neque mirandum est. — Legantur e. c. disputationes: Wilke, der Urevangelist o. ex. Kr. Unters. u. d. Verwandschaftsverh. d. d. e. Ev. Dresd. 1838. p. 36. s. 684. s. H. Ewald, in suis ann. I, 113. s. II, 180. s. III, 140. s. item die johanneischen Schriften übers. u. erkl. Gött. 1861. I, 221. 7. 34. II, 361. — Ne igitur rationibus e genere interno in omne arbitrium iudicii perperam abripiamur, necesse est relicta illa probatione ex altera; quae nititur colligendis monimentis veteribus, rem decernere. Eadem S. S. P. P. et S. E. testimonia S. Irenaei, Origenis, Eusebii, S. Epiphanii, S. Joannis Chrysostomi, S. Hieronymi et S. Augustini; quae Evangeliorum authentiam comprobant, pari modo demonstrant: Evangeliorum Scriptores, eo quem in Canone nunc tenent ordine, volumina sua edidisse. His suffragantur Codices manuscripti, qui paucis demtis primo habent s. Matthaeum, deinde s. Marcum et s. Lucam; tandem s. Joannem, quod temere non accidit. Certe summa d. Joannis auctoritas suasit, ut ipsum s. Matthaeum praecederet, nedum s. s. Marco et Lucae postponeretur.

13. S. Augustini de Evangeliorum inter se relatione sententia probatur. Cognationem Evangeliorum interiorem nobis optime explicare visus est Praesul Hipponensis, de Consensu Evangelist. I. 2, 4. p. 3. in haec verba: „Quamvis singuli suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius praecedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata praetermisisse, quae scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluam sui laboris cooperationem adiunxit.“ Huius igitur S. Patris vestigia secuti dicimus: s. Marcum commentarium Evangelicum s. Matthaei novisse — sic statuere, ut aliquos solum nominemus: F. Seiler, de tempore et ordine quo tria Evangelia priora scripta sint. I. II. Erlang. 1805. 6. Hug, Einl. in d. Schriften d. N. T. Tüb. 1826. ed. 3. II, 107. s. F. X. Reithmayr, Einl. in die can. Bücher d. n. B. Regens. 1852. p. 346. seq. S. Markfi, Introd. in s. Libros. N. T. Budae. 1857. II, 39. s. —, quantumvis plura habeat et nova et magis definita; s. Lucam vero utriusque scriptione usum fuisse. Duplicem sententiae partem age singulatim consideremus. S. Marcus adhibuit d. Matthaeum, quin tamen ideo eum excerpserit, sed pro consilii sui ratione res ab eo narratas in iustam Historiarum seriem redegit. Argumenta idonea, quae in commentatione de fontibus Historiarum D. N. J. C. p. 279. s. protulimus, evincunt: d. Matthaei Evangelium inserviisse s. Marco, qui cum Apostolis, imprimis s. Petro versabatur. S. Lucam vero quod attinet s. s. Matthaeum et Marcum prae oculis habuisse, ut credamus; haud leves suppetunt rationes. Quamquam s. Lucas, quodsi ab exordio legatur, et a d. Matthaeo et a s. Marco differat; tamen in rebus gestis dictisque Christi exponendis, viam ab antecessoribus initam non reliquit. — v. Ranke, de libris historicis N. T. Berol. 1855. p. 14. s. — Eadem enim est libri universi conformatio, quam in s. s. Matthaei et Marci Evangeliis observamus. Sed et relationum ea est indoles, ut cum prioribus se Scriptoribus rationem habuisse debeat existimari; ita tamen ut in delectu narrationum constituendo, suo indulserit iudicio. Evangelii quod ordine quartum est scriptorem s. Joannem Apostolum, lectis et expensis trium praecedentium scriptis opus suum aggressum esse; tradit Eusebius, Hist. eccl. III, 24. p. 95. Cf. i. K. Th. Schneider, die Ächtheit des Johanneischen Evangeliums n. d. äusseren Zeugnissen. Berl. 1854. p. 9. s. F. Godet, Comment. sur l' Evangile de S. Jean. Par. 1864. p. 16. s. H. R. D. N. T. p. 294. s. . --- . J. Körber, in libro quem vulgavit: d. Geheimniss d. Einheit u. d. Verschiedenheit d. v. Evangelien. Reg. 1866. somniis et phantasiis indulsit.

14. De scriptoribus a quibus tradita est Harmonia Evangeliorum aevo antiquissimo. Ut ordine recenseamus eos, qui e Veteribus in Harmonia Evangeliorum concinnanda versati fuerant; primus omnium quod scimus, qui hoc argumentum „τὸ διὰ τεσσάρων“ tractandum suscepit fuit: Tatianus — circa a. p. C. 160—170. — natione Assyrius, vir magna doctrina et ingenio clarus atque s. Justini M. discipulus; postremo quod valde dolendum, mortuo s. Justino haereticorum vel suo, vel Encratitarum nomine nuncupatorum antesignanus. Cf. Eusebii, H. E. IV, 29. p. 150.; quo testimonio etiam hoc clarescit Eusebium Tatiani diatessaron nunquam prae manibus habuisse. Idem dicendum de s. Epiphanio, adv. haer. c. Tat. h. XLVI, 1. p. 391. S. Ephraemus Syrus, Literarum Sacrarum celeberrimus interpres, interim eo praecipuo honore Tatiani opus ornavit, quod ipsum commentario illustraverit. Teste Dionysio Bar-salibi, Jacobitarum in Mesop. ep. † 1170. praef. in Marc. c. 9., apud J. Assemanum, bibl. Or. Clementino-Vaticana. Romae

1721. de script. Syr. monophys. II, 159., Tatiani diatessaron consuluit quoque Theodoretus, Cyri prope Euphraten ep. † 457.; qui „nactus est etiam ipse libros huiusmodi supra ducentos.“ Verba eius hac in re gravissima leguntur, haer. fab. comp. I, 20. ed. Schulze, IV. a. p. 312. „Hic evangelium quod Diatessaron dicitur, τὸ διὰ τεσσάρων καλούμενον συντέθειχεν εὐαγγέλιον, composuit, amputatis genealogiis · etiam compositionem verborum Pauli corrigere ausus, ibid. p. 151. —, et aliis omnibus, quae Dominum ex semine Davidis secundum carnem natum ostendunt. Eoque usi sunt non modo qui eius erant sectae, sed ii etiam qui apostolica dogmata sequebantur.“ Operae autem pretium est inquirere quam rationem Tatianus, qui Rhodone haeretico — v. s. Hieronymi, de viris ill. c. 37. in Fabricii, biblioth. eccles. Hamb. 1718. p. 108. — referente apud Eusebium, V, 13. p. 178. elucubratus est „βιβλίον προβλημάτων, quaestionum librum“; in compilando suo διὰ τεσσάρων — hoc enim nomen tulisse communis habet Veterum testificatio — secutus fuerit? Eusebius itaque Caesareensis l. c. scribit: Tatianum Evangelium ex quatuor Evangeliis composuisse; quod idem Historiarum scriptor vocat nomine significante „συνάφειαν“ et „συναγωγήν.“ Et Tatianum quidem in illa synaphia Evangeliorum, non mutasse sed retinuisse verba Evangelistarum, inde sequitur: quod Eusebius quasi ex antithesi addat reprehensionem, Tatianum in s. Pauli epistolis „μετάφρασιν“ tentasse. Praeter haec etiam e Theodoreti, s. l. c. colligitur Evangelium Tatiani τὸ διὰ τεσσάρων nomine adpellatum fuisse, atque e canonicis Ecclesiae Evangeliis coaluisse. Cfr. H. A. Daniel, Tatianus der Apologet. Halle. 1837. p. 97. seq. R. Anger, synops Evang. prol. p. 28. 29. C. Aen. Semisch, Tatiani diatessaron. Vratisl. 1856. p. 15. s. Quae fuerit porro ratio huius Harmoniae nos docet idem Theodoretus; cui si fides, exhibuit concisam rerum Christi adumbrationem, sive epitomen Evangeliorum ipsis verbis Hagiographorum contextam; in qua reperiebantur omnia ad Salvatoris Historias spectantia, demtis iis quae Christi genealogiam, ortumque e prosapia Davidis attinent. Primis quarti Evangelii verbis „in principio erat Verbum“ exordium sumsit; teste Dionysio Barsalibi l. c., unde continuo ad natales Christi transiit, tabula generis Jesu praetermissa. Novam prorsus viam Tatianus aperuit Evangeliis in unum concinnatis. Syriae interim limites pauca tantum apographa Tatiani operis emeasse videntur; ne eruditissimis quidem viris in Oriente degentibus — veluti Eusebio, s. Epiphanio et s. Hieronymo — contigit ut Diatessaron oculis suis cernerent. Postquam Theodoretus graecos codices inter Syros deleri iussit; solis aramaicis evenit, ut ad saeculum usque XIII et ultra superessent. Ad occidentem nisi aliquis subobscurus rumor delapsus est; atque Victor saeculo p. C. n. sexto episcopus Capuanus saltem operis memoriam ab oblivione vindicavit. Cf. Max. bibl. P. P. Lugd. 1677. III, 265. s. Quae vero adhuc sermone latino Tatiani sub nomine habetur Harmonia Evangeliorum — ed. Menleri, Mog. 1524. J. Ph. Palthenii, Gryphisw. 1706. J. Schilteri, in Th. A. Teut. Ulm. 1727. II. — huic scriptori nequit attribui. Theophilus — † 186. p. C. n. v. G. Lumperi, Hist. theol. cr. Aug. V. 1784. III, 127. — Antiochenorum episcopus — teste Eusebio, H. E. IV, 20. p. 141. et divo Hieronymo, ep. 121. ad Algasiam, q. VI. p. 866. „quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens, ingenii sui nobis monumenta dimisit.“ — De vir. ill. c. 25. p. 95. — „Legi, inquit s. Hieronymus, sub nomine eius in Evangelium commentarios“; qui tamen s. Doctori cum voluminum Theophili „elegantia et phrasi, non viderentur congruere.“ ib Interim praef. comm. sup. Matth. volvisse se fatetur

„Theophili Antiochenae urbis episcopi commentarios" nulla dubii facta mentione. VIII, 7. Cf. e. A. Neander, Allg. Gesch. d. chr. Relig. Hamb. 1828. III. 3, 758. n. 1. — Duo, tradit s. Hieronymus, navavit Theophilus, primo Evangelistarum dicta collegit, et quae similia erant ita contexuit, quasi unum essent opus; deinde commentarios suos adiunxit. Exemplum ex istis petit s. Pater, l. l. ad Alg. super parabolam de villico iniquo. Luc. 16, 1—8. 16. Perierunt omnino haec monimenta iniuria temporum; quae enim adhuc sub eius nomine l. IV. commentariorum, in Max. Bibl. P. P. II, 2. p. 165. s. leguntur suspecta sunt. L. n. IV. praef. Benedictinorum ed. Op. s. Justini P. III. p. 112. 113. Hunc Theophilum excepit Ammonius Alexandrinus — quem C. R. Bellarminus, de scrip. eccles. ed. Labbé. Ven. 1728. p. 47. ad a. p. C. 227. recenset, Labbé p. 48. c. a. 222. — qui edidit tam ἁρμωνίαν — quae periit; nisi interpretationem francicam alicuius Harmoniae, quam Viennae 1841. edidit, Ammoniique esse evincere laboravit prol. p. 7. 8. J. A. Schmeller, eius esse credatur — ex puris Evangeliorum verbis contextam; quam canones harmonicos — non confundendos cum Harmonia — quos, decem numero, ordine disposuit Eusebius Caesareensis † 340., in ep. ad Carpianum, apud Fabricium, Bibl. gr. ed. Harless. VII, 400. 401. Decem columnis capita Evangelistarum ita inter se comparantur, ut statim appareat, quotnam et quibus in pericopis Evangelistae eandem rem referant. Laudat hosce canones s. Hieronymus, praef. in Evang. ad Damasum, Cassiodorius, de institutione divin. Liter. c. 7. ed. Garetii. Ven. 1729. II, 514. S. Isidorus Hisp., Etymologiarum VI, 15. ed. Arevali III, 262. s. Excusi typis reperiuntur etiam in Migne, Patrol. Gr. XXII. Par. 1857. p. 1274. s. Ipse porro Eusebius coll. Hist. Eccl. I, 7. p. 20., Evangeliorum inter se consensionem demonstrandam suscepit, duobus libris „περὶ τῶν ἐν εὐαγγελίοις ζητημάτων καὶ λύσεων" ad Stephanum; atque tertio eiusdem argumenti libro ad Marinum dedicato. Horum epitomen selectam dedit, e cod. vat. Pal. CXX. saeculi ferme decimi, Angelus Mai, Biblioth. nov. Patr. IV, 217.; repetiit Migne Patrologiae graecae. Par. 1857. XXII, 879. s. Operis istius testes praeter locum in Demonstr. ev. VII, 3. p. 353., nec non s. Hieronymum — de vir. ill. c. 81. p. 167., epist. 120. ad Hedibiam c. 3. seq., ubi Eusebii ad Marinum quaestiones prorsus explicat, quaeque epitomator Maii neglexit, apte compensat. — laudat Angelus Maius: Sophronium, Ebediesu, Suidam, Honorium Augustod., Anastasium Sinaitam, Georgium Hamartolum, Macarium Chrysocephalum, Joannem Siculum, Cedrenum, Nicephorum Call., Trithemium, aliosque. Specimen aliquod Concordiae evangelicae exhibuit hoc ipso saeculo quarto s. Epiphanius, Constantiae quae in Cypro est episcopus, op. quod Πανάριον inscribitur II. 1, 51. Alogorum haer. p. 422. s. Huc merito refertur etiam C. V. Aq. Juvenci, Historiae evangelicae l. IV. c. n. v. — ed. Reusch. Francof. 1710. F. Arevalus. Rom. 1792. — in quo poemate sacro, labore propemodum herculeo res Jesu Christi ex limpidissimis illis quatuor fontibus felicissime reddidit; numero quoque poetico, ut decuit maxime concinno. Ex saeculo quinto augustum huc pertinens nomen est S. Augustini, Hipponensis episc.; qui operosissima lucubratione — scripta versus annum 400. p. C. n. — „de consensu Evangelistarum libri quatuor" — leguntur in parte altera t. III. scrip. s. Doctoris praeclarae illius editionis Operum S. P., quam monachis Benedictinis cong. S. Mauri orbis catholicus debet — in rationem temporum fuse atque erudite inquirit; et ordinem historiarum maxime sollicitus expendit. Et quidem l. I. tradit generalia quaedam circa Evangelia;

l. l. II, III. et IV. difficultates plurimas per omnem Evangeliorum contextum pro suo ingenii acumine enucleavit. Sunt vero hi Libri — iudice H. N. Clausen viro acatholico in op. A. Augustinus Hipp. S. S. interpres. Havn. 1827. p. 112. — ita comparati „ut praeclaro exemplo Augustinus iis praeierit, qui postea in Harmonia Evangeliorum construenda operam collocarunt; quum non singulis modo locis lucem egregie affuderit, verum quosdam etiam indicaverit fines, quos ultra labor prodire non debeat: neque equidem scio, an ex alio ullo libro insignis Augustini in nodis solvendis dexteritas, in rebus conciliandis ingeniositas luculentius appareat." De s. Hieronymo vetus scriptor a J. Mabillonio, Veterum Analectorum t. IV. Paris. 1685. editus, Evangelii Harmoniam ita conciliatoriis dissertationibus declaravit, ut unicam fore arbitretur. Ex Hesychii presbyteri hierosolymitani † 438. εὐαγγελικῇ συμφονίᾳ doctissimus J. B. Cotelerius, in monumentis Ecclesiae graecae III, 1—53. Par. 1686. cum versione sua et notis publici iuris fecit „συναγωγήν ἀπορῶν καὶ λύσεων"; collectionem quaestionum excerptam ex eiusdem evangelica consonantia, qua nonulla loca Evangelistarum conciliantur. Quae Victor ep. Capuanus, saec. VI. in editione Harmoniae Ammonianae praestiterit, iam supra commemoravimus. Erravit quippe cum illam adscriberet Tatiano; addidit etiam memoratae Harmoniae praefationem aliquam, de qua non attinet hoc loco plura dicere. Cf. Lachmanni, praef. in ed. N. T. gr. l. Ber. 1842. I, XXVII, XXVIII. Praeterimus S. Julianum Pomerinum, ep. Toletanum † 690. — d. q. l. G. Crowaei, elenchum Scriptorum in S. S. Lond. 1672. p. 244. — scriptorem II. l. „ἀτικειμένον", in quibus quaestiones Utriusque Testamenti in speciem pugnantes examinantur. Ed. Par. 1530.

15. *Scriptores Harmoniarum aevo medio.* Post res Romanas eversas, insecutamque barbariem, revocatis a Carolo M. literis Otfridus monachus † 870., coenobii Weissenburgensis in Alsatia O. S. B., Rabani Mauri Abbatis Fuldensis quondam discipulus — D. q. v. Trithemii, de script. eccl. ed. Fabr. n. 290. p. 76. J. Mabilonii, Annales O. S. Ben. Par. 1706. III, 128. G. Ch. Daetrii, Otfridus m. Evangel. interpres. Helmst. 1717. Bouterwek, in Herzogs R. E. IV, 265—270. — metro scripsit, volumen Evangeliorum in V. libros distinctum, quod typis descriptum reperitur in J. Schilteri, Thes. Ant. teuton. Ulm. 1727. t. I., et r. E. G. Graff. „Krist." Regiom. 1831. Ad sequiora antequam delabamur saecula, iuvat meminisse etiam anonymae pervetustae sed incertae aetatis theotiscae Evangeliorum Harmoniae „Heliand" dictae, quam edidit J. M. Schmeller Monachii 1830. 40. II. t. in IV; item J. R. Köne. Monaster. 1855. Non defuerunt etiam proximis saeculis, qui eundem laborem susciperent. Ita e. c. saec. XI. Marianus Fuldensis O. S. D. † 1086. iuxta eius saeculi in hisce rebus consuetudinem Historias Christi διὰ τεσσάρων in Chronico suo ed. Herold. Bas. 1599. reliquit. S. XII. idem opus tentavit Zacharias, Chrysopolitanus ep. † 1150. Eius Monotessaron Evangelium i. e. in Concordia Ev. ab Ammonio contexta l. IV. prodiit lat. in Biblioth. P. P. Colon. 1618. t. XII.; in Lugdunensi 1677. s. XIX. p. 732. Petrus Lombardus, magister sententiarum dictus † 1168., italicae eruditionis et episcopalis apicis clarissimum decus, in commentario in Concordiam Ev. hoc ipsum praestare aggressus est. Par. 1483. Clemens Claudiocestrensis, Anglus, presbyter canoniae reg. Lanthoniensis prior † 1170. — v. J. A. Fabricii, Bibliotheca lat. ed. Mansi. Patavii 1754. I, 396. — scripsit duodecim libros Concordiae Evangelistarum, quos manu scriptos servant Angli. — Cf.

Catalogum libr. m. s. s. Angliae et Hiberniae. Oxoniae. 1697. I, 121. E. 7. n. 2333, 2. II. a, 243. bibl. Jacobaeae. 8245, 523. 6. J. Mori. 9260. 74, 11. p. 363. II. b, 26. Colleg. S. S. Trin. 327, 187. — Petrus Comestor, Gallus Trecensis, † 1178. in Historia schol. ed. C. A. M. Guirini. Ven. 1729. Harmoniam contexuit. Idem fecit S. Bonaventura, doctor seraphicus in opusculo „Meditationes Vitae Christi" — ed. Lugd. 1668. VI, 334. seq. — doctrina et pietate eximio. L. Thomas ab Aquino, Theologorum Aquila et vere doctor angelicus, miro artificio opus nobilissimum diaphoniae in quatuor Evangelia concinnavit. In ed. Op. S. Thomae Aqu. Paris. 1660. tom. XVII. titulum gerit „Expositio continua super quatuor Evangelistas, ex Latinis et Graecis authoribus, et praesertim ex Patrum sententiis et glossis miro artificio quasi uno tenore contextuque conflata: Catena aurea iustissimo titulo nuncupata. Ludolphi Saxonis — v. Bellarmini, de scriptor. ed. Labbé ad an. 1330. p. 470. — Carthusiani † 1330., Vita Domini N. J. Chr. Argentinae. 1483. Antv. 1618. et alibi prodiit, iustae molis liber. Guido Terrena, patria Catalanus, Carmelita † 1312. auctor est Concordiae Evangeliorum. Col. 1631. J. Simon de Cassia † 1348., seu Fidatus a Cassia natali in Hernicis vico cognominari solitus, O. Erem. S. Aug. opus eius insigne praenotatum „Gesta Salvatoris D. N. J. C. in XV. l." ed. quinta exiit Ratisb. 1733. 4. Joannes Gerson, alias Charlierus vocatus, Gallus Gersonii qui pagus est agri Rhemensis, famosissimus suae aetatis Theologus, Cancellarius Parisiensis condidit: Monotessaron, seu unum e quatuor Evangeliis. Op. ed. G. E. du Pin. Antv. 1706. IV, 83. seq. Opus multiplicis utilitatis, quippe quo continuae Historiae J. C. e quatuor Evangeliis texuntur; quod Gersonio stetisse plurimum laboris reputandum est. Plerique enim ante eum scriptores dixerunt de dispositione et ordine Evangelistarum, scrutantes quid prius, quid posterius factum dictumve sit; ut ostenderent concordes inter se esse Hagiographos, nec tamen Historias Christi concinnarunt ipsis Evangeliorum verbis. Post tot scriptores veteres primus illud operis Gersonius inter Latinos suscepit: nulla tamen nota distinxit, quae cuique Evangelistae sint propria; sed in capitum inscriptione tantum significat, ex quibus Evangeliorum locis sumta sint, quae subiiciuntur.

16. Syllabus scriptorum Harmoniae Ev. recentioris aetatis catholicorum. — *In recensendis scriptoribus Harmoniae Ev. recentioribus, ut melior ordo servetur seorsum serie chronologica, additis hinc inde annotationibus nostris, trademus Concordias a viris catholicis et acatholicis datas. — Circa initium saeculi decimi sexti vulgatum est Roberti Goulet, Tetramon Evangeliorum. Par. 1535. A. Koenigstein, O. S. Fr. enarratio in Monotessaron. Col. 1539. Post haec Simon Corroyi, O. Coelestin. edidit consonantiam ev. Lugd. 1547. Succedebat Gabrielis a Puteo herboso, Turon. Tetramon, sive symphonia et concentus q. Ev. 1547. Nulla vero ex hactenus editis Ev. Harmoniis ea omnia praestitit, quae retulit egregia Cornelii, Jansenii, ep. Gandavensis concordia Ev. edita Lovanii 1549. Antv. 1558. et alibi saepissime. Adscribit primum singulorum Evangelistarum particularia, deinde quidquid est commune inter ipsos, reiecto ad marginem quod abundat vel superfluum est. Synopsim Concordiae Jansenii dedit Matthaeus*

a Castro. Antv. 1593. atque G. Serranus. Col. 1593. Beni. Beauport, O. S. Fr. iunxit Harmoniae suae expositionem g. Par. 1552. Sequitur Loys Myre, la vie de J. C. comp. de 4. Ev. Par. 1553. Joach. Perionius, O. S. B. de vita rebusque gestis J. C. ex q. Ev. quasi monotessaron Par. 1553. Did. Villalobos, O. S. Dom. cuius Concordia prodiit Pinciae 1555. Petr. de Iruroşqui, eiusd. O. dr. f. Th. Par. Series totius Ev. J. C. ex. q. Ev. concinn. Stellae Navarr. 1557. In opere harmonistico condendo diligentem operam posuit: J. M. Verrati, Ferr. Carm. Harmonia Ev. Op. 2. II. Ven. 1571. Rerum seriem, quam texuerat C. Jansenius exhibuerunt: Joann. Rubus, sive Buissonius — ex Villers Athensis, proinde Belga, non Hungarus; sicuti sine fide et testibus perhibuit Ebrard, wiss. Krit. d. e. G. ed. II, p. 55. n. 7. Cf. Crowaei, elench. p. 233. Jöcher allgem. Gelehrt. Lexic. Leipz. 1751. III, 2281. praef. ad. A. Arnaldi Conc. ed. Mechl. p. XII. — primus regens collegii regii in Univers. Duacena, Historia et Harmonia ev. Duaci. 1571. et saepe; atque Alanus Copus, cuius est Historiae ev. unitas. Lov. 1572. Th. Beaux-amis, Parisinus Carmelita, Comm. in Ev. Hist. sive Concord. ex antiquis Ecclesiae P. P. congesta, in quibus quae ad interpretis munus faciunt continentur. Par. 1583. III. vol. Similiter Alph. Salmeron, S. J. natione Hispanus, patria Toletanus † 1585., maxima cum eruditionis copia undecim tomis Historias Evangeliorum diligenter illustravit; quorum divisio est: 1. Prolegom. i. u. S. S.; 2. de Incarnatione Verbi; 3. de Infantia et pueritia C.; 4. de Hist. Ev.; 5. de sermone Domini in monte; 6. de C. miraculis; 7. de Parabolis; 8. de disputationibus D.; 9. de s. Eucharistia et serm. D. in coena; 10. de Passione et morte D.; 11. de Resurrectione et ascensione C. Typis mandati fuere Madriti. a. 1597. s. rep. Col. 1602. s. s. T. Comm. in Ev. Hist. Eminentissimus quoque auctor Annalium ecclesiasticorum Caesar Baronius, Neapolitanus Soranus tomo I. Gesta Christi enarrat. Ed. Rom. 1589. in fol.; optima Luc. 1738. Sebastianus Barradius S. J., patria Ulyssiponensis, scripsit comm. in Concord. et Histor. Evang. tom. IV., quorum unus excusus est primum Conimbricae. 1599., ac deinceps sequentibus annis reliqui; saepius recusi fuere; ita Aug. Vind. 1742. I—IV. fol. Ut aliis ita Joanni Haio, sive de la Haye, — viro inter maxima illustria lumina S. J. Belgicae referendo, et ab editore O. S. F. Bibl. m. et max. distinguendo — in Quaternione Evangelistarum. Duaci. 1607. propositum fuit, ut nullius Evangelistae textus, cum alio permisceatur. Severinus Lubomlius O. Pr., — v. Long., Bibl. II, 835. — Ruthenus Roxolanus — non ut erronee scribit Ebrard, Sever. Jul. Roxolanus. Acatholicus criticus iste, qui conamina omnia harmonistica a catholicis viris profecta exigua et minuta vocat, debuisset ante omnia nomina nostrorum

Theologorum correcte scribere — Judaeus conversus, vulgavit Monotessaron Ev. Crac. 1607. Barth. Riccius, patria Castroficardensis in Piceno, S. J. scripsit Vitam D. N. J. C. Romae. 1609. Monotessaron Ev. op. posth. Augustoriti Pictonum 1621. Postea prodiit Jac. d' Anzoles a la Peyre, opus: Sancta D. N. J. Evangelia sec. Evang. Par. 1610. Temere hic scriptor sumit ordinem quem quisque Evangelista sequitur, esse a Spiritu S. profectum; nam ut vidimus certum est, non esse habitam ab Evangeliorum scriptoribus temporis rationem. Huc spectant etiam August. Tornielli, Novar. Congr. s. Pauli Cler. regul. Annales sacri Francof. 1611. II, 358. s.; atque Vincentii Regii, Siculi S. J., Evangelicorum dilucidationum l. o. Col. 1615. I—III. vol. Anno eodem 1615. Moguntiae editus est Joannis Roberti Arduenatis e S. J., divinarum Literarum in variis gymnasiis interpretis: Mysticae Ezechielis Guadrigae, i. e. S. q. Ev. historiarum et temporum serie vinculata. Mog. 1615. — V. A. et Al. de Backer, Biblioth. d. Ecriv. d. l. Comp. d. J. Liége. 1853. 1, 635. — Fr. de Roxas, Toletani O. S. Fr., Commentaria in Conc. Evang. Madrid. 1621. Jo. Bourghesii, Belgae Malbodiensis S. J., Historia et Harmonia Ev. tabulis et quaestionibus et selectis S. S. Patrum sententiis explicata. Prima eius editio iuxta Crowaeum, elench. scipt. p. 197. est Antverpiensis. 1622., iuxta Sotvellum, Bibl. Script. Soc. Jesu. Rom. 1676. p. 425. et Backer, l. c. p. 125. Montibus 1644. Neque silendum est hoc loco nomen Dionysii Petavii, Aurelianensis, viri ut ostendunt eius scripta ingenio maximo, iudicio acerrimo, omnium fere rerum scientia exculti; Theologi insignis et elegantis, qui in suis eruditissimis ad s. Epiphanii haer. 51. Alogorum diatribis ed. Par. 1622. II, b. 92. s. et in opere suo praestantissimo de Doctrina temporum, l. XII, 18. ed. Antv. 1703. II, 245. s. plurimas ad Concordiam Ev. attinentes quaestiones copiose et perspicue tractavit. Caesar Becillus, Urbinas, sacerdos Oratorii, in connexione Evang., in qua textus ordine servato, rerum gestarum series indicatur. Rom. 1623. 25. Id potissimum studuit, ut brevis esset et non confusus. In Jacobi Saliani, Avenionensis S. J. Annalibus eccles. Par. 1624. VI, 762. s. iungitur narratio rerum Jesu Christi iuxta quatuor Evangelistas. Adrianus Crommius, S. J. linguarum cumprimis graecae, arabicae et hebraicae peritissimus, magna eruditione Sanctissima quatuor Evangelia historico ordine concordiae in modum Lovanii 1633. digessit. Tetraeuchus Cornelii Jansenii Yprensis. Lov. 1639. Mechliniae rec. 1825. II. tom. non Harmonia est, sed potius commentarius, exponit enim continuata serie quatuor Evangelia. Laurentius Forerus S. J., Vita J. C. ex q. Ev. explic. Monachii. 1637. 1640. Joannis Rubi concordantiam comtiorem adhuc et meliorem fecit Theologus Parisiensis — qui iuxta praef. Lamyi

p. V. fuit Antonius Arnaldus, Jansenistarum antesignanus. † 1694. Cf. e. Calmeti, Diction. ed. Aug. Vind. 1738. I, Bibl. p. 104. Saxii, Onomast. Trai. 1782. L. IV, 468. s. — vulgavitque Parisiis 1654. — ed. rec. Mechlin, 1819. et 1842. — typis Caroli Savreur, hoc titulo inscriptam: Historia Concordia Evangelica. Opus concinnum habetur Joannis de Parys, Antverpiensis S. J., Margarita evangelica, sive J. C. D. N. Vita, Doctrina Historiaque universa E. ordinate descripta. Ant. 1607. ed. auct. ib. 1660. Ob insignem utilitatem hic loci memorandus est liber Ric. Avancini S. J., Tyrolensis, Vita et doctrina J. C. ex q. Evang. coll. Vienn. 1665. Tyrnav. 1764. Monast. 1844. Novam Harmoniam procudit Prothasius Henriet Sezaniensis, Minor Recollectus, H. E. seu Evangelicae Historiae totius tractatus unus. Par. 1665. J. B. Ricciolus, Italus Ferrar. S. J., Evangelium unicum D. N. J. C. Bononiae 1667. M. Cochem, gr. Leben Christi. Q. v. Münch. 1696. ed. rec. Münst. 1855. Natalis Alexander, Rhotomagensis O. S. D. iam a. 1679. varias dissertationes historico-chronologicas vulgare cepit Parisiis, quas inseruit H. E. V. et Novi Testam. ib. 1730. Multis etiam ad rem nostram aptis annotationibus referta est eiusdem expositio literalis et moralis S. Ev. J. Ch. Par. 1745. I. Matth. II. Marc. L. J. B. Lamy, Orat. D. J. presb. scriptor Concordiae seu Harmoniae Ev. Par. 1689., ibidem 1699. edidit Commentarium, sive Concordiam quatuor Evangelistarum; cui adiecit tomo altero Apparatum Chronologicum et Geographicum. Commentarius literalis est, et modo paraphrasim modo analysim praestat; accedunt ubique annotationes doctae, atque in apparatu non una eaque prolixa digressio, qua res maiori expositione indigentes illustrantur. Multa insuper in quaestione super ultimum Christi Pascha animadvertit d. q. v. n. p. 242. Lud. Seb. Nanus Tillemontius — vulgo Louis Sebastien le Nain de Tillemont —, a loco ubi plurimum commorabatur sic cognominatus; Par. 1693. et Bruxellis 1694. vulgavit tom. I. libri celeberrimi Memoires pour servir à l' Histoire eccles., qui etiam tempora D. N. J. C. describit. edit. corr. post alt. Par. Ven. 1732. J. P. Pezron, Ord. Cist. Hist. Ev. Par. 1696. E saeculo decimo et octavo nominandi sunt: Seb. le Roux, Conc. q. Ev. J. C. Hist. n. a. exh. c. ann. Par. 1699. 1701. Nic. Toisnard, Aurelian. linguarum orientalium et rei antiquariae peritissimus, Evangeliorum Harmonia c. not. chron. et hist. Par. 1707.; ad cuius formam et methodum A. Cramoisy typographus Par. concinnavit latinam e textu Vulgatae editionis, — Cf. Long, l. c. p. 991. — gallicam Par. 1716. Ign. Hiac. Amat de Graveson, Tract. de vita, mysteriis et annis J. C. Rom. 1711. Ven. 1728. Aug. Calmet, Commeriacensis, O. S. B. Congr. S. Vitoni et Ridulphi, Abb. Nanc. Librorum divinorum pariter atque rerum sacrarum doctus inter-

pres, comm. literali in omnes L. N. T. praemisit Harmoniam q. Ev. ed. Wirceb. lat. 1787. Interpretationis comes: est Histoire du nouveau Testament pour servir d' introduction à l' Histoire eccl. de l' Ab. Fleury. Par. 1718. Idem Liber vulgatus est quoque hoc titulo: Histoire de la vie et des mir. de J. C. tirée de l' Hist. de l' anc. et n. Test. Brux. 1721.; latine redditus est ab Alexandro a S. Joanne de cruce Carmel. disc. Aug. Vind. 1788. 90. V. t. T. J. Duguet, in variis de passione D. N. J. C. opusculis. Par. 1722. s. — Cf. Thes. libr. rei cath. Wirc. 1850. p. 190. — A. Sandinius, Historia Familiae sacrae ex antiq. mon. collecta Patav. 1734. retr. et auct. ib. 1744. Ad hanc spectant Hiac. Serry, animadversiones anticriticae, Par. 1735.; ed. nov. locupl. Par. 1746. cum exercit. h. c. de Christo eiusque Virgine Matre, quas rursus examini subiecit Mtt. Basile, Archiep. Panorm., edidit Jac. Basile S. J. Serry O. S. D. Professor in Academia Patavina. Nimia licentia Serry criticae indulsit, acatholicis idcirco laudatus. — Cf. Ephem. Unsch. Nachrichten a. 1720. p. 1101. s. et Fr. M. Reimbald diss. J. H. Serry, test. verit. Lips. 1736. p. 5. s. — Daniel Papebrochius et Godef. Henschenius, S. J., in Propylaeo ad Acta Sanctorum Maii. Antv. 1742. multa eaque praeclarissima ad Harmoniam Ev. contulerunt subsidia. Huc item referuntur: S. Vajda O. S. B., a mi urunk Jézus Krisztusnak élete. Pos. 1772. 4. 3. v. Historiae U. Rom. 1774. t. VI. et VII. Inn. Schmid, Synopsis Vitae J. C. Vindob. 1778. J. J. Hess, Lebensgesch. J. zum Gebr. der röm. Kathol. Münster. 1782. Seb. Mutschelle, die Gesch. Jesu a. d. v. h. Ev. in eines gesammelt. Münch. 1784. J. C. Müller, Harmonie d. v. h. Ev. Mainz. 1791. ed. auct. Francf. 1803. Fr. Em. Simanovics, Evangelium J. C. συνταττόμενον e. q. Ev. iuxta fidem Vulg. Clero Hungariae dicatum. Vindob. 1792. Matth. Schabet, Jesus der Gottmessias II. vol. Aug. 1795. Dan Chr. Ries, S. J. Vita Dei-hominis J. C. Mog. 1797. J. Nortz, die Übereinstimmung der vier Evangelisten. Jnnsb. 1798.

17. Ex aevo demum nostro Harmoniarum concinnatores sunto: *Mich. Feichter, Historia Ev. ex verbis s. q. Ev. concinn. Brix. 1802. Eiusd. animadvers. p. et m. in Hist. Ev. Oenip. 1857. F. C. Widermann, das einzelne Evangelium der v. Ev. Wien. 1804. t. p. J. N. Biechle, die v. Evangelien in einem harm. geordn. Mörsburg. 1806. F. L. G. z. Stolberg, Gesch. d. Rel. J. Wien. V. 1817. Vande Wardt d' Onsel, Harmonia Evangelica. Antv. 1817. A. Bodent, die erste u. heiligste Gesch. der Menschheit Jesus von Naz. hist. krit. Swäb. Gmünd. 1819—22. q. v. A. A. Waibel, O. S. Fr. das eine Evang. o. d. v. Ev. im gesch. Zuzammenh. Aug. 1827. J. A. Rotermundt, Synopsis quatuor Evangel. gr. lat. Passavii 1835. Fr. Schneider, Gesch. J. C. Prag. 1835. M. J. Mack, Bericht über Dr. Str. Kr. Bearb. d. L. J. Tüb. 1837.*

J. Kuhn, das Leben Jesu wiss. bearb. Vol. I. et unicum. Mog. 1838. J. P. Silbert, d. Leben u. H. J. C. Leips. 1838. M. Hagel. Dr. Str. L. J. aus d. Standpunkt des Catholicismus Campid. 1839. Fr. Ligny S. J., Histoire de la vie de Jésus-Christ. Par. 1830. Bruxell. 1839. vern. germ. a J. A. Moshammer. Vienn. 1843. T. F. Allioli, Leben J. e. Evang. Harm. Landsh. 1840. J. B. Hirscher, die Gesch. J. C. Tüb. 1840. J. L. Hug, Gutachten über d. L. J. v. Dr. Str. Freib. 1840—44. II. vol. Vinc. Reichel, Quatuor s. Ev. e Vulg. transumta harmonico-chron. disposita. Prag. 1840. J. Rauschenbichler, Vita D. N. J. C. sec. q. Ev. iuxta Vulg. fidem relata Landishuti. 1841. J. Gehringer, syn. Zusammenst. d. g. T. d. v. Ev. nach d. Grunds. d. auth. Harm. Tüb. 1842. J. N. Sepp, Leben J. C. Ratisb. 1843—46. ed. II. 1853. seq. vol. 2. seq. Ei. Thaten und Lehren Jesu mit ihrer weltgeschichtlichen Beglaubigung. Schaffh. 1864. G. Riegler, d. Leben J. in Harm. d. v. Ev. Bamb. 1845. 3. ed. J. H. Friedlieb, Quatuor Evang. s. M. M. L. J. in Harmon. red. Vratisl. 1847. Eiusd., Gesch. d. Lebens J. C. ib. 1855. ad. p. e. Erinnerungen u. Krit. ib. 1857. Fr. X. Patritii, S. J. doctoris decurialis Collegii romani s. Libris interp. de Evangeliis l. II. qui est [illegible] *Rom. 1852. l. III. qui est* [illegible] *ib. 1853. Ph. J. Spindler, Übersicht.* [illegible] *Harm. Aug. 1852. G. Patiss S. J., Gesch. d. Offenbarung Gottes.* [illegible] *1854. t. II.* [illegible] *d. Leben des Gottmenschen Jesus Christus ib. 1865.* [illegible] *la vie de Notre Seigneur Jésus Christ. ed. II. Par. 1864. teut. Leben u.* [illegible] *Jesus Christus* [illegible] *1864. J. B. Heinrich.* [illegible] *1863. F. X.* [illegible] *d. Leben Jesu. Würzb. 1866.* [illegible] *de Jésus. ed. III. Par.* [illegible] *F. A.* [illegible] *d. Leben Jesu.* [illegible] *1867.* [illegible] *Harmoniarum Evangeliorum,* [illegible] *sufficiunt.*

[illegible]

paschata. Rost. 1624. Th. Cartwright, Harm. Ev. Amst. 1627. Eiusdem Comm. pr. in totam Hist. Ev. ib. 1630. Lightfoot, Harm. q. Ev. 3. p. Lond. 1644. Op. angl. Lond. 1684. I, 1822. lat. Amst. 1686. I. ex ed. Leusdeni Franecq. 1699. t. II. Chr. Althofer, Harm. Ev. emedullata Jenae. 1653. Jo. Richardson, Harm. exhibita a Jac. Usserio, Annal. P. p. Lond. 1654. p. 569. s. P. J. Vossius, Harm. Ev. de Pass. M. R. ac. Asc. J. C. Amst. 1656. A. Calovius, Harm. d. Leb. Sterb. u. Auferst. J. C. Witt. 1680. C. H. Sandhagen, K. E. z. Harm. d. v. Ev. Lün. 1684. cum ann. Buddei Berol. 1724. Flor. de Bruin, Harm. Ev. Dord. 1690. Joannes Clericus, Harm. Ev. cui subiuncta est Hist. J. C. ann. Amst. 1699., rep. Lugd. 1700. sine hac Hist. et trib. diss. J. R. Rus, Harm. Ev. Jen. 1727—30. t. t. in q. v. J. A. Bengel, richt. Harm. d. v. Ev. Tub. 1736. et saepius. J. Macknight, Harmony of the our Gospels. Lond. 1756. rec. 1822. II. vol. lat. fecit Rukersfelder. Brem. 1722—9. t. 3. J. Pristley, Harm. of the Evang. Lond. 1777. 2. vol. Guil. Newcome, Harm. of the Gospels. Dub. 1778. rep. Andov. 1814. 34. J. J. Griesbach, Syn. Ev. Matth. Mr. Lc. in ed. I. 1744. deest s. Joannes; in altera Hal. Sax. una cum iis Joann. peric. quae H. pass. et res. compl. 1797. rep. 1809. 1822. J. White, Diatessaron s. integ. Hist. J. C. gr. ex qu. Ev. subiungitur Ev. harm. Oxon. 1800. H. Plank, Entwurf einer neuen syn. Zusamm. d. d. e. Ev. Gött. 1809. De Wette et Luecke, Syn. Ev. Mtt. Mr. L. cum parall. Joann. per. Berol. et Lond. 1818. Ber. 1842. G. C. R. Matthaei, Syn. d. v. Ev. Gött. 1826. H. N. Clausen, q. Ev. tab. synopt. Havn. 1829.; adde eiusd. commentar. Fortolkning af de synoptiske Evangelier. ib. 1850. 2. vol. M. Roediger, Syn. Ev. M. M. et L. c. J. per. par. Hal. 1829. 1839. H. Olshausen, bibl. Comm. ü. s. S. d. N. T. Königsb. 1830. ed. quar. cur. A. Ebrard. vol. I. et II, 1. 2. C. Lachmann, in annal. Stu. u. Kr. 1835. III, 570. s. Eiusd. N. T. ed. Mai. Berol. 1850. II, 14. prol. Gelpke, über die Anordnung in den syn. Ev. Bern. 1839. G. Küchler, Vita J. C. gr. Lips. 1835. H. Chapman, a greek harmony of the Gospels. Lond. 1836. Ch. H. Kalkar, die bibl. Gesch. in Vortr. für Gebildete. Kiel. 1839. II, 145. s. J. G. Ed. Greswell, Puseyitae, Harm. ev. ed. III. Oxon. 1840. Sommer, synopt. Tafeln. Bon. 1842. J. H. A. Ebrard, w. Kr. d. evang. Gesch. ed. I. Erl. 1841. sec. auct. et emend. 1850. C. Wieseler, chron. Synopse d. v. Ev. Hamb. 1843. E. Robinson, a Harm. of the four Gospels. Lond. 1845. Kraft, Chronol. u. Harm. d. v. E. ed. Burger. Erl. 1848. Köllner, synopt. Tabellen. Giessen. 1849. R. Anger, Syn. Ev. M. M. L. cum locis qui supersunt parallelis literarum et traditionum Irenaeo antiquiorum. Lips. 1851, C. Tischendorf, Synopsis ev. ex q. Ev. Lips. 1851. 1854. 1864. Chr. Lex,

Evangelienharmonie. Wiesb. 1855. F. W. **Lichtenstein**, *Lebensgesch. d. H. J. C. in chron. Übers. Erl. 1856.* M. **Baumgarten**, *die Gesch. Jesu. Braunschw. 1859.* M. H. **Schulze**, *Evangelientafel. Leipz. 1861.* J. J. **van Oosterzee**, *batavi, das Bild Christi nach der Schrift germ. a F. Meyeringh. Hamb. 1864.* Imm. **Tafel**, *das Leben Jesu n. d. Berichten der Evangelisten. Bas. 1865.* E. **Pressensé**, *l' ecole crit. et J. C. Par. 1863. Id. Jésus Christ, son temps, sa vie, son oeuvre. Par. 1865. germ. ed. Fabarius. Hal. 1866. Haec dicere voluimus de potioribus Harmoniarum Evangelicarum acatholicis scriptoribus. Si quis b. Lectorum plures adhuc desideraret cognoscere, adeat: Diss. prooem. ed. Lugd. Harm. J. Clerici, postea Fabricii, Bibl. gr. ed. Harrles. IV, 880. tandem C. Hase, das Leben Jesu. Leipz. 1854. qui praecipue p. 21. ed. V. 1865. p. 48. s. s. reliquos liberali manu admetitur.*

D. Lucae in scribendo Actuum Apostolorum libro ars contexendi.

13. *[illegible] videndum est, [illegible]* Lucam in Commentario priore, enarrasse historias D. N. J. C. inter homines apparentis atque viventis, Apostolos populumve instruentis, morbos curantis, peccata condonantis, salutem denique et redemtionem praeparantis et consummantis [illegible] H. N. T. p. 288. s.; in posteriore vero mortui quidem sed gloriose resuscitati, ad Dei dexteram sedentis, remque Ecclesiae nutu suo gubernantis exposuisse aeque vidimus. Ib. p. 431. s. Quoniam autem Jesus propterea inter homines apparuit, ut Regnum Dei i. e. Ecclesiam in orbe conderet, s. Lucas existimari potest: „Regni Divini primordia duobus in Commentariis delineasse; in priore a Domino Nostro ipso coepti et initiati, in posteriore vero per Apostolos continuati et propagati.“ Nobis quidem [illegible] Actus Apostolorum [illegible] Christum vere vivere, Ecclesiam regere suam, Apostolosque suos [illegible]. Omnia enim quae Salvator [illegible] Spiritus S. [illegible] Apostolos [illegible] docent et praedicant: Jesus vero [illegible] Ecclesiae semper assistit, [illegible]

[illegible]

ipsum narrare, qui delectus magis perspicuus fit ex eo, quod plura etiam eorum tacuerit, quae probe sciret. Beatae namque Virgini Matri, Apostolorum Principi aliisque Apostolis et discipulis familiariter usus est, quorum res gestas factaque ignorare non potuit. Caesareae in domo Philippi εὐαγγελίστου Act. 21, 8. commorabatur, a quo plura de initiis Ecclesiae discere valuit. S. Paulo praeterea adhaesit indivisus vitae comes atque socius; quo optima ei data fuit opportunitas, uberem Historiarum Apostoli notitiam comparandi. Cf. Act. 21, 19. Nihilominus, veluti saepe monebimus, multa d. Pauli facta silentio praeteriit. Neque est, quod manifestum illum in narrando delectum a fortuita fontium conditione derivemus, fatendum enim erit d. Lucam alia quoque experiendo cognovisse, quae literis non mandaret. Confirmatur haec sententia singulari ubertate, qua ille et Cornelii Centurionis Romani conversionem tradit, et ea refert, quae in Concilio Hierosolymitano acta sunt. Distinguendum imprimis hoc sub respectu inter primam Actorum partem, quae fere tota c. c. 1—13. de s. Petro agit; et inter reliquam, quae plane de eo silet. Si hocce silentium alterius partis non e ratione scribendi d. Lucae derivaretur, b. Principem Apostolorum per totam reliquam vitam nihil fecisse sequeretur. Quisquis Acta Apostolorum diligenter legerit, facile etiam observabit, d. Lucam prioribus Commentarii sui capitibus, post singularum rerum narrationem, generalem quandam Ecclesiae nascentis descriptionem subiicere. Sic Act. 2, 42. 4, 32. 5, 12. 42. 6, 7. Eodem vero narrandi modo d. Lucas etiam in Evangelio usus est. Ita e. c. 1, 65. 2, 40. Hac in disquisitione magni denique momenti est, in Apostolis eorumque discipulis analogiam quandam reperiri cum Christi factis fatisque; quae similitudo utique si veri eius sectatores forent, iis praedicta erat. Quae Jesus prophetaverat, statim fieri incipiunt, et quoniam fiunt enarrantur. A primis iam Ecclesiae originibus s. Petrus et s. Joannes reliquique Apostoli plus semel carceribus mancipati, vix e manibus persecutorum liberantur; Stephanus et Jacobus interficiuntur; Petrus expellitur; Paulus mala perfert innumera, homini vix tolerabilia; nec per longum tempus nisi e vinculis Christum crucifixum praedicat. Sed si quid efficere volebant, opus erat factis, quae a Christo eandem, qua ipse pollebat, traditam esse potestatem demonstrarent. Etenim si miracula vidissent, tum demum Judaeorum gentiliumque animi ad Jesu sacra transire paratiores erant. Ea autem per Apostolos suos patranda Salvator ipse praedixerat. Idem porro Jesus Luc. Ev. 9, 41. eos vehementer reprehendebat, si quando muneri sibi credito non sufficiebant. Haec autem Apostolorum miracula non eorum sed Dei opera esse, ipsorum manibus perfecta, tum suapte sequitur, tum clare enunciatur. Act. 4, 10. Hanc ob causam de rebus ab Apostolis gestis eadem fere nomina ac de miraculis Domini adhibentur. Act. 2, 22. et 43. Quae si legimus perpendimusque, ea esse non clam atque occulte, sed palam gesta, simulque eo aevo scripta, quo plurimi aequales in vivis erant; tunc de eorum veritate ne momento quidem temporis ancipites haesitabimus. Haec si recte disputata sunt, multum conferunt, ut credamus Actus Apostolorum continere: res dignas fide non modo theologica, sed etiam humana, quae sanae Critices legibus innititur. Plurimae enim res ita sunt comparatae; ut non potuerint accurate a scriptore alio seriore aetate, qua gestae sunt, etiam si proxime sequentis, enarrari.

Chronotaxis Evangelica.

21. Monitum de vera Christi aetate. Historias Domini Nostri Jesu Christi scribentibus incumbit necessitas: quae de rebus divinissimi Salvatoris memoriae tradita sunt, cum reliquis Historiis huius mundi ita connectere, ut illis in serie temporum iustus assignetur locus. Unde duplex nascitur Chronologia: relativa q. d., qua singula Historiarum D. N. J. C. momenta determinantur; deinde vero absoluta, quo ille quem relativa cum universali Chronologia habeat nexus definitur. Ubi semel notum est, intra quos terminos Historiae D. N. J. C. coercendae sint; sive quo anno natus et quo mortuus: multo facilius est diversos eius actus constringere, et suis temporibus singulos reddere. Jam si compertum tenemus, quo anno Salvator divinissimus natus fuerit, etiam fugae eius in Aegyptum et reditus in Galilaeam tempus deprehendemus. Annum quoque sciemus quo Jesus adhuc puer duodecim annos natus repertus est in templo sedens inter doctores. Reliquos item vitae eius actus, quos referunt Evangelistae, suis digeremus temporibus; i. e. intervallum praeconii et ministerii Christi publici a baptismo suo ad mortem suam. Quaerendus igitur est Historiarum D. N. J. C. citimus et ultimus terminus, intra quos neccessario statuenda est vera Christi aetas.

22. De aera Dionysii et vero Christi Natali. Ut ab Urbis conditu annos olim suos Romani putare consueverunt; ita nos Christiani ab Incarnatione vel Nativitate Domini tempora nostra numeramus. Huius instituti Dionysius cognomento exiguus [1] quidem perperam auctor fuisse traditur [2] contra historiarum fidem [3]; utpote qui anno quingentesimo vicesimo quinto [4] nisi aeram Incarnationis Antiochenam cyclo suo 532. annorum alligavit; reiectis annis Diocletiani, cum quibus tam Alexandrini quam Antiocheni cyclum 532. annorum coniungebant. Quare aeram, qua hodie Ecclesia Romana utitur, inchoavit. Sed quidquid sit de aerae rom. christianae initiis,

---

[1]) Monachus, non abbas romanus. V. Cassiodorium, de institut. div. liter. c. XXIII. ed. Ven. 1729. II, 552. Crit. Pagii, ad Annal. Bar. a. C. 527. ed. Luc. 1741. IX, 385. [2]) Animadvertit hoc Pagi, Appar. chron. ad Annales Baronii ed. Luc. 1740. p. 376. [3]) Jam ante illum duae Incarnationis aerae Alexandrina et Antiochena apud Orientales viguerunt. Cf. L. Ideler, Handb. d. math. u. techn. Chronologie. Berl. 1826. II, 328. Ei. Lehrbuch der Chron. ib. 1831. p. 404. s. [4]) Juxta V. Bedam, de sex aetatibus mundi. ed. Colon. 1688. II, 115. cum quo faciunt Pagi, l. c. Crist. Saxus, in Onomast. lit. Traiect. 1777. II, 38. C. Wieseler, in Herzogs, R. E. I, 161. Opinione J. Scaligeri, de emendatione temporum l. II. ed. Genev. 1629. p. 161. vixit circa annum C. 526.

sedulo observandum: distinguere oportere: duplex Natale Christi, proprium scilicet et Dionysianum seu vulgare[1]. Primum est illud, quod ex documentis Historiae Evangelicae probabiliter eruitur; secundum vero illud quod Dionysius exiguus secutus est; et post eum universa Ecclesia Latina, eius attamen initio paululum immutato. Quia Dionysius non tam a Christo nato, aut Kalendis Januarii[2]; quam ab VIII. Kal. Aprilis anni Juliani XLV., quo individuae naturae Divinae cum humana facta est coniunctio, illud auspicatus est[3]. Haec aera, quam nos quoque nunc familiariter in computu adhibemus supponit: Jesum Christum natum esse sub finem anni 4713. Periodus Julianae; U. C. 754. Passim tamen a Chronologis primae notae[4], nec non ab eruditissimis theo-

---

1) Quod acerrime defendere ibat A. Korbavius S. J., Vindic. astronom. thet. pro Dionysio exiguo. Viennae. 1643. p. 22. s. 2) Ut hodie fit. 3) Pagi, App. 1. s. 4) Usserio, Annal. P. post. Londini. p. 1654. C. H. Norisio, viro in rebus chronol. summa cum laude versato, l. de Cenotaphiis Pisanis ed. Fr. Ballerinii Veron. 1729. t. III. Diss. II, 5. p. 137. s. D. Petavio, Diatriba de anno natali Christi animadversione ad Haer. LI. Alog. ed. s. Epiphanii. Paris. II, 106. s. 120. s. De doctrina Temporum. ed. Antv. 1703. II, 211. s. Rationar. Temp. ed. Lugd. 1724. II, 142. s. Ipsi etiam Pagio, tametsi Appar. chron. ad Annal. Baronii. p. 373. revera in annum 748. retrahat Incarnationis Dominicae epocham, probabilior ceteris existimata. Item J. Clerico, Harmonia evangelica ed. Amstel. 1700. diss. I. de annis Vitae Christi. p. 507. s. Alexandro Natali, Diss. II. in Hist. Eccles. N. T. Saec. I. ed. Par. 1730. III, 65. Tillemontio, Memoires ed. Ven. 1732. I, 420. Cornelio a Lapide, Comment. in Evang. ed. August. Vind. 1747. II, 45. Anonymo scriptori Spicilegii Obser. chron. circa computum aerae christianae, in Miscell. Obs. in auctores vet. et rec. Amstel. 1732. vol. II. 3, 419. s. Placuit eadem sententia eruditissimo Godefrido Henschenio, e S. J. viro in rebus chron. summo, diat. praelim. ad Tom. prim. Aprilis Act. S. p. 6. s. J. L. Berti, Diss. hist. vol. I. in quo illustriores epochae exponuntur. Florent. 1753. p. 109. 203. J. H. Gravesono, Historia Eccles. V. T. ed. Ven. 1761. III, 133. 147. M. Purulich, Diss. de Pascha Christi ultimo. Tyrnav. 1765. p. 230. a. Pilgram, Calendarium chronol. Vienn. 1781. p. 1. R. Anger, de temporum in Actis Apostolorum ratione. Lips. 1833. p. 6—8. Theile zur Biographie Jesu. Leipz. 1837. p. 42. C. Wieseler, Chronologische Synopse der vier Evangelien. Hamb. 1843. p. 131. 132. J. P. Mynster, de momentis chronologicis in vita Jesu Christi disq. Havn. 1843. p. 2. J. Gumpach, über den altjüdischen Kalender, zunächst in seiner Beziehung zur neut. Gesch. Brüssel. 1848. p. 347. J. B. Weigl, th. chr. Abhandlung über das wahre Geburts und Sterbjahr J. Ch. Sulzbach. 1849. I, 103. s. II, 173. C. Ammer, die Chronologie des Lebens Jesu Christi. Straubing 1855. p. 4. s. J. H. Friedlieb, Geschichte des Lebens Jesu Christi Breslau. 1855. p. 61. s. Eid. Errinerungen und Kritiken. ib. 1857. p. 37. s. J. Bucher, zur Chronologie des Lebens Jesu, Öst. Viertelj. 1865. IV, 199. s. Eid. die Chronologie d. N. T. Augsb. 1865. p. 18. s. Th. Keim, der gesch. Christus.... Chronol. d. L. J. ed. III. Zür. 1866. p. 224. s.

logis, paucis in contrarium nitentibus [1]; nunc receptum est: aeram vulgarem quatuor solidis annis praevertendam esse.

23. Expenditur ἀπογραφὴ Syriae praeside Cyrino Luc. 2, 2. ‚πρώτη‘ adpellata. Cum res omnium maxime memorabilis sit: Adventus Filii Dei in mundum, per duos Apostolos, et totidem alteros Evangelistas descriptus; omni studio et diligentia nobis videndum est, ut annus quo id acciderat, firmiter testatus habeatur. Enimvero in anno Incarnationis Dominicae, velut in cardine, futura tempora volvantur. Invento etenim certo, quo Christus natus est anno; ceteri, qui ab eo numerantur veri certique supputabuntur. In tempore circa quod natus est Jesus Christus D. N. definiendo, praecipue habendam esse rationem characterum chronologicorum ab Evangelistis notatorum, sponte sua sequitur. Triplex autem recenseri solet character adiunctorum, quae ortum Christi circumstant; atque in s. monimentis describuntur, ad investigandam praesenti in quaestione veritatem. Primus petitur a descriptione Orbis iussu Augusti facta Lucae 2, 1. s.; cuius imperio ut parerent Josephus et Maria, e Galilaea Bethlehemum se contulerunt; ubi ipso illo tempore B. V. Maria Christum enixa est. Nec tamen character iste sic comparatus est, ut nos ducere possit in certam anni Natalitii D. N. J. C. cognitionem. Tum quia α. s. Lucas in sua narratione non meminit huius census [2], ut eum memoraret tanquam characterem natalis Christi; sed solummodo ut explicaret cur Messias Bethlehemi natus sit. Tum quia β. d. Lucas verbis: ‚αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου‘; non significat censum, qui a P. Sulpicio Quirino [3] actus

---

1) Quorum opiniones diligenter recensuerunt: D. Petavius, diatr. II, 114—127. J. A. Fabricius, in Bibliographia antiq. c. VII. Hamb. 1716. p. 181. s. 342. s. F. Spanhemius, in Chronol. s. Part. II. Op. ed. Lugd. 1701. p. 206. Lampe, praef. ad Pent. diss. bibl. chron. a J. J. Hottingero. 1723. Berti, l. c. 102—168. J. Haiden, exercitationes chronol. de tribus praecipuis annis Christi nati, baptizati, emorientis. Pragae 1761. exerc. I, 1. p. 69. s. C. Michaeler, über das Geburts und Sterbejahr Jesu Christi. Wien. 1796. I, 160. s. C. Th. Kuinoel, Ev. Marci et Lucae ed. 3. Lips. 1824. p. 358. s. Anger, l. s. c. Wieseler, l. s. c. p. 485. Winer, R. W. I, 560. F. X. Patritius, de Evangeliis l. III. Frib. 1853. d. XIX. qua veterum sententiae de temporibus, quibus Christus vixit exponuntur. p. 185. s. d. XX. p. 277. Longum esset et otiosum singulas sententias expendere; in primis postquam nostris diebus omnis eruditorum discordia intra annum VII. a. C. et I. p. C. contineatur. 2) De censu Romanorum vide diss. Dav. Hoffmann, in Theodori Hasaei et Conradi H. Ikenii, Thesauro Novo th. ph. Lugduni Batav. 1732. II, 424. s. 3) Cuius repetitam legationem Syriacam 4. et 6. p. C. a. confecit: R. Bergmann, de inscriptione latina ad P. S. Quirinium referenda. Berol. 1851. A. W. Zumptius, de Syria Romanorum provincia, in Comm. epigr. ad

est; sed hoc anteriorem, qui a C. Sentio Saturnino, teste Tertulliano [1], ante censum a P. S. Quirino Syriae Praeside institutum peractus est. Quae expositio: ‚haec descriptio prior erat illa, quae facta est Praeside Syriae Quirino, V. Cyrino‘; minime violenta aut a s. Paginis aliena dici potest, cum vox ‚πρώτη‘ vim προτέρα habeat etiam apud s. Joannem Ev. 1, 15. 30. 15, 18 [2]. Quae si vera sunt: apparet ex illis s. Lucae 2, 2. verbis certum aetatis Christi tempus definiri non posse [3].

24. Utrum testimonium d. Lucae 3, 1. 2. s. quo refert v. 23. Christum cum ad baptismum adiit ‚ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα‘ fuisse prodat Natale Domini. Narratur a d. Evangelista, Joannes B. ministerium suum inter Judaeos exorsus: quintodecimo Tiberii imperantis anno: Judaei vero magno confluxu et numero ab illo baptizati, et Jesus Christus quoque inter ceteros aqua tinctus est; tum temporis annos natus ‚ὡσει ἐτῶν τριάκοντα ἀρχό-

---

Antiq. rom. v. II. Berolini 1854. p. 89. s. Herm. Gerlach, die römischen Statthalter in Syrien u. Judaea. Berl. 1865. p. 34. s.

[1]) Adv. Marcionem, IV, 19. III, 191. „Sed et census constat actos sub Augusto tunc in Judaea per Sentium Saturninum.“ Idem Tertullianus, ib. c. 7. p. 155. dixerat censum Augusti „testem fidelissimum dominicae nativitatis, quem romana archiva custodiunt.“ Cf. i. Norisii, Cenot. Pis. diss. II, 11. 12. p. 492. s. 508. s. [2]) Largiuntur etiam aliarum sententiarum propugnatores „πρώτη“ usurpari pro πρότερον et προτέραν. Cf. B. Chr. Richardi, diss. de Censu Augusti, in Thes. n. II, 437. Ita interpretantur: Antonius Bynaeus, de natali Jesu Christi. Amstel. 1689. p. 329. A. Calmetus, Comm. lit. in Evang. Luc. ed. Wirceb. 1787. p. 34. Heumann, de censu antequir. in sylloge diss. I, 763. s. Perizonius, de Aug. orbis descriptione. Oxon. 1738. p. 908. Clericus, Harm. p. 16. Michaeler l. c. p. 60. Süskind, Symbol. ad illustr. q. Evang. loca. Tubing. 1803. II, 43. H. Olshausen, Bibl. Comm. ü. s. Schriften des N. T. ed. III. Königsb. 1837. I, 127. A. Tholuck, liter. Anz. 1833. n. 31. 32. p. 248. 254. s. Idem, die Glaubwürdigkeit der evang. Geschichte. Hamburg. 1838. ed. II. p. 180. s. Ph. E. Huschke, ü. d. z. Z. d. Geburt Jesu Christi gehaltenen Census Breslau? 1840. p. 83. s. Wieseler, Chr. Synopse. 117. s. Münter, l. c. p. 88. H. Ewald, Geschichte Christus und seiner Zeit. Gött. 1855. p. 120. Imo „τὰ πρῶτα“ etiam testimonio Vulgatae pro prioribus dumtaxat accipiuntur: Matth. 12, 45. 21, 36. Luc. 11, 26. Haec quidem interpretatio quae auctorem habet J. G. Herwartum, in nov. Chron. Mon. 1612. c. 241., eas difficultates emollit, e quibus viri eruditi cum se expedire non possent, de administratione Cyrini Syriaca pleraque non modo sine teste ac tabulis, verum etiam adversus Veterum historiarum fidem in literas misere. Est haec interpretatio verborum s. Lucae 2, 2. primo aspectu quidem durior, et ideo a multis tanquam a genio linguae graecae aliena reiecta fuit; sed vero abs E. Huschke tam erudite vindicata reperitur l. c. p. 80. s., ut quid obiici illi possit, vix intelligitur. [3]) Cf. c. Aberle, ü. d. Statthalter Quirinius, in ann. Tüb. Quartalschr. 1865. p. 103.

μενος‘; quod Vulgata reddidit: erat incipiens quasi annorum triginta. Sed etiam ex his verbis, quae[1] unum istud significant: non multum a tricesimo aetatis anno abfuisse, quidam plus colligunt quam in iis iaceat. Evangelista non dicit utrum tricesimo absoluto, et altero ac tricessimo ineunte; an post tricesimum, ineunte tricesimo primo id accederit: cum perinde particula „ὡσεὶ‘ anno undetricesimo expleto, ac tricesimo primo inchoato accommodari possit; et tricesimo non omnino repugnet. Quarum interpretationum quaeque uti cum d. Lucae verbis conciliari potest; ita nulla unice vera est. Praeterea s. Lucas non scripserat Jesum Christum anno XV. Tiberii egisse annos triginta; posito etiam s. Lucam perfectos consummatosque tricenos annos intellexisse: sed Joannem B. s. Spiritus afflatu ad praedicandam poenitentiam prodiisse. Etenim fieri potuit, ut Baptistes anno Tiberii XV. exeunte, relicta solitudine ministerium suum auspicatus fuerit; et anno sequente Tiberii XVI. baptizatus ab eodem J. Baptista sit Christus. Quare nec ex hoc charactere, si seorsim consideretur, Christi annus natalis colligi potest. Cum haec et quae ab aliis[2] adhibetur Christi natalis investigandi ratio: a tempore[3], quo Magorum stellam apparuisse inferunt, saltem ambigua[4] esse reperiatur; iam in tertium eumve praecipuum Natalis Dominici characterem inquiramus: emortualem Herodis annum.

25. *Natus est Jesus Christus ante mortem Herodis M.* Nemo in Historiis s. aliquantulum exercitatus mirabitur, credimus, quod tertium eumque praecipuum Natalis Domini characterem dicamus: a n n u m q u o H e r o d e s M. v i t a f u n c t u s e s t. Hoc enim reperto facile licet figere tempus, ultra quod Christi natales nequeant prorogari, utpote qui superstite Herode contigerunt. Etenim Evangelica fide credimus: Magos natum Christum adoraturos vivente Herode Jerosolymas venisse[5]; eundem regem infanticidium per summam saevitiam imperasse; eiusque caedi Christum, maturata in Aegyptum fuga, subductum fuisse. In subsidium itaque vocandi sunt ex Herodum Historiis varii eventus, ex quorum epocha dein ad fatalem Herodis terminum concludere licebit. Jam autem duo huc facientia constant ex Evangelio. A. Christum natum esse non multo ante mortem Herodis M., totius Judaeae regis[6]. Unde quicumque de anno natali

---

[1]) Ut scite iam monuit D. Petavius, animad. ad haer. 51. Op. Epiph. II, 108. De doctrina temporum XII, 5. II, 226. [2]) Frid. Münter, der Stern der Weisen. Untersuchungen über das Geburtsjahr Christi. Copenhagen 1827. p. 70. s. F. Piper, de externa vitae Jesu chronologia recte constituenda. Gotting. 1835. p. 20. s. Wieseler, Chron. Synops. p. 57. s. [3]) Matth. 2, 1—22. [4]) Ex causis in Dion. Petavii, Rationar. II, 4, 3. ed. c. p. 151. recitatis. Cf. c. L. M. Roth, de stella a Magis conspecta. Mog. 1865. p. 19. s. [5]) V. p. 12. s. [6]) Matth. 2, 1. s.

Christi scripsere, Herodiani etiam regni epocham sibi necessario exponendam duxerunt; ne Herodes mortuus videretur, antequam Christus natus esset. Constat porro B. primo praeconii Christi anno [1] quadraginta et sex annos praeterlapsos, ex quo instauraretur aedes sacra Hierosolymitana [2]. Haec autem indicia praecipue ad definiendum annum natalem D. N. J. C. valent [3]. Quantum ad primam notam attinet, maxime atque cumprimis in hunc finem interest: Herodis tempus emortuale accurate cognitum habere; quaerendum igitur quonam anno, de vita decesserit Herodes? [4] Herodem mortuum esse regni anno tricesimo et septimo [5]; et quidem brevi tempore ante pascha testatur Josephus Flavius [6]; qui cum haberet vitam Herodis conscriptam ab eius familiari Nicolao Damasceno, et in aula Herodum versaretur, accuratus in Chronologia vitae eius regis esse potuit [7]. Hic autem annus Herodis fuit ab Urbe condita 750 [8].

---

coll. Luc. 1, 36. s. Non longum temporis intervallum fluxisse inter Natales Christi et Herodis mortem, e Matth. 2, 15. 19. 20. Luc. 2, 21. s. colligere promtum est.

1) Joannis. 2, 20. 2) Cf. H. V. T. p. 500. N. T. p. 43. 3) Tempus tam accurate definitur Joann. 2, 20., ut dubitare non liceat, quo anno haec dicta sint. 4) Diversae eruditorum hac de re sententiae inveniuntur apud eos scriptores s. l., qui data opera de Christi Natali scripserunt; nam nos quidem hic eam nonnisi sententiam, quae vero proxime accedere nobis visa est, defendimus. 5) Quodsi initium ducamus a die, quo Romae a Senatu Calvino ac Asinio Pollione Coss. rex Judaeae salutatus est. Coll. Jos. Flavii, Antiq. XIV. 14, 5. I, 727. 728. item Antiq. XVII. 8, 1. p. 848. de bello. I. 33, 8. 141. 142. Dione Cassio, Histor. rom. l. XLIX, 22. ed. Fabr. p. 586. Ceterum anni Josephi non sunt pleni, quia mense Octobri Herodes annum regni XXXVI. explebat. Cf. H. V. T. p. 581. 6) Antiq. XVII. 6, 4. p. 844. 845. 7) Id nemo in dubium vocat, nisi qui Josepho omnem denegat fidem. E. c. Harduinus, de nummis Herodiadum. Par. 1693. p. 23. 32., quem illud solum tam acriter urit, quod stante fide Josephi, stare non possit eius Chronologia. 8) Eundem indicant α. numeri annorum regni Archelai tetrarchae. Secundum Dionem Cassium Hist. rom., LV, 27. ed. Fabricii. Hamb. 1752. p. 801., Archelaus in exilium trans Alpes relegatus est: „Αἰμιλίου Λεπίδου καὶ Λαυκίου Ἀρρουντίου ὑπάτων.“ Igitur secundum fastos consulares anno 6. p. C. n., sive 759. U. C. Juxta Josephum, Antiq. J. XVII. 13, 2. p. 865. eo profectus est: anno decimo principatus. Unde sequitur, si annus decimus regni fuerit annus 6. p. C. n., annum primum sive mortis patris fuisse 4. a. C.; nam $4 + 6 = 10$. Confirmatur indicium Dionis a Josepho, Antiqu. XVIII. 2, 1. β. Numeris annorum 37. regni Philippi tetrarchae † 787. U. C. Antiq. l. c. 4, 6. p. 882. γ. Numerus ΜΓ in nummo Herodis Antipae a C. Norisio, Op. II, 647. s. descriptus, signat annum regni 43. Constat vero Herodem Antipam U. C. 792. anno., 39. p. C. n., tetrarchia spoliatum Lugdunum in exilium missum. Coll. Antiq. XVIII. 6, 11. 7, 2. 8. 7. p. 897. 898. 903. Igitur hic nummus cusus est ultimo Herodis regni anno; nam primus fuit a. C. n. 4. I. e. $4 + 39 = 43$. Validissimum denique argumentum quo Herodiani mortis annus firmatur sumitur. iuxta C. Norisium,

26. Herodem a. U. C. 750. supremum obiisse diem aliis munimentis fulcitur. Pondus prius excitatis argumentis addit parallela epocha commemorata Joann. 2, 20.; ubi anno primo praeconii Christi Judaei aiunt: templum ab Herode exornatum fuisse annis quadraginta et sex, ,τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν.' Docet autem Josephus [1] decimo octavo regni, anno 734. U. C., id operis cepisse Herodem [2]. Jam vero Christi muneris publici annus primus incidit in vicesimum et sextum aerae vulgaris; unde colligere licet: Christum natum esse penultimo Herodis anno; cum quadraginta sex annis [3] post inchoatam templi innovationem, triginta annos natus esset. Quadragesimum sextum, inde ab U. C. 734. inclusive supputantes Judaei, anno Christi tricesimo primo pervenerant ad a. U. C. 780.: igitur retrogrado calculo, demtis triginta Christi annis, primus aerae christianae annus inchoandus erit ante 750. U. C. ceu Christi natali 749. U. C. Huic anno ergo respondent binae rerum Christi gestarum epochae, a sacris Evangeliorum scriptoribus δεικτικῶς notatae. His limitibus coarctamur, et hi limites, quo sunt angustiores, eo certiorem semel reperti anni Christi natalis demonstrationem faciunt.

Cenot. Pis. diss. II, 6. p. 257. ex historiis Caii Caesaris. Auctor est Josephus. Antiq. XVII. 9, 5. I, 852. filios Herodis de paterni regni successione litigantes, Romam ad Augustum integram causam detulisse. Augustum vero in amicorum concilio rem discussisse: „et in his quidem Caium, Agrippae quidem natum, et Juliae Augusti filiae, sed ab ipso Augusto adoptatum, cui primum locum tribuit.“ Hoc iudicium habitum est A. U. 751., ita ut nec in annum superiorem, nec in quempiam proxime insequentium protrahi possit. Primum illud infertur ex annis Herodis; alterum eo manifeste ostenditur, quod unus Caius Caesar inter iudices sedere iussus est. Anno Urbis proximo 752. Lucius Caesar virilem togam induit, ac omnibus honoribus exornatus est. Cfr. Dionis Cassii, Hist. rom. LV. 9. p. 779. Quare si iudicium illud habitum fuisset A. U. 752., aut insequentium annorum, Lucium quoque Caesarem ad idem iudicium accersivisset; quod praesertim Lucius erat eo anno Consul designatus, qui ut plurimum sententiam ante alios rogari solitus erat. Cf. Ammer, die Chronol. d. Leb. J. C. p. 5. s. Chys, de Herode M. Lugd. 1855. p. 62. s. Firmat id amplius subsidium chronologicum ex eodem Josepho, Antiq. XVII. 6, 4. p. 845. petitum, qui refert lunae defectionem visibilem Herodis mortem antecessisse. Jam cum constet eo anno U. C. 750., die quidem 13. Martii, eclipsim intervenisse — v. Piper, l. c. p. 19. — inde iure fit conclusio ad Herodis tempus emortuale. Coll. Antiq. XVII. 8, 3. 4. p. 848. 849. 9, 3. 850. 851.

1) Antiq. XV. 11, 1. p. 777. 778. 2) Numerando de regno a Hierosolymis expugnatis confirmato; ut liquet ex rationibus, quas Friedlieb, Gesch. d. Lebens Jesu p. 76. 77. produxit. 3) U. C. 734 + 46 = 780. Item U. C. 750 + 26 + 4 = 780. V. Münter, l. c. p. 2.

27. *Disquiritur de mense et die natali Christi.* Mensis quidem, quo in virgineo B. Mariae V. utero Dei Filius conceptus, humanos artus induit, totius pene antiquitatis consensu Martius, dies vero vicesima quinta habetur; iam docente divo Augustino [1], sicut a maioribus traditum suscipiens ecclesiae custodit auctoritas [2].' Non eadem tamen est consensio et sententia de mense ac die Christo nascenti proprio. Pro vicesima et quarta mensis Decembris pugnat communis S. Ecclesiae Romanae sensus [3], cuius institutum de festi Natalis ab Epiphania Domini celebratione seorsim, saeculo quarto — c. a. 376. — Orientalis Ecclesia secuta est; cum ante illud tempus ,τὰ ἐπιφάνεια' Christi coleret VI. Januarii [4]. Firmant hunc mensem

---

1) De Trinitate. l. IV, c. 5. VIII, 816. 2) V. e. Chronicon Paschale, cura de Fresne du Cange. ed. Ven. 1729. p. 159. „die XXV. secundum Romanos Martii mensis, catholica et apostolica Dei ecclesia, ex s. doctorum traditione Dei Genitricis Virginis Mariae annuntiationem celebrat" V. Acta Sanctorum. Mart. III. ed. Ven. 1736. p. 534. s. Benedicti XIV., de festis B. Mariae. V. l. II. c. 3. ed. Bassan. Oper. 1767. VIII, 186. s. 3) V. s. Augustinum, de Trin. l. s. c. Enarr. in Ps. 132, 11. „Dominus natus octavo Kalendas Januarias." IV, 1490.; quocum in eundem mensem conspirant, Sulpitius Sev., l. II. Hist. 39. ed. Horn. p. 347. S. Chrysologus, serm. CLIX. ed. Tyr. II, 305. — Nec praetermittendus auctor Const. apost. V, 13. ed. Cotel. p. 315. Digna etiam est lectu nota duodecima, qua Cotelerius disputat de celebri illa confusione solennitatum Natalis et Epiphaniae. — S. Paulinus, poem. XXVI. de s. Felice c. IX. ed. L. A. Muratorii. Veronae. 1736. p. 623. canit disiunctim diem, „qua Virgine natus; pro cunctis hominem sumsit Deus; qua puerum stella duce mystica dona ferentes suppliciter videre Magi." 4) Egregia sunt, quae hac de re habet s. J. Chrysostomus, homil. in diem nat. Jesu Christi ed. Ben. 1734. II. p. 355. „Nondum decimus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit.... cum ab exordio — ἄνωθεν — iis, qui in occidente habitant cognitus fuerit." Cf. p. 362. Idem videre est ex s. Gregorii Nysseni, Orat. in diem natalem Domini ed. Par. 1615. II, 782. „Nunc — inquit et non ante — per totum orbem una voce Festum celebrantium clamor exauditur." Plurimum illustrarentur verba s. Chrysostomi et s. Gregorii Nyss. tractatu epistolari, de divisione festorum Natalis Domini ac Epiphaniae, eiusque occasione et origine Joannis Archiepiscopi Nicaeni ad Zachariam Catholicum maioris Armeniae, apud Fr. Combefisium, Hist. haer. Monothelitarum. Par. 1648. p. 297. s.; si esset Chrysostomo aequalis aut suppar, verum ut monstravit editor eruditissimus Combefisius, l. c. not. p. 309. saeculi sexti est. Exstabat, ut scribit idem p. 313., Jacobi ἀδελφοθέου nomine quaedam constitutio, qua niterentur Armeniorum, aliaeque Orientis Ecclesiae, ut sexta Januarii in Epiphaniis Christi ortum solenniter recolerent. V. e. s. Epiphanii, adv. haer. LI, 24. 29. I, 446. 451. Quidam teste Clemente Alexandrino, Stromat. I, 21. ed. Potter. Ven. 1775. 1, 407. 408. vicesimam quintam mensis Pachon, seu 20. Maii celebravere, quamvis hos, de sola Christi conceptione ita sensisse, existimet D. Petavius, ad haer. 51. Alogorum animadvers. II, 209. 210.

martyrologia Latinorum, Syrorum, Coptorum; Menaea Graecorum [1]; quin et ipsi Mohamedani, Arabes, Persae [2] hac in re cum Christianis consentiunt [3]. De feria hebdomadis, in quam divinus Christi ortus incurrit, nihil certi apud Veteres [4]. Reliquum est, ut omnia, quae dicta sunt contrahentes in unum dicamus: ,Christum Dominum ob salutem humani generis natum esse vicesima quinta Decembris; anno a mundo creato 4274; Urbis Conditae ex Varronis calculo 749.; ante Aeram Vulgarem quinto, eodemque Herodis penultimo [5].'

---

1) Apud E. Martene, de Antiq. Eccl. Disc. c. 12. Op. de ant. Eccl. rit. III. ed. Antv. 1737. p. 90. s. 2) Si Thomae Gravio credimus, in annotat. ad Bibl. Polyglotta Lond. Pers. Evang. vers. Tom. VI. Lond. 1657. d. p. 62. 63. „apud quos, ut scribit, Natalis Messiae in proverbium abiit pro nocte longissima.“ 3) Quocirca futilis est J. Scaligeri — contra quem accurate disputavit doctissimus D. Petavius, de doctrina temporum XII, 7. p. 229. s. item Rat. Temp. p. 211. — de emendatione temporum ed. Gen. 1629. p. 544. 545. sententia; qui ex ephemiarum sacerdotalium orbe, Natalem Christi coniiciendum esse dicit in Septembrem exeuntem. Computatio eius et omnium eorum, qui ipsum sequuntur, hoc laborat vitio: Quod α. demonstrari non possit, stationes sacerdotum mansisse interruptas. β. Evictum minime habeatur „ἐφημερίας“ cepisse potius a familia principe Joaribi, quam ab alia. Cf. J. G. Körner, Diss. de die natali Servatoris ed. M. J. E. Volbeding, in Thes. comm. sel. Lips. 1847. I, 121. s. Neque ferenda est J. Harduini, in Antirrhetico de nummis antiquis coloniarum et municipiorum ad J. Foi Vaillant. Par. 1689. prolata opinio p. 65. s. — quam copiosius ad priscam Ecclesiae traditionem elevandam exornavit E. F. Wernsdorf, de originibus solennium natalis Christi ex festivitate natalis invicti, apud Volbeding, Thes. Comm. I, 126. s. V. ib. G. J. Plank, variarum de origine festi Christi natalitii sententiarum epicris. p. 160. s. —: ideo a s. Romana Ecclesia diem nati Domini 25. Dec. celebrem haberi; non quod tum vitae lumen apud homines Christus adivisse credatur; sed quod Natali Solis, quem superstitio ethnica ad dictum diem ritu profano agebat, festum sacrum substituere sapienter oportuerit. Sed vana haec et paradoxa suspicio merito reiicitur, Christi enim Ecclesia normam agendi festos dies non accepit ab ethnicis; sed a Maiorum traditione. Nam ut rectissime monuit J. Gretserus, l. I. de festis, 29. ed. Ratisb. 1735. V, b. p. 78. „Cuius utpote festi antiquissimi origo nescitur, nec per concilia generalia institutum est, id rectissime ad Apostolos auctores revocatur.“ 4) Canon VIII. e novem falso adscriptis Synodo Sextae apud Harduinum, Acta Concilior. Par. 1714. III, 1714. in diem Dominicum statuit Nativitatem hanc felicissimam incidisse. Plura de his dabunt: Tillemontius, l. s. c. p. 418. s. Baronius, in notis ad Martyrologium Rom. d. XXV. Dec. ed. Ven. 1630. p. 625. Honoratus a S. Maria, Animadversiones in regulas et usum critices. Ven. 1751. tom. alt. l. III. diss. 2, 1. p. 96. s. Natalis Alex., l. s. c. p. 73. s. Haiden, exercit. chron. p. 145. s. 5) Eundem annum ex ephemeria Abiae Luc. 1, 5. ministrante, confecit Fr. Stawars, in ann. Tüb. Quartalschr. 1866. p. 200. s.

28. *Quo anno Dominus praedicationi operam applicuerit?* Tribus indiciis primum praedicationis Christi, ceu citimum, quem intervalli a baptismo usque ad crucem quaerimus terminum, deprehendi posse existimant scriptores, qui industriam in quaestione hac solvenda posuerunt. Primum dat s. Lucas 3, 1. in anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, quo ministerium suum multis adiunctis descriptum cepit s. Joannes Baptista. Alterum idem s. Lucas suppeditat l. c. v. 23. indicando tempus, quo ad Praecursorem accessit Salvator, cum nempe esset incipiens annorum quasi triginta. Tertium praeferunt Paschata quatuor, quae ad mortem suam usque obivisse Dominus noster ab Evangelistis narratur. Implexa tamen sunt haec omnia difficultatibus, atque idcirco a nobis explicanda, ut aditus ad veritatem pateat. Ex tanta sententiarum, quas circa designandum Christo natalem annum reperimus, varietate, non potuit non nasci alia dubitatio: de tempore quo Christi descensus in Jordanis aquas evenit. Etsi enim inter omnes conveniat, descensum illum e Sacrarum Scripturarum testimonio, a tricesimo aetatis Christi anno multum removeri non posse; quia tamen adiuncta haud satis clare a Hagiographo exprimantur, dissidium oritur: ad quem proprie annum vitae a Filio Dei in his terris actae? ad quem deinde annum aerae communis? mysterium illud ablutionis in Jordane affigendum est?

Convertimus instar digressionis sermonem ad Herodis, Philippi, Lysaniaeque tetrarchias. Luc. 3, 1. Tetrarchas initio vocatos deprehendimus, qui tetranti — cum τέσσαρες, quatuor sint — regioni imperarent; seu quibus quarta ἀρχῆς, principatus, pars obsequia praestare tenebatur. Subsecutis temporibus re ipsa in aliam formam mutata nomina τετράρχης et τετραρχία, quod utrumque latina civitate donatum est, remansit etiam ubi ditio non unius τετράδος finibus terminabatur; sed vel totam gentem continebat — uti penes Ciceronem, de div. I, 15. ed. Bipont. XI, 187. — vel quantamcumque huius partem; — penes Plinium, Hist. Nat. V, 18. 32. p. 224. 240. — atque postremo hoc modo Tetrarchae adpellati fuerant n. l. Herodes Antipas, Philippus et Lysanias. Praesidiatus Pilati in Judaea, et utriusque tetrarchiae origo debetur illi divisioni Augusti, ex qua Herodis M. regnum in tres ipsius filios: Archelaum, qui regia quidem minorem, reliquis tamen magis honorificam sortitus est adpellationem ethnarchae; deinde inter Herodem Antipam et Philippum distribuit. Quae res cum ad intelligendum N. T. apprime faciat, ex Josepho illustrata est a nobis in Not. t. s. geogr. p. XLVII. XCI.; ad quam lectorem humanissime remittimus. Superest, ut ad Lysaniam redeamus, cuius non ideo meminit s. Lucas, quod inter Herodiades numerari eum vellet; sed ut initia rerum a Christo gestarum multiplici nota utriusque potestatis insigniret. Voluit Evangelista memoriae prodere, quinam illa aetate, cuius historias scribere aggrediebatur, dominarentur in regionibus, tum quibus ante eos Herodes M., tum quibus, cum ipse s. Lucas scribebat, Agrippa Herodis pronepos potiebatur. Quis autem iste Lysanias fuerit, de eo

inter viros doctos non convenit? Nam binos recenseri a Josepho, Antiq. XV. 4, 1., et XVIII. 6, 10. p. 749. 879. coll. de bello, II. 11, 5. p. 172., neminem fugit. Et hic quidem postremo loco nominatus, ille ipse est, quem s. Lucas hic tetrarcham Abilinae vocat; quae regio nomen habebat ab Abila urbe quadam Syriae. Coll. XX. 7, 1. p. 969. Usque adeo necesse non est Tetrarcham „τετραρχοῦντος“ expungere — ut fecit Valesius, ad Eusebii H. E. I, 10. p. 17. 18., atque Schneckenburger, in Stud. u. Krit. 1833. p. 1064. — aut Critices ferro periculis obviam ire, quae pertimescere non debemus. Neque enim ulla, quod attinet ad istas tetrarchias, narrationi s. Lucae ab historiis Josephi difficultas esse potest, cum e contrario hae illam comprobent, atque confirment. De his Tetrarchiis operae pretium fuerit legere tractantes: Emm. Schelstratium, Antiquitatis Ecclesiae opus geogr. hierarch. Rom. 1692. I, 27. s. M. C. H. Gaun, diss. de tetrarchis ad Luc. 3, 1. in Thes. th. ph. II, 310. s. Casaubonum, exercit. p. 237. s. Deylingium, Obs. S. II, 26. p. 257. Mazochium, Spicil. bibl. III. diss. ad Luc. 3. p. 159. s. J. T. Krebsium, Obs. in N. T. e Flavio. Lips. 1755. p. 110. seq. Münterum, de rebus Ituraeorum. Havn. 1824. p. 22. s. Süsskind, in. St. u. Kr. 1836. p. 431. Hug, Gutachten ü. d. L. J. v. Str. in Zeitschr. f. Theol. Freib. 1839. p. 4. Wieseler, Chr. Syn. p. 174. s. Herzogii, R. E. I, 64. s. Winer, R. W. I, 7. Ebrard, wiss. Kr. d. e. G. p. 180. s. Lichtenstein, Lebensg. d. H. J. C. p. 130. Meyer, Ev. d. Luk. p. 288. s. Patritium, diss. 42. 17, 1. p. 434. s. Chys, de Herode M. p. 62.

29. *Disputatio de initiis imperii Tiberii.* Dubius est cumprimis annus decimus quintus imperii Tiberii Caesaris; sive regiminis, sive anni formam spectemus. Ac quamquam maxime cum rei natura convenit, ut ab eo anno s. Lucam computandi initium fecisse existimemus; quo Tiberius post obitum Augusti solus imperare cepit: i. e. U. C. 767. Aer. V. a. 14., tamen inventi sunt [1], qui opinantur quandoque a collatis Tiberio fascibus Proconsularibus [2] initium imperii eius repetitum fuisse. An id cum fundamento faciant, operae erit pretium diligenter quaerere [3]. Quaestio cui

[1]) E. g. J. Georgius Herwartus, qui primus in sua nova Chronologia ad calculum astronomicum revocata Monachii 1612. c. 248. commentus est ignotum omnibus antiquis scriptoribus initium imperii Tiberiani proconsulare et Augusteum. Herwartum sequuntur J. Haiden, exercit. chron. p. 167. Usserius, Annal. p. p. Lond. 1654. ad. a. 4615. p. 553. J. Clericus, de annis vitae Christi dissert. l. c. p. 509. Ant. Pagi, Appar. chron. ad Annal. Baronii ed. Luc. p. 366. s. Annal. Eccl. ad a C. 31. I, 67. Purulich, de Paschate Chr. p. 238. Lupus, de notis Chron. anni mortis et nativ. J. C. Rom. 1744. Sepp, das Leben J. C. II. ed. Rat. 1853. I, 226. s. Lichtenstein, Lebengesch. d. H. p. 127. s. [2]) A. U. C. 764. vel 765.; nam non convenit inter eos, qui epocham proconsularem sumunt. [3]) De hac quaestione eleganter disputat Norisius, diss. chron. de votis decenn. Op. II, 1190. s. Augusto ad interitum vergente, omnia honorum insignia in Tiberium, Liviae matris eius artibus, quae senem Augustum devinxerat, collata esse utcumque omnes fatentur. Tradit enim Velleius Paterculus, Histor. rom. II, 21. ed. Franc. 1588. p. 470. senatum populumque romanum postulante patre eius, ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, — quam erat

elucidandae incumbimus, non versatur circa collata insignia Proconsularia; sed an epocha fuerint imperii Tiberiani. Hic vero α. animadvertendum est proconsulare imperium neque summum, neque perpetuum fuisse, multosque proconsularem dignitatem citra imperium adeptos; unde Germanicus Drusi filius, quamquam adoptatus a Tiberio nunquam vere imperator fuit, neque inter imperatores refertur; et huic tamen proconsulare imperium Tiberio postulante Senatus detulerat [1]. Ergo proconsulare imperium Tiberio ab Augusto delatum sententiam, qua sumitur: initium computandi factum a tribunicia Tiberii potestate, minime iuvat. β. Nemo prorsus Veterum a qualicumque hac participatione supremae potestatis annos Tiberii recensuit; nemo ultra viginti tres annos imperium eius extendit. A morte Augusti tanquam propria epocha omnes Latini et Graeci Historiarum Romanarum scriptores annos Tiberii numeraverunt [2]. Hisce testimoniis consentiunt vetusta monimenta, quae signata sunt annis Tiberii; et prisci nummi [3], qui ad decimam sextam tribuniciam Tiberii potestatem, qua mortuus est Augustus, Tiberium Augusti filium ac deinceps etiam Augustum adpellant [4]. γ. Augusto vivente duos fuisse in Orbe Romano imperatores nullus vetus scriptor tradit, imo Aelius Spartianus, testatur: Annium Verum et Marcum Antoninum primos esse: ‚qui postea duo pariter Augusti rempublicam gubernaverunt [5].‘ Tum igitur primum romanum imperium duos Augustos habere coepit [6]. Quod vero

---

ipsi — decreto complexum esse. C. Svetonius, Tranq. Tiber. 21. ed. cit. II, 47. scribit legem per Consules latam fuisse „ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret.“ Hinc ut loquitur Tacitus, Annal. I, 3. ed. Oxon. 1, 2. „filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur omnisque per exercitus ostentatur.“ Quam omnem rem, utpote quae paulo facta fuit ante vel post Tiberii de Dalmatis et Pannoniis triumphum, qui — secundum fastos Verrios laudatos apud J. Eckhelium, Doct. Num. Vet. Vindob. 1796. P. II. VI, 186. — a. d. XVII. Kal. Febr. a. U. C. 765. actus esse videtur; vel huic anno, vel ei qui praecessit 764. assignant.

1) Cf. Taciti, Annal. II, 42. s. p. 67. s. 2) „Obiit, inquit Svetonius, l. c. 73. p. 57. in villa Luculliana, octavo et septuagesimo aetatis anno, tertio et vigesimo imperii.“ Tacitus „rei Romanae arbitrium tribus ferme et viginti — annis — obtinuit.“ Annal. VI, 51. p. 211. Anni autem isti computantur ab obitu Augusti: alioquin enim, si repeteretur initium imperii Tiberiani a proconsulari dignitate, imperium illud plurium annorum fuisset. 3) Cf. Lamy, app. chron. II, 1. p. 106. 4) Cf. Harduini, Chron. V. T. a. a. C. 16. p. 626. Norisii, diss. de vot. dec. II, 1189. 5) In Adriano. ed. Aureliae Allobrogorum 1609. p. 293. 6) Sane si vivente Augusto imperium iam et summum principatum consecutus esset Tiberius, quo illa tanta Liviae sollicitudo in Augusti morte celanda, donec Tiberius advenisset; aut cur eo iam praesente simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem fama eadem tulit — ut refert Tacitus, Annal. I, 5. p. 3. s. — si duo haec tempore

anni formam attinet, non constat unde ordiatur Evangelista annum Tiberii; num more romano a Kalendis Januarii, vel num more iudaico a mense Tisri aut Nisan initium eius ducat? Primam opinionem illud verisimilem facit, quod s. Lucas commentarium suum, testante ipsius prooemio, Theophilo amico in Italia degenti scriberet. Porro Romanos Caesarum annos ab eo die duxisse constat, quo quisque imperare coepit [1]. Qua de causa cum Augustus a d. XIV. Kal. Sept. anni p. C. n. 14. obierit; ideoque ab hoc ipso die Tiberii principatus initium coeperit, Lucas si Romanos secutus est [2], XV. Tiberii annum inter diem Augusti mensis XIX. anni p. C. n. 28. et inter eundem diem anni sequentis posuit [3].

30. Quando s. Joannes B. baptizare et praedicare coeperit? Sed quidquid sit demum circa terminum, unde d. Lucas annos Tiberii numerare exorsus est: procul dubio s. Joannes B. non statim Christum baptizavit; nec Dominus eodem, quo in crucem actus est anno baptizatus fuerat; uno saltem et altero anno prius praedicavit. Anni proinde Christi, Joannem accedentis, nunc discutiendi veniunt. Quo loco notandum est difficultatem haud exiguam oriri ex dubio verborum [4] sensu, divi Lucae 3, 23. ‚καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος.‘ Vulg. ‚Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta [5].‘ Spectata universa

sunt dividenda? Cur tum primum consules in verba Tiberii iuravere? ut ipsemet ait. — Ib. c. 7. p. 5. — Cur denique perplexa et obscura ratione imperium a se reiecit Tiberius. Ut narratur ib. c. 11. p. 8. Ubi iam adeptus erat regnum, cur solam divi Augusti mentem tantae molis capacem ait, si non Augustus solus; sed ipse cum Augusto aeque administraret imperium? Patet itaque dicunt Tiberii principatum ab Augusti morte omnium consensu recte numeratum semper fuisse; frustraque omnino fieri, ut ab alia epocha — repudiata vulgata publicaque imperiali, quae omnem orbem oppleverat — ab obscura et ignota decimus quintus eius annus a s. Luca memoratus repetendus putetur. Cf. Petavii, Rat. temp. praef. Gen. ed. Extra institutum nostrum est examinare argumenta quae opponunt alii: Leguntur vero apud Lamy, c. l. p. 107. seq. Anger, de temp. p. 13. J. B. Palma, Praelectiones Hist. eccl. Romae. 1838. I, 23. s. Weigl, th. chr. Abh. ü. d. w. Geburts- u. Sterbjahr J. C. I, 92. s. C. Ammer, die Chronologie des Lebens J. C. Straubing. 1855. p. 74. s.

1) Cf. Dionis Cass., Hist. rom. 51, 1. e. c. p. 631. Svetonii, Vespasian. X, 6. e. c. p. 113. Taciti, Hist. II, 79. ed. c. III, 92. 2) Veluti etiam Josephus. V. Anger, l. c. p. 16. s. 3) Cf. Svetonii, Octav. Aug. II, 100. p. 41. 4) De quibus iam locuti sumus p. XXXII. 5) Ubi vocem ὡσεὶ, nonnulli imminentem putant, voluntque Christum ad Baptismum Joannis accessisse vicesimo nono aetatis suae anno. Alii absolute affirmantem particulam esse suadent, quae sensum reddat: incipiebat Jesus re ipsa tricesimum annum decurrere: Ceteris denique videtur ὡσεὶ nota esse ambiguitatis, quae idem dicat ac: circiter, in, circa, plus minus, affirmantque ineunte

vitae Christi oeconomia, tempus, quo lavacrum Jordanis Filius Dei subierit, optime definit annus Christi tricesimus, in quem sumendum et scriptores non ignobiles conspirant. Inter hos primus adduci posset s. Ignatius, qui scribit ad Trallianos[1] ‚Christus, expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus est a Joanne.‘ Eusebius[2] Caesareensis baptisma Christi notat ad annum tricesimum. Testimonio s. Gregorii Nazianzeni Christus

---

tricesimo primo, secundo, tertio, Dominum Jesum a Joanne aquis esse tinctum. Imo Natalis Alexander, Hist. eccl. Saec. I. diss. sec. ed. Par. 1730. III, 75. s. quaest. II. ad tricesimum quartum aetatis Christi annum evagatur; quod nulli probari videmus. Aliorum interpretationes adhuc dabit: F. X. Patricius, de Evangeliis, l. III. in diss. XIX. Veterum sententiae de temporibus quibus Christus vixit c. 2. p. 185. seq. Anger, l. c. p. 19. H. A. W. Meyer, Krit. exeg. Comm. ü. d. N. T. I, 6. Gött. 1860. p. 295. Postremi ut sententiam suam tueantur, l. c. Lucae τὸ ἀρχόμενος, incipiens, distinguendum volunt interpunctione, — prout Origenes fecit, hom. XXIX. in Lucam. Op. ed. C. H. E. Lommatzsch. V, 192. — atque non ad aetatem, sed ad ministerium praedicationis; ad τὸ διδάσκειν cum divo Justino, dial. cum Tryph. n. 88. ed. Otto. p. 306. coll. Apol. I, 46. ed. c. I, 110. Tertulliano, adv. Jud. c. 8. ed. Leop. IV, 307. et Clemente Alexandrino, Stromat. I, 21. ed. Potter. Ven. 1757. p. 407. — referunt. Ita aiunt apud eundem Sacrum Scriptorem accipitur. Act. 1, 22. 10, 37. Sane vis omnis in voce ἀρχόμενος est posita, quam quidam cum vocabulis: ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν ita iungunt; ut ineunte anno tricesimo Christum baptizatum esse dicant h. s.: incipiebat Jesus fere annum tricesimum. Sed haec loci illius expositio barbara est. Quis enim ita graece loquentem ferat: Ἰησοῦς ἦν ὢν ἀρχόμενος; pro eo quod dicitur ἔρχετο ὤν. Quare multo aptior censeri debet illa interpretatio, quae ὤν ad posteriora refert, ἀρχόμενος ad superiora: ἦν ὁ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ. Verba Evangelistae Lucae id sibi volunt, ut decadem tertiam potius indicent, quam aetatis annum definiant. Particula ὡσεὶ ut plurimum ἀποῤῥητικὸν esse solet, et de perfecto absolutoque rei statu nonnihil detrahit; quod ipsum docet collatio Matth. 17, 1. cum Luc. 9, 28.; item ib. 2, 21. S. Matthaeus l. l. ait Christum transfigurationem suam praedixisse futuram post sex dies; cum tamen eandem rem narrans s. Lucas id contigisse dicat „ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ“; post hos sermones V. post haec verba „fere dies octo.“ Haec qui probe perpenderit huic persuadebitur particulam ὡσεὶ non ad augmentum apud s. Lucam valere, idque innuentem Vulgatae auctorem non quasi, sed „fere“ ibi loci posuisse. Quis enim non videt fore ut haud posset s. Lucas affirmare ὡσεὶ ὀκτὼ ἡμέρας interiectos fuisse inter Christi sermones atque transfigurationem, si revera 3. vel 4. insuper; i. e. 11. aut 12. interfluxissent. Proinde participium ἀρχόμενος minime expletum aut inchoatum tricenarium demonstrat; sed ad initium praedicationis sive τῆς ἐπιφανείας pertinet; quia post baptismum, qui hactenus delituerat Salvator, in apertum lucemque prodire cepit.

[1]) Patr. Apost. ed. J. Clerici alt. Amstel. 1724. II, 65. Sed expunctum hunc locum volunt nostri temporis Critici! [2]) In Chronico, interprete s. Hieronymo. Op. ed. Vallarsii VIII, a. 645.

scribitur baptizatus τριακονταέτης [1]. S. Joannes Chrysostomus quoque: dicit ,μετὰ τριάκοντα ἔτη' ad baptismum venisse Jesum [2]. Divus vero Hieronymus [3] ait ,Salvator triginta annos natus venit ad baptismum.' Similem modum loquendi usurpat s. Augustinus [4], ,cum iam triginta esset annorum, eius enim aetatis a Joanne baptizatus est.' Idem sentit Euthymius Zigabenus [5]. Subscribit his demum s. Bernardus claravallensis, mellifluus Ecclesiae doctor, qui [6] advertit: ,Cum triginta annorum tempus exegisset in carne, qui secundum divinitatem idem ipse est, et anni eius non deficiunt, inter populares turbas ad baptismum Joannis advenit.' Paucis igitur sententiam nostram ita complectamur: Jesum, quem vulgus pro Josephi filio habuerit, annos fere triginta natum docendi munus auspicatum esse [7].

31. Quaeritur quantum inter initium praedicationis Joannis, et baptismum Christi tempus intercesserit? Si ut diximus Joannes B. baptizare coepit anno imperii Tiberiani decimoquinto; i. e. 25. p. C.; 30 aer. Dion.; ex hinc tamen non sequitur: eodem anno labente Christum in Jordane ablui voluisse. Christum baptizatum esse octavo Idus Januarii, antiqua et constans est s. s. Patrum [8] ac denique plerorumque, quod sciamus, Scriptorum Ecclesiasticorum [9] sententia; idque agnoscit et canit Ecclesia ea ipsa die; quae ob id maxime a priscis ,Θεοφάνεια' dicta est: quod in baptismo Christi specie quadam sensibili sanctissima Trinitas innotescere voluerit. 'Επιφάνεια vero ideo ,quia hodie Dominus noster et Salvator apparuit secundum carnem in terris. Licet enim olim natus esset ex Maria et triginta annorum explesset aetatem, tamen ignorabatur a mundo. Eo tempore cognitus est, quo ad Joannem Baptistam ut in Jordane baptizaretur advenit [10].'

1) Orat. XL, 29. ed. Ben. C. Clement. Par. 1778. I, 714. 2) Hom. X, 1. in Matth. Op. ed. Montfaucon Paris. 1727. VII, 139. 3) In Ezech. I, 1. ed. Vallars. V, 3. 4) De Trinit. XV, 46. VIII, 999. 5) Comment. in IV. Evang. ad Matth. 3, 1. ed. Matthaei. Lips. 1792. I, 86. 6) Serm. I, 7. in Epiphania Domini ed. Par. 1667. II. a. 153. 7) Quam in rem prorsus accommode laudatur quoque canon undecimus Concilii Neocaesareaensis — urbis in Cappadocia circa primum vel secundum annum Sylvestri 314.—315. celebrati. Vide J. D. Mansi, Sacr. Conc. II, 543. s. — „Presbyter ante tricesimum aetatis suae annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus. Nam Dominus noster tricesimo aetatis suae anno baptizatus est et sic coepit docere." Cf. e. Hefele, Conciliengeschichte Freib. 1855. I, 211, 216. 8) S. Chrysostomi, homil. de baptismo Chr. n. 2. II, 369. 370. S. Hieronymi, in c. I. Ezech. l. s. c. S. Maximi, episc. Taurin. hom. hiem. XXIII. de baptismo. Chr. n. VI. „Hodie enim ut antiquorum nos docet veneranda traditio, ad Jordanis fluenta Salvator noster accessit." ed. Rom. 1784. p. 95. 9) Paucos si excipias, qui cum s. Epiphanio, haeresi LI, 25. I, 448. ad VI. Idus Novembris Christi baptismum conferunt. 10) S. Maximus Taur., Serm. de temp. 10. de Epiph. IV. p. 421.

Verum utrum id Januario, proxime initium ministerii Joannis sequente, factum sit? an altero demum, minime declarat s. Scriptura. In priorem quidem partem nos magis inclinamus. Nam cum arcte iungat Evangelista[1] initium praeconii Praecursoris et baptismum Christi; sequitur haec ipsa initia fuisse tempore coniuncta[2]. Adde quod s. Joannes Ev.[3] narret: de sacerdotibus et Levitis a synedrio ad Baptistam missis. Haec legatio quadraginta saltem diebus post baptismum Jesu facta, indicat: B. Joannis praeconium non longo intervallo ante baptismum Jesu cepisse. Alias legatio citius facta esset. Quodsi Joannes B., qui sex mensibus Christum aetate praecessit, ut plurimis placet, cum Junii exitu, aut Augusti principio, vel saltem Octobris, anno ab ortu eius ineunte tricesimo, U. C. 779. prodire ac dicere ad populum exorsus est; legati vix ac ne vix quidem serius quam 780. U. C. missi esse possunt. Ergo Jesus quoque suscepto hoc anno baptismo, deinde exsequi palam praedicationem cepit[4]. Quod quam conveniens sit narrationi s. Lucae[5] suapte intelligitur. Cum enim Jesus, ut vidimus, circa finem anni 749. U. C. natus sit; labente anno U. C. 780. annum aetatis tricesimum primum egisse putandus est; unde rectissime a S. Luca annorum ‚quasi triginta' est vocatus[6].

---

¹) 3, 1. 23. ²) Nam id quidem concedendum nobis postulamus, s. Lucam qui cum Historiarum scriptoris accuratione res indicat, eas ex ordine referre censendum esse; nisi clare appareat data occasione occupare, vel repetere omissa, quae pro ratione temporis posterius, vel prius erant dicenda. V. H. N. T. p. 288. ³) 1, 19. s. ⁴) Cf. Joann. 1, 29. 35. 44. 2, 1. 12. 13. ⁵) 3, 23. ⁶) Hanc tamen interpretationem sive sensum, quem verba Lucae 3, 1. praeferunt repudiat Sanclementius, de anno dom. pass. exerc. chron. add. op. de vulg. aerae emendatione p. 520. s. 559. s.; atque non uno argumento docere studet: annum XV. Tiberii non ad initium ministerii Joannis, non ad baptismum a Christo in Jordane susceptum; sed ad ipsius passionis et crucifixionis tempus, ipso Evangelista duce atque interprete esse referendum. Ut autem difficultate illa se extricet, quae ipsi orta est ab orationis contextu „non inprospere ut ego quidem, dicit, existimo, id assequi licet uno interiecto puncto inter verba Anna et Caipha, et subsequentium factum est Verbum, quo posito dissidium omne componitur, orationis nexus nitidusque eius sensus et ordo restituitur." Quod opportune s. Lucas dixisset, quo anno Christus mortuus sit, concedimus; non tamen necessario, cum neque ceteri Evangelistae id dixerint. Ast inopportunum fuisset quam maxime; id eo loco dicere, ubi illa referebat, quae quadriennio ante gesta fuerunt atque ita dicere, quemadmodum recte observat Patritius, de Evang. VII, 39. p. 48. ut nec Oedipus coniiceret, eum loqui de anno Christi supremo. Adhibito puncto; quod Sanclementius excogitavit, initium cap. 3. s. Lucae careret verbo; nec esset nisi titulus eorum, quae longe procul in fine libri posita leguntur. Verum et Pontium Pilatum ad illas regiones non ante aestatem A. U. 779. venisse, inferius videbimus. Sed etiam examinanda est

32. *Expeditur quaestio de tempore Dominicae Praedicationis.* Omnium simplicissima ratio est, si ex ipsis circumstantiis historiarum Evangelii investigetur: quae ἀκολουθία rerum ad veritatem quam proxime accedere videatur. Certum igitur est, post baptismum per quadraginta dies Christum

---

recentissima hoc de loco opinio Wieseleri, Chron. Synops. p. 196. s. quocum facit C. Tischendorf, Syn. ev. p. XVI. s. Hi duumviri opinantur c. l. s. Lucae indicari annum, quo Joannes Baptista missus sit in carcerem; quippe a quo tempore ea publicae Jesu vitae pars inceperit, quam fere solam et s. s. Lucas et Matthaeus cum Marco Evangeliis suis tradiderunt. Age videamus quaedam argumenta novi interpretamenti — neque enim vacat omnia prosequi — et sufficiet ut ostendamus illud omnino in praecipuis suis partibus vacillare. Supponunt primum eorum quae Luc. 3, 1—20. leguntur caput esse illud, quod extremis verbis traditur: κατέκλεισε τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ; inclusit — sc. Herodes — Joannem in carcere. S. Lucam, continuant iidem, ut praepararet, quod vel maxime referre vellet: Joannem ab Herode captum esse; ea potissimum e fontibus suis hausisse, quae totam eius agendi et docendi rationem optime pingerent, et si non unice ad ultimum praedicationis tempus spectabant. Accedit quod idem d. Lucas Act. 13, 25. eundem Joannem, cum impleret cursum suum in modum similem atque Ev. 3, 16. locutum facit. Denique ut demonstrarent suam sententiam, affirmant: consuevisse s. Lucam a finita Joannis praedicatione ipsius Christi divinum ministerium τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χρ. repetere, laudato loco Act. 10, 37., quocum coniungunt 1, 22. 13, 24. Vanas et futiles esse has omnes rationes, liquet; si quidem: a. apertum est, haec suo loco non enarrari a S. Luca. Etenim vitam omnem s. Joannis B. et singula, quae acciderunt ei, non hic proponit Evangelista; sed designat eum re, quae huic loco affinis erat. Placuit illi indicare hunc, qui sic hortabatur populum, et nuntium afferebat proximae salutis, ipsum esse, qui et postea Herodem tetrarcham eadem libertate, qua tunc baptizans utebatur, libere arguit nuptiarum illicitarum cum Herodiade uxore fratris sui. Unde et incurrit in odium illorum et carcere conclusus fuit. b. Extra controversiam est Joann. 3, 1. s. coll. 2, 11—13., doceri: Jesum Christum praedicare et miracula facere cepisse ante illud tempus, quo Joannes B. missus fuerat in carcerem ab Herode. Collocutus cum Nicodemo sua doctrina plurimos imbuit. Tot discipuli ad eum aggregati erant, ut commoverentur Pharisaei, quod plures discipulos haberet quam Joannes B. Joann. 3, 26. Liquido autem explicandi rationi supradictae adversatur s. Lucas c. in Actis Apost. 10, 37. coll. 1, 21. narrans: statim a baptismo Dominum praedicasse, et patrasse plurima miracula; quibus interfuisse oportebat hos, quorum e numero decebat Apostolum aliquem assumere. V. H. R. D. N. T. p. 317. Non ergo siluit Dominus a baptismo ad carcerem Herodianum. Restat d. ut expendamus an s. s. Matthaeus 4, 12—17. et Marcus 1, 14. adstruant: non coeptam a Domino annunciationem Evangelii, nisi postquam iam traditus erat Joannes? Non alter locus est, quem qui texunt Harmonias evangelicas diligentissime excutere debent. — Quod attamen facere neglexerunt B. Gams, in l. Joannes der Täufer im Gefängnisse. Tüb. 1853. P. Schegg, Evangelium nach Matthäus üb. u. erkl. München. 1856. I, 116. —; quia ab hoc exordio pendet distributio annorum ministerii Christi, de qua mox n. 33. p. s. dicemus,

in deserto ieiunasse [1]. Addendi praeterea sunt dies profectionis in desertum, aliquot dies tentationis, et reditus ex deserto ad Jordanem. Post quinquaginta circiter dies a baptismo rediit ad Joannem [2]; penes quem aliquot dies conversatus est [3]. Profectioni autem a Bethabara [4] in Galilaeam tribuuntur tres dies; et tertio die post reditum Christi in Galilaeam factae sunt nuptiae in Cana [5]. Colligimus hoc modo sexaginta fere dies, a baptismate usque ad primum miraculum; qui nihil vel parum habent ambiguitatis. Superest igitur supputatio quamdiu manserit in Cana, et quot dies haeserit in Capharnaum [6]? priusquam ad festum paschatis Jerosolymam proficisceretur. Nullus certus numerus dierum ponitur ab Evangelista. Coniectura verisimili decem sumuntur [7]. Postea cum prope esset Pascha ascendit Jerosolymam [8], cui itineri sicut et illi, quod a Cana in Capharnaum fecit itidem aliquot dies erunt tribuendi [9]. Hac ratione a nuptiis in Cana, ad Pascha a. 780. U. C.; 27. Aer. Vulg. Aprili: supputantur fere dies quadraginta. Quodsi isti numero tentationi supra tributo iungantur, calculus tempus baptismi Christi deducet ad principium Januarii. Atque hanc sententiam de initio ministerii Christi eo libentius amplectimur, quia cum reliquis historiis initia et termini annorum secundum hoc tempus deprehendi possunt.

33. *Quo anno s. Joannes B. ab Herode in carcerem missus fuerit?* Hactenus ex circumstantiis Historiarum Evangelii s. Joannis invenimus initium primi anni esse: cum Christus in Jordane baptizatus, Spiritu Sancto unctus, et ad praedicandum missus fuit. Complectitur ergo primi anni hoc intervallum historias D. N. J. C. usque ad captivitatem Baptistae. Quia vero ad Historiam Evangelicam hoc etiam pertinet, ut singulorum Evangelistarum narrationes ordine suo collocentur; in disquisitione nostra progrediendum erit ad narrationem captivitatis Baptistae ratione ordinis collocandam. S. Joannes Evangelista post praeclaram Baptistae de Christi persona et doctrina concionem [10] subiicit narrationem de secessu Christi e Judaea in Galilaeam [11]. S. Matthaeus vero [12] et Marcus [13] dicunt id accidisse, postquam Joannes traditus esset. Imo s. Matthaeus [14]

---

1) Matth. 4, 2. Marc. 1, 13. Luc. 4, 2. V. p. 29. s. 2) Joann. 1, 29. 3) Joann. 1, 35. V. p. 41. 4) L. Not. t. s. geogr. p. XXIX. 5) Joann. 1, 43. 2, 1. s. V. Not. t. s. geogr. p. XLIX. H. N. T. p. 42. 6) Joann. 2, 12. 7) Samsonis convivium nuptiale coll. Jud. 14, 17. V. Hist. Rev. Div. V. T. p. 209. duravit usque ad septimum diem. Verisimile igitur est Christum per aliquot i. e. septem dies in Cana apud cognatos mansisse. Ab illis enim postea deducitur Capharnaum, ubi mansit dies non multos, ut inquit Joannes 2. 12, coll. Act. 1, 5. 8) V. Joann. 12, 1. 9) V p. 42. 10) 3, 27—36. 11) 4, 1—3. 12) 4, 12. 13) 1, 14. 14) L. c.

inter causas, quare Christus relicta Judaea secesserit in Galilaeam hanc etiam recenset: ,cum audiisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam.' Christus igitur iuxta haec audito rumore; quod S. Joannes B. in vincula coniectus esset, transiit ex Judaea in Galilaeam; cavere volens ne pari modo a Pharisaeis in Judaea potissimum degentibus traderetur Herodi sicut Baptistes; quem suggesserunt capiendum. Ipsum vero Herodem in Galilaea regnantem non timebat; quia illum non offenderat, uti offenderat Joannes B. reprehendens de illicito matrimonio cum Herodiade contracto [1]. Manifestum proinde est nullum trium priorum Evangelistarum rem illam suo ordine narrare. S. Matthaeus enim et s. Marcus alia quadam occasione usi vincula, quibus d. Joannes constringebatur, commemorant [2] post mortem Baptistae: cum referunt, quomodo interfectus fuerit, ibi simul etiam paucis describunt, quomodo in vincula coniectus fuerit. Non quod tunc primum cum decollaretur, vel paulo ante in carcerem traditus fuerit autem, Ut iam diximus d. Lucas [3] texens res praeconii Joannis B. obiter ante Christi adhucdum baptismum meminit κατὰ πρόληψιν: quod postea a Herode captus sit. Quod tandem ad s. Joannem attinet [4] ultimus Evangelista apposuit secundum adventum Jesu in Galilaeam; ut erudiret lectores ceterorum Evangelistarum, quod de primo reditu in Galilaeam non meminerint, sed de hoc secundo qui fuit tradito Joanne carceri. Optime hoc advertit olim iam s. Augustinus [5], intelligi „hoc tres Evangelistas non Joanni Evangelistae contraria narrasse, sed praetermisisse primum Domini adventum in Galilaea posteaquam baptizatus est.“ Omnia Jesu gesta post ieiunium usque ad carcerem Joannis B., quae quartus Evangeliorum scriptor narrat, tacent Synoptici; transeuntes a ieiunio Christi ad auditam captivitatem Baptistae.

Digressionis ad instar examinatur opinio de duplici captivitate S. Joannis B. Bernardus Lamy — in peculiari tractatu de vinculis Joannis, quem 1695. in l. Reflexions sur le système de Louis de Leon Par. edidit atque in apparatu chron. et geogr. ad Comm. in Harmoniam Ev. Par. 1699. repetiit p. 212. s. — variis probationibus usus demonstrare voluit: S. Joannem Baptistam non a solo Herode, sed et a sacerdotibus Judaeorum, quando Christus

---

1) Cf. Card. Thomae de Vio Caietani, in quatuor Evangelia ad sensum quem vocant literalem Comm. Par. 1542. p. 22. 359. 2) Prior quidem 14, 3. s., posterior autem 6, 27. s. 3) P. XLIV. Etiam Matthaei 11, 2. s. Baptista antea describitur fuisse in vinculis, quibus ultra annum constringebatur. Per recapitulationem ergo captivitas S. Joannis Baptistae longe, post quam facta fuerat, traditur a s. s. Matthaeo et Marco. S. Lucas. 4) 4, 3. 5) De consensu Evangelistarum. II. 18, 42. III. b, 50.

erat in deserto, fuisse in vincula coniectum; et sine duobus vinculis non posse iniri concordiam inter Evangelistas. Sed haec opinio s. Scripturae manifeste repugnat. Quia α. constat s. Joannem nondum captum esse a synedrio, quando legati eiusdem venerunt Baptistam interrogatum: quis esset? Joann. 1, 19. Atqui hoc accidit post ieiunium Christi, nam Joannes altera die; i. e. postridie eius diei, qua respondit legationi Judaeorum; testatus est de Christo: ecce agnus Dei! Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ! — Notandus articulus ὁ positus ad significandum, quod sit ille praenuntiatus agnus, mansuetus, ducendus ad victimam, iuxta vaticinium Isaiae. V. Hist. R. D. N. T. p. 39. s. — Tunc et de illo baptismo, quem ipse administravit, rationem reddit; atque docet quomodo Jesum agnoverit: quia viderat columbam descedentem super ipsum. Joann. 1, 29—32. Datum igitur fuerat hoc testimonium Christo praesente, propthereaque non ante, quam is a deserto reversus esset. Postera die, insequenti dedit iterum testimonium, et tunc Andreas et alius discipulus — ignotus aliquis, qui Christi postea non fuit Apostolus. Sic Maldonatus, Comm. in h. l. p. 1296. — secuti sunt Christum. Coll. v. 40. Sed Christus teste Marc. 1, 12. Luc. 4, 1. non habuit discipulos, antequam iret in desertum. Ex eo enim, quod discipuli Joannis B. Christum Joann. 1, 38. adpellant Rabbi, insinuatur, quod iam Jesus iuceperat docere, et notus fuerat veluti doctor, alioquin eum Rabbi non vocassent. Completo autem ieiunio coepit docere; proinde illa omnia, quae refert s. Joannes Evangelista de testimoniis a Baptista Christo datis, non acciderunt nisi post secessum Christi in desertum. b. Juxta sententiam, quam sustinet Lamy pervertitur ordo historiarum. Enimvero legationem concilii Judaeorum collocat ante baptismum Christi; ubi tamen e Joann. 1, 26. manifeste patet, quod ista tardius contigerit: siquidem Baptistes legatis dicat „ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.“ Jam vero Christus non apparuit palam ante baptismum. „Et ego, pergit porro Baptista Joann. 1, 31., nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.“ Enimvero ad baptismum usque egit Christus vitam occultam in Nazareth. Cf. Matth. 3, 13. Marc. 1, 9. Luc. 2, 51. Insuper idem scriptor Lamy docet primam Andreae et Petri vocationem contigisse, ante profectionem Christi in desertum: attamen teste s. Marco et s. Luca Christum immediate post baptismum in desertum abiisse accipimus. Nullo igitur modo baptismum inter et ieiunium inseri potest vocatio s. s. Andreae et Petri; quoniam aperte s. Marcus dicit 1, 12. quod post baptismum Jesu statim spiritus expulit eum in desertum. Ex hoc enim, quod statim ivit Salvator in desertum, ut ieiunaret quadraginta diebus et totidem noctibus: consequens est, quod haec quae scribit s. Joannes 1, 29. postera, altera V., die gesta, non acciderint immediate post baptismum Christi. Ceterum vocationem s. s. Petri et Andreae, cum in principio praedicationis factam narrant s. Matthaeus 4, 18. et s. Marcus 1, 16; non esse eandem cum ea, cuius meminit s. Joannes 1, 40. 42., sed illa longe posteriorem certissimum. Enimvero multa indicia manifestissimum arguunt discrimen. Etsi Petrus, ex quo ad Jesum adductus a fratre est, Christum secutus sit coll. Joann 2, 2.; quia tamen tum ipse venerit ad Jesum, non vero ipsum Jesus vocaverit: Petri vocatio haberi solet illa, quam narrant s. Matthaeus s. Marcus l. c. Frustra c. infert Lamy e Matth. 4, 12. et Marc. 1, 14. statim post tentationem Christum inaudisse Joannis captivitatem. Ut enim supra iam observavimus, s. s. Matthaeus

et Marcus omittunt illa omnia, quae peracta sunt inter regressum e deserto et vincula Baptistae; atque post expositam Christi tentationem, continuo referunt secundum Christi iter in Galilaeam, iam capto J. Baptista: volentes sic incipere ministerium Christi a finito ministerio Joannis B. Similiter s. Lucas 4, 13. 14. omittit omnia illa, quae de primo itinere Christi in Galilaeam aliisque supra enarratis rebus habentur apud Joannem c. c. 1—3., atque de eadem profectione Salvatoris loquitur, de qua s. Matthaeus et s. Marcus. d. E verbis Christi penes s. Matthaeum 17, 12. non sequitur, quod vult Lamy, Judaeos Baptistam incarcerasse; sed illud tantum Pharisaeos Herodi suasisse ex ira et odio, ut Joannem vitia eorum carpentem Matth. 3, 7. in vincula coniiceret, qui tandem eum occidit. Vere dicit Christus „fecerunt in eo quaecunque voluerunt!" Nam mox in principio ministerii s. Joannis B. inquisitores ad ipsum miserunt, qui insidiosis quaestionibus ipsum fatigarent, et alto supercilio de munere depellere volebant. Joann. 1, 19. s. Deinde licet nativitas Baptistae prodigiosa passim nota esset omnibus; Luc. 1, 65. licet quoque in adulta aetate habitus, mores et doctrina accesserint plane singulares; tamen eum penitus neglexerunt, et consilium Dei in baptismo ipsius spreverunt Luc. 7, 30.: imo ipsum ob austeram vitae rationem calumniati sunt, quasi daemonium haberet. Luc. 7, 33. Denique iniuste ab impio rege occidi ipsum passi sunt. Si itaque iunxerimus, quae Joann. 4, 1. s. habet, cum dictis Matth. 4, 12. Marc. 1, 14., tunc perpendemus simul, quod Ev. Joannes narrans eundem Jesu adventum in Galilaeam ex Judaea, quamvis non explicet Joannem traditum; insinuat causam traditionis J. Baptistae, quam nullus alius Evangelista narraverat: nimirum Pharisaeorum invidiam tradidisse Joannem Herodi. Sententia igitur Lamy non cursorie, sed tota animi intentione perlustrata, de duobus vinculis J. Baptistae prorsus collabitur. Ad extremum e. quod maxime obstat opinioni Lamyanae est: Historiarum Sacrarum iuxta ac profanarum silentium. Priscis s. s. P. P. et Scriptoribus E. geminus ille Joannis carcer penitus ignotus est. S. S. Evangelistae Matthaeus et Marcus nonnisi unam captivitatem norunt; s. Lucas scriptor ἀκριβέστατος, solius Herodiani carceris fecit mentionem. Josephus Flavius qui Baptistae existimationem et exitium attigit Antiq. XVIII. 5, 2. p. 883. s., de una tantum captivitate Joannis memoriam egit. Profecto qui Harmoniam Evangeliorum texuere Veteres, de duplici Baptistae incarceratione ne cogitarunt quidem. Jam vero non licet recentioribus interpretibus illos in Historiis S. S. concinnandis eventus statuere; de quibus profundum est in tota Antiquitate silentium. Sive de captivitatis suppositae modo, loco, tempore, sive de auctoribus, duratione et dimissione quaeratur? nihil ex monimentis historiarum erui potest. Quare ex silentio omnium scriptorum sumtum argumentum, hic loci magni faciendum est; imprimis cum s. Joannes Ev. ubi de J. Baptistae baptismo in Aennon iuxta Salim loquitur, proxime haec verba adiiciat 3, 24.: „nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem"; quibus innuit ipsum ante coniectionem in vincula, numquam fuisse libertate docendi et baptizandi orbatum, nec post vincula docuisse amplius. Una igitur nobis est Joannis Baptistae captivitas. — Accurate hoc docent atque oppositam B. Lamyi sententiam, quam pro apparatu eruditionis et ingenii quo pollebat magna verisimilitudinis specie exhibuit, refutarunt: J. Pineaud, sur la prison de s. Jean. Par. 1690. J. B. Reiche, de carcere et supplicio J. B. Hal. 1698. C. Cellarius, de Joan. B. eiusque carcere et supplicio. Hal. 1703. in diss. acad. II,

375. s. Sal. van Til, disput. theol. chron. de J. B. incarceratione fictitia Herodiana vincula antecedente. Lugd. B. 1710. T. v. d. Vecht, de J. B. incarceratione unica. Lugd. B. 1708. S. Basnage, in Ann. p. eccl. I, 274. s. L. Deyling, Obs. s. III, 26. p. 2. B. s. Tillemont, Mem. not. sur s. Jean. B. IX. p. 487. — In qua parte interim ditionis suae vinctum Joannem tenuerit Herodes, ex Sacris nostris Scripturis non liquet. Sed nihil impedit, quominus credamus Josepho, Antiq. XVIII. 5, 2. p. 884., sanctissimi viri carcerem in castello Macheruntis collocanti. V. not. t. s. geogr. p. XCV. Idem porro Josephus, l. c. vinculorum et caedis Baptistae causam retulit ad praetextum simpliciter politicum: metuendae ab eo seditionis. „Herodes, inquit ille, veritus ne tanta hominis auctoritas subditos ad defectionem impelleret, satius esse duxit, priusquam novi aliquid ex illo oriretur, illum e medio tollere, quam ut mutatione rerum facta, ipse in discrimen adductus, poenitentiam ageret." Haec ad verbum descripsit etiam Eusebius, H. E. I, 11. p. 29. Non multum autem laborandum nobis est; ut quae Judaeus, circa Herodiades principes aetati suae proximos versatus, aliter locutus est, cum Evangelica veritate conciliemus. Politica enim causa a Josepho prolata, non excludit propiorem aliam causam ex parte Herodiadis, imo includit potius; quandoquidem ex illo potissimum capite timenda seditio videbatur.

34. Uberior vestigatio intervalli, quod est ministerii Redemtoris. Vocamus munus, ministerium Christi, publicam administrationem illius functionis, ad quam Messias hunc in mundum a Patre missus erat; ut inciperet facere et docere[1]. Inveniendo huic intervallo ab antiquissimis inde temporibus[2] maxime idoneum habitum est Evangelium s. Joannis; quippe ex quo videre licet, quot Paschata Jesus Christus in ministerio suo docendo et faciendo egerit. Et de tribus quidem festis Paschae, nulla est controversia; diserte enim ipsa voce Paschatis expressa notantur[3]. Sane plerique interpretes hoc numero contenti sunt; quia existimant inde confici spatium trium annorum. Sed falluntur, fiunt enim inde duo tantum anni integri. Si illa supputatio, quae iam priscis probatur[4]: Christum tres integros annos

[1]) Cf. Matth. 20, 18. Marc. 10, 45. Act. 1, 1. Rom. 15, 8. II. Cor. 5, 18. [2]) Vide s. Irenaei, adv. haer. II. 22, 3. I, 357. Eusebii, Demonstr. Ev. l. VIII. ed. R. M. Colon. 1688. p. 400. „Sane proditum est memoriae omne doctrinae eruditionisque miraculorum nostri Salvatoris tempus trium annorum et semis fuisse: quod quidem est hebdomadis unius dimidium. Hoc ipsum quodam modo Joannes Evangelista attentissime evangelium eius observantibus declarabit." S. Epiphanii, haer. LI, 23. p. 446. S. Hieronymi, d. Hippolytum secuti, in Dan. IX, 24. s. V, 690. „Tricesimo enim iuxta Evangelistam Lucam anno aetatis suae coepit in carne Dominus Evangelium praedicare et iuxta Joannem Evangelistam duos postea implevit annos." Theodoreti, ad Dan. 9, 27. ed. J. L. Schulze et J. A. Noesselt. Hal. 1769. II. 2, 1250. „Quodsi enim quis tempus discere cupiet, ex Evangelio Joannis cognoscetur." [3]) Joann. 2, 13. 6, 4. et 13, 1. [4]) Vide Eusebii Caes., Chron. S. Hieronym. int. ed. Vall. VIII, 645. s. Eiusd. Eccles. Hist. I, 10. p. 28. ubi aperte ait „universum praedicationis dominicae tempus non totos quatuor annos

praedicationis ac ministerii, atque adeo quatuor paschata, adimplevisse; et quarto anno ministerii sui crucifixum esse, constare debet: utique nimium res coarctant [1], qui publicum Christi ministerium uno vel duobus annis circumscribunt. Item longiori quam par est spatio distendunt, qui illud quatuor aut quinque annis contineri putant [2]. Postrema opinio nullo satis idoneo nititur fundamento, et multum temporis ἀνεστόριτον, et ignotis rebus gestis illustre relinquere cogitur. Priorem autem sententiam penitus explodit Evangelium S. Joannis [3].

35. Quot Paschata celebraverit Dominus. Celebris est quaestio, iam inde ab antiquis temporibus agitata, quot Paschata post baptismum suum celebraverit Dominus? De tribus nulla esse potest disputatio. Sunt haec tria paschata: primum post miraculum in Cana editum [4]; secundum post miraculum quinque panum [5]; tertium, in quo Salvator divinissimus passus est [6]. Utrum vero aliud adhuc sive quartum pascha ostendi possit in Evangeliorum Historiis: ita ut Christus post inchoatum suum ministerium, non in tertio sed in quarto paschate crucifixus sit, nec ne, ambigitur [7]? Quartum illud pascha quidem non numeratur nominatim in sacris Historiis; sed colligitur inde hoc fere modo. Post pascha primum a divo Joanne commemoratum [8]; et ante illud sequens [9]; describitur apud eundem Evangelistam aliud festum [10] „ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων“, ad quod Christus Jerosolymas ascendit. Quod cum plures interpretum [11] pro alio habeant festo;

---

complecti manifestum est.“ Ven. Bedae presb., de temp. ratione l. c. XLV. de annis dominicae incarnationis. Ed. Col. 1688. II, 88.

1) Nonnulli Veterum sic putavere, quos sequitur. J. F. J. Cassel, kann die Angabe, dass das Lehramt Jesu C. nur ein Jahr gedauert habe, aus dem Evangelium bestritten werden? Paderb. 1851. p. 13. s. Solus et unus tamen, quantum nobis constat, hanc opinionem nostro tempore defendit. 2) De his adeundus F. X. Patritius, l. s. c. diss. XIX, 2. p. 183. s. 3) Non inepte Hengstenberg, d. Ev. d. h. Joann. I, 290. huc revocat parabolam Christi apud s. Luc. 13, 6. s., ubi Dominus noster sistitur ἀμπελουργὸς — cultor vineae — per triennium; quod insumserat docendo et benefaciendo, et tamen spe sua frustratus: post quod latam sententiam iustitiae divinae remoratur interposita prece; se velle circa eam fodere et stercus mittere, si nihilominus non ferat fructum, rigorem iudicii non effugiet! Et vere intra illud $3\frac{1}{2}$ annorum spatium nihil praetermisit Christus eorum, quae ad provocandum populum illum ad ferendum fructum bonorum operum spectarent: et tamen non reddidit fructum, Christum et Apostolos occidit; et ideo exterminatus est. 4) Joann. 2, 13. 5) Joann. 6, 4. 6) Joann. 13, 1. V. p. 42. 68. 98. s. s. 7) Ita enim prodibunt tres anni integri, et tantum temporis, quantum elapsum fuit post baptismum usque ad primum pascha. 8) Joann. 2, 13. 9) Joann. 6, 4. 10) Joann. 5, 1. 11) Quos recenset Meyer, kr. ex. Hand. ü. d. Ev. Joann. Gött. 1856. p. 170. A. Bisping, Erkl. d. Ev. n. Joh. Münst. 1865. p. 127.

maiori cum veri specie longe copiosiores S. Literarum expositores: Pascha esse dicunt [1]. Maxima certe ambiguitate lectores liberasset Evangelista, si vel unam adiecisset vocem festo huic manifestando. An vero festus dies Paschatis erat, inquit Origenes [2], non addidit. Itaque ex circumstantiis, quale festum fuerit, coniicere debemus. Diximus fuisse secundum Pascha a Christo celebratum [3]; quoniam id exposcit a. S. Joannis narratio, et rerum a Christo gestarum series, quae huiusmodi est. Quartus et ultimus tempore inter scriptores Evangeliorum narrat [4]: Christum post

---

1) Inter quos numerantur: s. Cyrillus Alexandrinus. ed. J. Auberti Par. 1638. in Joann. 5, 1. 5. IV, 205. 206. Chronicon Alexandrinum — mox paschale, mox veriori nomine Constantinopolitanum adpellatum. V. Saxii Onomasticon literarium. Trai. a. A. 1777. II, 43. Fabricii, Bibliothecam gr. ed. Harles. Hamb. 1801. VII, 450. Henschenii, exeg. praelim. ad tom. III. Act. S. S. Martii ed. Ven. 1736. p. V. — in haec verba „Tribus ergo Paschatis festis, postquam Dominus baptizatus est, exactis, annoque quarto, Paschali festo, pro nobis crucifixo Domino, evidenter ostenditur totos tres integros annos salutarem praedicationem exercuisse." Ex ed. C. du Fresne et D. Du Cange. in Corp. hist. Byz. Ven. 1729. IV, 177. Et paulo ante p. 173. „Secundum ergo Pascha is videtur mihi significare, cum hoc loco dicit: Post haec erat festum Judaeorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. Ubi Judaeorum festi ulterius meminit, semper illud designat nominatim, ut cum de festo Scenopegiorum loquitur 7, 2." Rupertus Tuitiensis, ad Joann. c. 5. ed. Mog. II, 290. Salmeron, Comm. in evangel. hist. ed. Col. 1612. prol. XXXIX. I, 457. Salianus, Annal. V. T. VI, 871. Ant. de Escobar et Mendoza S. J., in Novo Test. lit. et mor. com. illustr. Lugd. 1677. p. 330. Cornelius a Lapide, Com. in Evang. Aug. Vind. 1747. II, 316. Calmet, Comm. lit. ed. J. D. Mansi. Wirceb. 1787. II, 71. 72. J. H. Amat de Graveson, in tract. de vita mysteriis et annis J. C. Ven. 1728. p. LXXVII. Natalis Alexander, exposit. lit. et mor. s. Evang. Par. 1743. II, 508. Baronius, Annal. I, 89. s. Corn. Jansenius Episc. Gandav., in Concordia ac Historia Evang. c. 36. c. rat. S. Barradius, Comm. in hist. et conc. IV. Evang. Aug. Vind. 1742. II, 405. Haiden, exercit. chron. II, 3. p. 191. H. Grotius, ad Matth. 26, 5. Joann. 5, 1. Op. theol. ed. Basil. 1732. II, 242. 496. J. Gerhardus, Harmonia Quat. Evangelist. Gen. 1655. I, 11. Basnage, Annal. pol. eccles. I, 283. Lighfootus, hor. hebr. in Evang. s. Joannis. p. 1005. Scaliger, de emend. temp. l. VI. ed. Gen. 1629. p. 555. Clericus, diss. I. de annis vitae C. p. 501. Sylveira, Comm. in text. ev. Ven. 1728. III, 1. Wouters, diluc. sel. S. S. quaest. V, 174. Th. Hackspanus, Not. phil. theol. in var. ac. diff. S. S. loca. III. Altdorffi. 1664. p. 279. B. Pererius, Comm. in Dan. p. 702. s. Kuinoel, Ev. Joann. ed. III. Lips. 1825. p. 301. Klee, Comm. ü. d. Ev. Johann. Mainz. 1829. p. 164. s. Sepp, Leben J. C. Reg. 1853. I, 312. IV, 1. s. Tholuck, Ev. Joann. ed. VI. Hamb. 1844. p. 142. s. Neander, das Leben J. C. Hamb. 1845. p. 368. Hase, Leben J. p. 27. C. Tischendorf, Syn. p. XXVI. 204. Hengstenberg, Christolog. III, 1. p. 184. s. Idem d. Ev. Joann. erl. Berlin. 1861. I, 288. J. Bucher, die Chronologie des Neuen Testaments p. 66. s. 2) Comm. in Ev. Joann. t. XIII, 39. p. 75. 3) V. p. 50. 4) Joann. 4, 3. 35.

primum pascha ex Judaea in Galilaeam per Samariam rediisse in Decembri vel Januario; priusquam vero ad festum illud [1] rursus ascenderet, fuisse tunc tempus quatuor mensium usque ad messem. In Palaestina autem messem inchoatam esse statim post pascha et ante Pentecosten absolutam novimus [2]; igitur quatuor illi menses de quibus Christus loquitur, non potuerunt labi in illa regione inter Pascha, et Pentecosten eiusdem anni [3]. Quia vero b. Evangelista non exprimit, quale festum fuerit; indagandum est, potueritne aliud ex reliquis festis esse, quae primo illo anno ministerii Jesu Christi secundum Legem observabantur [4]? Supputatio temporum docet, non posse intelligi Pentecosten; eadem porro ostendit neque festum Tabernaculorum, neque Encaeniorum fuisse [5]. c. Manifestum est e serie con-

---

1) Joann. 5, 1. 2) Cf. Not. T. s. Geogr. p. XXXI. H. R. D. V. T. 146. 217. 3) Sententia, quae s. Joannem 5, 1. „Pentecosten" significasse constituit, reiicitur illo maxime argumento: quod Joannis 2, 13. s. post enarratam eiectionem vendentium de templo in primo paschate, atque colloquium cum Nicodemo 3, 1—21.; item quaestionem discipulorum Joannis cum Judaeis — quoniam plures veniebant ad Christum et baptizabantur ab eo per discipulos — inseritur v. 24. „nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem." Subditur deinde c. 4. historiarum de muliere samaritana series; nec non praedicatio Domini apud Samaritanos et sanatio filii reguli. Haec autem omnia Christi gesta maiorem arguunt moram, quam quae est intra Pascha et Pentecosten, ostenduntque plures fluxisse dies quam quinquaginta. 4) Tempora enim festorum legalium ad fixa intervalla determinata sunt a Deo. L. H. R. D. V. T. p. 143. s. 5) H. V. T. p. 557. Illud enim mense Septembri, vel cum initio Octobris; hoc Decembri celebratum iam fuerat, priusquam Jesus diceret: „adhuc quatuor menses sunt ad messem." A mense autem Decembri usque ad sequens Pascha quidem festum sortium XIV. et XV. mensis Adar s. Februarii agunt Judaei; V. H. R. D. V. T. p. 505.; sed festum Purim haec solennia Joann. 5, 1. non fuisse: illud maxime confirmat quod α. si illud fuisset, suo nomine vocasset Evangelista, ut fecit de aliis: 7, 2. 10, 12.; cum autem absolute dicit festum, erit pro praecipuo habendum. β. S. Joannes refert de festo tali, quod ipse Deus instituit, et per Moysen solenniter celebrandum, idque tantum Jerosolymis mandavit; ex his vero neutiquam erat Festum Purim; quod secundi duntaxat ordinis et classis fuit. At eiusmodi festorum inferioris ordinis causa, nihil urgebat Christum venire in urbem sanctam. Quando igitur s. Joannes dicit „dies festus Judaeorum"; et quidem talis, propter quem ut addit, Christus ascendit Jerosolymam, intelligendus est dies Paschatis. Coll. Levit. 23, 2. s. Quibus accedit γ. editum quotannis in piscina pecuaria miraculum multo magis praedicatione, laude, monimentis, insigne festum Dei auctoritate consecratum decorare debuisse, quam celebritatem Purim auctoritate humana constitutam. Quod etiam δ. patet ex fine miraculi — descensionis angeli ad movendam aquam — quo Deus ostendit sibi curae esse populum suum, quem tanta benignitate ad pietatem alliciebat. Tandem ε. in hac sententia de festo Purim Joann. 5, 1. sumendo, multas historias Evangeliorum debito loco movere necesse est. Cf. Dionysii Petavii, animad. in Epiph. p. 207.

texta, hoc festum non pertinere ad illum annum cuius, initium facit Pascha alterum expresse a divo Joanne commemoratum [1]; antecedit enim. Quia igitur post Decembrem, quando Christus dixit ‚adhuc quatuor menses sunt ad messem'; nullum aliud legale festum prius occurrit, quam Pascha: consequens itaque est s. Joannem [2] de prima festivitate locutum, post reditum Christi ex Judaea in Galilaea occurrente, quam celebraturus Jerosolymam ascenderat. Quarta ratio est, d. quia iste dies festus ‚ἑορτή' simpliciter et per antinomasiam adpellatus debet accipi pro praecipuo et principali festo Judaeorum; quale erat Pascha, cum solennitatum omnium foret longe nobilissima; ab illa pendebant ceterae, quae hoc in fundamento veluti collocabatur. Itaque absolute festum vocabatur, et ita frequenter accipitur in Evangeliis [3]. Huic sententiae patrocinatur antiquissimus, annorum plus mille, codex mss.; in quo pro ‚ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, legitur: ‚ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων' [4].

36. Quod d. Joannis 5, 1. ‚ἡ ἑορτή' pascha fuerit, probat s. Lucae 6, 1. ‚σάββατον δευτερόπρωτον.' Ubi verbo potentissimo suo paralytico ad piscinam excubanti robur suffecit Christus [5]; ne vel inimicorum inflammaret odium praesentia sua, vel laudem popularem quaerere videretur: mox emersit e turba, quae ad piscinam confluxerat. Ac egressus Hierosolymis, illo ipso die per sata ambulavit [6], qui vocatur a S. Luca sabbatum δευτερόπρωτον. Non desunt rationes, quibus probare possumus, sabbatum secundo-primum esse quod et proprie ita dictum est, et azymorum diem sequitur. Inter potissimas hae sunt: quod α. Sacra

1) Joann. 6, 4. 2) 5, 1. 3) Matth. 26, 5. Luc. 2, 42. Joann. 12, 12. 13, 29., queis in locis per excellentiam diei festi intelligimus Festum Paschae. Imo idem s. Joannes eo rectius hoc vocabulo Pascha designare poterat, cum paulo antea 4, 45. coll. 2, 23. Pascha vocavit „τὴν ἑορτήν." Qua de causa 5, 1. ideo videtur non apposuisse nomen Pascha; quia hoc ex antecedentibus deprehendebatur. Neque opponi potest, in supra laudatis locis articulum nomini „ἑορτή" appositum reperiri; hoc loco autem illud in multis codicibus sine articulo legi. Enimvero α. Pascha etiam alias sine articulo „ἑορτή" vocatur: Matth. 27, 15. Marc. 15, 6. Luc. 23, 27. β. Reperitur articulus in antiquis admodum testibus, ut videre licet in apparatu critico J. M. A. Scholzii, N. T. I. Lips. 1830. p. 362. C. Tischendorfii, ed. crit. sept. Lips. 1859. I, 574. Horum monimentorum auctoritas eo maior est, quia difficulter creditur de suo quemquam addidisse ἡ, ut non ipsum festum, quod sibi sumendum videretur, adscriberet. Cf. Theophylacti, Archiep. Bulgar. Comm. in quat. Evang. Paris. 1635. p. 623. Adscriptum enim in nullo reperitur eorum testium omnium, qui articulum habent. Contra cum tanta ambiguitate laborat nude positum „ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων", non sine verisimilitudine putatur, correctam esse lectionem deleto articulo. 4) V. C. Tischendorf, Synops. Evang. Lips. 1854. p. 204. s. 5) Joann. 5, 8. 6) V. p. 51.

Scriptura id satis aperte docere videatur. Imprimis quia Lege divina [1] cautum erat, ut secunda hebdomadae paschalis die offerretur manipulus frugum primitialis. Ab hac ipsa die ,ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα' numerabantur septem ad Pentecosten septimanae; quarum sabbata ,ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων' cognominata sunt. Unde Pentecostes festum hebdomadum adpellatur [2]. Hac ratione mutua concatenatae erant duae illae solennitates, ut una ab altera dependeret; proinde non potuit aliter temporis interlabentis calculus retineri quoad sabbata; quam sic numerando: hoc est σάββατον δευτερόπρωτον; sabbatum a secunda die paschatis primum. Deinde sequens hoc est δευτεροδεύτερον; a secunda die secundum, et sic de ceteris. Itaque dicitur sabbatum ,δευτερόπρωτον', quasi ,δευτέρας ἡμέρας πρῶτον σάββατον; quia a secunda Paschatis die primum erat sabbatum ex sex istis sabbatis, quae a Paschate ad Pentecosten numerari solebant [3]. β. S. Lucas scribit sabbatum illud secundo primum tale fuisse; in quo evulsio et confricatio spicarum quarumdam pro grandi violatione sabbaticae religionis reputabatur. Discipuli Christi σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ transeuntes per sata vellebant spicas, edebantque confricatas manibus; ex qua narratione patet, messem nondum inchoatam nedum factam fuisse, verum hordeum aliaque frumenta matura ad messem inclinasse. Unde rursus sequitur sabbatum ,δευτερόπρωτον' non potuisse esse tempore, quo messis iam facta erat, quia in Lege [4] iubetur: ut secunda die paschatis primitiae spicarum offerantur; nec tosta nec cocta comedantur ex segete, priusquam oblatio primitiarum facta sit; et tunc postea [5] falx mittebatur in messem et segetes. Haec igitur praecepta quasi intento digito monstrant intelligendum esse festum Paschatis. Oblatione enim spicarum facta, licebat eas confricare, et grana ita manducare. γ. Qualecumque sumatur esse festum Joann. 5, 1., illud omnino constat, non esse illius anni cuius initium facit pascha Joann. 2, 13.; neque potest referri ad illum annum, qui inchoatur a paschate Joann. 6, 4. Utrumque enim ordo textus manifeste redarguit erroris. Quodcumque igitur quis intellexerit Joann. 5, 1. festum, non poterit effugere; quin cogatur concedere fuisse inter duo illa paschata Joann. 2, 13. atque 6, 4., aliud intermedium. Pascha enim principium est reliquorum festorum totius anni. Et hoc tantum erat

---

1) Lev. 23, 10. 11. V. H. R. D. V. T. p. 146. 2) Certum et indubitatum huius rei fundamentum sunt verba Dei apud Moysen. Lev. 23, 15. 3) Testimonia hanc sabbatorum numerandi rationem confirmantia e Rabbinorum commentariis lege apud Voisin, l. i. c. Quam et Josephus, Antiq. III. 10, 5. firmat opinionem scribens „τῇ δὲ δευτέρα τῶν ἀζύμων"; ex frugibus ista die demessis — non enim ante eas attingunt — partem sumunt." I, 178. 4) Lev. 23, 10. 16. 5) Deut. 16, 9.

demonstrandum: quatuor esse festa Paschatis, quae in tempore ministerii Christi evenerunt: quorum tria expresse nominantur a s. Joanne, quartum e notatione s. Joannis 5, 1. et d. Lucae 6, 1. liquido colligitur. Atque ista sunt fundamenta supputationis annorum, quibus Christus in ministerio suo versatus est, a Baptismo ad passionem. Christus igitur iuxta haec per triennium Doctoris publici officio functus est[1].

Tam variae sunt de hoc sabbato eruditorum sententiae, et tam ampla de eodem disputandi materia, ut iusto tractatui sufficere possint. Nos more solito in indicandis potioribus monimentis et fontibus hic resensendis acquiescemus. Plura dabit Lübkert, in ann. Stud. u. Kritiken. 1835. p. 664. s. Ex Veteribus Syrus, antiquus interpres atque rituum iudaicorum alias peritus, hanc vocem sabbatum simpliciter interpretatus est; similiter Arabs altera parte dissimulata reddidit. Obscura certe prae mille aliis haec vox μονήρης, quae tantum hoc loco occurrit; et adeo quidem obscura, ut obscuritate sua in proverbium apud Graecos abierit; sicut ex Joanne Citri episcopo refert J. Casaubonus, exercit. XIV. ad Annales eccl. Bar. p. 308. Jam olim s. Hieronymus vocum obscuriorum indagator solertissimus incredibili flagravit desiderio sciendi, cuiusmodi dies hac voce significetur; qui tamen ne ex praeceptore suo quidem s. Gregorio Nazianzeno id cognoscere potuit, ceu ipse refert ep. LII. ad Nepot. 8. p. 263. Atque Erasmus linguae graecae callentissimus, nihil e graecis literis superesse ratus est, quo hanc dictionem illustret V. Op. omn. ed. Lugd. Bat. 1703. VI, 254. Sed quidquid de obscuritate loci est, nos non ullum operae pretium fecisse arbitramur si explicationes S. S. P. P. et S. S. E. enumeraverimus. Itaque prima est s. Epiphanii, haer. XXX, 32. I, 158. 9., qui docet Sabbatum secundo-primum esse „quod et proprie ita dictum est, et azymorum diem sequitur." Secundum damus locum s. Ambrosio, enarr. in Ps. XLVII, 1. I, 935. „Ubi Christus resurrectione sua octavam — diem — sanctificavit, coepit eadem prima esse, quae octava est. Unde et in Evangelio legimus δευτερόπρωτον sabbatum, quod latine dicitur secundo-primum. Ubi enim dominica dies coepit praecellere, qua Dominus resurrexit; sabbatum quod primum erat, secundum haberi coepit a primo." Haec autem sententia mystica magis est, quam literalis. Tertiam dat s. Joannes Chrysostomus, hom. XXXIX. in Matth. 12, 1. VII, 431. „Quando duplices feriae erant, et sabbati Domini, et alterius sibi festi succedentis", esse sabbatum secundo-primum. Quartam affert s. Isidorus Pelusiota, qui Isidoro diacono ep. III, 110. ed. Migne. p. 813. scribit: „Deuteroproton dictum est, quia posterius quidem die Paschae primum autem azymorum." Quinto V. Beda, expos. in Luc. 6, 1. Op. ed. Col. V, 279. — laudata Nicolao de Lira ad h. l. ed. Antv.

---

[1]) Qui autem unum uti e. g. N. Mann, de veris annis J. C. natali et emort. diss. Lond. 1752. p. 169. s.; vel etiam duo tantum Paschata e. g. Lamy, app. chron. II, 6. p. 196. s. Anger, de temp. in A. r. p. 28. inter Domini baptismum et eius mortem lapsa esse docent; res Christi temporum angustiis cogunt. Qui autem quinque paschata comminiscuntur, longius illi annos Christi producunt sine sufficienti ratione. Lege hac de re si lubet C. Baronium, ad a. C. 31. n. 36. seq. I, 76. s.

1617. op. et stud. Theol. Duacens. V, 771. — dictum de sabbato secundo-primo intelligi vult ita „ut unum idemque Novi Testamenti sabbatum et secundum et primum sit. Secundum, quia post legale sabbatum a nobis observatum. Primum quia et ante decreta legis a iustis observabatur antiquis.“ Ad sextam promovemur interpretationem, quae est Theophylacti, comm. in Luc. 6, 1. p. 341. Ita ille „Judaei omne festum sabbatum nominabant. Sabbatum enim quies dicitur. Saepe igitur occurrebat festum in parasceve, et vocabant parasceven sabbatum propter festum; deinde quod proprie est sabbatum nominabant secundo-primum, eo quod sequatur festum et sabbatum quod praecesserat. Contigit igitur tunc aliquid tale, et sabbatum illud vocatur secundo-primum.“ Septimam debemus Euthymio Zigabeno, comm in quat. Ev. II, 332. „Sabbatum simpliciter omne festum vocant Hebraei propter requiem. Nunc autem dicit festum azymorum. Hoc itaque sabbatum vocabatur secundo-primum, tanquam secundum quidem a pascha, primum vero ab azymis.“ Nos primae sententiae a nobis enarratae calculum adiicimus, quae post s. Epiphanium etiam D. Petavio, animadvers. ad haer. XXX. Ebion. p. 61. seq. et J. Scaligero, de emend. temp. l. VI. p. 557. coll. prol. p. XXV.; atque post hos duumviros de republica literaria undiquaque bene meritos, tot clarissimis probata est viris. Cf. Drusium, annot. ad h. l. in Crit. s. ed. Francof. 1696. IV, 1262. Casaubonums l. s. c. p. 307. s. Th. Hackspanium, not. phil. et theol. III, 296. Ligtfootum, hor. hebr. in Ev. Matth. 12, 1. p. 339. Josephum de Voisin, Obser. in prooem. pugionis fidei R. Martini ed. Carpzovii. Lips. 1687. p. 170. et in singulari tractatu de sabbato devteroproto. Pagium, ad a. Cr. 32. III. p. 91. S. Basnage, Ann. pol. eccl. I, 285. s. Gerhardium, Harmon. ev. c. 45. I, 347. seq. B. Lamyum, Comm. in Harm. III, 3. p. 214. Leonardum a s. Martino, Examina scripturistica in quatuor Evang. Gandavi 1764. p. 237. s. J. Frischmuthum, diss. de sabbato deuteroproto, in Thes. theol. phil. Amst. 1702. II, 312. seq. H. Mullerum, diss. de eod. ib. p. 319. Kuinoel, ad h. l. p. 408. Lübkert, in ann. Studien und Kritiken. 1835. p. 671. s. Lange, Leben Jesu. II, 2. p. 813. Winer, R. W. II, 348. Redslob, Intelligenzblatt z. Hall. Lit. Zeit. 1847. N. 70. H. Ewald, Jahrb. d. bibl. Wiss. Gott. I, 72. C. L. W. Grimm, Lex. gr. lat. in l. l. R. T. Lips. 1862. p. 87. qui tamen non multum sollicitus est, de enodandis ipsis verbis; A. Bisping, Erkl. d. Ev. n. Mark. u. Lukas. Münst. 1864. p. 233. et quam plurimos alios.

Respondetur ad varias obiectiones. Primum quod huic explicationi obstare videtur iam Hugo Grotius, ad h. l. II, 375. in illa reprehendit „quod *nullum viderit talis formationis exemplum*, qualis esset, si δευτερόπρωτον deduceretur a voce δευτέρας et πρώτου.“ Sed quod attinet hanc Grotii aliorumque exceptionem, cum similis formationis exemplum desiderant; haud immerito miramur eos idcirco nolle hanc interpretationem admittere. Sabbatum secundo-primum, der zweiterste Sabbat, ut ex praemissis satis liquet, ipsum non ex suo nomine noscitur; sed nomen ex re investigari debet. Secundo-primi vocabulum nusquam legitur nisi apud s. Lucam; et apud eos qui ex d. Luca istam vocem repetunt. Itaque nullo Antiquitatis testimonio constat quid fuerit; neque etymon vocabuli ita est determinatum, ut alia prius indagine i. e. historico-genetica non sit opus. Datur enim alias quadruplex huius vocis compositio. Vel sabbatum aliquod dictum est secundo-primum distinctionis causa; ut sabbatum paschale, quod ordine antegreditur diceretur „πρωτόπρωτον“, primorum

primum; sabbatum Pentecostes „δευτερόπρωτον" primorum secundum: vel sonat secundum et duplum, duplici nomine sacrum: vel habetur δεύτερον πρώτου, ut sit minus principale: vel denique compositum esse potest ex δευτέρα et πρῶτον; ut sit illud, quod secundam Paschatis proxime est secutum. Ultima haec quae Scaligeri l. c. explicatio, ut dicit Petavius l. l., procul dubio vera est. „Hac enim, ait idem, interpretatione melior afferri nulla potest." Quamcumque vero foveat quis de formatione vocis „δευτερόπρωτον" sententiam, certe de tempore post pascha intelligenda est; quod neque ad primum Pascha referre licet; quia quae Matth. 12, 1. s. item Marc. 2, 23. s. in simili contextu enarrantur, facta sunt cum iam s. Joannes B. in carcerem missus esset coll. ib. 11, 2—19., in quem tempore primi Paschatis nondum fuerat coniectus. Joann. 2, 13. coll. 3, 23. Sed neque ad illa azyma, quae Joann. 6, 4. commemorantur, spectant; enimvero res, quas s. Matthaeus l. l. habet repugnant; secuta deinde est quinque millium hominum cibatio, quam s. Joannes ante Pascha 6, 4. collocat. Nam incessus per sata, cum continuo post Pascha evenerit, non potest subiici Paschati, quod Joann. 6, 4. insinuatur, quia alioquin posterior esset miraculo multiplicationis panum, quod tamen l. l. ante Pascha accidisse narrantur. Atqui hoc non patitur Historiarum Evangelii series. Neque etiam sequi potuit incessus suprafatus primum Pascha, de quo Joann. 2, 13., qui indubie evenit postquam traditus est s. Joannes B.; is autem traditus est post Pascha primum: nam eo acto adhuc baptizare pergit. Joann. 3, 23. Igitur supponitur aliud Pascha, *secundum* utique a baptismo Christi, cuius hoc sabbatum secundo-primum sequela est. His ita constitutis id quod quaerebamus manifestum est; scilicet ex historiis s. Lucae 6, 1. de sabbato secundo-primo deprehendi, quid sit „ἡ ἑορτὴ Ἰουδαίων" penes s. Joannem 5, 1.; et quo loco in ordine rerum apud reliquos Evangelistas illud sit inserendum.

37. *Rerum, quae anno ministerii Jesu Christi tertio inde Tabernaculorum festo ad ultimum usque Pascha evenerunt, series* tam incerte plerisque visa est, ut fere negarent, probabile quidquam ea de quaestione definiri posse. Ne vero fallamur h. a. tres Domini Nostri Hierosolymas profectiones accurate sunt discernendae. Primae ad Scenopegiam meminit s. Lucas [1]. Itaque ubi abiit Galilaea, non statim venit in fines Judaeae trans Jordanem, uti ex Matthaei 19, 1. colligi posset — sed post habitos sermones quos refert d. Joannes [2]; nec non post reditum in Galilaeam prius ab ipso repetitum. Rursus secundo itinere celebrandis Encaeniis ad Urbem s. se contulit [3]. Cum vero in Encaeniis Judaei Christum capere vellent, abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans, i. e. Bethabaram [4]. Ex ea regione, peragrata Peraea Jordaneque transmisso, venit tertio Hierosolymas aliquot diebus ante Pascha, q. d. θανάσιμον [5]. Itaque inter profectionem illam, quam s. Matthaeus et s. Marcus commemorant; et illam, de qua s. Lucas 9, 51. et s. Joannes 7, 10. dixit;

[1]) C. 9, 51. V. p. 74. [2]) Ev. c. 7. et 8. [3]) Coll. Luc. 13, 22. Joann. 10, 22. V. p. 77. [4]) Joann. 10, 40. coll. 1, 28. V. p. 78. [5]) Cuius itineris Matth. 19, 1. Marc. 10, 1. meminere. V. p. 78.

semestre circiter intervallum intercessit. E brevi hac narratione certum exploratumque est: intercapedine temporis, quae tertium inter et quartum Pascha τῆς κερύξεως interponitur, Jesum plura itinera suscepisse quam superioribus duobus annis, quibus Galilaeam peragravit. Quod pluribus iisque gravissimis de causis fieri potuit. Una quidem erat, quod instante tempore discessus sui ex his terris voluerit latissime per omnem Terram Sacram Evangelium ipse spargere suum. Unde hoc quoque evincitur, quod, etsi non est forte maximi momenti, ad nostram certe rem non est nihili: Christum Regni divini nuntium, ut plurimum versari in provincia galilaica; una omnium Palaestini agri exterorum commercio ab olim frequentissima [1]. Si propositum ei fuisset, ab exterorum omni abstinere consortio et intra fines solum populi electi muneris Messiani partes ponere, Galilaeam cum primis superiorem; non tam frequentibus coluisset itineribus. Altera causa repetitorum hoc temporis spatio itinerum iuste habetur: quod frequenti mutatione loci impedire vellet; ne ad se concursus fierent hominum iugum Romanorum inique ferentium, quales erant permulti in Judaea, aut potius plerique omnes Judaei, qui facile eo invito motus concitassent. Quod quam futurum fuisset noxium nascenti Ecclesiae, non attinet pluribus dicere.

38. *Stabilitur annus mortis D. N. J. C.* Superest, ut ad eum usum, finemque, cuius gratia disputata sunt superiora, omnia revocentur. Est autem is potissimum; ut verum ex S. S. auctoritate Passionis Dominicae tempus statuatur. Omnis quae de aliqua re chronologica instituitur disputatio, ut saepe iam diximus, certis ex rebus minimeque dubiis debet proficisci; quae aut per sese ipsae verae sint, aut inter eos, qui disputant, pro veris ac confessis habeantur. Quamobrem qui verum Passionis annum indagare student, imprimis ea, quorum certa sit fides, eligere debent ac principiorum loco ponere. Ac sunt nonnulla, de quibus interpreti christiano dubitare nefas omnino videatur. Cuiusmodi ista sunt: Christum passum esse sub Pontio Pilato, a quo damnatus est cruci; tum vero parasceve sabbati sive feria sexta hanc salutiferam mortem accidisse [2]. Quapropter Salvatoris divinissimi mors, non poterit in illum annum incidere, quo cesserat Judaea Pilatus deturbatus sua dignitate; quod contigit ante mortem Tiberii; id est ante annum tricesimum et septimum aerae Vulgaris. Verum luculentius exponendum, quando et quomodo Pilatus

---

[1]) V. Not. T. s. geogr. p. XLVIII. [2]) Ut habet etiam Tacitus, Annal. l. XV, 44. „Auctor nominis eius Christus, Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat." II, 147.

Judaea cesserit? Josephus [1] narrat: acres querelas Samaritanos coram L. Vitellio Syriae praeside [2] instituisse de caedibus Pilati cruentis. ,Tum Vitellius, Marcello amico suo ad res Judaeorum procurandas misso, Pilatum iussit Romam proficisci, ut ad obiecta a Judaeis crimina coram imperatore responderet. Ita Pilatus decem annis [3] in Judaeae provincia exactis, Romam properabat; Vitellii mandatis, quibus nihil contradicere audebat, obsecutus. At priusquam Romam appelleret, decessit Tiberius.' Jam vero Tiberius obiit die 16. Martii A. U. C. 790. [4] epochae Dionysianae 37. Hinc Pilatus A. U. C. 789., puta circa Novembrem, annum decimum in provincia exegerat; ut adeo in Judaeam advenisse dicendus sit A. U. C. 779.; epochae vulgaris Dionysianae a. 26.; quo anno s. Joannes B. baptismum poenitentiae populo indicere cepit; Christus vero anno insequenti sexta Januarii ab eodem Joanne baptisatus fuit, ut refert s. Lucas [5].

39. I. Jesum Christum Salvatorem Nostrum anno aetatis suae XXXIV.; U. C. 783.; Aerae Vulgaris 30. in cruce pro nobis passum et mortuum ponimus. Quod ad annum mortis D. N. J. C. attinet, sententiae a Pilato in Christum latae meminerunt quidem ,Acta Pilati' quae circumferuntur alia atque alia; sed haec an vera Pilati Acta sint, ab ipso vel ipsius auctoritate exarata, id quaeritur [6]? Veteres Romani studio singulari sunt usi, ut rerum omnium memorabilium, quae in Urbe factae essent, aut casu evenissent, memoria exstaret; eo spectabant Acta Senatus et Acta diurna populi. Sed et in provinciis eadem consuetudo ab earum praesidibus usurpabatur. Non solum enim per literas suas, si quid occurreret memoria dignum, Imperatorem faciebant eius certiorem; verum etiam acta rerum memoriabilium suo iussu confecta ad eundem transmittebant. Haud dubium ergo est Pilatum ad Tiberium imperatorem referre debuisse, atque adeo retulisse, quae circa Christum gesta fuerunt. Is enim mos praesidum, ut vel ex Plinii ad Traianum literis constat [7], atque multis aliis antiquis

---

[1]) Antiq. XVIII. 3, 4. s. p. 879. s. coll. Luc. 13, 1. — a. q. l. A. T. Hoffkuntz, de antropothysia Pilati discussionem, in Thes. n. Hasaei et Ikenii. II, 443. — de bello, II. 9, 4. p. 161. Coll. Philone, leg. ad Caium. p. 1389. V. H. Gerlach, die röm. Statthalter in Syrien u. Judaea p. 55. s. [2]) V. Gerlach, l. c. p. 58. [3]) Ab anno Aer. V. 26—36. p. C.; 779—789. U. C. [4]) Numerabantur anni Urbis Conditae a Palilibus, i. e. d. 21. Aprilis, ad Palilia. [5]) Ev. 3, 21. 23. [6]) Cf. disp. aff. et neg. Henke, de P. Pilati Actis in causa J. C. ad Tiberium missis probabilibus, in opusc. acad. p. 201. s. Weitzel, die chr. Passafeier d. d. e. Jahrh. Pforzh. 1848. p. 248. s. A. Hilgenfeld, krit. Unt. ü. d. Ev. Iustins. Halle. 1850. p. 26. s. C. Tischendorf, Pilati c. Christum iud. q. l. adf. ex Actis Pilati. Lips. 1855. p. 4. s. [7]) Quas de rebus Christianorum accurate perscripsit. Ep. X, 79. ed. Tyrn. p. 606. s.

monimentis [1]. Ad Acta Pilati provocant vetustissimi S. P. et S. E. [2] et de his adversarios interpellant [3]. Utrum vero: a. illa, quae in Actis Pilati exstitisse dicuntur, etiam vere fuerint evulgata, sicut erant descripta in commentariis iussu Pilati Jerosolymis factis, et ad imperatorem missis? Deinde b. an ipsissima censenda sint, quae Veteres S. P. et S. E. laudant? an integra c. ad nos usque pervenerint, vel longa saeculorum serie plurimum faecis contraxerint? in quaestione positum est. Verisimile admodum videtur Actorum sincerorum q. d. Pilati notitiam pervenisse ad Christianos per aliquem e Caesarum ministris; qui ad Christum conversus, quae ipse scrinia Augustorum tractans comperisset, fidelibus narravit, unde deinde literis consignata sunt. Huc accidit quod magni est faciendum: Maximinum imperatorem [4] alia Acta blasphemiis in Salvatorem nostrum referta opposuisse iis, quae Christiani legebant. Non tamen inficiamur quosdam eiusdem temporis homines, qui pessimo consilio s. Apostolis aliisque scripta supposuerunt, rem scribendo dicendoque amplificasse et adulterasse. Ita Acta conficta Pilati producebant errori suo tutando haeretici Tessarescaedecatitae; sed quae nemo dubitavit esse falsa; idcirco et s. Epiphanius ad alia eorumdem Actorum exemplaria provocat, quae invenit. Jam vero quae ad nos pervenerant Acta Pilati [5], licet saepius mutata; ab iis forte

---

1) Cf. Eusebii, H. E. IX, 5. p. 350. atque ad haec notam Valesii p. 184. 2) Ad Antoninum Pium. 3) S. Justinus, Ap. I, 35. p. 90. Tertullianus, Apologetici c. 21. p. 89. coll. c. 5. p. 62. Tertulliani auctoritatem hac in re quidem elevare voluit Tanaquillus Faber, epist. II, 12. coniecturis, quas repetiit Sig. Havercamp, suis ad Tertulliani Apologeticum notis, ed. Lugd. Bat. 1718. p. 57. 58.; verum pro sua levitate easdem facile difflavit Natalis Alexander, Hist. E. II, 9. De Testimonio eiusdem Tertulliani, Apologet. n. 5. et 21. p. 62. et p. 90. circa relationem Pilati ad Tiberium et Tiberii ad senatum de Christo inter Deos referendo videatur Lumper, Historia th. cr. de vita scriptis atque doctrina S. Patrum Aug. Vind. 1789. VI, 701. J. G. J. Braun, de Tiberii Christum in deorum numerum referendi consilio. Bonn. 1834. Eusebius, Hist. Eccl. II, 2. p. 46. Tertulliani locum graece interpretatus est: atque huius verba repetunt Zonaras, Cedrenus, Nicephorus et alii iuniores; quorum loca cum nisi verba Eusebii leviter immutata referant adscribere nihil attinet. De Actis a Pilato ad Tiberium missis, sermonem ex incidenti faciunt: s. Epiphanius, haer. L, 1. p. 420. s. Joannes Chrysostomus, in ep. II. ad Cor. hom. XXVI, 4. X, 624. Paulus Orosius, Hist. VII, 4. ed. Sigeb. Havercamp. Lugd. Bat. 1738. p. 459. atque S. Gregorius episc. Turonensis, Hist. Franc. I, 23. ed. Lut. Par. 1699. p. 19. Ut adeo audiendi non sint, qui his testimoniis fidem denegant. 4) Teste Eusebio, Hist. E. IX, 5. et 7. p. 350. 522. 5) Edita multisque observationibus illustrata a J. A. Fabricio, in Codice apocrypho N. T. Hamb. 1719. I. p. 314. s. III, 455. s. novis curis evulgata a J. C. Thilo, Cod. apocryp. Novi Testamenti. Lips. 1832. I, 487. s. 803. s. et C. Tischendorf, Evang. apocryp. Lips. 1853. prol. p. 70. s. p. 203. s. p. 411. s.

quae iam saeculo secundo exstitisse nos docet s. Justinus non videntur penitus esse diversa, sed potius similia censenda sunt [1]. Certe quae in Actis Pilati lecta Veteres referunt, hodie magna ex parte leguntur: in Evangelio Pseudo-Nicodemi; gestis Pilati; epistola Pilati; in l. i. ἀνάφορα Πιλάτου; παράδοσις Pilati [2]. Sed ut ad annum Christi emortualem revertamur: ambiguum relinquitur ex hac qualicunque Pilati ad Tiberium de Christo facta relatione, quo anno Christus animam suam pro ovibus suis posuerit [3]. Ad quam ambiguitatem de morte d. Salvatoris tollendam cum mera historica praesidia non satisfacerent interpretibus, ad astronomicas se converterunt rationes. Atque eorum quidem opinionem, ad rem nostram nihil facere apparet; qui solis eclypsin computare conati sunt, quam cum Jesus cruci esset affixus, accidisse opinantur. Nam defectus solis in Christi morte, eclypsis astronomica non fuit.

De solis admirabili defectione, quae horis mortis Dominicae contigit; Evangelistae Matth. 27, 45. Marc. 15, 33. Luc. 23, 45. nisi caliginem aliquam insolitam solis lumen texisse narrant. V. p. 149. s. Etenim ne „σκοτίζειν" quidem, quo verbo s. Lucas usus est scribens: „ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος", sed ἐκλείπεν, Graecis solenne est solis lunaeque defectionis indicandae verbum. Eclypsis vero quam Phlegon Trallensis notavit, huc non pertinet; de cuius anno ceteroquin propter lectionis varietatem non constat. Cf. M. Kerwal, de obscuratione solis Christo in cruce patiente facta. Trai. a Rhen. 1749. Routh, Reliquiae s. Oxon. ed. a. 1846. II, 298. Illam solis obscurationem quae Christo moriente accidit, non fuisse naturalem, sed miraculosam sequitur iam ex ipso tempore. Quippe ratione temporis habita haec solis obscuratio non poterat esse naturalis; quia sol numquam eclypsim patitur nisi in Novilunio, quando utrumque luminare est positum in coniunctione, et ea propter luna est constituta medio veluti loco inter solem et oculum spectatoris, intercipiens et avertens radios luminis a terra. Atqui eo tempore, quo Christus in cruce patiebatur, fuisse Plenilunium ex Historiis Pas-

---

1) Cf. Baronii, Annal. ad a. 34. n. 124. s. p. 193. s. Tillemont, Mem. I. not. sur s. Pierre XIX. ed. Ven. 1732. p. 516. Calmet, diss. de actis Pilati. D. III, 286. Ruinarti, Acta Martyrum. ed. Veron. 1731. LVII. 374. 390. Casauboni, exercit. XVI, 154. p. 770. s. Possinii, ep. tert. ad D. Papebrochium, in Propyl. Act. S. S. Maii. n. 14. p. 41. Mynster, de mom. chron. p. 17. C. Tischendorf, Pilati circa Christum iudicio, quid lucis afferatur ex Actis Pilati. Lips. 1855. p. 6. 2) Illud attamen animadversione dignum est: Eusebium, quem recentiores exscripserunt vel in compendium redigebant, Acta illa Pilati nequaquam recitare; quamquam summi ad Historias momenti, cum alioquin eiusmodi scripta non incuriosus praetereat: Cf. B. Rienstra, de fontibus ex quibus H. E. op. hausit Eusebius. Trai. a Rh. 1833. p. 15. s. 93. s. E. J. Kimmel, de Rufino Eusebii interprete. Gerae 1838. p. 22. s. Unde coniecturae locus datur iam ex illis, quae per eam aetatem ferebantur Actis Pilati, Eusebii iudicio nulla genuina fuisse. 3) V. Eusebii, Hist. E. I. 9. p. 27.

sionis perspicuum est. Recte igitur iam olim advertit s. Augustinus, de Civ. Dei III, 15. I, 109. hanc solis obscurationem non ex canonico siderum cursu accidisse satis ostendit, „quod tunc erat Pascha Judaeorum: nam plena luna solenniter agitur; regularis autem lunae defectio nonnisi lunae fine contigit.“ Cf. e. Theophylacti. Comm. in Matth. c. 27. p. 176. Aliud argumentum huius sententiae, solis deliquium, quod Christo moriente contigit, praeter naturae cursum et ordinem contigisse, petitur ex duratione: scilicet ista solis obscuratio quam Evangeliorum scriptores conspectam prodiderunt, per tres horas — i. e. a 6—9. — duravit. Sed vero illa, quae fit in eclypsi naturali, eaque etiam totali et centrali, post exigui temporis moram desinit. Id quod iam S. Hieronymus monuit, comm. in Matth. 27, 45. „Et ne forsitan videretur umbra terrae, vel orbis lunae oppositus, breves et ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut omnis causantium occasio tolleretur.“ VII, 235. Sed etiam tertio, quod ad amplitudinem attinet, miraculo divinitus patrato, supra legem naturae fuisse factam demonstratur. Testantur enim Evangelistae, quod obscurato sole tenebrae factae fuerint „ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν“; Matth. 27, 45. seu „ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν“ Marc. 15, 33.; i. e. supra totum hemisphaerium, quod tunc temporis soli fuit obversum. Jam vero nulla eclypsis solis naturalis, eodem tempore ubique accidit; sed cum in una regione apparet totalis, in alia est partialis, in aliis remotioribus est nulla. Id prodigii non immerito adscribitur actioni, qua Deus per tres horas retardavit motum solis circa propriam axem; quia variae rerum ad crucem gestarum circumstantiae credere suadent, aliquam luminis copiam e sole in aerem terramque fuisse emissam; unde ipse quidem sol legitur obscuratus, non vero ex oculis hominum penitus sublatus. Quod ad annotationes Phlegontis Tralliani attinet — qui erat Hadriani Caesaris libertus — eclypseos cuiusdam mentionem iniecit in Chronicorum, seu Olympiadum libris; quos iniuria temporum hominumque incuria perditos queruntur eruditi. „Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγογήν“ libris XVI. Olympionicarum i. e. victorum in ludis Olympicis nomina inde a Caracto, ab Olymp. I—CCXXIX. perpetua serie recensuit, adiecta singulis Olympiadibus brevi rerum gestarum narratione — v. J. Rutgers, spec. liter. exh. Olympionicarum fastos. Lugd. B. 1862. prol. p. 8. — Sextus Julius Africanus, qui saeculo altero post Phlegontem vixit, eiusque de Olympiadibus opus videre potuit Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ edita, — quam servavit in suo Chronico Eusebius — fastos Olympionicarum reliquit. Hic apud Georgium Syncellum testatur — in Chronographia. Corp. Byz. Hist V. ed. Ven. 1729. p. 257. — „sane luna toto orbe radiante ab hora diei sexta ad nonam usque integram solis eclypsim Tiberio imperante contigisse narrat Phlegon.“ Testimonium Phlegontis iam aperto, iam tecto nomine, laudant: Tertullianus, in Apologetico. c. 21. I, 89. Origenes, in Matth. V, 53. contra Celsum, II, 33. XVIII, 187. Eusebius, in Canone chronico ed. Scaligeri p. 202. Scriptor Chronici paschalis, ed. Ven. C. H. B. IV, 176. atque Georgius Cedrenus, Hist. comp. ib. VII, 150. De hac Phlegontis ῥήσει, quae ex editione M. J. Routh, l. c. p. 298. ita graece habet „Φλέγων ἱστορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος ἐν πανσελήνῳ ἐκλείψει ἡλίου γεγονέναι τελείαν, ἀπὸ ὥρας ἕκτης μέχρις ἐννάτης. δῆλον ὡς ταύτην.“ Veteres velut uno ore pronuntiarunt, hanc eclypsim tradi, quae sub Christi mortem facta est. Verum, quod saepe iam ab aliis dictum, nihil in Phlegonte repraesentando de plenilunio scripsisse Eusebium; imo palam esse nihil huiusmodi a Phlegonte — qui ut opinaremur eclypsim veram esse credidit — reapse fuisse memoratum credimus. Quin

etiam testem alium omissionis plenilunii habemus Originem, in Matth. Comm. ser. n. 134. V, 53. testantem: „Et Phlegon quidem in Chronicis suis scripsit, in principio Tiberii Caesaris factum, sed non significavit in luna plena hoc factum.“ Adde Eusebium in anno istius eclypseos recitando admodum variare, enimvero in Canone Chron. annum 4. Olymp. 202. recitat; Demonstrationis vero Evang. l. VIII, 2. p. 390. „Olympiadis ducentesimae secundae annus secundus est.“ Idem porro annus recurrit et apud s. Hieronymum in Dan. IX. pag. 685. Cum vero res ita se habeat, haud satis accurate quidem scripsisse videtur Africanus, sed sua verba illis Phlegontis miscuisse. „Sin autem licet mihi, quae sentio, proferre scribit Routh, annot. in Africani Chron l. c. p. 478., dixerim, non tantum famae Africani, sed etiam veritatis eruendae causa, totum istud de Phlegontis testimonio additamentum esse a Georgio Syncello, aut ab alio quopiam Africani verbis illatum, quippe quod orationem interrumpere videtur, aut saltem sine dispendio sensus abesse possit. Quin illud praecipue observandum, haud convenire cum Africani temporum rationibus, quae unum tantum praedicationis Dominicae annum statuunt, mortemque Christi anno secundo, Olymp. 202. affigunt, illum profecto apud Phlegontem annum Olympiadicum 202, 4. quem teste Eusebio — Chronicon s. Hieronymo int. ed. Vall. VIII, 648 — signaverat Phlegon.“ Idem sensit D. Petavius, de doct. Temp. XII, 21. p. 251. Whiston, in diss. anglic. de Phlegontis eclypsi. Six dissertations. Lond. 1734. n. 3. sub titulo: A reply to de Sykes defence of his dissertation on the eclypse mentioned by Phlegon. p. 177. Mayer, in libro de Eclypsi Sinica. Regiomonti. 1718 p. 33. Missis igitur omnibus loci Phlegontei, qualis in Eusebii Chronicis exstat, tum interpretamentis tum correctionibus, quibus quidem enumerandis iustus tractatus opus esset; hoc tantum addimus, si revera Chronologus noster Africanus, id de Phlegonte protulerit, debere omnes, bene animadvertente Routho qui in hanc arenam descenderint, probe tenere: quid de annis Dominicae praedicationis mortisque senserit idem Julius Africanus Vid. int. Sepp, L. J. C. I. 1, 300. J. Bucher; Chronol. p. 96.

II. Annus D. N. J. C. ‚σταυρώσιμος‘ ex indiciis temporum divina auctoritate firmatis investigandus erit. Duo vero sunt in epocha Passionis stabilienda characteres in Evangelio nobis traditi necessario observandi nempe: Paschalis Judaeorum dies, seu decimaquarta dies Lunae mensis primi, qua necesse erat agnum immolari; et feria quinta coenae Dominicae tempus, ac Passionis initium, quae demum compleretur in cruce postridie feria sexta. Ita quidem: ut sabbato quieti dato; tertia die, quae erat Dominica, Christus a mortuis resurgeret [1]. His duobus indiciis apud Veteres, duo alii arbitrarii accedunt: Geminorum Fusii et Rubellii consulatus [2], et dies VIII. Kalendas Aprilis [3], Passioni dominicae consecratus. Ut ab ultimis disputationem nostram ingrediamur notandum: annum quo gessere Consultatum Fusius Geminus et Rubellius Geminus citra ullam dubitationem fuisse annum Aerae Vulgaris 29. [4]; in quem nulla ratione

[1]) V. H. N. T. p. 96. s. 234. s. [2]) Qui est primus character. [3]) I. e. 25. mensis Martii, qui est secundus penes illos character. [4]) Unus Franc. Blanchi-

possumus conferre passionem et mortem Domini, propter sequentes causas. Annus Consulatus Geminorum insignitus caret iis indiciis, quos omnino necessarios Evangelistae assignant anno Passionis. Primum argumentum sic formatur: Decimus quintus annus Tiberii a s. Luca memoratus, quo cepit praedicationem suam Joannes B., incidit in annum Aerae Vulgaris XXVI[1]. Cum itaque a. ex omnium Evangelistarum unanimi affirmatione compertissimum sit: a Baptistae praedicatione, et hanc aliquot mensium intervallo secuto Christi baptismo, ad eiusdem Passionem et mortem, saltem triennium intercedere, sequitur: annum 29. Aerae Vulgaris non posse haberi emortualem D. N. J. C. b. Idem liquet ex decennio quod egit Pilatus in procuratione Judaeae. Ad secundum argumentum construendum praemittere iuvat τὸ κρινόμενον, a quo unice pendet determinatio „σταυρωσίμου", esse: annum quo Christus natus est; quia ex constitutione veri Christi Natalis, pendet definitio quaestionis, quoto Jesus aetatis suae anno crucem subierit? Fixa enim semel Chronologia, quoto Christus natus est anno; ceteri qui inde sequuntur anni facile dinumerantur[2]. Christi natalis, ut ex illustribus rationibus a s. Matthaeo datis sequitur, mortem Herodis, quam accidisse A. U. C. 750. probabimus, antevertit; ergo Christus natus est A. U. C. 749.; quarto ante Aeram Vulgarem. Unde si addantur anni 33. quos Salvator in terris egit; prodit annus 783. U. C. seu emortualis; qui est rursus XXX. A. Aer. Vulg. Igitur annus 29. Ae. V. talis non fuit, quia se se offert annus a Consulatu Geminorum longe diversus[3].

---

nius, opusc. IV, prol. ad vitas Roman. Pontificum Rom. 1723. II, 11 s. horum consulatum anno 28. Aerae. Vulgaris, sive Dionysianae alligat.

[1]) Ut demonstravimus p. XL. s. [2]) V. p. XXVIII. [3]) Nolumus vero hic iterare res, quas multis veris fulti documentis exhibuimus; suam ceterum cuique opinionem — cum eruditissimo ac piissimo G. Henschenio, cat. vet. antiq. Pont. t. I. Apr. p. XII. — relinquentes, quam si probabiliorem possint argumentando facere, libenter dimittemus disputata hactenus, et maioris certitudinis certiorisque veritatis lucem undecumque oblatam gratanter excipiemus. Plerique Veterum Christum passum esse duobus Geminis Consulibus credidere. Hi sunt quos fere omnes affert Baronius, Annal. eccl. a. C. 34 n. 143. p. 163. Henschenius, l. c. p. 4. con. chron. ad cat. Pont. in Propylaeo ad A. S. S. Maii. Antv. 1742. p. 18. Mynster, de moment. chron. p. 16. J. N. Sepp, das Leben Jesu Christi I. 1, 287. s. et Patritius de Evang. III, 19, 2. p. 186. s.; item diss. 51, 4. p. 516. Marius Lupus, diss. I. de notis chron. anni mortis et nativit. D. N. J. C. Romae 1744. J. T. L. Danz, memorabilia circa festum Paschatos ex Antiq. eccl., in Thes. Comm. sel. Volbeding p. 211 s. L. Vass, Instit. H. E. Pest 1828. I, 149. s. 187. s. F. Piper, Kirchenrechnung. Berl. 1841. p. 54. s. ad quos, qui istas sententias legere uberius cupiunt, remittimus. Sed iam olim Eusebius, in Chronico Hieronym. int. p. 648 mortem Dominicam ab Consulatu Geminorum removit; cui

Computus septuaginta hebdomadum Danielis Prophetae.

40. Prophetiae celeberrimae Danielis 9, 20. s. dignitas atque difficultas proponitur. Pertinet ad quaestionem „de anno Passionis Dominicae", expendere: vetusta Vaticinia A. F., quibus tempus mortis Jesu Christi praenuntiabatur. Initium ducendum foret a celebri vaticinio Jacobi Gen. 49, 10. s. qui cum praedixerit tunc adfuturum Messiam, quando res Judaeorum ad incitas redactae forent, animadvertendum erit: an ea fuerit rerum iudaicarum conditio ubi Evangelium promulgari ceptum est? Sed quia nos cum verba, quibus concepta est dicta prophetia; tum quem sortita sint eventum consideraverimus, in Hist. Rev. Div. Vet. Test. p. 78. 79. et 583—5., hinc ne quaestionis praesentis crescat nimium tractatio, quod ibi diximus notum supponimus. Id est: revera contigisse tempore Salvatoris, quod a patriarcha Jacobo fuit praenuntiatum. Ad quae conferri potest P. Turneminii, e S. J. epistolaris dissertatio de Jacobaeo vaticinio addita Op. D. Petavii, de theol. Dogm. ed. Ven. 1757. IV. 2, 292. s. Missa proinde priore Prophetia, quae ad ortum Christi pertinebat; nunc reliquam quae est nobilissima „de septuaginta Hebdomadibus Danielis", toties a tot interpretibus in quaestionem vocatam absolvamus. In hac quidem explicanda non dicemus: quantum luserit tam veterum quam recentiorum scriptorum, pietate etiam atque eruditione conspicuorum licentia; et quid commentati sint. Quod famosissimum hebdomadum LXX. oraculum verum esse non potest, nisi anno quarto hebdomadis septuagesimae, qui est prorsus idem iste Christi emortualis 34., Aer. Vulg. 30.; Salvator divinissimus fuerit occisus. Vaticinium Danielis multa complectitur disquisitione non facilia; pendet eius expositio ex historiis, maxime Persarum, aliisque rebus quarum indagatio difficilis est; sed inde non sequitur nullum ex hocce vaticinio magis, quam ex obscuro principio argumentum erui posse. Nam si quae, ut ultro fatemur, insunt vaticinio huic perplexa, haud officiunt tamen veritati calculorum, quibus comprobaturi sumus: illud convenire in eum annum, quo Jesus in crucem actus est. Operae autem quam impendemus, tanto maius erit pretium, quanto ceteris divinis vatibus Daniel propheta praestat. Cf. Hist. Rev. Div. Vet. Test. p. 488. Proponemus itaque integrum vaticinium circa quod nunc versamur; postea singulas eius partes explicabimus.

41. Textus Propheticus in medium adfertur. Daniel his verbis vaticinatus est Cap. 9, 24. „Septuaginta hebdomades decisae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam; ad coercendum delictum, et ad exipandam iniquitatem, et ad adducendam iustitiam saeculorum, et ad obsignandam visionem et prophetam, et ad ungendum

---

postea adhaesere alii. S. Epiphanius vero, haer. LI, 26. p. 448. Passionem anno Tiberii 18. sub Coss. Tiberio et Seiano adscripsit; quam opinionem defendit D. Petavius, animadv. ad c. haer. p. 274. s. Non immorabimur autem in recensendis de ea re variorum, qui sanctimoniae et doctrinae fama vigebant, atque id anno U. C. 782. evenisse concludunt, virorum opinionibus; cum quae a nobis dicta sunt, satis esse possint. Plura dabit Aeg. Bucherius, de doctr. temp. comm. in Victorinum Aq. Antverp. 1634. p. 391. s.

sanctum sanctorum. V. 25. Scito ergo et intellige! Ab exitu verbi, ut restituatur et aedificetur Jerusalem usque ad Messiam principem — עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד — hebdomades septem et hebdomades sexaginta et duae, denuo aedificabitur platea et fossa, et quidem in angustia temporum. V. 26. Et post hebdomades sexaginta et duas exscindetur Messias, et non ipsi erit populus — coll. Deut. 7, 6. I. Reg. 12, 22. IV. Reg. 11, 17. Oseae 1, 9. 10. — urbem vero et sanctum vastabit populus ducis venturi; et finis eius inundatio, et usque ad finem belli destinata est desolationibus. V. 27. Et confirmabit foedus multis hebdomas una, et in medio huius hebdomados cessare faciet sacrificium et oblationem; et super templum abominatio devastatoris, et usque ad consummationem et quidem determinatam effundetur super desolatum." Jam vero duo circa textum hunc ex hebraico versum agenda sunt: nempe α. res quarum in hoc vaticinio mentio fit una cum verbis explicandae; atque β. eaedem res temporum terminis, quos Propheta definiit adstringendae. Ut autem explicatio nostra tanto clarior evadat, omnino per partes procedendum erit: quippe plurimos et illustres eventus in eo reperimus, qui non uni eidemque tempori; sed diversissimis temporibus adscribendi sunt. Hi autem ad duas praecipue classes referuntur, et cum spatio LXX. Hebdomadum includuntur; tum proponuntur tanquam eius consequentia, quae finem huius intervalli excipiunt. Porro res omnes quae ad priorem classem pertinent, vel in genere ad integrum hoc intervallum pertinent; vel in specie ad certos quosdam annos spectant. Quae primi generis sunt continentur v. 24. Beneficia, quibus Deus adventui plenae salutis viam stravit, per periodum LXX. hebdomadum esse collata; usquequo tandem sub finem eius summa horum beneficiorum in Christo Jesu apparuit: utpote qui abrogata veteri iniquitate plura maioraque omnium existimatione bona attulit, quibus legationis suae rationem reddiderat.

42. *Vaticinium Danielis exegetice et critice dilucidatur.* Angelus ubi Danielem animum ad rem advertere iusserat, sic incipit: „Septuaginta hebdomades decisae sunt." Quam varie sumatur in S. S. vox „hebdomas" erudite docet V. Beda, de ratione temporum c. c. 6. 7. 8. II, 55. s. Sed in praesens satis erit monere graecum „ἕβδομας", quo שָׁבֻעִים hebraicum reddiderunt LXX: „ἑβδόμαδες" — V. Daniel secundum Septuaginta ex Tetraplis Origenis, ex cod. Chisiano. Romae 1772. p. 57. — latine significare septenarium; cum adiunctione autem vel dierum vel annorum, vel aliarum quarumlibet rerum, significare earum ipsarum rerum septenarium. Et sic iam usu receptum et tritum est: ut etiam cum simpliciter dicitur hebdomada, intelligatur dierum. Quoniam igitur Gabriel simpliciter annuntiavit septuaginta hebdomades: propterea locum dedit varias earum hebdomadum interpretationes excogitandi. Origenes, in Matth. comm. series. n. 40. IV, 274. 7. de his hebdomadibus verba faciens, eas interpretatur: „septem decadas annorum"; ut tempus LXX. hebdomadum adeo contineat 4900 annos. Quam opinionem aliquatenus secutus esse Eusebius, Demonstr. Ev. VIII, 2. frustra dicitur. Cf. ed. Gaisford. Oxon. 1852. II, 758. s. Nicolaus de Lira, super hoc capite Dan. glossa ordin. ed. Antv. 1617. IV, 1612. memorat sententiam Rabbinorum, quorum aliqui faciebant has hebdomades Jubilaeorum — v. Hist. Rev. d. V. T. p. 149. —, alii vero centuriarum. Verum harum expositionum

facilis est confutatio. Etenim α. nusquam in S. S. „שָׁבֻעִים“, poni pro septenario vel decenniorum, vel Jubilaeorum, vel centuriarum reperitur. β. Si ita ut isti exposuerunt, sumeretur ἑβδομάς; nondum profecto tempus illud exactum et completum esset. At vero iam pridem finitas esse hebdomades Danielis ex inde patet: quod iam cessaverint illa omnia, quae Gabriel in his hebdomadibus cessatura praedixit. Septuaginta septimanae iubilaeorum vel saeculorum, quas Judaici fingunt nimis sunt extensae; imo modico illi Aggaei 2, 7. prorsus etiam contrariae. Restat igitur γ. ut has hebdomades vel dierum, vel annorum, intelligi necesse sit; cum Codex Sacer haec duo tantum hebdomadum genera agnoscat. Habemus itaque in narratione generali temporis speciem, quae est „שָׁבֻעַ.“ Hoc vocabulo designatur spatium septem dierum, quod inde a creationis opere inter homines observatum non sine causa credimus. Cf. H. R. D. V. T. p. 144. Atque huiusmodi septimanae propriae dictae fit mentio Dan. 10, 23. Deinde datur etiam hebdomas, velut Raymundus Martini, in pugione fidei II, 3. p. 271. loquitur: septena annorum septem. Lev. 25, 8. Sed LXX. hebdomades dierum, quae unum constituunt annum, nondum cum dimidio toto, nimis sunt angustae, quapropter remanent septimanae annorum, quae conficiunt 490. annos eosque haud dubie solares. Post numerum indicatum Angelus Danieli significat, quae eventura erunt in his LXX hebdomadibus; ea praecipue ad populum Hebraeorum pertinere. Ceterum ut nullam difficultatem silentio premamus, quaestio illa valde perplexa est: cur Gabriel dixerit „hebdomades decisas“ — Vulg. abbreviatae sunt — fuisse? Ad nos quod attinet, nulli dubitamus verbum „נֶחְתַּךְ“, sectionem seu incisionem notare; metaphorice vero si de quantitate aliqua continua usurpatur: eius praecisam determinationem exhibere. Si itaque de tempore usu venit, denotat accuratam temporis circumscriptionem; qua ab utraque parte certis terminis definitur, ac ita e medio antecedentis et consequentis, quasi abscinditur. Veluti Latino sermone dicitur: omni resecta sive praecisa mora. Ergo tempus innuit Archangelus, cui nihil licet addere, nihil demere. Cum Daniel quam maxime fuerit sollicitus de suis popularibus, nec non de Sanctuario; idcirco Angelus addit, quid sperare habeat vates de utroque. Instaurandam sc. esse civitatem, habitaturumque illic esse populum ait; donec superveniet vastatio totalis, exhibito tamen prius Messia. Exspirantibus LXX. hebdomadibus venturus est Messias, qui tanquam agnus immaculatus in ara crucis immolatus, omnia peccata hominum expiet et penitus deleat. Cf. s. Chrysostomi, adv. Jud. orat. V, 9. I, 643. Theodoreti, ad Dan. IX. interpr. II, b. p. 1240. Et quia Christus usque ad finem et ultimum, et usque ad minimum quadrantem lytrum pro debito peccati humani solvit Deo; ideo dicitur: coercuisse delictum et expiasse iniquitatem. Siquidem Apoc. 1, 5. scriptum est de illo: „qui lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.“ Paulus autem, Coloss. 2, 14. „Christum delevisse chirographum nostrae damnationis, quod erat contrarium nobis“ affirmat. Quoniam autem Passione sua et Morte promeruit apud Deum, ut digne credentes in ipsum iustitia et sanctitate donarentur, ab Angelo promittitur: Messias venturus ad adducendam iustitiam. Cum vero omnes promissiones a Prophetis factae in Christo eventum habuerint, atque ita veritas earum confirmata sit; merito iis coll. Matth. 11, 13. Joann. 1, 45. sistitur praeconio Evangelii et rebus gestis sigillum addidisse. Cf. Tertulliani, contra Jud. n. 8. IV, 30. Haec autem duo penultima beneficia, tanquam effectus,

beneficium ultimum tanquam causam respiciunt, nempe: **Unctionem Sancti Sanctorum; Christi Dei-hominis**, quippe a qua omnia bona promissa dependent. Unctio Sancti Sanctorum ad literam non est accipienda; sed in universum significat: solennem inaugurationem Christi ut Messiae. Coll. Ps. 2, 2. 6. Isai. 61, 1. Luc. 3, 23. Hebr. 1, 9. V. H. R. D. N. T. p. 24. Hinc liquet, hoc vaticinium nihil nisi: **salutem atque Evangelicam doctrinam** in compendio proponere. Nam neque tot tantaque bona, quae hic memorantur, alius nisi Messias praestare poterat; eumque talia praestaturum omnes Prophetae praedixerunt.

48. Ratio redditur sectionis hebdomadum in septem, sexaginta duas, et unam. Dederat hucusque Angelus definitionem LXX hebdomadum generalem earumque eventus et scopum. Nunc autem v. 25. speciales intervalli terminos eorumque signa enarrare incipit, ideoque Danielem ad attentionem excitans in sequentibus: **partem intervalli primam** suis terminis definit; deinde res monstrat in illa eventuras. **Terminus a quo** prioris intervalli est: exitus verbi, emanatio decreti — coll. I. Reg. 15, 23. 17, 29. Ps. 88, 36. Jerem. 17, 16. Esth. 1, 19. — et **promulgatio de Urbis Jerusalem instauratione. Terminus ad quem** prioris intervalli est: **Messias princeps.** Non erimus multi in explicatione nominis Messiae, cum ratio huius adpellationis in disquisitione „de Jesu Christi nominibus in N. T. obviis" p. 198. s. copiose a nobis enarrata fuerit. Quaerentibus autem Personam illam, quae hoc nomen Messiae principis gerit; variae a scriptoribus christianis aeque ac iudaicis afferuntur personae. Tales quidem sistuntur, quae omnes non quadrant in subiectum, de quo loquitur Daniel. Enimvero vel eiusmodi esse reperiuntur, quibus unctio non potest applicari; vel quae cum vera temporum supputatione pugnant. Si itaque in hanc disquiritur: nullus alius praeter **Jesum Messiam**, Dominum Nostrum, Ecclesiae caput et principem potest statui. Coll. Isai 9, 6. 55, 3. 4. Mich. 5, 2. Act. 2, 36. Patet hoc ex antecedentibus et consequentibus; quae ad alium nisi Christum referri nullo modo possunt. Versiculo 24., qui praecedentem 23. enucleat, indubie monstratur „קֹדֶשׁ קָדָשִׁים" non esse Sanctissimum locum templi Hierosolymitani; nam ubi de templo sermo est, non ungendum sed evertendum dicitur, illudque nominibus „הַמִּקְדָּשׁ; כְּנַף" adpellatur. Neque Historiae, quae Vaticinii huius eventum referunt unctionis Templi meminerunt. Denique quia LXIX. hebdomades labi dicuntur **usque ad Messiam principem**; praefinitus temporis terminus incidere debet in initium principatus Messiae. Septenarium primum nunc excipiunt aliae **hebdomades sexaginta duae**; quae septenarios continerent novem; modo unica adhuc adiecta esset septimana, quae abrogationi sacrificiorum aliisque rebus assignanda fuerat. Atque hic notanda veniunt; instauratio aedium et murorum, quam 9, 12. 16. 18.19. vates precibus fervidis efflagitaverat; et adversitas non una in hac aedificatione. Altera pars ex divisione LXX. hebdomadum orta, priore quidem longe minor; attamen eventibus illustrior est. Absolvitur autem **unica hebdomade**, in qua Christus v. 26. dicitur **exscindendus**, sive violenta morte occidendus; propter quod immane scelus magna mala Judaeis contingent. Urbs Jerusalem hactenus instaurata, inque Redemtorem ingratissima: atque Sanctuarium Domini, cuius causa tam ardenter ingemuerat Daniel, reparatum evertendum est. Instrumentum huius desolationis est: „**populus ducis venturi.**" **Voce ducis** non Christus innuitur, sed alius quisquam; qui ideo dux venturus, advena vocatur; et eo nomine Messiae principi, qui ex Judaeis in Judaea natus, ac proinde civis erat

non peregrinus, opponitur. Et quod omnium malorum erat gravissimum, illa vastatio — qua non agri solum et oppida, sed incolae simul delebuntur — terribilis irreparabilis fiet; quoniam a Deo tanti sceleris Judaeorum vindice atque ultore statuta et in perpetuum firmata est. Haec in genere de Messiae excidio dicta erant. Sequitur iam v. 27. quid esset porro in septuagesima et ultima hebdomade eventurum. In hac hebdomado duo adhuc contingent admiranda confirmatio foederis, deinde sacrificiorum sublatio; quorum unicuique certum tempus definitur. Hoc loco non foedus quoddam profanum intelligitur; verum sanctum, cuius penes Danielem etiam alibi exstat mentio coll. 9, 4. 11, 28. 30. 32.; idque non cum populo israelitico, — quod adpellatur Foedus Antiquum II. Cor. 3, 14. — sed Novum Evangelicum, quod Christus cum hominibus fecit in cruce pendens; idque sanguine suo aspersit, morteque confirmavit. Foedus inquam tale, per quod quasi per pactum Deus promisit hominibus, se credentibus in Filium suum, et Legem eius observantibus, peccata omnia remissurum atque vitam aeternam esse daturum. Cf. prol. H. R. D. V. T. p. II. H. N. T. p. 116. Hinc etiam apparet, quid sit: „confirmavit foedus multis“; i. e. variis argumentorum et probationum generibus. Videlicet doctrina, vaticiniis, miraculis, vita et moribus, denique morte atque resurrectione. Joan. 7, 31. Matth. 27, 54. Huius autem confirmati Evangelici Foederis consequens est: abrogatio Foederis imperfectioris Jer. 31, 31. seu temporarii; quo continebatur inprimis vastum illud choragium praeceptorum Caerimonialium. Quia autem cultus V. F. magnam partem immolatione sacrificiorum incruentorum et cruentorum absolvebatur; liquet duobus vocabulis זֶבַח וּמִנְחָה universum hoc Cultus s. A. F. institutum contineri. Reliqua quae adhucdum narrantur v. 27., ex LXX. hebdomadum periodo excluduntur; utpote quae in populum Dei et Urbem sanctam definita, tamdiu duratura erat, usquequo expiato peccato et impletis vaticiniis Sanctus Sanctorum ungeretur et aeternam iustitiam adduceret. Quo facto populus iudaicus, Filium Dei verum pastorem reiiciens, cum Urbe sacra — in qua Judaei omnem spem habebant repositam — et Templo — quod metaphorice כָּנָף, πτέρυξ, πτερύγιον Matth. 4, 5. vocatur — ruinam passus est. Cf. Matth. 24, 15. Cf. H. N. T. p. 90. s. Et quidem patietur hanc ruinam ab exercitu, qui zelotis sicariis superveniet; quive ob cultum idolatricum Hebraeis abominationi est. Postrema verba, quae universi vaticinii clausula sunt, et ultima v. 26. respiciunt, terminum enuntiant praefiniti excidii: tum fore belli finem, cum desolatio civitatis hebraicae fuerit completa. Ex Scriptura vero et Oeconomia Novi Foederis facile colligitur, nunquam in posterum talem Urbem, tale Templum, talemque cultum instauratum iri. Haec sunt extrema verba, quibus Angelus excidium reipublicae hebraicae describit. Horum verborum complementum aliis in locis iam delineavimus. Cf. Not. T. S. geog. pag. LXXVI. H. N. T. p. 483. s.

44. Ex interpretatione Prophetiae annus Dominicae Passionis confirmatur. Expendimus iam per partes, quae propheta Daniel posteris „de adventu Messiae Salvatoris“ praenuntiavit. Cum vero historiae ubique prophetiam illuminent, atque veram illius expositionem firment; accedimus nunc ad ea, quae Chronologiam spectant definienda. Ex illis quae hucdum disputavimus, aliqua consectaria prono alveo fluunt a. Per LXX. hebdomades intelligi hebdomades, quae constant e totidem septem annis, ex quot diebus constant septimanae vulgares. b. Anni isti 490. sunt solares. Neque illud praetereundum erit c. tempus LXX.

hebdomadum, sive 490. annorum divisim esse capiendum; seu in duo discernendum intervalla, coll. 7, 25. 12, 7. Apoc. 12, 14. in quae Archangelus v. 25. summam dispescit. Huius intervalli hebdomadibus septem prioribus; i. e. annis 49 = 7 × 7. Jerosolyma innovari et muniri incipiet, inde iam post hebdomades LXII = 62 × 7. i. e. annos 434. compariturus est Messias. d. Initium LXX. hebdomadum connectendum est cum tempore, quo exiit mandatum de instauranda civitate. Quando autem mandatum hoc promulgatum sit, interpretes si consulamus, ambiguum videri posset. Quatuor enim huius generis decreta regum persicorum: Cyri et Darii unum; Artaxerxis duplex in S. S. recenseri affirmant: sc. I. Esdr. 1, 1. coll. II. Par. 36, 22. I. Esdr. 6, 1. 7, 11. II. Esdr. 2, 8. Sed primus annus computus huius cum annis Cyri componi nequit; quia de eo nuspiam legimus, ipsum decretum de instaurandis Hierosolymis edidisse. Fecit quidem edicto publico copiam Judaeis patriam repetendi; iussit insuper ut aedes supremo Numini suis sumtibus restituerentur, sed de Urbe instauranda ne sermo quidem fuit. Darius vero Cyri decretum de aedificando Templo, quod adhuc effectu caruerat, renovavit; quo demum factum est, ut opus absolveretur. Neque primus annus computi Danielitici connecti potest cum tempore edicti, quod anno septimo Artaxerxis evulgatum est; quia in eo tempore nullum mandatum de restauranda s. Civitate exiisse legimus. Quin imo nec exire illud potuit, quod ipse eventus comprobat: Urbs adhuc ruinis tunc substrata fuit, ubi Artaxerxes vicesimo regni sui anno Nehemiae indulsit, ut Hierosolymas, caput gentis, reficeret. L. a. h. H. R. D. V. T. p. 492. 495. 512. s. Quod ergo rerum gestarum memoria traditum est l. Eccli. 49, 13—15.: „Nehemias, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras"; sanctam civitatem Jerusalem ad vicesimum regis Artaxerxis annum vastatam mansisse, rebus ac temporibus Danielis convenientissimum esse agnoscimus. Itaque hebdomades LXX., sub cuius finem spatii temporis fiet: ut termius ponatur „τῇ ἀποστασίᾳ", et expietur iniquitas „τῷ λύτρῳ ἱλασμοῦ", quod Deo vindici persolvendum erat; a vicesimo regni Artaxerxis anno, quo unicum instaurandarum Hierosolymarum decretum editum est, initium ducunt. Si quae superest hac in re difficultas, in Artaxerxis nomine posita esse videtur. Alter enim Artaxerxes erat Xerxis filius, vulgo Longimanus adpellatus; alter vero Darii II. successor, cognomine Mnemon. Licebat utique olim esse ancipitem, uter decretum praefatum ediderit? verum non hodie, cum certo constet Judaicos interpretes hoc decretum Artaxerxi priori acceptum referre. Cf. Vitringae, Obs. VI, 2. p. 243. s. Frischmuthi, diss. i. l. p. 910. Priusquam vero ad finalem temporum istorum computandi rationem progrediamur, annotare iuvabit α. Angelum v. 26. in repetita oratione, neglexisse rursus septem hebdomadum mentionem facere; quia illarum in verbis immediate iam praecedentibus meminerat. β. Eundem divinum legatum de media aliqua hebdomada loqui v. 27. ὁριστικῶς, habito respectu ad hebdomadam illam unam, qua dixerat confirmandum esse Foedus. γ. Omnem illam interpretationem esse vitiosam, quae non consistit intra summam annorum ab Angelo definitam; perexiguam interim annorum varietatem, ut quae prope nullius momenti in descriptione temporum esse queat, Chronologis esse dissimulandam. Sicuti prudenter monuit iam Dionysius Hallicarnasseus l. VII. Antiq. Roman. ed. Sylburgii, p. 418.: „Ferendum erat, si quis paucis annis falleretur in supputatione temporum, praesertim in prisca et multorum annorum historia." Ut tamen

rationes nostras ab omni vitio liberemus denique δ. dicimus: periodos VII. et LXII. hebdomadarum; atque unius septimanae i. e. 49 + 434 + 7 = 490.; tanquam quae se mutuo exciperent, de tempore continuo et successivo fluxu decurrente capiendas esse. His praemissis restat, ut inquiramus, utrum temporum abs nobis enarratorum descriptio cum vaticinio nostro consentiat nec ne? In hac autem quaestione solvenda, anni qui ab Artaxerxis I. vicesimo usque ad Tiberii decimum et nonum, quo Christus mortuus est fluxere, secundum scriptores veteres sunt colligendi. Artaxerxes teste Thucydide — de bello Peloponnesiaco Hist. IV. 50. ed. C. A. Dukeri. Amst. 1731. p. 268. — „Artaphernem vero postea — Olymp. 88, 4. U. C. Varr. 329. Dukero, Octobr. exeunte vel ineunte Nov. —" Athenienses una cum legatis triremi vectum Ephesum miserunt. Qui cum illic intellexissent, Artaxerxem Xerxis filium nuper obiisse — nam per id tempus decesserat — domum redierunt." Quod vero ad auctoritatem Thucydidis attinet, cum alias tum hic quod ad fidem historiarum maxima et spectatissima est. Enimvero inter veteres Historiarum scriptores, qui supersunt neminem habemus, qui ad haec tempora propius accesserit, quippe qui huic ipsi Artaxerxi fuit σύγχρονος et Peloponnesiaci belli, sub eodem Artaxerxe coepti, historias summa fide condidit. Herodotus siquidem, qui ante Thucydidem floruit, nos hic destituit; utpote qui res suas solummodo ad nonum annum Xerxis perduxit. Accedit Diodorum Siculum — Bibl. hist. XII, 64. ed. Bipont. V, 133. — fidem Thucydidis hoc in facto sustinere. Juxta haec Artaxerxes I. mortuus est: anno Olympiadis 88-ae IV-o qui est secundum Usserium — aetas mundi sexta imp. pers. p. 205. — 325. U. C. Idem porro Artaxerxes docente Ptolemaeo — Can. ap. Ideler, Handb. d. C. I, 111. — Eusebio — in Thes. temp. ed. Scaligeri. Amst. 1658. p. 247. s. — Nicephoro, — Chronogr. brev. ed. Credner. Giss. 1832. p. 14. — regnavit annos 41. Decretum igitur instaurandae urbis, quod XX. anno emisit, cadit in a. U. C. 304. Mittentes tempus intermedium, gradum figamus in pugna ad Actium a. U. C. 723.; a quo si demantur 304., quorum ultimo decretum saepe laudatum evulgatum est, manent 420., quibus si addantur anni Augusti et Tiberii 44 + 19 colliguntur in summa 483. anni. Verum non convenit in explicatione quaestionis huius nos esse longiores. Atque haec sint quidem a nobis de LXX. hebdomadibus si non, ut tantae rei dignitas et difficultas postulabat, certe ut ferebat nostrae facultatis tenuitas disputata.

45. Vaticinium Danielis non recte a quibusdam interpretibus explicari ostenditur. *Quicumque Temporum Sacrorum rationes tractarunt, id sibi ceu pensum potissimum constituerunt: ut hunc locum Danielis difficillimum et maximi momenti illustrarent; quorum iam praecipuos in sequentibus recensere conati sumus. Sunt vero quatuor scriptorum, qui hac in re operam navarunt, species. Prima interpretum strictiori sensu sic dictorum; secunda quos dicunt Chronologorum; tertia eorum qui hunc locum peculiari disquisitione sibi excutiendum sumserunt; quarta eorum qui data, ut vocant, occasione hac de re exposuerunt. Prisci olim S. S. Patres et Scriptores E. iam monuerunt: quod ea vaticinia quae „χρόνου προσημασίαν" habent, et indice quasi digito illud tempus, quo Messias venire debuit, demonstrant, ut Religionis Christi veritatem insigniter stabiliunt et confirmant; ita Judaeorum quoque „ἀπιστίαν" efficacissime redarguunt. Qui enim olim eo nequitiae processerunt, ut corruptis pecunia testibus Christi Salvatoris Resurrectionem pernegare*

anniterentur; iis nulla sane pietas fuit, maxime perspicua Prophetarum oracula falsis interpretationibus in pessimum sensum detorquere. Dici autem verbis haud potest, quam violenter Judaei textum Danielis torqueant et quam absurda comminiscantur, ut vim rationum quae inde deduci solent declinent; quorum attamen singulas sententias falsas, quae tum in litera explicanda, tum in ratione temporum deficiunt, quo minus refutaremus J. Frischmuthi diligentia otium fecit. Exhibitis quatuor dissertationibus — evidens demonstratio Messiam secundum computum Danielis pridem apparuisse; p. I. Thes. th. ph. Amst. 1701. p. 902. s. de LXX. hebdomadibus; ib. p. 909. s. de Judaeorum amentia, caecitate et stupore circa tempus adventus Messiae; ib. 918. de Messiae excisione et Hierosolymorum devastatione ib. p. 929. s. — partes suas sive communis Christianae causae adversus Judaeos feliciter, et non vulgari cum laude, sustinuit. Sed etiam multi e scriptoribus Christianis, ubi Danielis vaticinium, de quo hic disputatio est, interpretari conati sunt; erraverunt quam longissime a vero. Aut enim duce antesignano suo equite britano Joanne Marshamo, Chronicus Canon Aegyptiacus, Ebraicus, Graecus et disquisitiones. Lond. 1672. saec. XVIII. hebd. Dan. p. 568. s., contendunt: sub Antiocho Epiphane, contra quem insurrexerunt Machabaei res a Daniele annuntiatas contigisse. Aut in morte Oniae sacerdotis completum vaticinium docent; cui postremo errori se mancipavit summi ingenii et doctrinae vir Harduinus, Chron. Vet. Test. p. 592. s. Enimvero utraque explicatione divinae Prophetiae Danielis auctoritas et fides negatur. Verba prophetae Danielis misere, sit venia verbo, iudaice in hunc sensum torquent: Langhenmantel, de LXX. hebd. pro R. P. Harduino, in op. sel. Hard. ed. Amst. 1708. p. 880. s. J. D. Michaelis, Versuch über die siebenzig Wochen Daniels. Gött. u. Gotha. 1771. Velthusen, Muthmassung ü. d. siebenmal 70. Jahre des Daniel. Hannov. 1774. Anonymus anglus, a free inquiry into Daniels vision or prophecy of the seventy weeks. Lond. 1778. s. Fr. Lövenham, inquis. crit. et exeg. in difficult proph. Dan. C. IX. Wirceburgi 1787. Corrodi, Vers. e. Bel. d. Gesch. d. jüd. u. christ. Bibelcanons. Halle 1792. I. 82. 92. s. L. Bertholdt, Dan. ü. u. erkl. Erl. 1806—8. II, 565. s. Eichhorn, Allg. Bibl. d. bibl. Lit. III. 781, n. 687. Ammon, de vaticiniis post eventum formatis. Erl. 1812. Jahn, Append. Herm. Vienn. 1813. II, 104. s. Fritzsche, Comm. in Ev. Matth. Lips. 1826. p. 706. Kuinoel, ad Matth. 24, 15. p. 706. Rosenmüller, Daniel. Lips. 1832. p. 296. 322. s. Redepennig, in Stud. u. Kritik. 1833. f. 3. 1835. f. 1. C. de Lengerke, d. B. Daniel v. u. ausg. Königsb. 1835. p. 430. s. J. C. K. Hoffmann, die 70. Jahresw. des Jer. u. d. 70. d. Daniel. Nürnb. 1836. Weissagung u. Erfüllung Nördl. 1841. I, 309. Schriftbeweis. Nördl. 1855. II. 2, 581. Rösch, in Stud. u. Krit. 1838. Maurer, Comm. gr. cr. in V. T. Lips. 1838. II, 157. s. 276. s. Wieseler, z. Ausl. u. Krit. der apoc. Lit. d. a. u. N. B. Gött. 1839., qui tamen recantavit aliquatenus in recens. op. Times of Daniel, in Gött. Gel. Anz. 1846. p. 131. s. Ewald, die Propheten des A. B. Stuttg. 1841. II, 507. s. F. Hitzig, in ann. Stud. u. Krit. 1832. I, 145. Idem das Buch Daniel, Leipz. 1850. p. 153. s. Delitzsch, in Herzogs. R. E. III, 283. s. Reichel, die 70. Jahrsw. in Stud. u. Krit. 1858. f. 4. Bleek, die mess. Weiss. in B. Daniel, in Jahrb. f. d. Theol. 1860. I, 451. s. Einleit. p. 584. 592. s. Lücke, Versuch einer vollst. Einl. in die Offenb. J. ed. II. p. 411. s. Meyer, Comm. in Matth. p. 443. s. Herzfeld, Gesch. d. Volk. Israel v. Vol. d. zweit. Tempels. Leipz. 1863. II, 331. Hos omnes, qui extra annum mortis vivificae Domini, implementum celeberrimi vaticinii Danielis collocant ex argumentis quae produximus, errare liquet, ut non opus sit singulorum longam ἀνάκρισιν instituere.

46. Βιβλιογραφία, sive recensio interpretum, qui in Vaticinio Danielis recte explicando versati sunt. *Genuinam sententiam „de Christo eiusque fatis aeque ac de Hierosolymarum totiusque reipublicae hebraicae ruina praedictione"; interim ab antiquissimis temporibus in Ecclesia Christiana explicandam susceperunt: auctor ep. Barnabae, n. XVI. Op. P. P. Ap. ed. Hefele IV. Tub. 1855. p. 43. s. Tertullianus, adv. Judaeos, n. 8. IV, 304. s. Clemens Al., Strom. I, 21. p. 39. S. Cyrillus hier., cat. XII, 19. p. 172. s. S. Hippolytus,* τῆς τοῦ Δανιὴλ ὁράσεως. *ed. Lagarde p. 158. Julius Africanus, in quinto temporum volumine, de quo v. Eusebii H. E. VI, 31. p. 230. S. Hieronymi, comm. in Dan. IX, p. 681. Eusebius, Evangel. Demonstr. l. VIII. ed. Thomae Gaisford. Oxonii. 1852. p. 758—806. S. Joannes Crysostomus, Or. V. adv. Jud. n. 9. I. 643. s. S. Augustinus, ep. 197. Hesychio Salonitano de hebd. Dan. n. 5. ed. Ven. II, 738. s. S. Hieronymus, comm. in Dan. c. 9. V, 681. s. ubi octo diversas eorum, qui ipsum praecesserant sententias recenset. Theodoretus, interp. Dan. II, 6. p. 1250. s. Isidorus Pelusiota, Isidoro diacono ep. III, 89. ed. Par. 1630. I, 290. Migne. p. 794. Eidem ib. ep. 249. ed. Par. 1638. p. 356. Migne p. 927. V. Beda, de ratione temp. c. 6. s. II, 55. s. Euthymius Zigabenus, Comm. in Matth. 24, 24. I. b. p. 910. s. Rupertus Abbas Tuitiensis, in Daniel. c. XV. p. 573. Petrus Galatinus, arcan. cath. verit. l. IV. c. 14. 16. Raymundus Martini, in pugione fidei adv. Jud. II, 3. p. 269. s. Nicolaus Liranus, Gloss. ord. in Dan. p. 1612. s. Ben. Pererius, Comm. in Dan. proph. l. XVI. Lugd. 1591. p. 555. s. et l. XI. p. i. p. 650. s. J. Scaliger, op. de emend. temp. ed. Gen. 1629. p. 585. P. Göddkens, de computo s. LXX. hebd. Dan. Witteb. 1672. ed. sec. Th. Hakspanius, Not. ph. et theol. Altd. 1664. II. 874. Cornelius a Lapide, Comm. in proph. mai. Antv. 1676. p. 1345. s. Dionysius Petavius — vir in omni genere eruditionis sacrae valde excellens et memoriae immortalis optimus temporum instaurator — Rat. temp. II. 3, 10. p. 125. de doctrina temp. XII, 32. II, 263. s. J. C. Wagenseil, in app. ad Tela ignea satanae. Nor. 1674. Lamy, Appar. Chron. III, 3. p. 147. s. Torniellius, Annal. s. ad. a. M. 3516. II, 196. seq. P. D. Huetius, Demonstr. Ev. prop. IX. c. 8. p. 361. s. Salianus, Annal. eccl. V. T. ad A. M. 3516. n. 86. s. IV. 924. seq. Calmet, Diss. de Septuaginta hebdomadibus Dan. Diss. V. T. II. 467. s. Gr. Berthelet, in hebdom. Dan. medit. novae in Crit. s. p. 484. s. Clarius, in Crit. s. ad Dan. IX. ed. Francof. p. 708. s. Salmeron, Comm. in Evang. Hist. I. prol. XLIII p. 520. C. Vitringa, Obs. s. l. VI. de LXX. hebd. Dan. adv. Marshamum II, 234. s. Bartolocci, Bibl. rabb. II, 307. s. 353. s. Natalis Alexander, H. E. V. T. ed. Par. II, 327 s. in VI. Mundi aet. diss. s. Spanhemius, H. E. V. T. I, 415. s. Lightfoot, Hor. h. ad Matth. 2, 1. p. 198. 3, 6. p. 217. Luc. 19, 11. p. 874. Tirinus, Cron. s. ed. Ven. 1747. c. 25. p. 27. P. Possinus, diss. de Dan. hebdom., in Menochio suppleto ed. Ven. 1722. II. p. 425. J. M. Ayzolus, lib. LXX. hebd. ib. 453. s. A. Sostmann, Comm. Chron. phil. et exeg. oraculi Dan. IX. editi de LXX. hebd. Lugd. Bat. 1710. p. 1. s. M. Geier, prael. acad. in Dan. proph. Lips. 1722. p. 723. s. J. H. Graveson, tract. de myst. et annis J. C. Ven. 1728. I, 244. tr. de initio et fine LXX. hebd. C. Andrian S. J., Diss. sel. h. Chr. bibl. Vienn. 1753. diss. XX. p. 381. s. Didacus a S. Antonio, Enchir. Scripturist. Wirceb. 1766. III, 346. s. Langius, H. E. V. T. p. 745. Pfeiffer, in dubiis vex. cent. IV. l. 70. S. Th. Schoenwald, diss. phil. de LXX. hebd. Dan. Jenae 1722. Köhler, de Harduini nova interpr. vat. ap. Dan. de LXX. hebd. Altorf. 1721. Leonardus*

a S. Martino, Exam. Script. VII, 418. s. J. G. Frank, N. Systema Chronologiae fundamentalis Gött. 1778. §. 94. s. p. 167. s. Goldhagen, Intr. in S. S. V. T. II 467. s. J. A. Bengel, Ordo temporum ex. de temporibus Daniel. p. 327. Purulich, diss. de pascha C. ultimo p. 258. s. C. H. Sack, chr. Apologetik. Hamb. 1829. p. 287. Scholl, de LXX. hebd. Dan. Franc. 1829. H. A. C. Hävernik, in Toluckii, lit. Anz. 1830. p. 268. item Comm. a. d. B. Daniel. Hamb. 1832. p. 353. s. Steudel, disq. in locum Dan. IX. 24—27. de recentiorib. quibus. l. Dan. interp. Tub. 1833. Hengstenberg, Christologie ed. II. t. III. 1. p. 137. s. Bade, Christ. d. a. T. III, 96. seq. J. B. Weigl, Abh. ü. d. w. Geburts. u. Sterbjahr J. C. I, c. 2. §. 51. p. 103. Sepp, d. Leben J. C. ed. 2. I, 1. c. 12. p. 248. Auberlen, der Prophet Daniel u. die Offenb. Joann. p. 103. s. Blomstrand, de LXX. hebd. Lugd. 1853. Jatho, Grundz. d. Chron. p. 35. Suo modo de Messia explicat quoque A. Hilgenfeld, die jüd. Apokalyptik. Jena. 1857. p 46. s. J. Diedrich, d. Proph. Daniel. erkl. Leipz. 1862. p. 40. F. Speil, de l. Danielis authentia. Oppolii 1860. p. 53. s. Reinke, die mess. Weiss. b. d. Proph. Gies. 1862. IV, 1. E. B. Pusey, Daniel the Prophet. Oxf. 1864. p. 162. s. G. K. Mayer, die mess. Prophezien des Daniel. Wien. 1866. p. 79. s. Atque hic abrumpimus sermonem producendum in multas paginas, si omnia enumeranda essent opera, queis nobilissima Danielis Prophetia dilucidatur. Quod superest monemus lectorem attentum et candidum, si in sententia a nobis prolata atque calculis ductis aliqua sibi superesse videatur difficultas; conspirationem saltem egregiam Danielis cum eventu Vaticiniorum nobiscum miretur, et infinite sapientem Deum celebret. Qui quod clarissima Prophetiarum per complementum collustratione, veritates maximi momenti, in gratiam hominum, temporum doctrina etiam non imbutorum, confirmare voluit; se omniscium et omnipotentem esse demonstravit. Quacunque enim ratione computum quis ineat harum hebdomadum; modo non alias praeter usum S. S. comminiscatur hebdomades, veritas invicta constabit Religioni Christi, quae auctoris sui adventum, illi praecise tempori alligatum deprehendit, quo ad finem vergebant hebdomades Danielis. Quanquam proinde huic veritati perfricta fronte resistit pertinacissima incredulorum gens; eventibus tamen benignissimi Salvatoris in saeculorum complemento ad silentium redacta, praesens oraculum ne minima quidem parte offuscabit.

Chronotaxis Apostolica.

47. *Qua ratione illa quae in Actibus Apostolorum narrantur connectere oporteat.* Tempora Apostolica ab Ascensione Domini usque ad obitum S. Joannis Apostoli et Evangelistae porriguntur; eaque in duas fere aequales partes dividit martyrium S. S. Apostolorum Petri et Pauli [1]. Priorem harum Historiarum partem ex ipso fere Novo Testamento; alteram ex iis, quae scriptores Veteres iique fide digni narrant cognoscimus. Et quidem Acta illa, quae s. Lucas describit inde ab Historiis

[1]) V. p. 452. 498.

Ascensionis usque ad adventum S. Pauli in Urbem deducuntur; ubi desinit Evangelista in Actibus Apostolorum [1], ibi deinde ex Epistolis Paulinis et Catholicis ipsaque Apocalypsi defectus ex aliqua parte Historiarum suppletur. Sed et quod ad priora tempora attinet, collatione S. Pauli et S. Lucae de rebus, quae evenerunt accuratius edocemur. Literae Paulinae et Actus Apostolorum nonnumquam arduam habent temporum explicationem; coniunctim ad concinnandum Historiarum ordinem sufficiunt. Neque negligendae traditiones, quae tribuuntur τοῖς αὐτόπταις apud Eusebium Caesareensem, qui summa certe diligentia et fide haud exigua, etiam si non pari semper iudicio et delectu multa in Historia sua Ecclesiastica contulit ad eruendas res Apostolicae aetatis atque διαδοχῆς [2]. Huc item referendi Josephus Flavius, S. S. P. P. et S. E. Clemens Romanus, S. Ignatius, S. Justinus M., S. Irenaeus, Clemens Alex., Tertullianus, Origenes; in quibus omnibus, sicuti et in Tacito, Suetonio, Plinio aliisque profanis scriptoribus narrantur plura, quae cum Historiis Apostolicae aetatis connexionem quandam habent. Apocrypha attamen scripta — sine numero — quod attinet [3], in his dubia saepe nimis pro certis, fabulae pro historiis, haereses pro canonicis doctrinis venditata fuere. Quae cum ita sint, magna nisi cautione ad concinnandum illorum ordinem temporum adhiberi possunt [4]. Et his quidem fontibus usi tempora Apostolica disponere atque characterismos, quibus horum temporum series demonstratur, pro viribus nostris exponere periculum faciemus [5].

48. *Tempora Ecclesiae nascentis repraesentata.* Chronologia Evangelica et Apostolica oohaeret et se ipsam mutuo sustentat. Spiritus S. missio, quae secundum Christi promissionem Ecclesiae die ipso Pentecostes festo initium dedit, D. N. J. C. crucifixionem, resurrectionem, atque ascensionem proxime secuta est. Quis autem ille annus fuerit, quo dies iste Pentecostes contigit; e S. S. liquido non constat. Quia vero eiusdem indagatio arctis-

---

[1]) Cf. Aug. Klostermann, Vindiciae Lucanae. Gott. 1866. p. 12. s. V. p. 432. [2]) V. B. Rienstra, d. h. th. de fontibus ex quibus Historiae Ecclesiasticae opus hausit Eusebius. Trai ad Rhen. 1833. p. 27. s. [3]) E. g. Itineraria, acta viris apostolicis afficta, Revelationes etc. D. q. v. Comm. de S. S. eiusq. interpretatione. [4]) Cf. C. Tischendorf, Acta Apostolorum apocrypha. Lips. 1851. p. 9. s. [5]) Ceterum rem ita aggrediemur, ut quae ab aliis ad finem perducta nobis videntur, breviter tantummodo pertractemus; illos interim lectores qui plura adhuc avent ad eos interpretes consulendos invitabimus, qui nobis maxime satisfecerunt. Figmenta autem quae prorsus inepta nobis visa sunt, intacta relinquemus; sed etiam dissentientes eruditorum circa easdem res opiniones expendere intra has angustias libri nostrum non est, qui brevi modo commentatione defungemur in sequentibus, salvo acriore aliorum iudicio.

sime cohaeret cum quaestione de anno emortuali Salvatoris, hoc reperto rerum ab Apostolis gestarum series deducetur. Statuimus tamquam veritati maxime consonum: Jesum Christum passum esse anno U. C. 783. qui est a. Aer. Vulg. 30. Hoc igitur anno teste S. Luca [1], quadragesimo postquam in vitam reversus est die, ad coelos victor ascendit. Ad eundem annum itaque pertinere quae quinquagesimo post Christi passionem die evenere centum et viginti hominibus Jerosolymae congregatis [2] nulla est dubitatio. Ponimus itaque ex his initium Ecclesiae christianae anno a Christo quidem nato XXXIV., sed aerae Dionysianae tricesimo tantum. Deinde quae abhinc [3] accidisse narrantur, decurrunt sub medium anni 30. usque ad annum 37. aerae vulgaris, quo Pauli ad Christi sacra facta est conversio, de cuius tempore non satis convenit eruditis.

49. *Disquisitio de epocha conversionis Paulinae* maxime memorabilis est; cohaeret enim cum illa de tempore protomartyrii, de anno consilii Jerosolymitani, de annis quibus Petrus adhuc in Palaestina fuit; hinc etiam de itineribus s. Pauli, de scriptis ab eodem epistolis, deque aliis rebus iudicium esse potest. Id vero ante omnia in disquisitionis huius limine annotamus: annum quo Paulus vocatus fuerit neque ullo aperto S. Literarum testimonio indicatum; neque ab ullo vetere scriptore fide digno ita relatum esse, ut nulla amplius relicta sit controversia [4]. Sed tamen reperiuntur tum in Actibus A.; tum in ipsis Apostoli epistolis modo obscuriora modo luculentiora indicia temporis, in quo alii noti eventus Paulini inciderunt, unde annum cooptati in Apostolum Sauli coniiciamus [5]. Stantibus calculis, quos pluribus argumentis probare conati sumus: annum 30. aerae vulgaris traditi in crucem Salvatoris fuisse; pro certo et explorato haberi potest, S. Paulum non ante hunc annum Jerosolymas venisse. Enimvero ne minimum quidem in eius epistolis vestigium est, Apostolo Christum de facie cognitum fuisse; quod certe data ad hoc saepe saepius occasione commemorasset, si illud salva veritate facere ipsi licuisset. Id autem dubium: quanto tempore post Christi ad Coelos ascensionem d. Paulus Hierosolymas venerit? Cum per longius temporis spatium doctrinae iudaicae duce Gamaliele operam dedisse putandus sit [6], antequam tantos in ea pro-

---

1) Act. 1, 1—11. V. p. 175. 318. 2) Act. 1, 15.; 2, 1. s. 3) Act. 3, 1. s. — 9, 1. 4) De hoc interim anno erudite disputant Fr. Spanhemius, op. II. 311. C. G. Küchler, de anno quo Paulus ad sacra C. conversus est. Lips. 1828. J. P. Mynster, Annalium Paulinorum adumbratio. Havn. 1845. p. 5. s. J. Bucher, die Chron. d. N. T. p. 102. s. 5) Supponimus autem idem omnino esse tempus vocationis Paulinae ad Apostolatum; quod fuit ad Christum. V. p. 332. s. 6) V. p. 329.

fectus faceret, quantos eum fecisse constat; necesse profecto est plures annos inter discessum Domini Nostri et Protomartyrium, cui iuvenis νεανίας [1] adstitit, intercessisse. Perpensis iis omnibus quae medio intervallo inter ascensionem Domini et necem S. Stephani commemorat S. Lucas; quinque saltem annos a Passione Christi ad illam S. Stephani fluxisse, nemo prudens negare posse videtur. Rursus biennii minimum decursum poscit ‚διωγμὸς μέγας' [2]. Accedit Saulum antequam Damascum proficisceretur, non Jerosolymis tantum; sed et aliis in locis Christi fideles persecutum fuisse [3]. His si addamus, quae ante conversionem Apostoli accidisse idem narrat s. Scriptor [4]; omnino longiori temporis spatio ad ea omnia perficienda opus fuisse nec ullum dubium relinquitur. Ea est narrationis [5] indoles, quae plurium annorum intervallum suadet; certe nihil obstat quominus septennium assumamus. Rei gestae seriem praeter s. Lucam et ipse Apostolus, in epistolis suam causam agens, diligenti studio est persecutus. Jam autem s. Paulo de rebus suis exponenti primas partes concedendas, et ex hac ipsius relatione d. Lucae narrationem metiendam esse sponte sua sequitur. Et primo quidem offertur Apostoli narratio [6], qua constat Paulum insidias ab ethnarcha Aretae Damasci sibi structas, amicis adiuvantibus effugisse. Ad Aretam quod attinet, cuius ethnarcha sive procurator Paulo insidiatus est; Arabum eum regem fuisse nomen ipsum Aretas [7], prodit multis Arabum principibus commune [8]. Sed quod difficillimae indaginis est haec ipsa ethnarchae potestas, qua ei urbis Damascenae portas custodia militari munire licuit, unde et quando orta sit? Utrumque cum parum liqueat, periculum coniecturae faciendum erit. Placet [9] ita de hac re statuere: Damascum ab Areta non ante 37. p. C. possessam. Mortuo Tiberio forte a Caio, qui res Orientis composuit [10], eam dono accepit [11]. Ex quo id saltem efficitur Paulum non ante 37. p. C. Christi

---

1) Act. 7, 59. 2) Act. 8, 1. V. p. 326. 3) Act. 26, 11. 4) Nimirum Verbum Domini in Jerusalem annunciatum; Apostolorum vincula; Diaconorum institutionem; praedicationem Philippi Samariae; s. s. Petri et Joannis illic accessum et deinceps reditum Jerosolymas, denique Candacis eunuchi baptismum. V. p. 320. s. 5) Act. 3, 1—9, 1. 6) II. Cor. 11, 32. 33. collato Act. 9, 23. 25. 7) 'Αρέτας, حارث. 8) Neque dubitandum, quin noster Aretas idem ille sit, de quo loquitur Josephus, Antiq. XVIII. 5, 1. 3. p. 882. s. 9) Wieselero quidem praeeunte Chronol. d. apost. Zeitalters. Gött. 1848. p. 172. s. 10) Teste Josepho Ant. XVIII. 8, 1. p. 899. 11) Certe apud T. E. Mionnet, description des médailles antiques grecques et romaines. Par. 1811. V, 284. reperitur nummus Damascenus, cui inscriptio: „ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ" cum anno „ΑΡ"; i. e. 101. aerae utcunque Pompeianae impressa est.

castra secutum fuisse. Magis ad rem nostram facit Gal. 1, 18. s. testimonium s. Pauli de primo suo itinere Hierosolymitano. Testatur Apostolus expressis verbis: se tribus post conversionem annis Damasco, post reditum ex Arabia, prima vice Jerosolymas profectum esse. Atque quamquam S. Lucas brevius de rebus Pauli narraverit, neque de itinere in Arabiam[1] facto memoriae quid tradiderit, tamen duplicem in urbe Damasco commemorationem ponere videtur[2]. Quod triennium nullam aliam epocham habere potest, quam a conversione Sauli[3]. Jam vero cum S. Paulus ipse auctor sit[3] se quatuordecim annis post iterum Hierosolymas ascendisse, id recte quaeritur, utrum illud iter secundum eo fuerit; item an anni illi XIV. a conversione Pauli computandi sint?

50. *Tentamen definiendi tempus itineris Apostoli Hierosolymas Gal. 2, 1. 2.* De hoc Apostoli itinere et computu in diversa abeunt doctissimi viri[4]. Neque vero eam quaestionem levis momenti quis dixerit, si accuratam eius solutionem ad constituendam vitae Pauli Chronologiam plane necessariam esse secum reputaverit. Nobis, nisi omnia fallant, peregrinatio Solymaea d. Pauli Gal. 2, 1. 2. commemorata, cum itinere ad Synodum Hierosolymitanam, eadem esse videtur; ratioque temporis a conversione Apostoli ducenda. Itaque primum omnium lectores nostros scopum itineris Paulini Act. 15, 2. et ad Gal. 2, 1. 2. cogitare iubemus; illum quidem unum eundemque fuisse concedet, qui utrumque locum paulo studiosius expenderit. Itineris huius causam perspicua claritate retulit s. Lucas. sc. ut

---

1) Quod brevius modo fuisse videtur, statimque post conversionem suam institutum. 2) Act. c. 9., primum v. 19. narrans Paulum Damasci „ἡμέρας τινάς“ cum discipulis; deinde vero v. 23. referens Judaeos urbem incolentes Apostolo insidias struxisse, addit simul hoc accidisse: „ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί“. Has „ἡμέρας ἱκανὰς“ de triennio, cuius memoriam iniecit Gal. 1, 18. accipiendas esse, prorsus liquet, cum quae porro habentur se Hierosolyma in regiones Syriae et Ciliciae contendisse Act. 9, 30. et Gal. 1, 21. egregie conspirent. 2) Ut patet ex consilio Apostoli per totam eam epistolam ad Galatas, et ex ipso contextu 1, 11—18. 3) Una quidem interpretum pars cavendum esse praecipit, ne illud cum itinere ad Concilium Jerosolymitanum pro uno eodemque habeatur; altera contrariam plane sententiam sequitur et nulla re ab illo Act. 15, 2. s. diversum esse contendit. Tertiae classi interpretum visum est agi de secundo itinere Act. 11., quod stipis offerendae causa Jerosolymas susceptum esse narrat s. Lucas v. 27—30. Nec desunt, qui illud idem cum illa profectione arbitrentur, quae Act. 18, 22. Caesarea instituta ad salutandam Ecclesiam Jerosolymis refertur. Quod autem ad epocham attinet, a qua istorum XIV. annorum initium ducendum, alii ad conversionem, alii ad primum iter Hier. d. q. a. respiciunt, quamquam reperiantur, qui praeeunte Chronico Paschali p. 186. lectionem „διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν“, sollicitarent, atque τεσσάρων legendum perperam censuerint.

quaestionem controversam ad Apostolos deferret; s. Paulus autem fatemur nullam huius rei memoriam facit, sed profectum se esse dicit: κατὰ ἀποκάλυψιν, secundum revelationem. Hic vero observetur vellemus duas, itineris causas, quibus Paulus adductus sit ad proficiscendum, sedulo esse distinguendas: nimirum externam et internam; priorem s. Lucas posteriorem Apostolus indicat. Paulus non humano tantum illorum consilio, qui legationem Jerosolymas mittendam decreverant pro diiudicanda ,de Lege' controversia; sed multo etiam magis divino instinctu movente id fecit [1]. Hac quidem distinctione observata, eundem omnino d. Paulum cum s. Luca itineris sui scopum narrare, suapte consequitur. Praeter consilium reliqua etiam, quae s. Paulus de itinere suo refert, ita omnia cum d. Lucae narratione conspirant; ut utrumque de uno eodemque itinere loqui, satis inde manifestum fiat [2]. Sufficiat indicasse eosdem esse viae socios; eosdem litis auctores; utroque in loco S. Petrus et S. Jacobus principes rei agendae decidendaeque sistuntur; in utraque denique relatione ab Apostolo exponitur, quid inter gentes praedicando una cum d. Barnaba profecerit. Nullum igitur esse potest inter iter quod Lucas narrat, et illud de quo Paulus loquitur discrimen. His ita compositis superest alia iniecta difficultas de transactis XIV. annis earumque epocha? Demonstravimus suprafati triennii [3] epocham a conversione S. Pauli peti debere; idem dicendum de epocha XIV. annorum. Vix ulla gravior est dubitandi causa, quin hi XIV. anni non sint numerandi a profectione Hierosolymitana secunda [4]. Nam altera vice Hierusalem petiisse dicitur [5] cum subsidio appetente fame, et quidem comite Barnaba, sed non

---

1) V. p. 333. s. 2) Coll. Act. 15, 2. 5. 7—29. cum Gal. 2, 3. 4. 5. 7—9. Sed ista longiora sunt, quam quae commode h. l. transcribi possint. V. p. 350. s. 3) Gal. 1, 18. 4) Vox enim „ἔπειτα", deinde, non coniungit verba Gal. 2, 1. cum illis 1, 18., quasi a fine illius triennii initium sumerent; aliud enim ἔπειτα inter haec illa intercedit 1, 21., ubi narrare incipit quomodo versatus fuerit in Syria et Cilicia, neque annos, quibus illic tunc erat in iis regionibus enumerat. Nulla igitur hic chronologica connexio statui potest, sed Apostolus eandem argumentandi methodum persequens ἔπειτα inquit et πάλιν rursus; attamen neque ἔπειτα respicit moram eius in Syria et Cilicia, neque hoc πάλιν secundum eius Jerosolymas iter. Hoc iter s. Pauli ab illo ad Synodum Apostolorum Jerosolymas diversum esse hac nostra aetate rursus contenderunt: C. Bertheau, einige Bemerkungen ü. d. St. Gal. 2. u. ihr Verhältn. z. Apostelgesch. Hamb. 1854. p. 5. s. C. Wieseler, Comm. ü. d. Br. Pauli an d. Gal. Gött. 1859. Chron. Excurs. p. 556. s. J. C. M. Laurent, Neutest. Studien. Goth. 1864. p. 70. s. Sed nondum satis firmiter, imo ne probabiliter quidem opiniones suas isti viri defenderunt. 5) Act. 11, 30. 12, 25.

assumto Tito [1]. Ex Josepho [2] patet hoc secundum iter stipis afferendae causa susceptum, non prius fieri potuisse, quam cum Herode Agrippa Caesareae mortuo, Cuspius Fadus provinciam Judaeam administraret: i. e. anno 44. p. C.; neque vero serius factum, cum Antiocheni [3] de fame ventura praemoniti essent; et d. Lucas nuntium de morte Herodis cum narratione itineris Paulini [4] contexuerit. Atque haec si recte disputata sunt: Concilium Jerosolymitanum [5] verosimilius in annum 51., vel quod proxime sequitur tempus, conferri debet; quod tantum abest, ut reliquis temporum rationibus adversetur, ut iis potius, quae de Judaeis Roma expulsis probabiliter constant, firmari videatur [6]. Hoc autem edictum anno 50. prodiit. Quippe Agrippa II. qui summo gaudebat Caesaris favore Romae degebat usque ad a. 49.; unde Judaeos ad illum usque annum exilio non esse mulctatos credimus. Quae porro cum ita sint, s. Petrus post annum 50. vix Romae esse potuit; et en hoc est idem illud tempus, quo eum Jerosolymis praeesse concilio diximus, quod calculo nostro, d. Paulum a. 51. tertium Jerosolymas sese contulisse, annis vero quatuordecim ante: i. e. 37. ad sacra Christiana adductum esse, haud exiguum addit pondus. Quamquam primo intuitu aliquibus videatur haec ratio demonstrandi extra limen versari, tamen perbene ad rem nostram facit.

51. Acta Pauli a Concilio Hierosolymitano usque ad adventum eius primum Ephesum serie chronologica disposita. Cum Paulus et Barnabas

---

1) Quoniam id non amplius ad scopum praesentem scriptionis pertinebat, ad quem probandum satis habebat s. Paulus ea, quae iam attulit dixisse, adventum illum alterum Jerosolymas omisit in epistola ad Gal. 2) Antiq. XIX. 8, 2. et XX. 5, 2. I, 950. 965. 3) Act. 11, 28. 4) Act. 12, 23. s. 5) V. p. 350. s. 6) Imperatorem Claudium Judaeos omnes ab Urbe discedere iussisse docuerunt posteros s. Lucas Act. 18, 2. Suetonius, in vita Claudii c. 25. Dio Cassius, 60, 6. et Orosius, Hist. VII, 6.; qui id ipsum etiam monet anno Claudii nono evenisse. Neque vero multum miramur nullius anno nono Claudii, Judaeorum tumultus memoriam esse apud Scriptores profanos. Enimvero ut Suetonius, l. c. tradit non ob novum aliquem memorabilemque tumultum, sed quod assidue tumultuarentur Roma pulsi sunt Judaei. Cf. W. Mangold, der Römerbrief u. d. Anf. d. Röm. Gem. Marb. 1866. p. 38. s. Jamvero cum Petrus Judaeus haberetur, et ipsum exulatum abiisse credimus; nisi enim Judaeos aeque ac Christianos edictum attigisset Aquila et Priscilla; qui Christiani erant Roma excedere non debuissent, uti sane huius edicti causa excessisse ex ipsis Actibus Ap. 18, 2. compertum est. V. p. 344. s. Pro uno eodemque itinere Act. 15, 2. et Gal. 2, 1. 2. pugnant praeter alios J. Fr. Gruner, diss. de itinere Pauli Hierosolymitano ad Gal. 2, 2. Jen. 1750. p. 4. s. H. A. Schott, Erörterung einiger wicht. chron. Punkte in der Lebensgesch. d. Ap. Paulus. Jen. 1832. p. 13. s. Fr. Reithmayr, Comm. z. Br. an d. Gal. München. 1865. p. 113. s.

anno[1] 44. p. C. eleemosynas Jerosolymis tradidissent, Antiochiam redierunt, assumto Joanne[2], qui eos secutus esse videtur, quia Barnabae consobrinus erat. Antiochiae cum prophetae et doctores ministrarent Domino, Saulus et Barnabas segregati ab illis sunt ad opus, ad quod assumsit eos Spiritus S.[3]. Et tum opinamur accidit, quod Paulus quatuordecim annis post i. e. a. 57. narrat[4]: sibi in tertium coelum rapto insignem quandam ἀποκάλυψιν oblatam esse[5]. Habemus itaque iam terminum chronologicum, cui nostra ulterior temporum ratio inniti queat. Paulus et Barnabas missi a Spiritu Sancto, ineunte vere a. 45. in viam se dederunt, primumque iter missionis instituerunt[6]; quod etsi accuratius definiri non possit, tamen vix minus biennio, i. e. a. 45. et 46.[7] consumsit. Anno igitur 46. eos Antiochiam repetiisse suspicamur, ubi priusquam Jerosolymas ad Concilium pergerent, ‚χρόνον οὐκ ὀλίγον'[8] mansisse dicuntur; i. e. facile quinquennium usque ad a. 51. Inde ubi cum decreto Apostolorum reversi sunt, Barnabas cum Marco Cyprum, Paulus cum Sila in Asiam minorem transiit, alterum ad gentes iter missionis instituturus[9]. Hoc iter quamquam a s. Luca[10] ita sit descriptum, ut quantum temporis inter singulas profectiones commorationesque interciderit haud raro cognoscere licebat: nonnulla tamen intervalla huius, magis autem tertii itineris[11] ad gentes suscepti, ex solo Actuum libro accuratius definiri non possunt. Ad haec quidem dubia intervalla probabiliter defigenda, multum nobis subsidii praestant epistolae s. Pauli decursu istorum itinerum datae; novae tamen difficultates inde oriuntur, quod harum epistolarum aliquae, quando exaratae fuerint, accurate haud unquam determinabitur. Durissimum autem est spatii itineris secundi[12], certior definitio, ad quod nisi duae ad Thessalonicenses literae pertinent. Annum et ultra plurimi interpretes huic itineri assignant. Ante omnia[13] vero non parva quaestio occurrit, quod cum s. Paulus Corinthum ingressus sit, Aquilam et Priscillam, qui Claudii decreto una cum reliquis Judaeis Roma expulsi ‚προσφάτως ἐληλυθότας ἀπὸ τῆς Ἰταλίας', reperisse narratur. Unde Apostolum non ita diu postquam Caesar Judaeos ex urbe eiecerit

1) Ut vidimus p. 340. Cf. H. Lehmann, chron. Bestimmung der in der Apostelgesch. c. 13—28. erzählten Begebenheiten, in ann. Stud. und Krit. 1858. p. 312. s. 2) Qui cognominatus est Marcus Act. 12, 25. V. p. 274. 3) Act. 13, 2. 4 II. Cor. 12, 2—4. V. p. 340. 1. 5) Quominus enim Apostolum c. l. ad visionem cum Christi fideles persequeretur in itinere Damasceno obiectam respexisse credamus, tempus scriptae alterius ad Corinthios epistolae vetat. 6) V. p. 346. s. Act. 13, 4—14, 25. 7) Pro spatio 252. mill. germ. 8) Act. 14, 27. 9) Act. 15, 36—41. V. p. 357. s. 10) Act. C. C. 16. 17. 18, 22. 11) V. p. 375. s. 12) Quo Apostolus 340. milliaria germ. confecit. 13) Act. 18, 2. V. p. 344. 366. s.

advenisse Corinthum coniiciunt. Sed quamvis Aquila et Priscilla Claudii edicto Roma pulsi d. Luca teste [1] ‚προσφάτως' ab Italia venerant; animadvertendum tamen erit: quod praeterquam vox ‚προσφάτως' ambigua sit [2], accedat s. Lucam haud dicere Aquilam et Priscillam nuper ab urbe venisse. Refert modo illos ab Italia Corinthum venisse, eo quod Roma Judaei expulsi forent. Quamobrem quis prohibeat dicere: eos Roma anno Claudii nono, iuxta imperatoris istius edictum abiisse, aliquo tamen tempore in Italia adhuc moratos; seu quod ibi illos sua detinerent negotia, seu quod exspectarent, an Claudii edictum permutaretur? Collatis quae divinus Historiarum scriptor prodit rerum momentis, s. Paulum post Concilium Hier. multum transegisse temporis, antequam Corinthum iret, inficiari non audemus; cum satis abunde S. Literae id doceant, ex quibus intelligimus Antiochiae non solum ‚χρόνον' [3] commoratum esse; sed Syriam quoque et Ciliciam, Ecclesias confirmantem, Apostolum perambulasse; Macedoniae Philippos petiisse; divertisse Thessalonicam et Beroeam, Athenas demum et hinc tandem Corinthum venisse. Ex his autem omnibus colligitur d. Paulum iter Antiochia Corinthum spatio quodam incerto, quod tamen non minus sit anni unius intervallo peregisse. Verisimillima nobis visa est eorum interpretum [4] statuendi ratio, qui Apostoli adventum Corinthum in autumnum a. 52. conferunt. Docente attamen eodem d. Luca [5] s. Paulus haud ita multum temporis Corinthi transegerat, cum Silas et Timotheus peractis Apostoli mandatis Thessalonica digressi ad ipsum venirent; quo facto mox priorem dedit ad coetum Thessalonicensium epistolam ineunte anno 53. Timotheo ac Sila etiamnum apud Apostolum Corinthi versantibus [6], cum Paulus quocumque demum modo nuncium accepisset de conditione Ecclesiae Thessalonicensis, epistolam exaravit ad eandem posteriorem. Corinthi, unde primo vere Jerosolymas navigaverat, s. Paulus per annum et dimidium anni 52—54. praedicavit [7]. Ibi etiam coram Gallione Achaiae Proconsule sistitur [8]. Quo anno interim Gallio Proconsul in Achaiam missus sit, nullus Veterum tradidit, et quamquam non sine veri specie coniicere licet, Gallionem serius Apostolo Achaiam intrasse; hoc tamen quanto tardius factum sit, e solis Pauli temporibus discimus, quem ab autumno a. 52. ad primos usque menses a. 54. Corinthi versatum esse [9], compertum habemus [10].

---

1) Act. 18, 2. 2) Quippe quae pro diverso contextu — e. g. II. Mach. 14, 36. — de annis aliquot aeque ac de exiguo mensium aut dierum numero capi potest. 3) Act. 15, 33. 4) V. Mynster, Annal. Paulin. adumbr. p. 19. 20. 5) Act. 18, 5. coll. I. Thess. 1, 7. 8. 3, 1. 2. 6. 6) II. Thess. 1, 1. 7) Act. 18, 11. 8) Act. 18, 12. s. 9) Coll. Act. 18, 2—22. 10) In hac rerum incertitudine tantum abest,

52. *De itinere d. Pauli suscepto ad insulam Cretam atque de tempore quo epistola ad s. Titum scripta sit determinando.* Narravimus[1] s. Paulum in itinere maiori secundo e Cilicia navigasse Cretam; ibique annunciato Evangelio Titum reliquisse, qui ‚τὰ λείποντα' ordinaret; Apostolumque in itinere suo tertio cum propter Judaeorum insidias Syria Macedoniam regrederetur epistolam ad Titum[2] exarasse. Plurimis sane obvolvitur dubiis et iter Pauli Cretense, et scriptio epistolae ad Titum, quibus de rebus, quoniam Actus Apostolorum silent, quaestio non poterit unquam certo definiri. Enimvero nullum itineris Cretensis aut in Actibus A., aut in aliis Apostoli literis, aut in Veterum monimentis vestigium apparet. Ante vincula Romana; imo ante vincula Solymaea et iter factum, et exaratam epistolam eius argumentum docet. Ex eodem contextu efficitur non multo post moram apud Cretenses scriptam fuisse; quoniam Titus officio sibi iniuncto[3] nondum plene satisfecit. Erat cum Apostolo Artemas et Tychicus, quorum alterum ad Titum missurus erat; et cum d. Paulus Apollum commendet, qui in itinere quodam occupatus Cretam petere debuit, non ante biennium Ephesinum epistola data esse poterat[4]. Videtur interim[5] Paulus non diu haesisse Cretae ad praedicandum Evangelium, properabat nempe tum Derben et Lystram[6]. Ipsi Cretenses non isto demum tempore ad sacra Christi transierunt, imo diu ante et sensim instituti esse videntur. Cum enim Spiritus S. in Apostolos effunderetur, Cretenses quidam adfuisse narrantur[7]. Epistolam autem ad Titum post secundum in urbem ephesinam adventum exaratam esse utcumque colligitur[8] exinde, quia Tychicus et Apollo inter comites Apostoli numerentur, qui tamen[9] prius in societatem Pauli venire haud poterant. Ad Nicopolim denique quod attinet, putamus, Apostolum consilium ibi hiemandi abiecisse, cum Judaeorum artibus ad mutandum itineris cursum coactus esset. Itaque eodem anno 58. quo Paulus ad Romanos scripsit, ad Titum quoque scripsisse videtur, quem[10] comitum nomine salutat; neque tamen ipsos nominat, quia Titus et Paulus paulo ante una fuerant. Novimus[11] Titum ex Macedonia praemissum esse Corintho, ut collectas eorum curaret in adventum Pauli paratas. Unde

---

ut Gallionis in Achaiam adventus, quidquam valeat ad definiendum annum eum, quo s. Paulus Corinthum venerit; ut hoc ipso aliunde noto, quando ille contigerit, conficiendum sit.

1) H. N. T. p. 357. 2) V. p. 377. 417. s. 3) 1, 15. 4) V. p. 375. Sententias eruditorum hac de re expendit Ginella, de auth. ep. past. p. 116. s. 148. s. 5) Coll. Tit. 1, 5. 6) Act. 16, 1. 7) Act. 2, 11. 8) 3, 12. 13. 9) Coll. Act. 18, 24. 19, 1. 10. 10) Coll. 3, 15. 11) Cf. p. 377.

liquet Titum fuisse in Graecia, cum eo veniret Apostolus ad recipiendas collectas illas[1]. Ubi autem Paulus omnium Ecclesiarum recepisset collectas, et in procinctu esset, ut Philippis solveret, Jerosolymas navigaturus, et quidem initio veris — nempe azymorum festo[2] — literas ad Titum iam dedisse putandus est.

53. Temporum ratio a primo Apostoli adventu Ephesum usque ad profectionem ultimam Jerosolymas. Urbe Corintho relicta Apostolus navigat Ephesum, inde post paucos dies profectus est Caesaream hinc ,ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος τὴν ἐκκλησίαν' descendit Antiochiam[3]. Antiochiae ,χρόνον τινὰ' permansit[4]. Qua locutione et si incertum[5], longius tamen denotatur intervallum. Pensitato contextu ab hierosolymitana inde commoratione usque ad tertium iter apostolicum ad gentes, vix minus tribus vel quatuor mensibus effluxisse colligitur; quibus si illi addantur menses, quos s. Paulus in peragrandis — ,καθεξῆς' ex ordine — variis Galatiae et Phrygiae locis, in quibus Christi fidem antea plantaverat, adeundaque Epheso insumsit; totum intervallum novem mensium fuisse haud inepte statuerimus. Ex his rursus illud sequitur Apostolum sero autumno a. 54. Ephesum altera vice advenisse. Ibi versatus est ad Pentecosten usque a. 57., fere per triennium[6]. Temporum ordinem in colligendis et dispo-

---

1) II. Cor. 8, 16. 17. coll. 7, 5. 6. 2) Act. 20, 6. s. V. p. 378. s. 3) Act. 18, 22. Τὸ „ἀναβὰς", ad urbem Jerosolymam referendum esse putamus, proprio verbi ἀναβαίνειν = quod coll. Matth. 20, 17. Joann. 7, 8. 12, 20. Act. 25, 1. de itinere versus metropolim usurpari solet = significatu adducti. Hoc modo interpretandum C. B. Michaelis, diss. chorogr. notiones superi et inferi, indeque ascensus et descensus evolv. §. 37. apud Velthusen, Comm. theol. V, 459. s. idoneis firmavit argumentis. Quodsi verba v. 21. — ut Wolf, Cur. p. 1281. demonstravit — „Δεῖ με παντῶς τὴν ἑορτὴν — pentecostes? — τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα", genuina sint; novum exsurgit argumentum, verbum ἀναβὰς sensu peregrinandi Jerosolymas sumi debere. 4) Coll. Act. 18, 23. 5) Act. 19, 22. I. Cor. 16, 6. 7. 6) Coll. I. Cor. 16, 8. S. Lucas Act. 19, 8. 10. quidem tradit d. Paulum in synagoga per tres menses, in schola autem cuiusdam Tyranni per biennium, in universum igitur per 27. menses Ephesi praedicasse. Pugnare hoc videri possit cum iis, quae in Pauli ad presbyteros ephesiacos oratione valedictoria Act. 20, 31. habentur Apostolum: „τριετίαν", triennium, Ephesi egisse. Verum non difficile est, utramque relationem in concordiam redigere. Nimirum priore illo loco phrasi „ἐπὶ ἔτη δύο" non accurate biennium intellexit; sed vulgi consuetudine usus intervallum aliquot mensibus longius significavit, posteriore vero crassiore quadam computatione idem spatium temporis „τριετίαν" adpellavit ipse Apostolus. Ac s. Paulum revera diutius quam per menses 27. Ephesi fuisse, eo quoque argumento confirmatur: quodsi per hos tantum menses ibi habitasset, quoniam circa Pentecosten discessit, Februario vel Martio advenisset. Jam autem si tunc Ephesum intrasset,

nendis Apostolorum Epistolis servatum non fuisse probe norunt omnes, penes quos hac de re iudicium est. Unde antiquorum recentiorumque interpretum bene multi epistolam ad Galatas Epheso vertente a. 55. missam fuisse contendunt, quorum opinioni lubenter accedimus [1]. Ephesi, quo Apollo cum Stephana, Fortunato et Achaico, — per quos Corinthii miserunt epistolam — [2] venit ad s. Paulum; anno 56. circa tempus Paschae [3] scripsit primam ad Corinthios epistolam. Ephesum relinquens venit in Macedoniam, inde cum transit ‚εἰς τὴν Ἑλλάδα‘ [4] — forte Athenis — misit Timotheo priorem epistolam a. 57. [5] Interim non multo post datas has literas, antequam s. Paulus Jerosolymas peteret, Timotheus [6] urbe Epheso relicta ad s. Paulum venit fortassis Corinthum [7]. Cum Paulus Macedoniam peragraret eodem anno 57. scripsit secundam ad Corinthios epistolam. Accidit enim quod s. Paulo in Macedoniam venienti occurrerit Titus, quem Corinthum praemiserat. Titus

---

aut mediam per hiemem iter peregisset, aut quia ea tempestate iter suscipi haud poterat, in aliquo Asiae Minoris loco hiemem egisset. Atqui s. Lucas l. c. in tota peregrinatione Jerosolyma Ephesum, Paulum nonnisi Antiochiae diutius substitisse commemorat; nihil igitur superest, nisi ut Apostolum sero autumno Ephesum advenisse, ideoque plures quam 27. menses ibidem haesisse, existimemus.

[1]) Ut in eorum interpretum partes concedamus his adducimur rationibus. a. Primum omnium I. Cor. 16, 1. mandatum, Galatis 6, 10. datum ostendit: de eroganda Jerosolymitanis eleemosyna. Cum ergo de largitione hac mentionem in epistola ad Corinthios data agitarit Apostolus, vix poni potest in dubio, quin prius ad Galatas scripserit. b. E querelis, quas in levitatem Galatarum effundit Apostolus 1, 6. sequitur, ad eos epistolam non multo post alterum suum abitum misisse, et quidem Epheso. In hac celeberrima Joniae metropoli V. p. 375. 9., ubi magnum ostium apertum est Paulo I. Cor. 16, 9., ut ex omnibus Asiae Minoris partibus advenae Judaei pariter et Graeci Evangelium annuntiantem audirent; Act. 19, 10. occasionem quotiescumque vellet, quam maxime opportunam habebat exquirendi, quid in Galatarum Ecclesiis ageretur. Quid quod c. Paulus ipse haud obscure 4, 12. indicasse videtur; se cum hanc epistolam daret, bis iam inter Galatas versatum esse. Denique d. illud quoque opinionem nostram commendat, quod tenor literarum prodat, talem Ecclesiae Galatarum fuisse conditionem, quae plurium annorum spatium inde a prima Evangelii annunciatione supponat. Cfr. 3, 3—5. 4, 15. s. 5, 7. 6, 6. [2]) I. Cor. 7, 1. 16, 12. 15. s. [3]) Coll. I. 5, 7. 16, 8 [4]) Act. 20, 2. [5]) Scriptam fuisse postquam Epheso solvisset s. Paulus, interim cum Macedoniam peragraret, liquet ex his verbis I. 1, 3. „sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam.“ Nam cur illi reponeret illud, se eum Ephesi reliquisse, cum in Macedoniam proficisceretur, nisi de re nuper gesta loqueretur. [6]) Quacunque tandem de causa id factum fuerit. [7]) Act. 20, 4. Quod autem I. 3, 14. optat Apostolus brevi revisere Timotheum, accipiendum est de reditu Miletum, quo presbyteros Ephesinos accersivit. Act. 20, 17. L. A. Bisping, Erklärung der Apostelgeschichte. Münst. 1866. p. 320. s.

Apostolo referebat, quem effectum sortita esset prima ad eos scripta epistola[1]. Ubi Apostolus collectas a Macedonibus recepit[2], rursus Titum cum fratre ,cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias'[3] Corinthum abire iussit; ut symbolas fidelium pro pauperibus curarent, in adventum Pauli paratas[4]. Antequam Hierosolymam proficisceretur cum piis oblatis per Macedoniam et Achaiam collectis; exaravit epistolam ad Romanos. De loco, quo Paulus fuit, cum ad hanc epistolam scribendam a Spiritu S. excitaretur, nulla controversia est. Corintho enim missam illam esse vix ullus diffitetur[5]. Quod ipsum ex sequentibus liquet coniicere: a. Epistola ad Romanos[6] commendatur Romanis Phoebe diaconissa Ecclesiae, quae erat in Cenchris, oppido Corintho vicino atque maritimo, portu insigni[7]; cui matronae etiam Romam proficiscenti, has literas Romanis tradendas commisit s. Paulus. Quia b. inter amicos, qui Romanos Apostolo interprete salutant, reperiuntur Timotheus ac Sosipater, Caius et Erastus Corinthi commorantes[8]. Ecquidem etiam in quem annum eius scriptio inciderit, criteria epistolae insita satis produnt. Ex ipsa epistola discimus α. scriptam eam esse antequam s. Paulus Romam veniret[9]; β. post datam secundam ad Corinthios epistolam[10]; γ. priusquam Jerosolymas pergeret cum stipe per Macedoniam et Achaiam collecta; quod tamen iter cum has literas daret iam meditabatur[11]. Venit autem Jerusalem cum eleemosynis inter Pascha et Pentecosten, Felice iam multis annis Judaeam regente[12]; id quod anno 58. contigit. Igitur epistola ad Romanos scripta est hoc ipso anno 58. priusquam Paulus navigaturus esset Jerosolymam. Ut s. Pauli iter Jerosolymas prosequamur, d. Lucas narrat[13] post dies azymorum

---

1) Coll. II. Cor. 7, 5. 2) II. Cor. 8, 1. 3) II. Cor. 8, 18. „τὸν ἀδελφὸν" κ. τ. λ.; alii Silam, alii Barnabam, plurimi s. Lucam habent. 4) II. Cor. 9, 3. s. 5) Bis s. Paulus Corinthi fuit, anno u. v. 52. et iterum 58. collectas eleemosynas accepturus. Censuere quidam eruditi viri Paulum ter Corinthi fuisse, aliud igitur iter in Actis Ap. praetermissum ad illa duo relata accedere. Loca e quibus prae ceteris idonea argumenta repetierunt, ut hypothesin suam firmarent exstant: II. Cor. 12, 14. 13, 1.; item 2, 1. 12, 21., quae ut ancipitem sensum praebere videntur, ita ab interpretibus utroque trahuntur. V. J. G. Müller, de tribus Pauli itineribus Corinthum susceptis. Bas. 1831. p. 8. s. Constituisse Paulum ut tertia vice Corinthum adiret damus; sed peregisse valde dubitamus. Cf. Anger, de temporum in Actibus Ap. ratione p. 71. s. 6) 16, 1. 2. 7) V. p. 366. 7. 8) Act. 20, 4. I. Cor. 1, 14. Act. 19, 22. Tim. 4, 20. Atque haec sunt argumenta, quibus iam olim Origenes, praef. Comm. in ep. ad Rom. ed. Lomm. VI, 5. adductus est, ut doceret scriptam esse Corinthi hanc epistolam. V. e. W. Mangold, der Römerbrief u. d. Anf. d. röm. Gem. Marb. 1866. p. 147. s. 9) 1, 10. s. 15, 22. s. 10) Coll. Rom. 15, 25. 26. II. Cor. 8, 1. s. 9, 1. s. 11) Coll. 15, 25. 26. 12) Act. 20, 16. 21, 17. 24, 10. 17. 13) Act. 20, 6. s. V. p. 378. s.

Philippis profectum quinque dierum itinere Troadem venisse, ibique per septem dies mansisse Apostolum. Troade Paulus cum sociis inter quatuor dies pertigit Miletum [1]; ubi certe biduum egit [2]. Mileto relicta triduo Pataram, hinc diebus non minus quinque Tyrum navigavit [3]. Exactis Tyri septem diebus Ptolomaidem Apostolus et viae comites vecti [4], unum diem cum fratribus versati sunt. Die sequenti Caesaream adierunt, ibi manserunt per dies aliquot [5], non pauciores quam tres. Caesarea biduo venit Jerosolymas cum collectis ante Pentecosten [6].

54. Vinculorum Solymaeorum, Caesareensium atque Romanorum series chronologica. Rerum, quas s. Lucas inde ab adventu quinto et ultimo Jerosolymas, usque cum causam suam s. Paulus coram Felice peroraret, refert, series [7] est sequens: Postridie quam advenit ad S. Jacobum se contulit [8]; die mox insequenti votum Nazaraeatus colere cepit per septiduum, quo nondum lapso Apostolus in Templo intercipitur [9]. Quod ipsum quinto commorationis S. Pauli in Urbe sancta die accidit. Ad synedrium proximo die adductus; apologiam suam dixit, sed frustra [10]. Postero die Judaei adversus eum coniurarunt; sed vespera eiusdem diei Caesaream mittitur, quo postridie advenit [11]. Quinque diebus serius eo appulit Ananias Pontifex cum senioribus; atque Paulus coram Felice Praeside Romano accusatur [12]. Respondens autem Paulus ait [13]: ,ex multis annis te esse iudicem gentis huius sciens bono animo pro me satisfaciam' [14]. Quo responso, etsi

---

1) Act. 20, 13—15. 2) Coll. Act. 20, 17. s. 3) Act. 21, 1. s. 4) Act. 21, 4. 7. 5) Act. 21, 10. 6) Act. 20, 16. Pentecosten die quinquagesimo ab altero die azymorum celebratam, in H. R. D. V. T. p. 146. docuimus. Computatis itaque sex illis diebus, qui antequam Paulus Philippis solveret, ab altero azymorum die elapsi sunt; additis insuper 12. qui abhinc donec Troade abierunt praeteriere, collectis item in summam 29. qui ad adventum usque ierosolymitanum effluxerunt, universe dies reperiuntur non minus 47. 7) V. a. h. p. 420. s. 425. s. 8) Act. 21, 18. 9) Act. 21, 26. s. Coll. Act. 24, 11. 10) Act. 22, 30—23, 10. 11) Act. 23, 12. s. 12) Act. 24, 1. s. 13) Act. 24, 10. 14) Felicem post Cumanum damnatum a. 52. exeunte, ut videtur, Judaeae a Claudio praefectum esse testis est Josephus, Antiq. XX. 7, 1. p. 969. Eum sub Nerone aliquos certe adhuc annos Judaeae praefuisse, inde sequitur: quod idem Historiarum scriptor, ubi refert quae Judaeis hoc Imperatore et Felice procuratore acciderunt; Antiq. c. l. 8, 6. p. 972. de bello Jud. II. 13, 5. p. 175. Aegyptii cuiusdam meminit, qui in Judaeam venit et prophetae munus sibi arrogans compluribus seditionem suasit. Quo cognito Felix iubet milites seditiosos invadere, caesisque eorum quadringentis ducentos vivos cepit. Aegyptius ipse pugna elapsus disparuit. Cum Felix audiret Paulum graece loquentem, suspicio illi nata est, essetne Paulus forsitan Aegyptius ille, qui haud ita pridem seditionem excitasset? Act. 21, 38. Unde colligimus Aegyptium, priusquam Apostolus in vincula daretur i. e. biennium ante Felicis

numerus annorum qui ab initio muneris a Felice gesti usque ad hunc sermonem lapsi sunt, haud definiatur; illud tamen discimus ‚πολλὰ ἔτη' non ante quintum praefecturae Felicis annum: i. e. 57. A. D. dici potuisse; proinde Felicem non ante a. 59. e provincia discessisse. Supersunt autem argumenta haud pauca quae anno 60. discessum Felicis contigisse innuere videntur [1]. Quae cum ita sint Apostolus Caesarea Romam a. 60. mittebatur, et postquam eiectus in insulam Melitam ibi per tres menses hyemasset, ineunte vere a. 61. Urbem ingressus est.

In prioribus s. Pauli vinculis omnium prima scripta esse videtur epistola ad Ephesios a. 61. Constat hoc [2] inde quod d. Apostolus semet adpellat ‚ὁ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ ὑπὲρ τῶν ἐθνῶν'; atque quia epistola missa est per Tychicum [3], per quem et illa ad Colossenses mittebatur [4]. Quodsi ponitur utramque epistolam uno eodemque a. 61., unoque impetu exaratam, optime explicabitur ambarum epistolarum affinitas [5]. Rursus epistolae ad Colossenses et Philemonem inscriptae uno eodemque tempore datae sunt. Quippe cum illam ad Colossenses scriberet Apostolus, Epaphras Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, Pauli contubernales fuerunt, et Colossensibus salutem dixerunt [6]; ii autem ipsi quando exaratum est epistolium ad Philemonem; quemadmodum Apostolo gentium adstiterunt,

---

abitum tumultuatum esse. Nero imperare in cepit a. d. III. Id. Oct. a. 54. Paulus post pentecosten Jerosolymis captus est; igitur nec Apostolus ante a. 55. in vincula est datus, nec Felix prius a. 57. ex Judaea discessit. Tardius discessum Felicis accidisse suadet Pauli supralaudatum, paucis postquam captus est diebus, pronuntiatum effatum. Act. 24, 10.

[1]) Hoc primum omnium, ut plurimi monuerunt chronologi, certum est: Felicis discessum ultra a. 62. differri non posse; quod eo tempore Pallas, quem cum ille e provincia discederet, adhuc in vivis fuisse e Flavio, Antiq. XX. 8, 9. p. 974. discimus; diem obierit supremum coll. Tacito Annal. XIV, 48. 65. p. 114. 123. Sed quominus hoc ipso anno Felicem revocatum esse credamus, narratione Act. 28, 30. 31. impedimur; iuxta quam s. Paulus Romae, quo proximo post Felicis discessum vere advenerat; per biennium integrum in domo conducta Verbum Dei libere praedicasse dicitur. Jam vero A. D. 64. post dirum Urbis incendium exsecrabilis illa Christianorum persecutio orta est, in qua Apostolo „cum omni fiducia sine prohibitione" docere haud erat permissum. Unde rursus hoc sequitur, neque biennii romani terminum tardius a. 64. poni posse, neque s. Paulum post a. 62. Romam appulisse, neque Felicem post a. 61. e provincia discessisse. [2]) Coll. 3, 1. et 6, 20. [3]) 6, 21. [4]) 4, 7. [5]) V. p. 448. Scilicet de iis literis, quas ad Ephesios dedit, haud pauca haeserunt in memoria S. Pauli, et haec cum epistola ad Colossenses scriberetur, tanto in ea facilius iterari quiverunt, quanto maiorem convenientiam, nonnullae in quibus Colossenses περιστάσεις, cum περιστάσεσι Christianorum Ephesiorum habebant. [6]) 4, 10. 12. 13. 14.

sic Philemonem Colossensem salutarunt [1]. Ad haec Onesimus, qui perferret literas ad Philemonem [2], Tychici comes fuit epistolam ad Colossenses perferentis [3]. Et quod Apostolus ad Philemonem toties vinculorum suorum meminerit [4], id probe commendat sententiam hoc epistolium cum literis ad Colossenses uno eodemque anno concinnatum esse in vinculis Romanis prioribus [5]. Cum iam facile perspiceret Apostolus se esse propediem vinculis liberandum anno utcunque 62. scripsit epistolam ad Philippenses [6]. Ante Neronis persecutionem cum laeta liberationis spes Paulo affulgeret, per illud igitur biennium, quod [7] commemoratur, has literas scriptas esse unicuique vel obiter eas inspicienti patet [8]. Currente anno 63. circa tempus vernum solutas fuisse Paulo catenas priores existimamus. Hoc autem anno epistolam ad Hebraeos scriptam fuisse ante motum bellum, quod vulgo vocamus Judaicum; insigni argumento est a. altum de crudeli ista pugna silentium, quam intactam non praeteriisset Apostolus. Id ex tenore et consilio epistolae probatissimum, b. ante Templi eversionem, durante adhuc cultus Levitici solennitate concinnatam esse, cum iam excidium reipublicae iudaicae appropinquaret [9]. Neque inficias ire possunt aliter sentientes: c. lectores [10] per longum tempus iam sacra Christi professos esse. Denique d. quando et ubi exarata sit epistola accurate determinatur conclusione epistolae [11]. Enimvero s. Paulus Hebraeos suos certiores reddit, fratrem Timotheum vinculis dimissum esse; nempe Romae, ubi cum Apostolo aliquamdiu ante liberationem Pauli in custodia fuerat, atque eius adventum [12] se nunc operiri significat, ut cum eo iter ad ipsos prosequi possit [13].

---

1) V. 24. 2) V. 12. 3) 4, 7. 9. 4) V. 1, 9. 13. 23. 5) Quominus posteriora Pauli vincula sumamus vetat v. 22. ad Philemonem; quo confidit Apostolus sese fidelium orationibus ad Deum fusis e captivitate dimissum iri. Apostolica haec spes coll. II. Tim. 4, 6. 7: nullo pacto quadrat in vincula posteriora. Hoc etiam tempore S. Pauli vincula celebria facta sunt in omni praetorio. Philipp. 1, 13. 6) 1, 25. 7) Act. 28, 30. 8) Non autem initio captivitatis Romanae eas fuisse conscriptas; sed nonnisi versus eius finem universum prodit argumentum. Quae enim antea valde aspera fuit S. Pauli conditio, nunc in meliorem mutata est; vincula Apostoli in rei Christianae emolumentum cessere. Initio autem tantum aberat, quod vinculorum causa omnibus innotesceret; ut carceris locum, forte ipsius Pauli etiam adventum, multi ignorarent. 9) Cf. 8, 4. s. 9, 6. s. 13, 10. s. 10) Coll. 2, 3. 5, 12. 10, 32. s. 12, 4. 13, 7. 11) 13, 23. 24. 12) Coll. Philipp. 2, 19. s. 13) Certe Paulus in Italiam proprie dictam secedens exspectansque Timotheum dedit epistolam ad Hebraeos. Enimvero α. in illa epistola non meminit fratrum, sociorum, et amicorum, quos Romae habebat; quod ceteroquin ipsi privum fuisse vidimus; sed tantum Italicorum, nempe quos in itinere suo recentissime viderat, et qui hoc salutandi Hebraeos officium Paulo nunc primum commendaverunt. Accedit β. Apostolum ad Hebraeos scribentem vinculorum

55. Anno 62. s. Jacobum „fratrem Domini" interfectum esse credimus. Duae leguntur de tempore martyrii S. Jacobi sententiae, Josephi una, qui[1] narrat: Ananum summum Pontificem Festo procuratore mortuo — anno circiter 62. — Jacobum lapidari fecisse; altera Hegesippi[2] testantis, Judaeos Jacobum e fastigio templi praecipitem egisse. Ille ex lapsu adhuc superstes lapidibus contusus ac tandem fullonis fusto fracto capite animam efflavit. Et continuo „εὐθὺς", Vespasianus bellum infert Judaeae redacturus eos in servitutem. Secundum ista Hegesippi verba S. Jacobus fere a. 69. mortuus est[3]. Ex interpretibus bene multi Flavium sequuntur, veluti testem non tantum coaevum sed forte et oculatum; alii tamen numero atque scientia prioribus vix inferiores Josephum cum Hegesippo in concordiam redigere tentarunt. Porro quamvis Flavio standum esse contendimus, non omnia tamen quae Hegesippus narrat, et Josephus silet, ut falsa reiicimus; sed ea tantummodo quae cum veris historiis conciliari nequeunt[4]. Quod ad tempus passionis

---

suorum, quibus etiamnum in Urbe constrictus teneretur, plane nullam facere mentionem; secus atque eum egisse novimus in omnibus illis literis, quas in captivitate Romana scripsit. Nam γ. coll. 13, 18. 19. 23. istum ex piis Hebraeorum precibus fructum sibi promittit, fore ut ceptum iter Deus clementissime secundet, et impedimenta forte in via occurrentia e medio tollat. Idem porro Apostolus δ. 10, 34. cum intimo gratitudinis sensu agnoscit, Hebraeos s. Paulo dum adhuc vincula perferenda erant compassos, quod ipsum pietatis officium illis ipsis erga alios etiam commendat 13, 3. Haec omnia satis superque testantur s. Paulum cum ad Hebraeos scriberet in Italia proprie dicta haesisse, atque Timotheum ad se properantem exspectasse; ut deinde in eius comitatu Deo bene favente ad Hebraoos contendere posset.

1) Antiq. XX. 9, 1. p. 976. 2) Apud Eusebium H. E. II, 23. p. 63. s. 3) In hac Hegesippi narratione interim multa reprehenderunt viri docti, praecipue Scaliger, not. in Eusebii Chronicon. Amstel. 1658. p. 178. J. Clericus, Historia eccl. duorum primorum a. C. n. saeculorum. Hagae com. 1743. p. 414. Basnage, Ann. ad a. 60. n. 7. p. 701. s. G. A. Orsi, Istoria eccl. Rom. 1754. I, 337. s. Stolberg, Gesch. d. Religion J. C. ed. Vind. 1817. VI, 363. s. J. Schulthess, Symbolae ad internam criticam Librorum canonicorum ac vetustissimorum quae supersunt monumentorum chr. nominis paratae. Turici 1833. I, 50. s. C. G. Theile, Comm. in ep. Jacobi. Lips. 1833. p. 37. s. Anger, de temp. in A. A. rat. Lips. 1833. p. 104. s. Neander, Gesch. der Pflanzung und Leitung der chr. Kirche ed. III. Hamb. 1841. p. 500. s. A. Wiesinger, der Brief d. Jacobus Königsb. 1854. p. 40. Fr. Koessing, diss. de anno quo mortem obierit Jacobus f. D. Heidelberg. 1857. p. 5. s. J. E. Huther, kr. exeg. Handb. ü. d. Brief des Jacobus. Gött. 1858. p. 11. H. Gerlach, die röm. Statth. in Syrien p. 81. s. 4) V. p. 483. Scaligerum eiusque sequaces refellere conati sunt: D. Petavius, animadv. ad s. Epiphanii haer. LXXVIII. Antidicomarianit. II, 332. P. Halloix, s. s. Illustrium Ecclesiae Orientalis Virorum vitae et documenta. Duaci. 1636. II, 721. Th. Ruinart, Acta Martyrum ed. Veron.

attinet ea in re [1] Josepho Flavio fidem habemus; eumque Hegesippo praeferendum esse censemus. Sed quoniam haec quaestio cum indagatione anni, quo Festus procurator mortuus sit, ut nisi de hoc constiterit, solvi vix possit; ante omnia quo tempore Festus diem suum obierit? investigemus. Felicem ante annum 61. imo a. 60. revocatum fuisse demonstravimus [2]. Albinum vero qui Festo successit anno 62. cum festum Tabernaculorum ageretur Judaeae iam praefuisse tradit Josephus [3], quo in loco sequentia ‚commemoratione haud indigna' narrat: Jesum quemdam Anani filium virum plebeium et rusticum, quadriennio priusquam bellum esset exortum, cum ad festum Tabernaculorum venisset, Jerosolymis clamores ominosos sustulisse; eamque ob causam ad Albinum praesidem a magistratu Judaeorum adductum esse, qui quidem hominem flagellatum dimisit. Neque tamen ille a lamentationibus destitit, usque dum post annos septem et quinque menses obsidionis tempore ictu lapidis e ballista excussi perierit. Utraque temporis nota illud Tabernaculorum festum anni 62. fuisse indicat. Nam bellum Judaicum a. 66. ortum est, obsidio autem circa 22. mensis Xantici sive Nisan a. 70. cepta, aestate anni eiusdem victoria Romanorum finita est. Unde sequitur Albinum non serius initio Octobris a. 62. curam rerum iudaicarum suscepisse. Rebus sic se habentibus s. Jacobus, cuius caedes inter obitum Festi et Albini adventum commissa est, ante Octobrem a. 62. martyrio coronabatur [4]. Quo tandem tempore scripta sit eiusdem

---

1731. p. 2. s. G. Henschenius, Acta S. S. Maii I, p. 22. s. Saccarelli, H. E. II, 102. s. J. M. Faber, pr. q. Eusebianae de Jacobi F. Jesu vita et morte narr. p. q. expl. et def. Ansp. 1793. Fr. Ad. Heinichen, ed. Eusebii H. E. Lips. 1827. I, 166. s. Credner, Einleitung in das N. T. I. 6. Halle 1836. p. 573. 579. s. F. H. Kern, der Brief Jacobi unters. u. erkl. Tüb. 1838. p. 34. J. Fr. J. Demme, diss. fueritne Jacobus frater Domini Apostolus quaeritur. Vrat. 1839. p. 31. s. H. E. Fr. Guericke, Gesammtgeschichte des N. T. Leipz. 1854. p. 33. s. Ph. Schaff, Geschichte der apostolischen Kirche, Leipz. 1854. p. 386. s. Hi viri narrationem Hegesippi ita explicuere, ut Josepho minime contradicere videatur, neque idcirco alterutrius relatio falsa pronuncianda sit. Quid enim dicunt, impedit credere, quo minus s. Jacobus ad templi pinnaculum adductus fuerit; ex quo loco tumultuante populo in terram proiectus, lapidibus percussus ac tandem fullonis ictu percussus obierit? Haec enim nec Eusebio, qui utriusque scriptoris Hegesippi videlicet et Josephi testimonia Historiae suae l. c. p. 65. inseruit; nec Origeni, contra Celsum I, 47. XVIII, 88.; nec s. Hieronymo, de vir. ill. c. 2. p. 23. s. nec aliis postea scriptoribus sibi adeo opposita visa fuerant. Cf. Tillemont, Memoires pour servir a l' Histoire eccl. Ven. 1732. I, 377. s. et 630. s.

[1]) Cum H. Valesio, ann. ad Eus. H. E. 2, 23. p. 41. [2]) V. p. LXXXVIII. [3]) De bello VI. 5, 3. II, 389. s. [4]) Calculum nostrum confirmat S. Epiphanius, haer. LXXVIII. 14. I, 1046. ubi dicit Jacobum hunc praefuisse Ecclesiae Hierosolymitanae annos circiter quatuor et viginti ab ascensione Domini. Ceterum obser-

s. Jacobi epistola inter eruditos rursus magno invicem dissensu controvertitur. Plerique in annum 61. illam conferunt, non sine veri specie provocantes ad illa literarum encyclicarum s. Jacobi [1] loca; queis exarandis epistola s. Pauli ad Galatas et Romanos male intellecta ansam praebuisse videtur. In hac aetate stabilienda confirmamur etiam, relatione epistolae S. Petri prioris ad nostram s. Jacobi. Instituta siquidem collatione [2], aliquam scriptionis communionem in literis Jacobi et Petri cerni, divumque Principem Apostolorum ad laudata s. Jacobi loca respexisse, vix in dubium vocari poterit. Igitur epistolam Jacobi uti post illas Pauli, sic ante Petri primam datam esse putamus. Sed et de tempore quo scripta sit haec ipsa prima s. Petri epistola in diversas admodum — pro loci, unde missa habetur, varietate — opiniones abeunt interpretes. Secundam brevi ante mortem scriptam clare innuit d. Petrus [3], primam ergo aliquanto prius collocare oportebit, cum [4] aperte dicat ‚secundam scribo epistolam'. Satis itaque accurate utriusque tempus definire liceret, si de anno emortuali S. Petri nobis certo constaret. Atque sic ad quaestionem illam celeberrimam ‚quo anno aerae christianae Principes Apostolorum martyrium passi fuerint?" solvendam quasi inviti compellimur.

56. *Quod s. s. Petrus et Paulus anno post Christi natale 67. Aer. Vulg. martyrio coronati sint evincitur.* Nemo prudens dubitat S. S. Petrum et Paulum martyrii palmam obtinuisse Nerone imperante; maxima tamen inter chronographos agitur disputatio, quonam anno id factum sit? Antiqua monimenta prae ceteris consulamus oportet. S. Clemens Romanus [5], neque urbem neque imperatorem nominandum sibi esse censet, sub quo Petrus et Paulus passi fuerunt; quia utrumque Corinthiis notissimum ponit. Haec loci et temporis omissio, certe non ex ignorantia, sed ex verissima omnium ad quos spectabat epistola fidelium cognitione optime explicatur [6]. Tertulliano [7] autem satis fuit animadvertere: ‚orien-

vare adhucdum debemus: Criticos nimis stricte et summo in rigore accipere adverbium ‚εὐθὺς' apud Hegesippum; cum possit benigne et commode sumi, illud latiori quam voci huic convenit significatione, de longiori temporis intervallo eum usurpasse. Non enim ita continuo, sed demum annis quatuor postea, bellum intulerunt Judaeis Romani.

1) C. 3. et 4, 4. s. aliaque. 2) I. Petr. 1, 22. 23. coll. Jac. 1, 18. s. Petr. 1, 24. Jac. 1, 11. Petr. 4, 8. Jac. 5, 20. Petr. 5, 5. Jac. 4, 5. 6. Petr. 5, 6. Jac. 4, 10. 3) II. 1, 14. 4) II. 3, 1. 5) Ad Cor. I, 5. p. 61. 6) S. Clemens bene novit et ubi et quomodo passi sint s. Petrus et Paulus, quia s. Pauli olim adiutor fuerat, cuius strenuam operam praeconio Evangelii impensam laudat Apostolus ad Philipp. 4, 3. 7) Contra Gnosticos scorpiace n. 15. I, 246. S. Apostolos Romae obiisse hoc nostro tempore impudenter negare ausus est: Ferd. Gregorovius, Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter. Stuttg. 1859. I, 81.

tem fidem Romae primus Nero cruentavit.' Tunc Petrus ab altero cingitur cum cruci adstringitur; tunc Paulus civitatis Romanae consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate.' Prudentius[1], vero canit: ,Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis, pendere iussum praeminente ligno'; et inde de s. Paulo: ,Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni, diemque eundem sol reduxit ortus; evomit in iugulum Pauli Nero fervidum furorem, iubet feriri gentium magistrum'. Lactantius[2] scribit: ,Itaque post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Judaeorum nomen et gentem Vespasianus exstinxit'. S. Joannes Chrysostomus[3] belle ait: ,Non ita splendet coelum cum radios sol emittit, ut Romanorum urbs duas illas lucernas habens per totum orbem lucem emittentes. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Cogitate et exhorrescite, quod spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex illa theca resurgentem et sublatum in occursum Domini.' Eusebius Caesar.[4] annotat: ,Sic igitur omnium divini numinis hostium princeps et antesignanus Nero, in ipsos etiam Apostolos saeviit. Ac Paulus quidem Romae capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus eodem regnante traduntur.' In Chronico autem ad a. 14. Neronis tradit: ,Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus et Paulus gloriose Romae occubuerunt'[5]. S. Hieronymus[6], effert: ,Quid Petro, quid Paulo sublimius? Neroianum gladium cruentarunt.' Idem S. Pater[7] habet: ,Romam pergit ibique 25. annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis i. e. decimum quartum. A quo et affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus. Sepultus Romae in Vaticano, iuxta viam triumphalem, totius orbis veneratione celebratur'. S. Asterius Amasenus, luculentissime docet sub Nerone Apostolorum Principes palmam martyrii adeptos fuisse[8]. Amasaeae Episcopus de s. Paulo sermonem faciens ita concludit: ,Postquam universum circumquaque lustrans orbem, ac sermonem super candelabrum ponens, ingentem evangelicae cognitionis ac scientiae accendisset ignem, Romam regiam urbem petit, ut universorum dominos docens, ac in senten-

---

[1]) Peristephanon h. XII, 15. s. p. 246. s. [2]) Instit. div. IV, 12. p. 210. 1. [3]) Ep. ad Rom. XXXII, 1. IX, 757. [4]) H. E. II, 25. p. 67. [5]) Ed. Vall. VIII, 673. [6]) Ep. 68. ad Castrutium. p. 410. [7]) De vir. ill. c. 1. ed. Fabricii p. 18. s. [8]) Obiit S. Asterius c. a. 400. Testimonium eius hom. VIII. in S. S. Petrum et Paulum — apud Migne S. S. Patrum Aegyptiorum opera omnia. Par. 1858. p. 207. s. — tamdiu occultatum ac in Graecia latitans, dignum habemus, ut per integrum contextum a nobis laudetur.

tiam cogens, inque discipulos obtinens, ex abundanti hominibus reliquis congrederetur. Cum autem illic reperisset Petrum in idem studio incumbentem opus, sacramque ac divinam quandam bigam copulans, eos qui erant sub lege, in synagogis docebat, gentiles in foris lucrabatur, ac varius quidam bonorum doctor erat, puram Dei sinceramque scientiam declarans moralis virtutis accuratas regulas sanciens, choreas ac omnem ebrietatem omnemque luxuriam ac turpem voluptatem, cui maxime cum plebs universa, tum is qui rerum potiebatur, dediti erant, ab humana procul consuetudine depellens. Graviter quippe Neronem perstrinxit optimae castaeque illa conversationis insinuatio, maiori a labefactata voluptate affectum dolore, quam si imperio ipso pulsus esset. Etenim erat ut alius quis subtilis voluptatum inventor atque artifex, deliciis captus, ac tibiarum se cantu recreans: ignavus, mollisque ac effeminatus; scortorum praeses, non rex virorum. Qua enim ratione aliorum dominaretur, qui ne sibi quidem imperare sciret? Id unum curabat ac sollicitus agebat, ut pietatis ac castitatis doctorem ex urbe exscinderet. Ac vero Herodis aemulatus animum, Apostolos in carcerem tradit, uti ille Joannem, habensque alterius instar Herodiadis impudicam ac Veneri mancipatam voluntatem, Petri ac Pauli quaerentem caput, martyrio ambos coronavit, alterum quidem affigens ligno, Pauli vero cervicem abscindens, nobisque ac universo mundo festam lucem atque conventum, ac tantae argumentum solemnitatis, sanctorum passionem relinquens.' Theodoretus[1] de Sede Romana testatur: ,Habet praeterea communium patrum magistrorumque veritatis Petri et Pauli sepulchra, fidelium animas illuminantia'. S. Isidoro Hisp.[2] referente s. Petrus ,Sexto et tricesimo anno post passionem Domini, a Nerone Caesare in urbe Roma deorsum, ut ipse voluit, crucifixus est.' Paulus[3], ad ultimum a Nerone gladio caeditur eo die quo et Petrus crucifixus est'. S. Gaudentius Brixianus[4] denique perorat: ,Per huius magistri vestigia gradiuntur fideles discipuli Petrus et Paulus, quorum passionis natalem hodie per universum mundum omnes Ecclesiae concelebrant. In hoc enim die apud urbem Romam ambos pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit.'

Itaque cum plane constet s. s. Petrum et Paulum sub Nerone obiisse, age quo anno id acciderit videamus. Quidam scriptores anno Ae. V. 74. illigant; alii 65. ponunt, denique plures Chronologi ad a. 66. referunt, interpretes tandem haud pauci A. 67. malunt[5]. Et sane si quid in his

---

[1]) Ep. 113. Leoni Ep. Rom. IV, 1188. [2]) De ortu et obitu Patrum c. 68. 117. V, 149. [3]) Ib. 69, 123. p. 150. [4]) † 412. Serm. de Petro et Paulo Ed. P. Galeardi Patav. 1720. p. 235. [5]) Sunt autem sequentes: Gregorius Cortesius Mutinensis S. R. E. Pr. Card., tract adv. neg. B. Petrum Ap. fuisse Romae, ed. ep.

videmus a. 67. tum vulgo receptior, tum verisimilior apparet; quia nihil reperire est, quod alicuius momenti sit, atque huic anno contrarium esse videatur [1]. Epocham mortis Apostolorum in anno vulgaris aerae LXVII. incidere, quam omnium maxime probabilem censemus et propter sequentes causas defendimus. a. S. Ambrosius [2], narrat: Petrum et Paulum doctores Christianorum necatos a Nerone; postquam is ,Judaeorum

---

Ven. 1573. p. 310. D. Petavius, de doctrina Temporum XI, 14. II, 178. J. G. Frank, n. syst. Chron. fund. p. 175. J. P. Mynster, de ultimis annis muneris Apostolici a Paulo gesti disq. Havn. 1815. p. 9. s. 68. s. H. A. Schott, Erörter. e. w. chron. P. i. d. L. d. A. Paulus. p. 143. s. Fr. X. Patritius S. J., de Evangeliis I. 1, 2. n. 30. s. p. 41. s. J. Bucher, Chronol. d. N. T. p. 131. s. G. Ginella, de auth. ep. s. Pauli Pastor. p. 131. D. Bartolinus, sopra l'anno LXVII. dell' era volgare se fosse quel del martirio dei gloriosi Principi degli Apostoli Pietro et Paolo obs. stor. chron. Rom. 1866. p. 6. s.

[1]) Illud quidem nobis obiicient: Eusebium in Chronico ed. Vallarsii VIII, 673. recensere necem Apostolorum Petri et Pauli proxime ante rebellionem Judaeorum, quam ex Josepho constat a. ae. v. 66. evenisse. Eusebio dicunt, favet Sulpitius S., Hist. s. II, 41. 42. p. 355. scribens: „Tum Paulus ac Petrus capitis damnati; quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est. Dum haec Romae geruntur Judaci praesidis sui Festi Flori iniurias non ferentes, rebellare coeperunt." Hoc autem secundo, continuant iidem, perpendamus Neronem, iuxta unanime antiquitatis testimonium, cum Petrus et Paulus occisi sunt, Romae fuisse. At vero anno 67. Neronem in Graeciam navigasse discimus ex Dione Cassio, Hist. rom. 63, 8. ed. Fabricii 1752. II, 1031. Cum iam esset autumnus adhuc in Graecia commorabatur, uti narrat Josephus, de bello III. 10, 10. p. 260.; quod quidem cum Dione l. c. n. 17. p. 1038. convenit. Ecce autem hocce bene expenso Neronis reditus ante autumnum a. 67. nullatenus statui potest; quodsi ita, validum occurrit adversus a. 67. argumentum? Itaque cum sententiae de anno 64. iuste opponatur, Neronem in Christianos saevire non cepisse ante incendium, quod Romae mense Julio 64. accidit, opinioni vero de anno 65. nullus vetustorum scriptorum faveat; — Orosium Historiarum VII, 7. ed. Sig. Havercamp. Lugd. Batav. 1738. p. 473. hallucinatum cum narrat: effusum Apostolorum sanguinem duram ultam fuisse luem a. 65.; demonstravit Fogginius, de rom. d. Petri itinere et Episcopatu. Flor. 1741. p. 380. — una adhuc superest S. Epiphanii traditio haer. XXVII, 6. p. 107. „Ac fieri sane potuit ut primum Clemente constituto, cum iis defugeret, postea Lino Cletoque mortuo, qui 12. annorum spatio singillatim Episcopatum obtinuerunt post Apostolorum Petri Paulique necem, quae in annum Neronis XII. incurrit, tum demum Pontificatum capessere sit coactus." Sed argumentum istud, cur anno 66. s. s. Petrus et Paulus martyrio consummati affirmantur, non magni ponderis est: cum nullo Veterum testimonio traditum habeatur, Principes Apostolorum interfectos Nerone in Urbe commorante. [2]) De excidio Hierosolymitanae Urbis l. II. — quos libros Pontifici Mediolanensi primus omnium adscripsit C. Cortesius, tract. adv. persv. p. 327. aliique d. q. v. p. 310. 1. — apud A. Gallandium, Biblioth. Vet. Patr. antiq. Script. Eccl. VII, 700.

bello afflictam Romani exercitus validam manum cognovisset'. Clades ista Romanis illata est anno 66. Aerae Vulgaris [1]. Scriptor quidam graecus anonymus [2], in haec verba de martyrio Principum Apostolorum loquitur: ,Sub Nerone Romanorum Caesare martyrium passus est Paulus Apostolus, gladio obtruncatus a. 36. post Salvatoris passionem, qui bonum certamen certavit, Romae quinta mensis Panensi die, i. e. apud Romanos tertio Calendas Julias, quo die martyrio consummatus est Apostolus. A tempore igitur martyrii eius effluxerunt anni 330. usque ad praesentem consulatum, quartum videlicet Arcadii et tertium Honorii Imperatorum Augustorum, indictione nona periodi quindecim annorum, mensis Junii 29. die.' Jam vero si ab annis 396.; quo tempore scriptor iste nimirum testatur a die obitus s. Pauli 330. annos iam effluxisse, iidem subtrahantur, supersunt anni 66.; quibus lapsis, anno inter utrumque numerum medio i. e. sexagesimo septimo Aer. Vulg. martyrii palmam sumserunt s. s. Petrus et Paulus. Concinnunt β. Cassiodorius [3], Venerabilis Beda [4], et quisquis ille compilator fuerit operis ,Φιλοσοφουμένων', sive ,τοῦ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἐλέγχου' [5]. Accedit c. huic tempori consentire eos omnes scriptores, qui 25 annis s. Petrum Romae sedisse dicunt; tot enim a secundo Claudii anno numerantur. Favent etiam illi qui 36 annos post Christi in coelos ascensionem eum passum esse narrant, cum totidem rursus anni effluxisse inveniantur. Demum ex perpetua Ecclesiae Romanae traditione, e cunctis item tum editis tum manuscriptis Kalendariis et Martyrologiis discimus s. s. Petrum et Paulum sub Nerone passum esse die 29. Junii. S. Hieronymus [6] pro hac sententia facit, ubi narrat: Lucius Annaeus Seneca ,ante biennium quam Petrus et Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectus est.' Cum ex Annalibus Taciti [7] certum sit: Senecam ineunte anno 65. obiisse, itaque biennio obitus Lucii Annaei Senecae martyrium Principum Apostolorum Petri et Pauli praecessit [8].

---

[1]) Coll. Jos. de bello II. 19, 9. II, 206. [2]) Qui Commentariis Oecumenii in Actus Apostolorum praemitti consuevit. Cf. ed. Morelli Par. 1630. fol. 6. B. Montfauconii, Cod. 25. al. 121. Bibliothecae Coislinianae. Par. 1715. p. 76. s. [3]) Chronic. ad Neron. Op. I, 360. [4]) De sex aetatibus mundi ad a. m. 4021. Op. II, 110. Martyrologium, 3. Cal. Julii III, 317. [5]) Ed. L. Duncker et F. G. Schneidewin. Gott. 1859. lib. VI, 20. p. 256. s. V. Döllinger, Hippolytus u. Callistus. Regensb. 1853. 2. s. [6]) De vir. ill. c. 12. p. 66. [7]) Annal. XV, 60. p. 1516. [8]) Sed minime reprehendendi sunt Veteres illi, qui imperatorum annos non ab eo die putare solent, quo primum inierunt; sed a civili anni primordio, quod illorum initium antecessit, interdum προληπτικῶς antevertunt; sive a Paschali mense numerant, sive a Januario, praesertim cum de Rebus Romanorum loquuntur. His positis non admodum discrepant priscorum scriptorum sententiae, et perquam apte cohaerent,

Ceterum Dionysius Corinthius [1] atque Gelasius Papa de s. Paulo affirmant: ,non diverso sicuti haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma, sub Caesare Nerone agonizans coronatus est [2].'

57. *Disquiritur de tempore, quo scriptae sunt epistolae s. s. Petri, Pauli ad Timotheum posterior, Judae, Joannis atque Apocalypsis.* Stabilito itaque tempore martyrii Principis Apostolorum, iam inquiramus, quando epistola prima s. Petri exarata fuerit? Hac in re solo fere argumento interno adiuvamur. Indoles literarum suadet, ut eas post finem a. 64., quo persecutio Neronis orta est, scriptas esse censeamus [3]. Reperto autem prioris epistolae tempore etiam secundae apparet, sc. exeunte a. 66. exaratam fuisse. Quod tandem ad epistolam alteram s. Pauli ad Timotheum attinet, haud equidem cunctamur dicere: datam esse non multo ante martyrium Apostoli a. 66. aer. v. Certe hac ratione illa commata huius epistolae, in quibus se proximum morti significat, optime intelliguntur [4]. Post martyrium s. s. Petri et Pauli, inter

---

si Principes Apostolorum passi sunt 29. Junii a. 67. aer. vulg. Erat enim ille Neronis annus imperii XIII., si putantur anni a 3. id. Oct. a. 54. aer. vulg., quando Nero regnum adiit; si autem more populari numerantur ex ipsis Kalendis Januarii, primus annus imperii fuerat a 54. aer. vulg., alter 55. e. aer., atque sic XIV. habetur 57. aer. vulg. Cum itaque Nero mense Junio a. 68. sibi violentas manus intulerit, s. s. Petrus et Paulus 29. Junii a. 67. recte dicuntur martyrium consummasse; quia Nero vita excessit anno nondum completo, ex quo Principes Apostolorum extremo supplicio affecit.

1) Apud Eusebium H. E. II, 25. p. 68. „κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν." Notandum est Dionysium † 180., haud diu post Apostolorum mortem claruisse. 2) In collectione Harduini II, 938. 3) Coll. I. Pet. 1, 6. 7. 2, 12. 13. 3, 16. 4, 4. s. 14. 5, 9. 10. totus cardo demonstrationis in eo versatur, ut variis adversitatibus vexatos Christi fideles ad patientiam exemplo Salvatoris cohortetur. Coll. 2, 21. 4) Sentient lectores longe aliter affectum fuisse Apostolum, cum hanc scriberet, quam in reliquis epistolis, quas pendente prima captivitate scripsit. Fervet in illis quoque pectus, summo desiderio flagrat Paulus: ut sit cum Christo; semper tamen addit opus esse Evangelii causa longiore vita, neque dubitat, quin eam largiturus sit Deus. Divino forte monitu noverat iam nunc Apostolus, quod sub Nerone iam futurum erat, ut occumberet. II. 4, 6. s. Sunt et alia haud pauca quae primis vinculis aptari nullo modo possunt. Ita e. c. 4, 9. Timotheum certiorem facit Apostolus, Demam saeculi negotia secutum se deseruisse; qui tamen Romae aderat cum ad Philemonem v. 24. scriberet. Tychicum 4, 12. Ephesum misit, hunc autem sub finem prioris captivitatis adfuisse, et tunc demum in Asiam minorem missum, coll. ep. ad Ephes. 6, 21. 22. Coloss. 4, 7. 8. patet. Erastus Corinthi remansit 4, 20., ast cum prima vice Romam peteret, Corinthum non est delatus. Maxime autem in eo laborant interpretes, quicunque se alteri opinioni addixerunt, quod dicat II. 4, 20. b. Apostolus: se Trophimum aegrotum Mileti reliquisse. Addere licet 4, 16. 17.;

a. 67. et 68. scriptam habemus epistolam s. Judae, certe autem ante excidium urbis Jerusalem. Liquet id α. ex collatione argumenti epistolae Petri posterioris et catholicae s. Judae. Utramque epistolam non solum consilio et argumento; sed etiam dictione, allatis exemplis, imo singulis verbis maxime congruere, fatentur omnes, penes quos hac de re iudicium est. Omnino statui debet unius scriptorem, alterius scriptum cum suum exararet, ante oculos habuisse [1]. Sunt rationes permultae et admodum graves, ex natura et indole utriusque epistolae inter se comparata repetendae, quae d. Judam literas s. Petri ante oculos habuisse probant [2]. Gravissimum huius sententiae argumentum inde petitur, quod s. Petrus pravos doctores sistat veluti qui errores seminant; d. Judas autem eos tanquam tales describat, qui perversa sua placita iam latissime divulgarunt [3]. Cum enim haeretici illi, contra quos pugnat s. Petrus, sese iam late diffunderent, d. Judas ad cohortandos Christianos, quos ad fidem ipse convertit, literas dare decrevit. Lecta itaque s. Petri epistola, in apostolica humilitate perspexit: se pluraělioraque scribere non posse [4]. β. S. Judam Apostolum ante excidium Jerosolymarum scripsisse, haud perperam infertur: ex exemplis vindictae divinae in impios [5]. Si enim post ultima fata urbis Jerusalem scripsisset, inter alia hoc novissimum omniumque maximum, et ab ipso Christo toties incredulis Judaeis praedictum, exemplum in medium proferre non omisisset [6]. Quominus denique cum ἀκρίβεια

ex quibus versibus sequitur Apostolum post vincula prima Evangelium per orbem terrarum disseminasse. Quoniam 4, 21. Timotheum rogat, ut festinet ante hiemem venire, inde sumendum erit tempore autumni 66. d. Paulum hanc epistolam scripsisse. Cf. J. d. Bosii, exerc. ad II. Tim. 2, 22. Intr. in Not. Script. ed. Walch. add. Jen. 1723. p. 508. A. Bisping, Erkl. d. d. Pastoralbriefe. Münst. 1855. p. 232. s.

[1]) Cf. Jud. 17. 18. et II. Pet. 3, 3. [2]) Triplex modus explicandae illius convenientiae inter II. d. Petri, potissimum c. 2. p. i., atque s. Judae literas reperitur. Vel uterque s. scriptor ex uno communi quodam fonte sua hausisse, vel Judas Petrinam, vel Petrus Judae epistolam ante oculos habuisse statuitur. Sed liber huius generis communis nunquam exstitit; ideòque temerarium est, fontem assignare, cuius ne minimum quidem apud Veteres deprehenditur vestigium. Cf. E. Ad. Richter, de origine posterioris Petrinae ex epistola Judae repetenda. Viteb. 1810. p. 3. s. [3]) Coll. II, 2, 1—3. 12. 3, 2. [4]) Omissis illis quae Petrus ex sua persona dixerat, aliis vero a s. Petro obscurius dictis explicatis; nonnulla imprimis habito respectu ad narrationes traditionales sui aevi addidit, reliqua pro captu lectorum instruxit. [5]) Quae d. Judas v. 5—8. protulit. [6]) Hoc quoque accurate determinari nequit, an prius acciderit scriptio epistolae; quam Judae ἀπόγονοι, propter originem generis sui Davidicam, teste Hegesippo apud Eusebium H. E. III, 20. p. 89. Romanis suspecti essent. Constat vero ex Tacito, Hist. V, 1. p. 212. coll. Josepho, Antiq. XX, 10. p. 980. et de bello VI. 4, 8. p. 387. Templum et Urbem

definiamus tempus, quo s. Joannes tres epistolas item Apocalypsim edidit, impedit nos defectus monimentorum sive testimoniorum. Itaque quae probabiliter hac de re dici possunt, paucis subiiciemus. Circa aetatem primae epistolae maximus est eruditorum dissensus. Ante exilium in insulam Pathmum scriptam, plura suadent rerum momenta. a. Loquitur s. Joannes [1] ad lectores, qui vixere, cum Apostoli praedicare inciperent. b. Respicit errores pseudo-doctorum, quorum semina iam in Ecclesia pullulabant. c. Probabile est per ,ἐσχάτην ὥραν' [2] intelligi excidium Jerosolymitanum. ,Τοῦ πρεσβυτέρου' titulus, quo Joannes in secunda et tertia epistola se adpellavit, indicat, has literas senili aetate exaratas, maxime propterea, quod ne nomen quidem suum apposuerit Evangelista. Unde sequitur Joannem adpellatione ,senioris' lectoribus, ad quos scripsit, notum fuisse: atque adeo eam tum egisse s. Joannem aetatem, cui ,τοῦ πρεσβυτέρου' adpellatio κατ' ἐξοχὴν competeret. Duas posteriores interim epistolas paulo post primam ab Apostolo scriptas fuisse, nemo facile, ut putamus, inficias ibit. Quae etsi in universum haud sine veri specie dici possunt, tamen ad annum exacte determinandum progredi non possumus. Ad exitum monendum: de nullo alio N. T. libro forte tanti interesse; ut certo constet, quo tempore scriptus sit, ac de Apocalypsi. Ex huius enim quaestionis solutione multorum capitum interpretatio pendet [3]. Certius quoddam tempus reperiretur, si omnino de tempore exilii Evangelistae constaret; et quidem primo de termino a quo. Sententia communis habet exilium et visionem apocalypticam divi Joannis contigisse sub Domitiano [4]. De anno huius exilii scriptores probati itidem non multum dissident; sed ad finem Domitiani annum fere XCV. aer. vulg. eum referunt [5]. Mors d. Joannis iuxta s. Epipha-

a. U. C. 823., a. C. N. 70. periisse; bellum vero Judaicum teste eodem coaevo, de bell. IV. 9, 12. et 10, 1. p. 306. 7. triennio antequam Vitellius imperium capessivit, i. e. 66. p. C. initium cepisse.

1) Coll. I. 2, 7. 2) I. 2, 18. coll. ib. v. 8. 3) Quantopere autem hac de re a commentatoribus disputetur, ut quid enumeremus! Nimis ampla est annorum distantia, in qua sese agitant temporum aestimatores, ab Imperatore Claudio nempe, i. e. a. 45., ad Imperatorem Hadrianum usque; i. e. annum fere 96. et ultra. 4) Tres enim quatuorve, qui sub Nerone esse visam clamant, — e. c. Harduinus, Chronologia V. T. p. 636. notorie vir ingenii singularis, sed sentire amans seorsum ab aliis, J. G. Kerkherdere, Monarchia Romae paganae. Lov. 1727. p. 19. — quid illi contra torrentem eximiorum veterum et recentiorum scriptorum, quorum seriem tradit Joannes Haius, sive de la Haye S. J., apparatus Evang. Duaci 1611. p. 245. 5) Ita s. Irenaeus, adv. haer. V. 30, 3. p. 803. dicit: „Scientes quoniam si oporteret manifeste praesenti tempore praeconari nomen eius, per

nium[1] contigit, cum aetatis annum ageret quartum circiter et nonagesimum; qui respondet anno a. c. 100. vel 101. p. C. Chronicon paschale[2] habet ‚Διήρκεσεν ὁ Θεόλογος μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἔτη οβ.' ‚Supervixit Theologus post Domini ac Dei nostri assumtionem annos LXXII.' Notat itaque s. Joannem usque ad a. c. 106. vitam produxisse. Sententiam Chronici, cuius scriptor ad aetatem Eusebii prope accedere creditur, vero propiorem existimamus, quia insigniter convenit cum testimonio Clementis Alexandrini[3], quod excerpsit Eusebius[4]. Id vero pro indubitato ponimus ideo, quia si anno adhuc 107. superstes fuisset, de eo S. Ignatius in sua ad Ephesios Epistola mentionem fecisset[5]. Haec peremtoria sunt adversus sequiorem aetatem[6]. Tempus Apocalypseos scriptae e definitione exilii in Pathmo satis conspicuum est. Cum enim concors Veterum Traditio Joannis relegationem in insulam Pathmos termino imperii Domitiani iungat; hinc recte infertur; Apocalypsim sub finem imperii Domitiani conscriptam esse. Quod plurima gravissimaque affirmant antiquitatis testimonia, temere deserunt et oppugnant illi, qui ex indiciis et vestigiis, quae in libro hocce prophetico reperiuntur[7], statuere voluerunt: d. Joannem iam sub Nerone vel etiam sub Claudio Apocalypsim exarasse. Sed obstant ipsae res, quas continet liber, quae

---

ipsum utique editum fuisset, qui et Apocalypsim viderat. Neque enim ante multum temporis visum est, sed paene sub nostro saeculo, ad finem Domitiani imperii." Idem testatur Eusebius Caes., cuius evidentissimum et omni exceptione maius testimonium legitur Hist. Eccl. III, 18. p. 88. Adde S. Hieronymum, de vir. ill. c. 9. p. 56. in haec verba testantem: „Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem movente Domitiano, in Pathmos insulam relegatus scripsit Apocalypsim. Interfecto autem Domitiano, et actis eius ob nimiam crudelitatem a Senatu rescissis, sub Nerva principe redit Ephesum ibique usque ad Traianum principem perseverans, totas Asiae fundavit rexitque Ecclesias, et confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est." Quartus decimus annus imperii Domitiani quo persecutionem in Christianos movet, respondet a. 95. p. C. iuxta Suetonium, Domit. n. 17. p. 370. enim constat: „quartodecimo Kalendas Octobris imperii quintodecimo", i. e. 96. p. C. occisum fuisse. S. Joannes vero iuxta fidem testimoniorum S. Irenaei adv. haer. III. 3, 4. p. 436. Eusebii, in Chronico ad a. p. C. 101. p. 692. s. S. Epiphanii, haer. 66. 19. p. 636. s. Hieronymi, adv. Jovin. I, 26. p. 279. octo adhuc circiter annos post reditum ex insula Pathmos Ephesi commorabatur, qui sane sufficiunt ad labores Apostoli eos, quos ab ipso sub isto tempore peractos novimus.

[1]) Haer. 51, 12. p. 434. [2]) Ed. c. p. 201. [3]) Quis dives salvetur, n. 42. p. 958. s. [4]) H. E. III, 23. p. 91. [5]) V. Hefele, prolegom. p. XL. [6]) Cf. J. Pearsonii, Vindicias Ignatianas II, 1. apud Cotelerium, P. P. apost. II, 357. s. [7]) E. g. 2, 9. 11, 1. 17, 16. 19, 7.

nos in hanc opinionem ire vetant. A. Quo tempore scripta est Apocalypsis, Ecclesiae per Asiam inferiorem iam pridem fundatae et stabilitae esse supponuntur. Redarguuntur enim gravium criminum, quae largioris temporis tractu Ecclesias illas obrepserant. B. Liquet illo tempore, quo edita est Apocalypsis, haereses iam altas egisse radices [1]. C. In epistola ad episcopum Pergamenorum [2] Antypas quidam martyr laudatur; in reliquis vero literis alluditur ad afflictiones, quas confessores Christi causa iam sustinuerant [3]. Accedit D. manifestam huius aevi notam nos habere in iis rebus, quas de nova Jerusalem praedicat Apostolus [4], et de fovenda unice gentium Ecclesia [5].

Superest ad extremum cum adversariis controversia: quid nomine ‚Βαβυλῶνος' [6] veniat? Constans et perpetua Veterum Traditio docet adpellatione ista d. Petrum atque s. Joannem: urbem Romam τροπικῶς designasse. E testium copia damus Tertullianum: ‚Babylon apud Joannem nostrum Romanae urbis figura est, proinde magnae et regno superbae et sanctorum Dei debellatricis' [7]. Adiiceremus alios etiam [8] plures Veterum, nisi in hac controversia res ita comparata foret, ut ingenuus lector primo statim intuitu agnoscat: Romam septicollem, quae imperium exercuit in reges terrae. Ipsa vero denominatio ‚Βαβυλών' fundata est in perfecta utriusque Urbis ad Euphratis, et Tiberis, ripas sitae similitudine; quod ad magnitudinem, superbiam, dominationem, luxum, persecutionem Sanctorum et omne genus abominationum attinet. Proinde Babylon Petrina et Joannea est ‚Roma pagana'; et excidium Babylonis apocalypticum dudum impletum est [9].

Atque haec sunto, quae nos προλέγειν oportebat. Notationes istae aliquibus fortasse nimis multae, adeoque plures solito videbuntur. Ceterum si nulla est in ipsis supervacua ‚non sunt longa quibus nihil est quod demere possis'; ut scite monuit iam pridem poeta. Si coniecturis indulgere mens

[1]) Coll. 2, 15. 20. 3, 9. [2]) 2, 13. [3]) 2, 2. 9. 13. [4]) 3, 12. 21, 2. 10. [5]) 19, 7. Sententia quorumdam: haud exiguas Apocalypseos partes, totamque singularum sectionum compositionem artificiosam post obitum demum d. Joannis emanasse, argumentis idoneis defendi non potuit. Ad epocham Apocalypticam v. Frank, nov. syst. Chron. f. p. 175. s. [6]) I. Petr. 5, 13. et Apoc. 17, 5. item 18, 2. 10. 21. [7]) Adv. Marcion. III, 13. III, 126. [8]) E. g. s. Irenaeum, adv. haer. V. 26, 1. p. 787. s. Hippolytum, demonst. de Christo et Antichristo n. 36. s. apud A. Gallandium, Bibliotheca Veterum Patrum et Scriptorum Eccl. Ven. 1766. II, 429. s. Eusebium, Hist. Eccl. II, 15. p. 53. s. Hieronymum, ad Algas. ep. 121, 11. p. 838. praef. ad l. Didymi de Spir. s. II, 105. s. Victorinum Pet., comm. in Apocalypsim, Magn. Bibl. Vet. Patr. Col. 1618. III, 141. [9]) V. p. 516. 517.

fuisset, plura adhucdum de temporum Novi Testamenti ratione disputassemus, at historias non autem hypotheses enarrare ivimus. Lites Criticorum, — quorum segetem longe uberrimam, saeculum quo vivimus quodque elapsum est tulit, — opinionesque vanas longo ordine recensere nec animus est, nec operis a nobis suscepti ratio permittit. Quod reliquum est, paucis enumeremus scriptores, qui Chronotaxim Apostolicam diversa singuli sibique priva via digesserunt. Mittimus opera, quibus Eusebius, s. Hieronymus, Euthalius, Cassiodorius, Oecumenius, Syncellus, Anastasius bibliothecarius, Orosius, V. Beda, Sulpitius, Joannes Malelas et auctor Chronici Paschalis s. Alex., aliique Veteres tempora ea, quae Christi ad Coelos ascensionem exceperunt, illustrarunt. Supersedemus labori recensionis criticae horum scriptorum, quo tot alii doctissimi viri egregie perfuncti erant. Siquis autem horum scriptorum sive merita sive demerita curiosius velit cognoscere legat: Jortinii, Remarks on E. H. ed. a. quas ex Valesio, Dupinio, Tillemontio aliisque collectas dedit II, 252. s. J. A. Fabricii, Bibliothecam gr., ed. Harles. Hamb. 1801. VII, 418. s. D. R. Ceillier, Histoire gen. des auteurs sacrés et ecclesiast. Par. 1723. p. 421. s. J. Zola, Commentariorum de rebus chr. prolegomena. Ticini. 1787. p. 156. s. B. Rienstra, d. de fontibus ex quibus H. E. opus hausit Eusebius. Trai. a. Rh. 1833. Th. de Mörner, de Orosii vita eiusque Historiarum l. VII. adv. paganos Berol. 1844. p. 49. s. Videantur etiam de iisdem: Flügge, Versuch einer Gesch. der theol. Wiss. Halle. 1797. II, 321. s. Baur, pr. comp. Eusebius Caes. Hist. Eccles. parens cum par. Hist. Herodoto Halicarn. Tub. 1834. Ei. Epochen der kirchl. Geschichtschreibung. Tüb. 1852. p. 7. s., sed caute consulendi sunt, quia multa habent libere et inique dicta. Nec loci huius est catalogos texere, quibus enumerarentur Annales Eccl. C. Baronii, opera item D. Petavii, Natalis Alexandri, Norisii, Tillemontii, Fleuryi, Hoggimii, Harduini, Sandinii, J. Lamii, aliorumque, inter quos Bollandum eiusque celeberrimos iuxta ac diligentissimos continuatores iure meritoque numeravimus, quae quidem inter ea opera excellere, quae de primis rebus christianis tractant, nemo ignorat. Nec abundantius commemorandi sunt heterodoxi scriptores: Usserius, Basnage, Cavius, Capellus, Lightfoot, Spanhemius, Bengelius, Buddeus, Witsius a nobis non semel allegati. Cuinam vero Hug, Kuinoel, Winer, Anger, Wieseler — de quibus sicuti et de ceteris grati agnoscimus, eos nos multum in adornanda Chronologia Paulina adiuvisse —, Otto, non audita nomina. Haud exiguo adiumento esse A. Neander, Gesch. der Pflanzung der chr. Kirche durch die Apostel. ed. III. Hamb. 1841., fatemur. Quos qui noverit etiam Ph. Schaff, Gesch. der apost. Kirche nebst einer allgem. Einleit. in d. Kirchengesch. Leipz. 1854. cognoverit. Ad res gestas s. Pauli Apostoli quod attinet, nullus dubitat praeclarissima esse opera posthuma Chronologica J. Pear-

sonii Angli, quibus praefiguntur famosi Annales Paulini et Lectiones in Acta Apost. ed. H. Dodwelli. Lond. 1688. De hoc argumento i. e. de enarrandis Historiis S. Pauli diligenter etiam exposuere: Th. Massutius S. J., Paulus Apostolus s. vita S. Pauli hist. et dogm. explic. l. XV. Lugd. 1633. J. Lange, comm. hist. herm. de vita et epistolis Ap. Pauli. Hal. 1718. S. Van Alphen, diss. var. ad hist. Pauli. Trai. ad Rh. 1718. J. J. Hottinger, πεντας diss. bibl. chron. ib. 1723. diss. V. chronotaxis hist. et ep. s. Pauli. p. 305. s. J. M. Lorenz, Annales Paulini. Argent. 1769. Hess, Gesch. u. Schrift d. Ap. Jesu. Zür. 1809. s. J. T. Hemsen, der Ap. Paulus, sein Leben, Wirken u. Schr. ed. Lücke Gött. 1830. C. Schrader, der Ap. Paulus. Lips. 1830—36. I—V. L. F. Juillard, Vie de S. Paul. Strassb. 1835. E. Mégnin, Essai sur s. Paul. ib. 1845. J. P. Mynster, Annalium Paulinorum adumbratio. Havn. 1845. Baur malae notae, Paulus der Ap. J. Chr. Stuttg. 1845. ed. alt. c. E. Zeller. 1866. Joannes Smith, the voyage and schipwrek of St. Paul. Lond. 1848. Ewald, die Sendschr. d. Ap. Paulus. Gött. 1857. De tempore epistolarum s. Pauli in specie disputarunt: A. Bloch, in Chronotaxi scriptorum d. Pauli. Flensb. 1782. J. Fr. Köhler, Versuch ü. d. Abfassungszeit der epistol. Schriften im N. T. u. d. Apoc. Lips. 1830. p. 48. s. Schott, Erörterung einiger wicht. chron. Puncte in d. Lebensgesch. d. Ap. Paulus. Jen. 1832. Goeschen, Bemerkungen zur Chronologie d. N. T., in annal. Stud. u. Krit. 1831. IV, 728. s. J. Fr. Wurm, ü. d. Zeitbestimmungen im Leben des Ap. Paulus. Tüb. Zeitschr. f. Theol. 1833. I, 1. s. C. A. Agardh, von der Zeitrechn. der Lebensgesch. des Ap. Paulus. germ. ed. A. G. Holm. Stockh. 1847. J. E. Ceillier, tableau du ministère de S. Paul. Gen. 1851. Lehmann, chron. Bestimmungen der in d. Apostelgesch. 13—28. erzählten Begebenheiten. ann. Stud. u. Krit. 1858. p. 312. s., J. Bucher, zur Chronologie der Apostelgesch. und der paulinischen Briefe, in ann. Österr. Vierteljahresschr. 1863. p. 567. s. Chronol. d. N. T. p. 100. s. A. Klostermann, Vindiciae Lucanae. Gott. 1866.; praeter alios suis in locis iam laudatos, item commentatores, atque scriptores εἰσαγωγὴν in totum N. T. exhibentes. Q. v. enarrat. p. 258. s. Ceterum ieiuna atque inutilis non est de Chronologia Paulina disquisitio, ut enim eloquentissimus S. S. Patrum Graecorum belle perorat „Nemo hunc laborem extra rem esse, neque hanc disquisitionem superfluam et ex curiositate fieri putet. Nam epistolarum tempus non parum ad quaesita solvenda confert. Cum enim video Paulum Romanis et Colossensibus, de iisdem rebus scribere, neque tamen simili modo, sed illis Rom. 14, 1. cum indulgentia magna, Colossensibus autem cum maiori libertate, 2, 20. non aliam huius differentiae causam invenio quam rerum et temporis conditionem.“ Arg. ep. ad Rom. n. 2. IX, 427. 8.

Vita temporum est, et lux Historiarum Chronologia, qua neglecta omnis quidem tractatio erudita N. T. coecutiat est necesse! Habent igitur Lectores προλεγομένων seriem ad Historias, quibus serviunt, compositam, quasi indicem fontium illorum; ad quos, si nobis eisdem ducibus aliisve pervenerint, ea quae disputata sunt melius, non tamen maiora alia cognoscent. His praemissis, subiunctoque additamento „de Ethnicorum Religione"; Historiis Revelationis Divinae Novi Testamenti enarrandis manum admoveamus. Gloria sit Deo Regi sempiterno!

'Επίμετρον τῆς Προθεωρίας

De Ethnicorum Religione.

Etsi mundum, quaeque in eo sunt universa, maximo consilio Providentiaque Divinitatis regi et administrari sanae mentis hominibus persuasum sit; id ipsum tamen praecipue in rebus „ad Fidem et Mores" spectantibus apud universum humanum genus tam certum esse videtur, quam ea quae sensibus experimentoque percipi consuevere. Ut enim miranda illa omittamus, quibus Historiae Revelationis Divinae Utriusque Foederis sunt refertae; ex quibus discimus solo Dei gubernaculo Doctrinam coelestem datam, receptam et servatam: illud quoque iam fere omni erudito orbi notum est, Divinam Providentiam minime etiam Ethnicis sive Gentilibus, quod ad negotium gravissimum „Religionis" attinet, defuisse. Et sane memorabilis Gentilium in rebus Fidei et Morum conditio, ignorari a nemine potest absque iactura intellectus Historiarum Sacrarum; cum ita videat, qua ratione miseris illis tenebrarum temporibus, erudiendae Gentilitati operam suam semper et ubique impenderit Dominus. Sententiam: paganos nullum omnino a Deo accepisse influxum, damnavit S. P. Alexander VIII. decr. 24. Aug. 1690.

Communis populorum idololatriae, sive impiae opinionis pluralitatis deorum; quales fuerint origines; qui progressus; quibusve de causis similis ac diversa variarum gentium superstitio tam latis statim incrementis propagata fuerit: id nonnisi ex iis recte cognosci potest, quae Scriptura S. hac de re tradidit. Immensum hoc Dei beneficium est: quod Deus, non contentus hominem condidisse, cum praemio vitae aeternae proposito, rationem docuerit colendi Sui. Sed diabolus, qua invidia erat, perferre non potuit, ut se — qui origine tanto nobilior foret — de coelesti regno deiecto, homo ad tam sublimem eveheretur gloriam ac dignitatem; quocirca quem ambitio everterat, nullam intermisit industriam, quominus et homo maiora iis affectando, quae accepisset, similiter se

illis exueret, quae haberet. Qua est astutia daemon, homini pravo negotio persuasit, ut divinum transgrederetur mandatum; atque suo peccato se et omnem posteritatem paradiso et immortalitate privaret. — V. s. Justinum, vel quisquis est, auctorem Cohortationis ad Graecos n. 21. inter Op. ed. Ven. p. 22. de monarchia ib. p. 36. — Sed iis, quos debitae poenae sententia colligarat, mox gratia affulsit indebita; Deo pro immensa erga nos misericordia primis parentibus et inde nascituris, pollicente in paradiso, quem in plenitudine temporis misit, „semen mulieris" quo diabolus vinceretur. L. H. R. D. V. T. p. 14. s. Post promissa haec de solvenda diaboli potestate homini facta; non sibi otioso esse licere malignus ille spiritus existimavit. Fors alioquin putavit; fieri, ut quem paradiso coelesti et terrestri eiectum gaudebat, recipiatur et in coelum; unde ipse irreparabili casu ceciderat, gloriose evehatur. Ex iisdem igitur invidiae stimulis percitus, id gestivit; ut non cessaret ipsum sollicitare, pro sua quemque indole, ad omne peccati genus: ac inprimis ut creaturam colerent — Rom. 1, 21. — pro Deo non sine horrenda divini numinis iniuria. Unde S. S. Patres et Scriptores Ecclesiasticos — Tertullianum, de idololatria I, 29. s. Origenem, contra Celsum I, 1. s. XVIII, 11. s. s. Cyprianum, de idol. vanit. II, 13. s. Eusebium, Praep. evang. I, 5. p. 14. s. ed. Colon. s. Athanasium, Oratione contra Gentes 8, 9. I, a. p. 7. s. Minutium Fel., in Octavio XXV. XXVI. XXVII. p. 34. s. s. Augustinum, de Civit. D. l. VII. c. 34. 35. c. 1. p. 296. s. l. VIII. 24. ib. p. 336. s. Cyrillum Alex., Comment. in Esaiam lib. I. or. 5. ed. Auberti II, 146. Theodoretum, interpret. in Psalmum CXIII. e. c. 1, 2. p. 1410. s. Prudentium, in Apotheosi v. CCCCXX. s. p. 284. s. — omnium minime erroris accusare decet et licet; cum hominum a vera in Deum, unicum omnipotentem rerum omnium creatorem, fide deficientium, corruptores fuisse daemones dicunt, quorum illecebris culpam assignant idololatriae ortae et propagatae, atque quibus responsa oraculorum paganorum tribuunt.

Quod in specie oracula Ethnicorum attinet, quanquam Divinae Literae illorum causam aperte non aperiant; ea tamen dicunt locis non paucis, quae nos per se se inducunt: ut credamus daemones oraculis praefuisse. Enimvero Sacrae Scripturae aliquando aiunt: omnes gentium Deos esse daemonia, et quidquid Diis immolant homines daemonibus immolare I. Cor. 10, 20.; aliquando Israelitas redarguunt, quod filios suos Ammonitarum idolis sacrificantes daemonibus mactarent Deuter. 32, 17.; eaedem nos denique docent Beelzebub fuisse principem daemoniorum. Coll. Marc. 3, 22. Oportet sane daemones negotium aliquod cum oraculis gentilium habuisse; quoniam Christiani virtute crucis spiritus istos malignos cogebant, ut coram paganis profiterentur: se angelos deceptores tantum esse; iidem saepe numero iis silentium indicebant, atque exturbabant tam ex hominibus quam ex oraculis. — Dignus, qui hac de re legatur, est Lactantius, Institut. div. l. IV, 27. I, 220. s. — Sic igitur lapsus homo, deflexit ad proprias ratiocinationes; in quibus postmodum sensu et affectu suo ductus, amore rerum mundanarum, negligendo et contemnendo promissa Dei insignia, in terrenis fiduciam et delectationem collocaverat. Non praelucente Verbi Divini face, ruit in errorum oceanum circa spiritualia et coelestia, quae comparavit corporalibus; eousque progressum ut iusto Dei iudicio vetus ille orbis, Noa et familia eius exceptis, diluvio totus intercideret. Unde sponte sequitur altius ascendendum et origines idololatriae non ab aedificatione turris babelicae; sed e lapsu hominis petendas esse. — Cf. H. R. D. V.

T. p. 20. 22. Rohrbacher, Universalgesch. d. kath. Kirche. d. v. Fr. Hülskamp. Münst. 1860. I, 74. s. — Illud quidem facile damus idololatriam nimiopere auctam fuisse, ex quo discordia in aedificatione turris babelicae dispersisset gentes; cum propter dispersionem disiungerentur ab iis, penes quos vera Dei notitia permansit. L. H. V. T. p. 41. Non contentus homo concepisse Deum corporeum socios ei addidit; ut ita plures mundi ministerio sufficere possent. Sic introducta pluralitate numinum, cum deo praesente gaudere vellet homo, ruit in idololatriam externam. 'Ειδωλολάτρης a sole, luna, sideribusque coelestibus in terram delapsus; rebus variis praestanti virtute praeditis divinitatem tribuebat; adeo ut nihil fere intra mundi ambitum exstaret, quod non adnumeraverit iis, quae colenda forent. Tandem ipsos homines, queis nihil praestantius in Orbe viderat, colere coepit; atque numina, qualia mente concepit, manu quoque et opere expressit. Coll. Act. 14, 15. s. 17, 29. s. Bifariam, qui ex Noa originem ducunt, electione Abrahami et posteritatis eius in suum populum, divisis; non propterea tamen Deus gratia sua penitus destituit ceteros. Siquidem conservavit in iis quarumdam veritatum notitiam, veluti: quod supremum aliquod numen esset et mundum administraret; quod cultu prosequendum foret; cuiusve cultores praemium, non colentes sua maneret poena. Dolendum esse ob peccata; divinum numen placari sacrificiis et ritibus his similibus; aliaque quae fundamentum sunt religionis in universum consideratae. Hebr. 11, 6. Gentiles etsi lumine Verbi Divi orbatos, habuisse inprimis peccati quod „originale" audit, aliquam notitiam egregie docet vates cum canit: „trahit invitam nova vis; aliudque cupido, mens aliud suadet. Video meliora proboque deteriora sequor." Sed et fatendum omnino est, Ethnicos nec de vera mali huius origine; nec de summa eius gravitate et damnabilitate; nec de ratione, qua ab illo homines liberari possunt — quae omnia nos ad quaerendum Redemtorem ducunt — aliquid distincte cognovisse.

Haec dogmata cum prius constarent in protoparentibus Revelatione Divina — quia per Deum ista cognoverant — apud gentes, quos Deus alloquio suo non dignabatur, naturam induerunt traditionis humanae; quae nova subinde figmentorum accessione aetas consequens cumulavit, atque hodiedum in barbaris etiam nationibus viget. Vestigia antiquissimae Revelationis Archetypae purioris, in commentitiis nominibus ac gestis deorum et heroum — pro singularium gentium captu — dissimulata et velut peregrinis induta vestibus; ut lucidissimas veritatis scintillas et stricturas micare, quique saniores nostri aevi scriptores pro vero indubitatoque habent. Unde dignum est theogoniarum veterum argumentum, quod a theologo accurate excutiatur; continet enim priscae et primaevae Revelationis semina, ast multis postea ingeniorum luxuriantium commentis obscurata, quibus detectis de universali propagatione huius ipsius sententia ferri potest firmissima. Quo argumento vix validius ullum, ex eorum genere quae ratio suppeditat ad sanciendam Revelationis Divinae necessitatem, reperire queas. Atque hoc est quod Lactantius — lib. I. Institution. div. e. c. I. p. 5. — vocat „testimonium populorum atque gentium in una hac re non dissidentium." Hac clave adhibita, si negligantur illa, quae intellectus hominis post lapsum ἀγνωσία laborans excogitabat, obscurissimi secus ethnicae religionis mythi, de quorum vi et significatione vel historica, vel mere symbolica, vel mixta litigatur; item instituta, ad quae casta religio traducta est, veluti sunt: sacrificia inter quae tremendae victimae humanae diis oblatae inprimis eminent, explicantur.

Sacrificia humana horrenda immaniaque fuisse, adeo ut ea plerumque detestarentur spectatores, damus; de veteri autem opinione, quae hominum insederit animis, iratum Deum haud aliter quam cruenta, imo et humana nonnunquam victima placari posse luculenter testantur. Sensum enim peccatorum suorum habuisse gentiles, hodierno die nulli dubium esse existimamus. Eadem ratione etiam oracula, auguria, festa, sacra, somnia, ludi, supplicationes, expiationes, ritus denique et caerimoniae ethnicae reserari possunt; et quid boni malive religionibus Gentilium inesset, misso inepto antiquitatis praeiudicio ulterius diiudicari potest.

Revera quamvis impurorum hominum flagitiosa perversitas posteriore aetate, haec quoque instituta ad omnem nequitiam deflexerit, detorseritque: illud tamen negare nequit, iis praeclare prospectum fuisse; ut illi, qui vellent, de maximis rebus meliora edocerentur. Haec eo magis tenenda erunt, cum haud aliter satis perspiceremus, quomodo Providentia Divina universalis ita salvari posset; ut media aliqua saltem, unde ad Deum pervenirent, cunctis hominibus subministrarentur, iuxta notum illud axioma: facientibus quod in se est, non deesse gratiam salutarem. Et quidem cum media ad victum vestitumque heic commoda suppeditarit cunctis Providentia; concipi non potest eandem sive ex natura, sive ex gratia, ethnicis deesse voluisse: in suppeditandis mediis convenientibus ad cognitionem aliquam rerum divinarum; ut licet illis parum recte vel feliciter usi sint gentiles, haud ita tamen per Deum steterit, quo minus salvi fierent. Rom. 2, 14. Ad media haec quae ad Oeconomiam Divinae Providentiae circa Ethnicorum Religionem spectarunt, quatuor merito referuntur. a. Leges ab initio mundi editae, vel in ipso corde descriptae; cum enim illis auctor fuerit Deus, ut vitae beatioris desiderium cunctis inderetur hominibus, se ipsum una, qui et vita illa aeterna est, tacite indicavit. b. Judicia et castigationes, quibus pro amplitudine divinae sapientiae gentium quoque fata moderabatur Dominus. His factum est, ut hominum animi expergefierent, et ad coelestia erigerentur; una vero cautum est, ne Religio funditus everteretur. c. Benefici heroes, reges et legislatores, qui cum ethnicis duces contigissent, diversos modos adhibuerunt; ut homines, qui eorum regimini se permiserant, in aliquam Religionem consentirent, non sine providi Dei numine. Ita enim pietas in Deum, et quidquid ceterorum officiorum est in feroces hominum animos instillabatur, et a naufragio morum legibus quoque et civili prudentia populi praeservabantur. d. Magnam praeterea vim et partem adscribamus inventioni et exornationi artium et literarum, quae ethnicis debetur; artes pingendi penicillo, elaborandi in aere, fingendi in lapide ubertas; elegantia eloquentiae, philosophiae artisque medicae scientia, omnino suo et ingenio et usu insigniter adiuvarunt et perfecerunt et in suae culturae commoda verterunt gentiles. Haec res autem quam vim habuerit nemo nescit, qui secum reputaverit, factum esse: ut posteaquam Roma domina gentium evasit; Atticorum respublica universum orbem terrarum legibus suis teneret. Unde rursus maxima emolumenta redundarunt in Religionem Christi, cuius asseclae felicissime ita artes, literas atque leges ethnicas secum ad sacra D. N. J. Christi ferentes traduxerunt: ut eae non adventiciae neque aliunde quaesitae, sed in christiano quasi solo genitae videantur; et ad nostrae usque memoriae civitates propagatae, vel maxime faciunt ad vitam cultiorem, suaviorem elegantioremque, ad rempublicam pace belloque administrandam, ad

legum iuriumque cognitionem. Cf. de his Acta et Decreta Concilii Provinciae Viennensis A. D. 1858. Tit. VI. c. 7. p. 166.

Neque igitur dubium est, quin haec, quae recensuimus, gratiae divinae inter ethnicos signum fuerint, a Deo summo profectum. Hisce quippe ubi superstitiones figmentaque commiscuerint, vel animas suas criminibus commaculaverint, a seipsis perditio propria; Deo vero optimo in aeternum propterea debetur gloria. Ethnicismus ipse atque in eo varii generis instituta ad πλήρωμα temporis, quo Filius Dei in carne apparuit, suis momentis hominum mentes dirigebant. Etsi vero pleraque Religionis Ethnicorum capita expendere nostrae operae non sit; non possumus tamen sine defectu omnia omittere. Notentur igitur quod aetate Christi: 1. ex initiis parvis ad splendoris maximi fastigium pervenerit εἰδωλολατρεία; 2. literae profanae eo tempore ἀκμήν per consociata Graecorum Latinorumque ingenia assecutae sunt; 3. Imperii Romani πολιτεία ad culmen supremum se evexerat. Quid esset potentia humana, exhibuit Urbs Orbis epitome. Ea nihilominus temporis plenitudine perspiciebant omnes non plane insipientes vitiisque toto pectore praepediti; se summa rerum divinarum inopia laborare, unde earum mira et inusitata exspectatione tenebantur. His positis, fieri non potest, quin Ethnicismo propaedeuticum — sensu rite intellecto huius vocis — quoddam ad ἐπιφάνειαν Redemtoris largiamur momentum; minime vero concedere possumus Religionem Revelatam i. e. Oeconomicam Veteris Foederis, atque religionem et philosophiam gentilium congruere; quod quibusdam nostro aevo in maxima rerum discrepantia specie convenientiae externae deceptis, dicere placuit. Verum si Hebraicarum Antiquitatum et priscae Historiae magis assidui fuissent; intellexissent utique toto coelo discrepare theologiam hebraicam et ethnicam. „Aliud enim esse, ait S. Augustinus, Conf. VII. 21. I, 144., de silvestri cacumine videre patriam, et iter ad eam non invenire; et aliud tenere viam illuc ducentem cura coelestis imperatoris munitam.“ Haec autem omnia in ethnicismum hominum nostri temporis non cadere, suapte consequitur; quo quae sanctitate et Divinitate humanam mentem superant, ea suis metiri volunt cogitationibus et destituti vera divinorum cognitione res sacras sub libidines hominum subiiciunt. Id quod non sine divino accidit iudicio. Nam qui veritate iam revelata abutitur eam corrumpendo, sicque ipsius quae revera facta est patefactionem perfracte negat; non inchoatam habet sed sua culpa mutilam, et quasi decurtatam rerum divinarum intelligentiam. Atqui omnis in religione perversitatis summa est: suis relinqui cogitationibus!

Qui super Religione Ethnicorum erudiri desiderat, consulat scriptores sequentes: J. G. Vossii, de Theologia gentili et physiologia christiana, sive de origine et progressu idololatriae l. X. Amstel. 1642. G. Outrami, de Sacrificiis. Amstel. 1688. p. 225. s. A. van Dale, Dissertationes de origine ac progressu idololatriae et superstitionum. Amstel. 1696. Ed. b. Herbert, de Religione gentilium errorumque apud eos causis. Amstel. 1700. s. Calmeti, de origine idololatriae. Diss. V. T. II, 230. s. Honorati a S. Maria, Animadversiones in regulas et usum Critices. Ven. 1751. II, 59. s. Heyne, sermonis mythici s. symbolici interpretatio ad causas et rationes ducta, indeque ad regulas revocata, in Comm. e. Soc. Gotting. t. XVI. P. E. Jablonskii, diss. de peccato originali per lumen rationis etiam Gentilibus cognito, in opusc. ed. Te Water Lugd. Batav. 1813. IV, 483. s. F. Creuzer, Symbolik und Mythologie der alten Völker. Darmstadt

1810—12. 4. t. fortgesetzt v. F. J. Mone V. VI. t. 1822. 23. L. Hug, über den Mythus der Völker der alten Welt. Frankfurt 1814. O. Müller, Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie. Gött. 1826. J. G. Rhode, ü. rel. Bildung, Mythologie u. Philos. der Hindus. Leipz. 1827. I. II. J. Brunati, dissertationi bibliche. Mil. 1838. V. p. 112—166. Th. Chr. Ad. Harless, de Supernaturalismo Gentilium. Erlang. 1838. Nitzsch, über den Religionsbegriff der Alten, in Stud. u. Krit. Hamb. 1828. I, 1. Tholuck, das Wesen und die sittlichen Einflüsse des Heidenthums, in Neander, Denkwürdigkeiten aus der Gesch. des Christ. Berl. 1825. I. J. A. Möhler, Patrologie. Regensb. 1840. p. 27. s. J. C. Kröger, Abriss ein. vergleich. Darstell. der Indisch — Persisch — und Chinesischen Religionssysteme. Eisl. 1842. J. W. R. Clebus, Judenthum und Heidenthum im Verhältnisse zu einander. Berlin 1846. Kraft, die Religionen aller Völker. Stuttg. 1848. J. Sepp, das Heidenthum und dessen Bedeutung für das Christenthum. Regensb. 1853. I. Kosmische Theologie; die Naturreligion des Pantheismus. II. Der heidnische Opferdienst und die Mysterienlehre. III. Der Heroencult und die Messiaden der Völker. A. Wuttke, Geschichte des Heidenthums. Breslau 1. II. 1852. 3. J. G. Krabinger, die classischen Studien. Münch. 1853. Ern. de Lasaulx, Studien des klass. Alterth. Reg. 1854. C. Daniel S. J., classische Studien in der chr. Gesellsch. Freib. 1856. Döllinger, Heidenthum u. Judenthum Regensb. 1857. F. Stiefelhagen, Theologie des Heidenthums. Reg. 1858. Fr. Fabri, die Entstehung des Heidenthums. Barm. 1859. Lübker, Propyläen z. e. Theol. d. class. Alterthums, in ann. Stud. u. Krit. 1861. p. 391. s. 599. s. M. Schneckenburger, Vorl. ü. Neutestam. Zeitgesch. Frankf. 1862. R. Schneider, christliche Klänge a. d. gr. u. röm. Classikern. Gotha. 1865. V. de Strauss, Meditationen ü. d. erste Gebot. Leipz. 1866. D. Leitmeier, Apologie der christ. Moral. Darstell. d. Verhältniss. d. heidnischen und christlichen Ethik. Münch. 1866. F. Hasler, ü. d. Verhältniss der heidnischen u. christlichen Ethik. Münch 1866. H Kellner, Hellenismus und Christenthum. Köln. 1866. J. Langen, das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi. Freiburg 1866. p. 9. s.

ΣΥΛΛΟΓΗ ΤΗΣ ΠΡΟΘΕΩΡΙΑΣ

IN

HISTORIAM REVELATIONIS DIVINAE NOVI TESTAMENTI.

ANNOTATIO PRAEPOSITA, QUA DE HISTORIAE NOVI TESTAMENTI OBIECTO, RATIONE ET PARTIBUS DISPUTATUR.

DE SYNOPSEOS VEL HARMONIAE EVANGELIORUM CONTEXENDI SCIENTIA.

D. LUCAE IN SCRIBENDO ACTUUM APOST. LIBRO ARS CONTEXENDI.

CHRONOTAXIS EVANGELICA.

21, Monitum de vera Christi aetate XXVIII. 22, De aera Dionysii et vero Christi Natali XXVIII. 23, Expenditur ἀπογραφὴ Syriae praeside Cyrino Luc. 2, 2. ‚πρώτη' adpellata XXX. 24, Utrum testimonium d. Lucae 3, 1. 2. s. quo refert v. 23. Christum cum ad baptismum adiit ‚ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα' fuisse, prodat Natale Domini? XXXI. 25, Natus est Jesus Christus ante mortem Herodis M. XXXII. 26, Herodem a. U. C. 750. supremum obiisse diem aliis munimentis fulcitur XXXIV. 27. Disquiritur de mense et die natali Christi XXXV. 28, Quo anno Dominus praedicationi operam applicuerit? XXXVI. Convertitur instar digressionis sermo ad Herodis, Philippi, Lysaniaeque tetrarchias XXXVII. 29. Disputatio de initiis imperii Tiberii XXXVIII. 30, Quando s. Joannes baptizare et praedicare coeperit? XXXIX. 31, Quaeritur quantum inter initium praedicationis Joannis et baptismum Christi tempus intercesserit? XLII. 32, Expenditur quaestio de tempore Dominicae Praedicationis XLIV. 33, Quo anno s. Joannes B. ab Herode in carcerem missus fuerit? XLV. Digressionis ad instar examinatur opinio de duplici captivitate s. Joannis B. XLVI. 34, Uberior vestigatio intervalli, quod est ministerii Redemtoris XLIX. 35, Quot Paschata celebraverit Dominus? L. 36, Quod d. Joannis 5, 1. ‚ἡ ἑορτὴ' pascha fuerit, probat s. Lucae 6, 1. ‚σάββατον δευτερόπρωτον' LIII. Variae sunt de hoc sabbato eruditorum sententiae LV; Respondetur ad varias obiectiones LVI. 37, Rerum quae anno ministerii Jesu Christi tertio inde a Tabernaculorum festo ad ultimum usque Pascha evenerunt series LVII. 38, Stabilitur annus mortis D. N. J. C. LVIII. 39, I, Jesum Christum Salvatorem Nostrum anno aetatis suae XXXIV., U. C. 783., Aerae Vulgaris 30. in cruce pro nobis passum et mortuum ponimus LIX. De solis admirabili defectione, quae horis mortis Dominicae contigit LXI; — II Annus D. N. J. C. ‚σταυρώσιμος' ex indiciis temporum divina auctoritate firmatis investigandus LXIII.

COMPUTUS SEPTUAGINTA HEBDOMADUM DANIELIS PROPHETAE.

40, Prophetiae celeberrimae Danielis 9, 20. s. dignitas atque difficultas proponitur LXV. 41, Textus propheticus in medium adfertur LXV. 42, Vaticinium Danielis exegetice et critice dilucidatur LXVI. 43, Ratio redditur sectionis hebdomadum in septem, sexaginta duas, et unam LXVIII. 44, Ex interpretatione Prophetiae annus Dominicae Passionis confirmatur LXIX. 45, Vaticinium Danielis non recte a quibusdam interpretibus

CHRONOTAXIS APOSTOLICA.

FINIS.

HISTORIAE

REVELATIONIS DIVINAE

NOVI TESTAMENTI

PERIODUS PRIMA.

AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI USQUE AD EIUS ASCENSIONEM IN COELOS, SIVE AB ANNO 4. A. C. — 30. AE. V. P. C.

CAPUT PRIMUM

AB INCARNATIONE DOMINI USQUE AD PASSIONEM HISTORIAS ENARRAT.

§. 1. Verbum caro factum.

In narratione Incarnationis divinissimi Salvatoris consideranda sunt: Domini nostri Conceptio et Nativitas. Conceptio autem cum supponat generationem, hanc quae tam mirandum est atque sublime mysterium, ut eximius ille Doctor gentium dicat [1] „manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne"; perquam accurate memoriae prodidit s. Lucas [2] cum ait: Spiritum Sanctum, tertiam in S. S. Trinitate personam, sua omnipotenti virtute implevisse uterum piissimae et castissimae Virginis Mariae. Modus quo illud mysterium continetur hic est. Sexto a concepto Joanne [3] mense Angelus, cui nomen Gabriel [4], missus est in urbem Galilaeae Nazareth [5] ad Virginem Mariam [6] desponsatam Josepho, sanctissimo et integerrimo viro, qui e familia Davidis, [7] duxit originem [8]. Ad Virginem ubi venit

---

1) I. Tim. 3, 16. 2) Ev. 1, 26—38. 3) Luc. 1, 24. 4) Hebraice גַּבְרִיאֵל, vir, i. e. legatus Dei. V. J. Simonis, Onomasticum Novi Testamenti. Hal. 1762. p. 45. Aliis robur Dei, quia eo ministro Deus utitur ad summam potentiam suam explicandam. 5) De q. v. n. Not. geogr. p. L. 6) Luc. 1, 27. Μαριάμ, hebr. מִרְיָם alias omisso ultimo μ. terminatione graeca Μαρία, Act. 1, 14. Ex interp. S. Hieronymi „stellam maris" — de nom. hebr. Nov. Test. Matth. ed. Vallarsii III, 92. —, „sonat, sive amarum mare, sciendumque, quod Maria sermone syro domina nuncupetur." 7) Quae regia fuit. 8) Juxta s. Justinum Martyrem, dial. cum. Tryph. n. 88. ed. Otto. p. 311. faber lignarius fuit. Cf. et. Marc. 6, 3. Ad tantum tunc prolapsa erat stirps Davidis regia, ut Josephus ex ea oriundus tractaverit fabrilia. S. Josephum Sponsum Deiparae Virginis pictores passim pessime pin-

Angelus, ipsam salvere iussit, [1] atque gratiarum ubertate plenam; Deoque prae omnibus mulieribus carissimam appellavit. Angeli subito atque inopinato virili forma apparentis insolita salutatio Mariam percelluit [2]. Non latebat angelum virginis perturbatio, propterea sedare conatur paventem animi Mariae motum. Hortatur, ut sine metu esset, nullam esse iusti timoris causam, utpote quae Deo gratissima foret, quod ipsum optime ostendit, cur salutans eam vocaverit gratia plenam. Mox exponit nuntium [3] de nascituro ex ea filio, qui ipse Deus esset [4]. Sed Angelus Virgini non modo filium promittit, verum etiam nomen indicat, quo nuncupandus esset: et vocabis, inquit, nomen eius Jesum. De hoc filio eximia statim praedicat angelus: hic erit magnus [5], et filius Altissimi vocabitur [6]. Docet filium, quem conceptura et paritura erat, futurum esse Messiam, regem illum, Davidi ex eius semine successurum, olim promissum [7]. Cum virgo adhuc attonita interrogaret verbis

---

gunt, tanquam grandaevum, senem, simplicem homuncionem. Quibus Tischendorf, de Evangeliorum apocryphorum origine et usu. Hagae Com. 1851. p. 105. merito opponit: „Quod ut aperte repugnat canonicis, ita prorsus cum apocryphis convenit." Senium Josephi natum est ex Pseudo-Matthaei — l. de infantia Salvatoris — Evangelio c. 8. ed. Tischendorf. Lisp. 1853. p. 66. Cf. et. J. Molani, de Historia S. S. imaginum ed. Pagnot. Lov. 1771. II, 29. p. 88. s. III, 12. p. 269. s.

1) Singularibus sane verbis, quibus nemo ante mortalem salutans hominem usus fuerat. Tota angeli oratio vero ita salutantis est, ut simul insolitae salutationis addatur ratio. Cum enim angelus: ave gratia plena! — Non dono tantum aliquo, sed et impunitate a labe originali; bene enim scribit s. Ambrosius, expos. in Luc. II, 9. ed. Ben. I, 1284. „sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleretur auctore." V. et. C. Passaglia, de immaculato Deiparae semper Virginis conceptu. Romae. 1855. II. 1024. seq. — dixisset, quod magnae omnino rei indicium est, verbis illis quae adiicit: Dominus tecum! causam exponit, cur eam appellaverit gratia plenam, illamque porro praedicat, benedictam in mulieribus; gratiae plenitudine benedictissimam, non sine tacita antithesi Mariae et Evae. „Contraria haec est, inquit s. Gregorius Nyssenus in diem nat. Christi p. 779, oratio illis vocibus Gen. 3, quas prima mulier audivit." Cf. Hist. R. D. V. T. p. 16. 2) Obstupuit virgo, non intelligens quid sibi vellet illa salutatio, quaenam esset illa gratia, ob quam vocaretur κεχαριτωμένη. εὐλογημένη, supra omne genus muliebre. 3) Rem maximam dicturus praemittit: ecce! Luc. 1, 31. 4) Unde simul manifestum evadit, cur illam vocaverit benedictam in mulieribus. 5) Res praeclaras geret. 6) Erit, coll. Ps. 2, 7. Hebr. 1, 5. quia a Deo genitus est ab aeterno, stupendo plane et inenarrabili modo. V. Joann. 1, 14. 18. 5, 17. 26. I, 4, 9. Rom. 8, 32. coll. Joann. 5, 18. 7) Ps. 131, 11. Isai. 9, 6. 7. Amos. 9, 11. Jerem. 30, 9. Ezech. 37, 24. Sane non mundanum aliquod

admirantis et cupientis modum scire, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco [1]; i. e. qui fieri possit, ut ego, cui cum viris nihil sit commercii, filium pariam? respondit angelus, opus illud in se Spiritum sanctum sumturum, qui potentia ex alto eam foecundam faciet [2], quod ex te generatum fuerit sanctum, [3] omnino erit filius Dei [4]. Angelus, qui tam luculenter sollicitae virgini exposuit, quomodo conciperet et pareret filium, quin castitas ipsius vel minimum laedatur, ut rem tam miram tamque novam exemplo confirmaret, narravit: Elisabetham ipsius cognatam, quam sterilem norat gignendisque liberis ineptam, gravidam esse iam plus quinque menses; nihil omnino reperiri, quod fieri a Deo nequeat. Ad quae Maria angeli annunciantis dictis credens, se ancillam Domini professa [5], ‚Christi carnem fide concepit' [6]. Quo facto et angelus evanuit, et ineffabile Incarnationis mysterium peractum est. Tunc sua fides stetit Isaiae oraculo: ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel [7].

Maria Deo feta Nazaretho profecta est Hebronem [8], quo Elisabetham inviseret gravidam, prout ab angelo acceperat. Eo cum pervenisset Zachariae domum ingressa, cognatam officiis prosecuta est; ecce vero ad primam novae hospitis salutationem in Elisabethae utero foetus, insolito prorsus motu commoveri

---

imperium, quale Davidis fuit, sed divinum et spirituale Joann. 18, 36. Ecclesia quam sibi Christus constituturus erat, intelligendum est; quia nullum habiturum finem describitur.

[1]) Luc. 1, 34. Cognoscere non possum, utpote impedita voto castitatis. „Virginitati inhaeret, et integritatem angelicae demonstrationi anteponendam indicat. Interdixi, inquit, mihi consuetudinem viri." S. Gregorius Nyss., l. s. c. Cf. Hist. R. D. V. T. p. 500. n. 5. Et certe mulier, quae virgo quidem sit, sed servandae virginitatis propositum non habet, si verba illa, promittenti filium ex ea nasciturum, responderet, inepte loqueretur. [2]) Alii e. c. J. E. Gerhardi, diss. de obumbratione virtutis Altissimi in Thes. th. ph. sive Sylloge Diss. ad sel. Novi Testamenti loca. Amstel. 1702. p. 302. s., totius s. Trinitatis operationem v. 35 indigitatam autumnant, et quidem per Virtutem, filium, per Altissimum Deum Patrem intelligunt. [3]) Circumscriptio filii, quod non perfecte tantum sanctus esset et inculpatus, sed ipsa sanctitas Coll. Hebr. 7, 26—28. [4]) Cum emphasi υἱὸς Θεοῦ. [5]) Sese promtam atque paratam obtulit divinae voluntati. [6]) S. Augustinus contra Faustum XXIX, 4. ed. Ben. VIII, 444. [7]) Isai. 7, 14. s. Cf. Hist. R. D. V. T. p. 386. s. [8]) V. Not. geogr. p. LXIII. s.

coepit, et continuo Elisabetha, a Spiritu s. afflata et edocta quid Mariae contigisset, ipsis verbis, quibus iam salutaverat eam Gabriel: benedicta tu prae omnibus mulieribus, appellavit. Indignam se dixit, cuius tectum Dei Mater subiret, illam vero beatissimam et felicissimam praedicavit, quod fidei merito id consecuta esset, ut Mundi Salvatorem eniteretur.[1] Tum vero Maria prophetico spiritu exundans, humillime pieque Deo freta, futura quae salutem hominibus conciliatura erant tempora inspiciens, excellentissimum gratiarum actionis exemplar primumque Novi Testamenti canticum panxit[2]. Mansit deinde apud consobrinam tres menses, quibus exactis domum reversa est[3].

Novum atque insolitum prorsus miraculum, quo Dei Filius divino satu intacta virgine conceptus est, Mariam dum ferret uterum, in suspicionem criminis facile adduxisset apud eos, quos latebat hoc tam grande mysterium, imprimis sponsi animus curis agi potuit quam maximis. Josephus, cum Mariam ex Hebrone Nazarethum remeantem gravidam deprehendit, mysterii divinae Incarnationis omnino ignarus, id dumtaxat a se praestari posse

---

1) Luc. 1, 39—45. 2) Quod incipit: Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1, 46—55. Quidquid in ipsa magnum est et excellens, quod mirabuntur omnes populi et laudabunt, eius rei gloriam uni Omnipotenti Deo deberi affirmat. Cf. M. J. Macquelijn, diss. de hymno Mariae. Lugd. Bat. 1829. p. 45. s. In hoc carmine, quo res singulas et voces ita expressas esse intelligimus, ac si illas in tabula depictas cernamus, plurimae sententiae e V. T. petitae sunt. Non abs re erit loca S. S. V. T. enumerare in quibus eae habentur, ubi Psalmos iuxta numerum textus originalis allegamus. Ita V. XLVI. coll. Ps. 34, 4; 69, 31. Sap. 19, 9. Eccli. 43, 35. V. XLVII. coll. I Reg. 2, 1. Ps. 9, 3. 15.; 13, 6; 21, 2; 35, 9; Isai. 61, 10. Hab. 3, 18. Zach. 10, 7. V. XLVIII. coll. I Reg. 1, 11. Judith. 6, 15. Ps. 9, 14; 25, 18; 30, 8. 119, 153. Cant. 6, 8. Mal. 3, 12. V. XLIX. coll. II Reg. 7, 23. Ps. 126, 2. 3; 24, 8; 89, 9; 93, 3; 111, 9. Isa. 57, 15. V. L. coll. Ps. 89, 2; 99, 5; 103, 17. V. LI. Ps. 89, 11. 14; 118, 15. 16. Sap. 11, 22; 16, 16. Isa. 40, 10. 51, 9. Job 12, 17. 26, 12. 40, 6. Ps. 33, 10. V. LII. Ps. 18, 28; 113, 7. 8; 138, 6. Eccl. 10, 17. V. LIII. I Reg. 2, 5. 7. Ps. 34, 11. V. LIV. Isa. 41, 8. 9. 42, 1. 98, 3. Mich. 7, 20. Hab. 3, 2. V. LV. coll. Gen. 17, 19. Eodem modo hymni Zachariae Luc. 1, 68—79. et Simeonis ib. 2, 25—35., e locis in V. T. obviis sumti sunt; quod plane non est mirum. Enimvero piorum illorum hominum animus, Sacri Codicis repetita lectione a teneris inde imbutus, nunc vero ipso Deo inspiratus, futuraque annuntians, nonne quo implebatur, eloquitur. Cf. Fr. X. Patritii S. J., de Evangeliis. Friburgi. 1853. III, 109. s. 118. s. 306. s. 3) Luc. 1, 56.

putavit, ut ne quid de Maria perperam iudicaret, aut palam diffamaret, ipse discederet eamque moneret sese datae fidei renuntiare. Ubi haec animo ille versaret, ut a B. Virgine amoveretur tanti criminis suspicio, quo honori tam ipsius quam filii Dei consuleretur, indicandum erat Josepho tantum miraculum. Itaque Deus per angelum internuntium suum, Josephum de hoc arcano erudivit et plenissime certiorem fecit; illam non crimine esse gravidam, sed s. Spiritus opera coelesti plane atque divina. Hortatur, ut Mariam desponsatam ducat, brevi oraculum illud de mirando Virginis partu iam olim editum impletum iri in puerperio Mariae [1]. Aperit qualis futurus sit hic filius, maior homine atque ipse Deus cui ‚Jesu' nomen imponendum praescribit iussu divino, quod per illum populi peccata delenda forent [2]. Josephus, uti somno solutus fuerat, fecit sicut praeceperat ei angelus, et quamvis Mariam iunxisset sibi stabili connubio [3], nec tamen usus coniugii iure est [4], ‚donec peperit filium suum primogenitum.' [5]

---

[1]) Cf. S. Gregorii Nysseni, in diem natalem Christi. Op. ed. Migne. III, 1135. [2]) Matth. 1, 18—23. [3]) Quanquam enim Josephus et Maria nunquam usi sint coniugii iure, verum tamen illorum coniugium fuit teste d. Augustino, de consensu Evangelistarum. II, 1. III. 6. p. 27. de nuptiis et concupiscentia I, 11. „Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat nec fuerat cogniturus; nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa virgo ideo et sanctius et mirabilius iocunda suo viro, qui etiam foecunda sine viro, prole dispar, fide compar." X. a. p. 286. [4]) Matth. 1, 25. [5]) Et Unigenitum in tempore; qui Primogenitus et Unigenitus erat in aeternitate. Unigenitus in substantia divinitatis, qui in hunc mundum natus est in tempore, sicut ab aeterno exiit a Patre. Recte cum a vetustis S. Patribus: s. Epiphanio, Haer. LXXVIII, 17. I, 1048. seq. s. Hieronymo, adv. Helvidium n. 19. II, 215.; tum ab interpretibus H. Luystenio, in pia et docta explic. cap. sec. d. Lucae evang. Antv. 1565. p. 16. Maldonato, ad h. l. p. 44. A. Bynaeo, de Natali Jesu Christi. Amstel. 1680. I, 2. p. 267. s. Dionysio Petavio, animadv. II, 332. Patritio, l. c. diss. XV. I, 14—16. p. 125. s. aliisque eruditissimis viris contra obscoenas cavillationes animadversum est particulam ἕως, donec, intelligi de tempore praeterito, sine ulla illatione contrarii in futurum. E. g. Matth. 5, 18. Luc. 22, 16. Pariter opposuerunt, primogenitum dici, ante quem nullus, non post quem alii. V. s. Isidori Pelus., ep. XVIII. ed. Migne 192. s. XXIII. p. 195. s. Theophylacti, Comm. in hunc locum ed. Lutet. Par. 1635. p. 10. Cf. Exodi 13, 2.

§. 2. Nativitas Jesu Christi et circumcisio.

Imminebat iam tempus illud felicissimum et votis omnium retro saeculorum expetitum, quod Deus natali Messiae destinarat; cum Caesaris Augusti edictum allatum est in Judaeam, quo iubebat hominum descriptionem institui in ea orbis parte, quae sub Romanis erat [1]. Promulgato edicto universae israeliticae terrae incolae petiere in urbem, quae gentis suae ac familiae caput erat, ut illic nomen suum darent. Inter alios Josephus, e regia Davidis stirpe [2] oriundus, Nazaretho Galilaeae contulit se Betlehemum priscam familiae Davidis sedem cum Maria uxore [3] sua praegnante, ut haec [4] cum ipso profiteretur in ea civitate [5]. Cum illic essent, acti sunt Mariae menses, enixaque est Deipara Christum, Deum aeternique Patris filium, in spelunca Betlehemo vicina, cum plenum esset hospitibus diversorium ob multitudinem confluentium ad censum, nec locus alius aptior suppeteret [6]. Filium hunc ut primum editus in lucem est, fasciis

---

1) V. Hist. R. D. V. T. p. 462. 583. Prolegom. N. T. Luc. 2, 1. Quamvis autem simpliciter loquendo Augusto orbis non subfuerit universus, tamen quia principales sub se habuerit universi partes, recte ab Evangelista universus orbis sub eo descriptus dicitur; ut doceret Judaeos adesse iam tempus adventus Christi, quando ablato de Juda sceptro penes Romanos erat omne imperium. Impletas esse prophetias de pace, quam annunciarunt vates tempore apparitionis Messiae futuram. Isai. 60, 1. s. 2) Ex cuius semine promissus fuerat Messias. 3) Desponsata sibi ut vidimus, non solum per verba de futuro, verum etiam de praesenti, quae eos vere coniuges efficerent. Coll. Matth. 1, 20. 4) Quia filia ἐπίκληρος fuit, proptereaque Josepho agnato ex lege desponsa. Sed de hac re alio loco plura. 5) In quo negotio admiranda Dei providentia, qua factum, ut Maria hac occasione Bethlehemum profecta sit, quae ea non interveniente peperisset Nazarethi. Voluit Deus Pater natalem locum et genus Filii sui, multis vaticiniis praedictum etiam publicis tabulis testatum. Cf. s. Justini. Apol. I, 46. p. 111. Dial. n. 78. p. 269. Tertulliani, adv. Marc. IV. 19. III, 191. 6) Cf. Not. geogr. p. LIX. s. Ceterum Beatissima Virgo Maria miraculose peperit; nimirum porta manente clausa et materni pudoris signaculo minime reserato. Jer. 31, 22. „Dei genitrix nec in carne delectata, nec in carne cruciata, et in conceptione virginior et in partu exstitit sanior.“ „Et si miraris clauso utero Mariae signatoque virginali pudicitia Deum natum, mirare, quod clauso obseratoque aditu sepulchri ad superos rediit, et clausis ianuis ad discipulos introivit.“ D. Amedeus ep., in hom. de partu Virginis apud Malou, S. S. P. P. Pietas Mariana. Lov. 1847. p. 242. 244.

involutum, dum cunae desunt, in praesepio quam optime potuit reclinavit. [1] Natalis proinde Unigeniti, vere humilis fuit. Itaque nemo aeternum Dei filium, olim genitum, non factum, nunc natum et in lucem editum agnovisset. Sed Pater omnipotens evincere voluit esse Deum, qui nasci paupere humo et casta de Virgine gaudebat. Pueruli omnibus ignoti Deitatem maiestatemque in coelo stellae, in terris angeli profitentur. Pariente Virgine ad pastores nonnullos, in eo tractu pecudes suas servantes [2], venit angelus, quo praesente lumen clarissimum pastores circumfulsit. Tam inopinato angeli adventu, quem in mediis tenebris divinus splendor comitabatur [3], pastores perterriti inhorruerunt. Tum vero Angelus [4] timentes confirmans non tantum sedat turbidum animum, sed etiam rationem addit cur debeant sine metu esse; faustum enim nuntium, gaudium magnum, quia adeo commune, ut per universum tendat orbem, quo nihil maius, nihil iucundius audiri poterat, se illis nuntiaturum: Salvatorem illis natum esse, Christum quem omnes exspectarent Bethlehemi [5]. Addit

---

[1]) Luc. 2, 2—7. Ad hoc praesepe bovem et asinum alligatos fuisse ut puerulus Jesus halitu bovis et asini calefieret, quod tacet Evangelista, iuxta Isai. 1, 3. et Hab. 3, 2. sec. LXX. cum s. Gregorio Nyss., in diem nat. Christ. p. 781. sumunt s. Ambrosius, exp. ev. sec. Luc. 2, 7. ed. Ben. p. 1296. S. Augustinus, enarr. in Ps. 126, 4. IV, 1434. 5. S. Hieronymus, ep. 108 ad Eustoch. n. 10, p. 698. S. Paulinus, ep. 11 ad Sev., ed. Col. in Bibl. 11. IV, 167. S. Bonaventura, expos. in II. cap. Luc. Op. ed. Lugdun. 1668. II, 23. Repugnant Molanus, de Hist. s. imag. III, 57. p. 397. Tillemont, Memoires pour servir a L'Histoire eccl. ed. Ven. 1732. I, 423. s. aliique. [2]) Adhuc moris est in Oriente, ut pastores ovium simul cum ovibus etiam tempore hyemis maneant noctu in agris, et cum suis canibus dormiant in parva quadam domuncula ad hoc confecta, quae ex uno loco in alium cum necesse est protruditur. Oves autem quibusdam constringuntur septis, ne ulterius quam velint pastores currant, et dum nihil quod edant habent, aliunde eis eo adfertur. [3]) Juxta illud Ps. 138, 11. 12. Cf. et. Act. 9, 3. 12, 7. [4]) Graeca dictio Luc. 2, 9. ἄγγελος κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς, coll. r. ἐφίστημι, magis significat angelum imminuisse ex alto super illos, quam stetisse ut habet Vulgata, ita ut in aëre per assumtam humani corporis effigiem, tanquam e coelis descendens illis apparuerit, et e sublimi illorum verticibus imminuerit. Dignum autem fuit, ut qui eum annunciatum venerat qui est Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Joann. 1, 9. homines novo luminis radio illustraret, et novitate coelestis claritatis perfunderet. Nam fons lucis omnia illuminantis de virginea terra prodiit et habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est. [5]) Cf. Chr. Beyer, diss. Puer nobis natus et filius nobis datus, ex Jes. 9, 6. 7. Lips. 1682. p. 32. s.

signum, ex quo non modo certi essent redemptorem natum, verum ex quo illum indubitate possent cognoscere, quod in praesepio pannis involutum eum inventuri essent [1]. Vix ea dixerat angelus, cum illi repente accessit multitudo nunciorum coelestium [2], qui iunctis vocibus Deum [3] laudibus efferunt. Gloria [4], canunt, in altissimis Deo parta est, quod in terra pax sit hominibus conciliata, iis quos bona Deus prosecutus est voluntate! Non fuit irrita angeli oratio. Discedentibus angelis pia admodum sedulitate pastores convolarunt Bethlehemum, videre cunabula tanti infantis. Neque frustra, iuxta ac dixerat angelus puerum invenerunt iacentem in praesepio, sed et matrem, quae divinum peperit filium, in qua nec virginitatem partus, nec foecunditatem sustulit virginitas, et simul s. Josephum, custodem prius Virginis, nunc etiam infantis. Pastores Mariae et Josepho narrarunt, quae acceperant angeli nuntio, et quomodo sibi spiritus coelestes apparuissent. Pietatis suae officio iuste persoluto redibant ad curam gregum suorum, sed mentibus eorum infixa haerebant mysteria, propter quae laudes tribuebant Deo, quod eorum omnium quae audierant, veritatem oculis vidissent. Ipsa autem Dei genitrix diligenter secum expendit omnes res, quae in Christi Natali evenerunt; eaque ipsa, quae a Domino secum erant acta, conferebat cum his, quae a prophetis erant praedicta [5]. Filius aeternus Dei omnipotentis sic homo esse coepit ex castissima Virgine, ut simul etiam inceperit esse sub Lege [6]. Octavos iquidem a natali suo die circumciditur Jesu, quod Salvator dicitur, assumto nomine [7].

---

[1]) Credibile est angelum etiam locum designasse, et quodammodo monstrasse. Sed Evangelista qui loci meminit, satis habuit haec sola verba angeli referre. [2]) Ne enim parvi fieret unius angeli auctoritas, exultatio innumerabilium iungitur angelorum, ut excellentius fieret testimonium, cui in honorem Dei militiae coelestis concinneret multitudo. [3]) Cum vehemens illorum desiderium impletur I. Pet. 1, 12. ubi Servator liberatorque humani generis nascitur. [4]) Nihil enim aliud est gloria, quam clara bonitatis cum laude notitia, quae maxime per Filii nativitatem est facta. [5]) Luc. 2, 2—20. Nos vero quod attinet mirari non debemus, quod in nativitate Christi nova facta sint omnia, cum novum fuerit hoc ipsum quod Virgo peperit. Cf. D. Stemler, diss. de iis, quae sunt in adventu I. C. D. N. paradoxa. Lips. 1758. p. 5. s. [6]) Gal. 4, 4. [7]) In spelunca, ut credit s. Epiphanius, haer. XX, 1. p. 47., neque enim aliqua lege adstringebantur Judaei, ut circumcidendum puerum deferrent ad templum. In circumcisione quod iussit angelus, nomen accepit. Luc. 2, 21. Cf. A. Bynaei, Diss. de Jesu Christi circumcisione Amstel. 1689. A. Sandinii, Historiam Familiae Sacrae. Patavii 1764. p. 23. s.

§. 3. Purificatio B. M. V. Adoratio Magorum.

Post dies quadraginta a nativitate lapsos B. V. Maria una cum S. Josepho Hierosolymas venit, primogeniti sui oblationem et hostiam purificationis ex lege puerperii[1] duos pullos columbarum, seu munus pauperum persolutura[2]. Attamen in purgatione apparentis immunditiei, et in paupertate parentum non latuit Christus, quem occursus[3] Simeonis viri pietate et religione conspicui, et Annae mulieris, quae spiritu prophetico plena erat, manifestum fecere. Simeoni, qui ex multo tempore consolationem Israelis, Messiae adventum exspectabat, promiserat Deus non moriturum, nisi prius videret Christum Domini. Hic impellente Spiritu s. ea ipsa hora, qua Jesum parentes eius[4] offerrent, in templum venit. Senex beatus protinus agnovit Dominum suum, et puerum Jesum ulnis complexus totus in gratiarum actionem ad Deum effusus est[5]. Inde faustissima quaeque Mariae et Josepho, quibus improvisa erat Simeonis oratio, precatus praedixit Christum, ut salutis ita et exitii occasionem futurum[6]. Ad Matrem conversus[7] denuntiat animam eius, quasi gladio transverberandam acerbo dolore ex passione filii![8] Eodem momento temporis, quo Simeon Christum in ulnis tenebat illumque divinum in eius laudem hymnum canebat, Anna accola templi, aetate et morum gravitate veneranda supervenit et Simeoni in praedicando Christo succinuit,

---

[1]) Exod. 13, 2. Lev. 12, 6. 7. 8. Num. 8, 16. V. Hist. R. D. V. T. p. 161. [2]) Non eguit B. Virgo purgatione, quae Deum sine viro conceperat, sine corruptione pepererat, neque necesse erat, ut puer Jesus Deo Patri suo sisteretur, quia cum alienus non esset, opus non erat, ut ei in templo offerretur. Sed quoniam oportebat Dominum latere et haberi in numero hominum, qui e semine Abrahae prognati legi subiacebant, Maria etsi partu suo non erat facta immunda, paruit legi, redemit filium — eodem consilio quod Matth. 17, 25—27. legitur — et solitum pro peccato obtulit sacrificium. Luc. 2, 22—24. [3]) Graece ὑπαπαντή c. ὑπαντή, unde festo diei II. Februarii, Purificationi B. M. V. nomen impositum. Cf. Acta Sanct. Bollandi, m. Februar. I. ed. Ven. 1735. p. 268. [4]) Maria quia vere parens erat, Joseph quia credebatur. Luc. 3, 23. [5]) Prae gaudio in has voces erupit: iam nunc moriar felix, quod mihi promisisti, Deus, implevisti, vidi Christum, quem dedisti, ut servaret omnes populos; lumen gentibus ferret, Isai. 42, 6. populo Israel veram gloriam. [6]) Pro hominum scilicet erga illum vel fide vel contumacia. Coll. Isai. 8, 14. [7]) Quod res eam solam tangeret. [8]) Sua dictis fides u. v. s. l.

palam omnibus, quorum vota et mentes in Messiam conversae erant, annuntians redemtorem adesse [1]. Peractis iuste omnibus, quae lege praecepta fuerunt, deinde Bethlehemum reversi sunt [2].

Summa imis quasi permixta sunt in ortu Domini. Cunae enim eius non potuere obscuriores esse simul et clariores, neque enim tantum in angulo Judaeae circa Bethlehem celebrantur ab angelis; sed et stella [3] in coelo radians eas praedicat in regionibus remotissimis [4]. Illa excitavit Magos [5], ex orientalibus plagis, ut adoraturi puerum Jerosolymas venirent [6] regnante adhucdum Herode magno [7]. Statim ac stella se conspicuam prae-

---

1) Luc. 2, 25—38. 2) S. Lucas brevia secutus narrandi compendia, nulla mentione facta de adoratione Magorum et fuga in Aegyptum 2, 39., parentes regressos dicit Nazarethum. Praetermisit haec intermedii temporis facta propterea, quod sciret de iis satis copiose scripsisses Matthaeum. Saepe saepius Evangelistae coniungunt res diversis temporibus peractas, quando illis non placet referre intermedias. V. prolegom. 3) Matth. 2, 2. ἀστήρ, sidus seu phoenomenon stelligerum. Cf. prolegom. 4) Arabiae ut sumunt Justinus, dial. n. 77. p. 267. Tertullianus, adv. Marc. III, 13. p. 126. adv. Judaeos. n. 9. p. 311. s. Epiphanius, expos. fidei. S. I, 1085. Idem prolixe monstravit Patritius, Diss. XXVIII. p. 315. s. 5) Μάγοι principes eruditorum, sapientiae antistites. De his plura in hist. s. Pauli s. l. 6) Id certum et extra controversiam est, nam d. Evangelista dicit 2, 1. venisse „ἀπὸ ἀνατολῶν" Oriens in S. S. duplex, altera simpliciter respectu solis coll. Zach. 14. 4., altera respectu urbis sanctae. Ezech. 11, 23. Alii Magos ex Arabia, alii e Perside accessisse existimant. 7) Matthaei enim verba 2, 1. haud ita intelligenda sunt, ut eodem Magi advenerint momento, quo Christus nasceretur; sed in universum: nato Jesu Bethlehemi, ita ut adventus tempus accuratius haud definiatur. Fidelium pia traditio in veterum artificum quoque operibus expressa apud J. Ciampinium, Vetera monumenta Romana. Rom. 1747. II, 12. G. Zappert, Epiphania in ann. sc. Acad. sc. Vindobon. 1857. XXI, 319. s. J. B. Rossi, images de la t. s. Vierge ch. d. l. Catac. Rom 1863. p. 11. s. O. Imagines sel. Deip. Virginis in coemet subt. dep. ib. 1863. t. III tenet, itemque Tertullianus adv. Jud. n. 9. p. 311. s. Caesarius Arelatensis, in Append. Oper. s. Aug. ed. Ben. V, 248, serm. 139, 3. Theophylactus, in Matth. 2, 3. e. c. p. 11. affirmant Magos reges fuisse; eosdem porro tres numero, secundum tria munerum genera, quod et confirmat s. Leo, Serm. de Epiphania I. ed. Malou, Lovanii 1850, p. 2. V. p. 30. VI. p. 39. Qui plura de Magis scire avet adeat: Chr. Clemmii, exercit. ph. ad Matth. 2, 1. de Magis. Witteb. 1663. n. 19. s. Bern. Lamy, Commentarium in Harmoniam sive concord. q. Evang. Paris. 1696. p. 45. seq. M. D. Rhoden, diss. de primis Salvatoris veneratoribus Magis, in Thes. th. ph. II, 69. s. Tillemont, not. X, XI, XII, p. 431. Fr. Spanhemii, Dubia Evangelica in tres partes distributa. Gen. 1658. II, 262. s. A. Calmeti, diss. de Magis, qui Jesum Christum adoraturi venerunt. Diss. ed. Wirceb. III, 20. s. Benedicti XIV., de Servorum Dei Beatif. IV. 1, 25. ed. Bass. 1767. IV, 183. H. Olshausen, bibl. Comm. üb. sämmtl. Schriften des N. T. ed. 4. Königsb. 1853

buit [1], Magi admoniti regem Judaeorum natum, scientesque illum omnium bono nasci, in urbem, quae regni caput erat venerunt, requirentes quo loco natus esset rex eorum, cuius ortum sub astro quodam in eorum regione viso, didicisse se affirmabant [2]. Ad rei novitatem tota commota est Jerosolymorum urbs, rumorque illico ad aures procerum et Herodem regem [3] perlatus est, qui mox accersit ad se ex ordine sacerdotum primores et scribas populi [4], ut inquirerent in locum, ubi nasciturus erat Christus? Illi statim in Bethlehem Judae responderunt, quia sic scriptum esset per prophetam Michaeam [5]. His auditis, Herodes ad se clam vocavit Magos [6] et diligenter ab iis quaesivit tempus sideris primo visi. Quod cum aperuissent, dimisit eos ut novum regem adirent, rogavit insuper, ut de illius inventione certiorem se facerent, quo et ipse ad eum adorandum pergeret. Interim Magis Jerosolyma digressis stella [7], quam viderant in orientalibus regionibus tunc

---

I, 62. s. Thilo, Eusebii Emeseni oratio περὶ ἀστρονόμων, praemissa de magis et stella quaestione. Hal. 1835. et inprimis J. N. Sepp, das Leben Jesu Christi. ed. 2. Regensb. 1854. II, 1, 90. s. Patritii, Diss. s. c. p. 309. s., atque L. M. Roth, de stella a Magis conspecta. Mogunt 1865. p. 3. s. De Sanctorum trium Magorum corporibus Constantinopolim indeque Mediolanum et Coloniam translatione pluribus agunt H. J. Floss, Dreikönigenbuch, die übertragung der h. h. Dreikönige von Mailand nach Köln. Köln. 1864. p. 1. s. J. Kreuser, Dreikönigenbuch. Bonn. 1864. p. 45. s.

1) Ut fulgore suo coelum versus convertat Magos ad summam hominum salutem coelitus in terram descensuram, iamque descendentem, Deus enim insoliti phoenomeni significationem coll. v. 13. revelasse creditur. 2) Recte enim existimabant tanti principis nativitatem non posse latere apud eos, qui hunc a tot saeculis exspectabant. 3) Qui iam pridem Christi nasciturі famam horruerat metuens, ne regno, quod alienigena occupaverat, deturbaretur. 4) V. Hist. R. D. V. T. p. 594. 5) Pronum autem est animadvertere d. Matthaeum 2, 6. Michaeae vaticinium 5, 2. sic retulisse, ut non sint ipsa verba prophetae, qualia praefert codex masorethicus, et qualia haec interpretati sunt LXX; quod non mediocre quibusdam negotium facessit. Notandum, quod olim iam inculcavit s. Hieronymus, ad Amosi V, 24: „Apostolos et Apostolicos viros in ponendis testimoniis de Veteri Testamento, non verba considerare, sed sensum; nec sermonum eadem calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant.“ VI, 306. Ita et Lamy, in Comment. p. 47. J. Frischmuth, Harmonia ad Mich. 5, 1. Matth. 2, 6 in Thes. th. ph. II, 75. Alii supplentes interrogationis notam discrimen illud conciliant. Sane quoquo modo legamus et interpretemur Michaeam, sensus vaticinii idem est. 6) Neque enim volebat patefieri perversum eius consilium de enecanda nimirum omni prole, quae nata erat in bethlehemitica regione circa tempora, quibus apparuerat stella. 7) Quamcum vidissent non mediocri laetitia affecti sunt.

praevia in Bethlehem duxit, locumque eis, ubi puer erat, statione sua significavit. Magi ingressi domum — quam Maria diffluentibus advenis commodiorem mansionis locum elegit — invenerunt puerum cum Maria eius matre, Jesumque non solum procidentes adoraverunt; sed larga etiam dona ei ex thesauris suis depromta obtulerunt, aurum [1], thus [2] et myrrham [3]. ‚Auro honorantes personam regiam, myrrha humanam, thure divinam' [4]. Sequenti nocte de pessimo Herodis infantem ad necem quaerentis consilio divinitus admoniti, per aliam viam in patriam suam rediere. [5]

§. 4. Fuga in Aegyptum et reditus. Jesus in templo.

Sub haec Herodes [6] cum de iis, quae in purgatione B. M. Virginis in templo contigerunt fama percrebuisset, et intellexisset quoniam illusus esset a Magis [7], qui iussis illius neglectis ad propria remearunt, timore simul et furore correptus immanem caedem

---

1) Quod in vectigal ubique regibus penditur. 2) Quod Deo adoletur. 3) Qua in Oriente mortuorum corpora condiuntur. 4) S. Leo, in Epiphan. solemn. III. ed. c. p. 14. Huius mysterii omnes veteres S. S. Patres et scriptores interpretes habemus. E. c. s. Justinum, dial. 76—78. p. 261. s. Irenaeum, adv. haer. III. 9, 2. p. 453. Originem, contra Cels. I, 60. ed.Lom m. XVIII, 109. d. Ambrosium, de fide I. 4, 31. ed. Ben. II, 449 s. Ephraemum, Cant. de Maria et Magis ed. Rom. Gr. III, 603. s. in Natalem serm. IV. Syr. ed. Rom. II, 416. s. Epiphanium, haer. XXX. 1, 154. s. Gregorium Nyss., in diem Christi nat. p. 782. s. Chrysostomum, in Matth. hom. VIII, 1. ed. Ben. VII, 119. s. Denique s. Augustinum, Serm. 202. de epiph. IV, 2. ed. Ben. V, 915. s. 5) Matth. 2, 1—12. 6) De quo v. Hist. R. D. V. T. p. 580. s. Proleg. Hist. R. D. N. T. 7) Magorum adventum et fugam pueri in Aegyptum non licet multo temporis intervallo a purgatione B. M. V. disiungere. Magos ante Christi in templo praesentationem advenisse Matth. 2, 1. nullo modo affirmatur. Quin hoc sumto post elapsum quadraginta dierum spatium, filium in templo praesentare non potuissent parentes. Herodes vero Josepho ac Maria vix Aegyptum assecutis, ergo paulo post Magorum adventum supremum diem obiisse putandus foret, quod tamen historiis repugnat. Sed illud nostrae sententiae incommodum accidit, quod ea posita dierum, quibus Epiphaniae et Purificationis solennia in Ecclesia aguntur, ratio invertatur. Verum scite advertit Patritius, de evangel. III, 21. p. 287. huic argumento non eam vim inesse, qua sententia nostra refellatur, cum alia quoque anniversariis solennibus celebrare mos sit, non eo die, quo facta fuerunt sed alio. Cuius rei insigne specimen est ipse VI. Januarii, quo die tum Christi Epiphaniam, tum baptisma, tum miraculum Canae in nuptiis patratum colimus, quibus manifestata ipsius fuit divinitas. V. Acta Sanctor. Boll. Januar. Ven. 1734. I, 323.

infantium, qui bimuli essent vel minores, quorum proinde in numero puer posset reperiri, missis in Bethlehem eiusque agros satellitibus suis imperavit [1]; e qua Maria et Jesus fuga ereptus est, quam cum Josepho angelo iubente in Aegyptum susceperant [2]. Herode autem e vivis sublato, iterum de angeli iussione iter in Palaestinam susceperunt, sedem figentes Nazarethi urbe Galilaeae, unde et Christus Nazareni cognomentum [3] accepit. Nazarethi pie et honeste educatus est; solatio erat piissimae Matri et Josepho sua conversatione, quam credimus fuisse de Dei bonitate misericordia et opere salutis, ad quod venerat [4]. Anno aetatis duodecimo cum patre et matre paschate, primum ad templum facile iter suscepit Jesus Jerosolymas. Actis diebus azymorum Maria et Josephus regrediebantur; interim parentibus domum redeuntibus, illis insciis ibi haesit [5]. Parentes rati redire Christum pariter cum aliquo ex cognatis, nihil de eo requirentes unius diei iter confecerunt. Sed cum vespere apud notos Jesum quaerentes non invenissent, Jerosolymas repetierunt; eaque in urbe post triduum filium nacti sunt in aliqua exhedra templi prope atrium [6] inter doctores sedentem; publici Doctoris munere stupendo et inaudito exemplo summoque cum applausu functus est Jesus ea sapientia et modestia, qua omnes in admirationem raperentur. Maria et Josephus ubi illum invenissent, mirari primum, deinde piissima mater ab eo quaesivit:

---

[1]) Cf. C. J. Ansaldi, Herodiani Infanticidii Vindiciae. Brixiae. 1746. [2]) Matth. 2, 13—18. Tunc adimpletum est, quod Jeremiae 31, 15. temporibus bethlehemiticis mulieribus in typo accidit. [3]) Matth. 2, 19—23. Geminas in reditu D. N. J. C. prophetias impletas Evangelista testatur: „ex Aegypto vocavi filium meum"; v. 15. et „quoniam Nazaraeus vocabitur." v. 23. Ad priorem quod attinet, spectasse creditur s. Matthaeus Oseae 11, 1. Cf. Hist. V. T. p. 361. Ad alteram quod attinet, unde illam sumserit difficile est iudicare, fortasse ad sensum respexit locorum Isai 11, 1. coll. 4, 2. 45, 8. Ezech. 17. 22. 23 similiumque. Huius sententiae est d. Hieronymus, Comm. ad Matth. 2, 23. VII, 17. ep. LVII. ad Pammach. p. 112. Cf. Jos. Khell S. J., Eclogen Observationum in N. T. Libros. Vienn. 1756. I, 2. p. 15. s. Deylingium, Obs. s. I, 26. s. p. 105. s. [4]) Luc. 2, 40. [5]) Clam parentibus remansit non ideo, ne si id illis indicando morem non gessisset, videretur inobediens; sed ut ostenderet alium se habere Patrem, cuius res illis etiam non consultis agere deberet. Non ergo casu et errore, sed divino consilio id factum fuit. [6]) V. S. Deylingii, Obs. s. III, 223. H. Wigand-Biel, de Templi Posterioris prae Prioris Gloria. Vitemb. 1715. n. 12. s. Hist. R. D. V. T. p. 498. 501.

qui nam tantopere ipsos frustra se quaeri permittens, afflixisset? Querelis matris respondit: non erat, cur me quaereretis cum dolore, quasi in loco vobis ignoto substitissem, cur alibi me quaerebatis quam ubi me esse decebat nimirum in templo, domo Patris mei[1]. Attamen illico obsecutus Nazarethum redeuntibus comitem se praebuit, et parentum dominio paruit[2]. Nazarethi in eorum obsequiis usque ad tempus sui baptismi permansit, ibique illustriora in dies sapientiae et sanctitatis indicia exhibebat.

Digressio ad illud d. Lucae 2, 52. „Et Jesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines." Non sine causa in hoc comma inquiritur, circa cuius interpretationem quod etiam Catholicos attinet, non idem de hac re sensus, aliis profectum hominis admittentibus in Christo, aliis negantibus. Plerique tamen S. S. P. P. — quos recenset D. Petavius, de incarn. XI. 2, 7. s. V, 6. s. ed. Fr. A. Zachariae Ven. 1575. Lieber, üb. d. Wachsthum Jesu in der Weisheit, Mainz. 1850. — profectum illum Christi in scientia et gratia sic interpretantur: ut ad speciem referant et ostensionem i. e. φανέρωσιν; quod pedetentim maioribus ac perfectioribus indiciis latentem in se gratiam ac sapientiam proderet. Verum audiantur aliquot luculentissimi huius rei testes. S. Athanasius. or. III, contra Arianos n. 52, I. a. 601. profectum istiusmodi ita explicat: „Hic humano more dictus est proficere, quoniam hominum sit proficere." „Hinc caute admodum Evangelista aetatem cum progressione coniunxit: siquidem nulla est Verbi et Dei aetas, sed aetates ad corpora pertinent. Ad corpus igitur spectat huiusmodi progressus; eo enim proficiente, in ipso pariter cernentium oculis proficiebat patefactio divinitatis." Quam explicationem etiam s. Cyrillus Al., adv. Nestor III, 4, ita confirmat. „At enim in sapientia incrementum factum esse dicis, tametsi quomodo id non stultum sit? Credimus enim ex ipso ventre et utero virgineo ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem prodiisse, plenum procul dubio sapientia et gratia, quae illi naturaliter inerat. Quodnam igitur is incrementum susciperet, in quo sunt omnes thesauri, sapientiae, qui supernae gratiae simul cum Deo et Patre largitor est? Quomodo igitur proficere dictus? Ut ego arbitror, quia Deus Verbum, pro incremento aetate sui corporis divinorum illorum bonorum, quae

---

[1]) Responsum Jesu non satis assecuti sunt aliqui interpretum. Respondet quidem reprehendentis specie, non quod vere arguat, sed quod si parentes scivissent, qua in re occupatus esset, vere fuissent arguendi, si ut se sequeretur a Patris negotiis avocare voluissent. Non igitur reprehendit sed docuit. [2]) Luc. 2, 40—51. Divini erat consilii, ut multa Salvator Noster, virtutum omnium absolutissimus magister obedientiae et demissionis exempla relinqueret nobis imitanda. An artem quoque fabrilem tractarit incertum est, aliqui id e civium Nazarethorum dicto apud s. Marc. 6, 3., qui externum vitae eius institutum, utpote versantis apud se ignorare non poterant, colligere volunt. V. Augustinum de consensu Evangel. II, 42, 90. p. 70. Nihil praeterea ex eius reversione usque ad baptismum memorant Evangelistae. Toto illo tempore in parentum domo vitam privatam egit.

sibi inerant, manifestationem — τὴν ἔκφασιν — admetiebatur." ed. Migne VIII, 154. Denique huc illud S. Bernardi, super missus est, hom. II, 10. p. 43. spectat: „Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est; non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quod ante non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur." Plenus erat sapientiâ et gratiâ Jesus a primo sui conceptus instanti, ita ut nihil ei accedere posset. Neque minus habuit conceptus quam natus, parvus quam magnus; ut uberrime docuit d. Bernardus l. s. c. Externe tamen crescere videbatur Christus homo sapientia et virtute, quod pro aetate modulo, illius argumenta et indicia praebuit; neque qualis maturo iam et viro congruebat indoles, eam in infantili et puerili habitu corporis expressit, ne non satis pro vero homine sese gereret. Ceterum proscriptus est etiam error Arnaldi de Villanova, qui docuit: Quod natura humana a Deo assumta est in omnibus bonis suis, et quod tam alta sit humanitas in Christo, quantum Deitas; et tantum possit. Quod quam cito anima Christi fuit unita Divinitati, statim ipsa anima scivit omnia, quae Deus scit. Cf. Od. Raynaldi, Annal. eccl. ed. Luc. V, 77. ad a. 1317 n. 62. P. Hurtadi de Mendoza S. J., Disput. de Deo-Homine. Antv. 1634. disp. 54. 55. p. 346. s. Nihil, neque sapientiae, neque scientiae, neque gratiae aut virtutis, acquisivit progressu aetatis homo Christus, ut definit Synodus quinta contra Theodorum Mopsuestenum coll. VIII. c. 12. in haec verba: „Si quis defendit impium Th. M. qui dixit Christum ex profectu operum melioratum, et a conversatione immaculatum factum, et tanquam purum hominem baptizatum esse, ... talis anathema sit." Harduin III, 198. 199. Si tamen complures P. P. inscitiae aliquid in homine Christo initio fuisse significant, et accessionem sciendi; magis id κατὰ συγχώρησιν, concessione, usurpant, ut Arianos et Eunomianos abundantiore argumentorum vi refutarent.

De ortu, infantia et adolescentia Christi perpauca quidem ab Evangelistis s. Matthaeo et Luca patere voluit Deus, latere plura. Interim vana hominum curiositas, tam salubris brevitatis impatiens, plura conquisivit, quae de Jesu puero ad augendam eius gloriam dici debere satis temere existimavit. Sexcentas fabulas cuivis verae indolis historiarum perito merito suspectas commenti sunt auctores libri de infantia Servatoris apud J. Carol. Thilo, Codex Apocr. N. T. Lips. 1832 arab. p. 63. 158. C. Tischendorf, evangel. apocr. Lips. 1853. 171—202., et Historiae nativitatis Mariae et infantiae Salvatoris ed. Thilo p. 338—400. complete apud Tischendorf 50—114. Coarguit haec iam s. Irenaeus, adv. haer. I, 20. p. 29., ad apocrypha amandavit Gelasius summus pontifex in concilio romano a. 449. apud Mansi, VIII, 150. Ridicula fabulati sunt etiam compilatores: Historiae Josephi fabri lignarii ap. Thilo 1—61. Tischendorf. 115—152. R. Hoffmann. d. Leb. Jesu n. d. Apokryphen Leipz. 1851. p. 67. s. Sane Ecclesiam aliqua infantiae D. N. J. C. notitia carere haud potuisse, summa Dei sapientia — quae summa ratio est — vidit, eaque illam mira narrationis suavitate, argumenti gravitate et amoenitate imbui curavit. Cf. diss. a. de Evangelio infantiae Jesu ficto et vero. Lips. 1785. p. 4. s. Quidquid Strauss, das Leben Jesu Tüb. 1835. I, 143. i. d. Leben Jesu f. d. deutsche Volk bearbeitet. Leipz. 1864. p. 347. s. et consortes effutiant, verissime ipse Ammon, de natura narrationum de vitae Jesu Christi primordiis, in Sylloge Commentat. theol. ed. a. Pott. et Ruperti. Helmstadii. 1800. pag. 98. fatetur: narrationes istas, historiae humanae limites plane superantes, quibus fides tribuenda sit, nullis maculis esse obscuratas. Dubia adversariorum erudite refellebant: F. G. Schu-

bert, Comm. de infantiae J. Chr. historiae a Matth. et Luc. exhibitae authentia atque indole. Gripeswaldiae. 1815. Theile, zur Biographie Jesu. Leipz. 1837. p. 38. s. A. Tholuck, Glaubwürdigkeit der ev. Geschichte zugleich eine Kritik des Lebens Jesu von Strauss. Hamb. 1838. ed. 2. p. 205. s. C. Ullmann, Historisch oder mythisch. Hamb. 1838. p. 195. s. L. Hug, Gutachten ü. d. Leben Jesu v. D. Fr. Strauss. Freib. 1840. I, 81. s. C. Wieseler, Chr. Synopse, p. 33—159. J. H. A. Ebrard, wissensch. Kritik. der evang. Geschichte. ed. 2. Erlangen. 1850. p. 188—246. F. W. J. Lichtenstein, Lebensgeschichte des Herrn Jesu Christi in chronol. übersicht. Erlangen 1856. n. 3—10. p. 75—124. et quem laudare haud omisimus, Patritius e S. J., de evangeliis l. III. H. Wallon, de la croyance due a l' Evangile. Par. 1858. p. 255. s. Sepp, Thaten und Lehren Jesu. Schafh. 1864. p. 8. s. Fr. Imm. Tafel, das Leben Jesu n. d. Bericht. d. Evangel. gerechtf. u. verth. g. d. Angr. d. Dr. Strauss. Basel. 1865. p. 14. s. J. Fr. Demaret, de origine Evangeliorum deque eorum historica auctoritate. Lovanii. 1865. p. 225. s. 272. s. Nimis hac in re praebent etiam singulares se illi docti viri catholici, qui alto silentio praetermittunt narrationem de supernaturali Christi ortu et infantia, cum tamen fides, qua Jesum fuisse Christum, seu quod perinde est Deum-hominem, a Christi ortu supernaturali ut re in facto posita pendeat.

§. 5. Conceptio et Nativitas S. Joannis Baptistae.

Antequam sol iustitiae optatissimum orbi vultum ostenderet, novum veluti luciferum, Herode rerum potiente, praemisit Eliam illum a Malachia [1] praedictum Joannem Baptistam [2]. Parentes eius Zacharias [3] ex Abiae familia, et Elisabeth [4], ambo e genere sacerdotali irreprehensam vitam agebant [5]. Proles illis non erat, ac vix sperari poterat, cum Elisabetha sterilis esset, uterque vero aetatis provectae [6]. Sexto ante Christi Salvatoris incarnationem mense Zachariae ex sorte obtigerat in templo [7] thimiama adolere. Suo itaque muneri intento Zachariae, apparuit angelus Gabriel, quo viso turbatus est; cui angelus ipsum confirmans brevi ab uxore sterili filium Joannem [8] nomine excepturum pollicetur. Praedixit insuper

---

1) 4, 5. V. Hist. R. D. V. T. p. 532. s. 2) A cuius ortu initium ducit Evangelii sui s. Lucas. 3) Vide J. Simonis, Onomasticon N. T. p. 67. H. R. D. V. T. p. 523. 4) אֱלִישֶׁבַע, Dei iuramentum, divinitus promissa. Simonis, l. c. p. 58. 5) Dicuntur Luc. 1, 6. ambo iusti. „Parentum virtutes describit Evangelista, ut ex generatorum tantis meritis, dignitas germinis cognoscatur." S. Chrysologus, serm. XCI. ed. Pauli. p. 139. 6) Ad filii generationem, naturae viribus minime fuisse idoneos praecursoris parentes, procul dubio sua ratione non caruit. Facile dici patimur Barradium Comm. I. 7, 2. p. 355. in eximium Messiae ex Virgine prodituri typum destinasse hoc Deum. 7) In altari aureo Sancti. V. Hist. R. D. V. T. p. 136. s. 8) Cf. M. J. Butneri, inquis. in Hist. Joannis, filii Zachariae, in Thes. th. ph. I, 286. s.

eum ab ipso Domino maximi habendum, Spiritu sancto vel a conceptione in utero cumulatum [1]; Nazaraeum fore [2] et ab ipsomet matris in utero prophetam, qui Eliae virtutem et spiritum imitatus, quam plurimis ad poenitentiam adductis, populum Domino perfectum paraturus adveniret. Huic nuncio cum fidem non adhibuisset senex, uxoris aetatem iam provectam causae instar attulit. Angelus ut dictis robur adderet, incredulum usu linguae mulctat, quatenus qui dissentiendo locutus fuerat, tacendo postmodum credere disceret. Muto itaque Zacharia in domum regresso brevi Elisabeth gravidam se agnovit. Lapsis novem a conceptione mensibus Elisabeth, puerum edidit. Octava die, consanguinei recens natum infantem vocabant ex paterna appellatione; quod cum matri displiceret, volenti ut Joannes [3] diceretur, minimeque aliis acquiescentibus, de sua sententia postulatus Zacharias signis [4] exaravit: Joannes est nomen eius. Tum quasi manu sua subscripsit, id quod angelo nuncianti credere noluerat, statimque apertum est os eius, quasi nominis impositio linguae vincula solvisset [5]. Recepta Zacharias loquela, magnifice Dei beneficium humano generi recens praestitum prophetico spiritu cantavit [6]. Nedum autem

1) Joannem in utero matris suae sanctificatum fuisse, constans est S. S. P. P. et S. S. traditio. Hoc aperte docent s. Cyprianus, ep. LXIX, 12. ad Magn. p. 196. Origenes, in Luc. h. IV, p. 98. s. s. Cyrillus hier., cat. XVII, 8. 9. pag. 268. s. Ambrosius, exp. Ev. s. Luc. l. I. p. 1277. s. Hieronymus, in Jerem. 1, 4. IV, 837. s. Gregorius M., Mor. III, 7. p. 77. s. Petrus Chrysologus, serm. LXXXVIII p. 134. s. Bernardus, ep. 174. ad Can. Lugd. I, 311. 312. V. e. ann. p. 700. et alii multi. Patres sequuntur Scholastici cum divo Thoma III, q. 27. a. 1. et 6. ed. Bon. 1858. X, 545. 581. Neque negat s. Augustinus, ep. 187, de praes. D. l. a. Dard. c. 7. p. 686., quem explicarunt d. Thomas, in III q. 1. a. 6. e. c. p. 582. et s. Bonaventura, expos. in c. I. Luc. ed. Lugd. 1669. II, 7. s. Cf. Joan. da Sylveira, Comm. in text. Evang. I, c. 4. q. XXII. et XXIII. p. 64. 65. 2) V. Hist. R. D. V. T. p. 160. 3) Etymologia non vulgarem parit gratiam huic nomini, quam ex quacunque petamus lingua, omini bono semper respondebit. Agnoscit enim radicem חָנַן, quae et in matre et filiabus significat: gratiosus fuit, gratiam praestitit; quapropter יוֹחָנָן idem est quod Θεὸς ἠλέησεν, vel ἐχαρίτωσις. Cf. Butnerum, l. c. p. 286. 4) Quia surdus simul et mutus erat, mentem suam tabellae veteri more ex cera factae inscripsit. Cf. Ovidii, metam. IX, 11. Tertulliani, de idol. c. 23. I, 52. Fr. Baringii, diss. de πινακιδίῳ — pugillari — Zachariae, in Thes. th. p. 306. s. 5) Luc. 1. 5—25. 57—66. Cf. Origenis, in Lucam homil. IX. V, 106. 6) Quia nativitas ista signum fuit certissimum beneficia Dei per Messiam conferenda prope et mox impletum iri. Hanc fidem more vatum, his verbis exprimit, quae facta potius ipso opere, quam adhuc futura

Zacharias haec de Joanne vaticinatus est; sed quotquot de illius ortu audierant, stupore admirantes prodigia quae ei contigerunt, quaerebant: quis putas puer iste erit?[1] Joannes quo crescebat aetate, eo crescebat spiritu; vires adeptus, 'tecta sancti quanquam immaculata parentis deserit, ac turbas hominum, coetusque nocentes, ac solas loca tendit ad invia terras'[2], ad tempus usque quo munus suum inchoavit[3].

§. 6. Divi Joannis Baptistae ministerium.

Anno quinto decimo imperii Tiberii Caesaris, Pontio Pilato Judaeae praeside, Herode Antipa et Philippo atque Lysania tetrarchis, Anna et Caipha summum sacerdotium tenentibus[4]

---

designant. Canit autem Zacharias Luc. 1, 68—79. Dei laudes: Benedictus Dominus Deus Israel! atque affert laudationis causam v. 68. 69. Est haec visitatio gratiosa per adventum Messiae, ex quo constabat, Deum velle prope adesse hominibus, iisque promissam in filio suo salutem plenissime elargiri. Hanc salutem fuse explicat atque illustrat. v. 70—75. Apellat autem Zacharias regnum Christi cornu salutis, et ait erexit c. s., quia regnum Dei quodammodo deiectum videbatur, per Christi adventum erectum et in sublimi positum fulget. Cf. J. A. Noesselt, disp. ad Luc. 1, 69 in opusc. ad interpr. S. S. Hal. 1785. ed. II. l. 1, 29. s. Quod porro exponitur: dedisse redemtionem ab omnibus inimicis, per liberationem a corpore peccati, a mundo, morte et diabolo, cuius liberationis certe non alterius fructus est: ut hoc modo liberati Deo serviamus et quidem ἀφόβως, in sanctitate et iustitia, qualiter decet salvatos sanguine filii Dei. Ad filium postremo sermone convertitur, v. 76. 77. et quorsum in lucem editus sit, praedicit: Tu, inquit, fili feliciter natus es, ut propheta sis et praecursor Dei — Messiae. Finem praedicationis delineat atque eo pertinere docet: ut det cognitionem salutis per Messiam afferendae, quae in remissione peccatorum gratiaeque munere versatur. Cuncta haec evenient per infinitam misericordiam, qua visitavit nos, prospere, ex alto coelo Oriens! Zach. 3, 8. 6, 12.

1) Luc. 1, 66. 2) S. Paulinus, Nol. episc., poem. VI. de S. Johanne Baptista Christi Praecursore v. 224. s. ed. Migne. Par. 1861. p. 446. Haec breviter s. Lucas 1, 80. complexus est. 3) De Baptistae educatione multa Veterum in monimentis leguntur. Cf. s. Joannis Chrysostomi, hom. X in Matth. n. 4. p. 141. S. Hieronymi, adv. Lucif. c. 7. II, 178. Eo secessu in desertum s. Joannis de Christo testimoniis pondus addebatur; dum amoto prorsus amborum commercio, non videbantur communicato inter se consilio, et ex composito, novam populis doctrinam nuntiare, seque invicem praeconiis extollere. 4) Ex accurata illa descriptione Luc. 3, 1. s. Tot insignium imperio praefecturaque virorum liquet s. Joannis ministe-

Joannes Zachariae filius idemque Domini praecursor, superno spiritu illustris in medium prodiit. In vasta Judaeae eremo receptus vitam egerat frugi oppido et austeram, quippe qui veste ex pilis camelinis contexta, et coriacea zona cinctus, locustis ac melle agresti vescebatur, panis et vini abstemius[1]. Regione quae Jordani fluvio amoeno et vicis consepta circumiacet[2], peragrata, ministerium suum auspicatus est. Messiam tanta saeculorum exspectatione desideratum, Christum aeterni Patris filium, in propinquo esse inclamat, severum iudicem a contumaci gente poenas sumturum, ni opportune resipiscat, et dignos poenitentiae fructus facere enitatur[3]. Tum Salvatoris gratiam praedicans, eam cunctis pollicetur, qui sacro fonte eluti, vitam emendatam actibus comprobarent. Undique currebant populi ad Joannem, quos sua peccata confitentes in Jordane baptizabat[4]. Cum reliquis admixtos ex Phari-

---

rium maximi rem esse momenti. Ac potestatem primo civilem eamque multiplicem, deinde sacerdotalem describit Evangelista. De quibus sicuti et de eorum epocha satis superque diximus in Prolegomenis nostris, ad quae L. B. humanissime remittimus.

1) Cf. J. fr. Sculteti, de Joanne B. Witteb. 1656. n. 18. s. A. Wittigii. Joannes B. ib. 1686. §. 7. s. Not. t. s. geogr. p. XXXVIII. XXXIX. 2) V. Not. t. s. geogr. p. XXVII. 3) Cf. J. S. Schurzfleischii, Joannes ἐρημάζων, Thes. th. ph. p. 79. 4) A Judaeorum ritu desumtum fuisse Joannis baptismum, huius illiusque similitudo documento est. Materia, nomine, ablutionis modo inter se conveniebant, fine discrepabant et usu; ut facta ad Judaeorum baptismum oppositione, Joannis baptismus vocatus fuerit; Matth. 21, 25. Luc. 7, 29. Actorum 19, 4., et ab eius administratione Joannes Baptistae nomen habuerit. Cf. G. Richteri, diss. de Joanne protobaptista. Lips. 1729. p. 13. s. H. R. D. V. T. p. 587. et n. 5. Porro vim baptismi Joannis verbis significantibus complexus est s. Marcus 1, 4. „fuit Joannes baptizans et praedicans baptismum poenitentiae"; quia sui cupidis, praeviam iniungebat resipiscentiam, cuius publicum erat testimonium. Nec aliud haec sibi volunt: l. c. v. 5. „et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua," quam ut confessionem exciperet baptismus. Unum omnes animadvertunt interpretes non eandem esse et Joannis et Christi baptismo efficaciam. Praelucentem quippe in ea re et S. Scripturam Joann. 7, 39. 14, 16. coll. Rom. 6, 3. et Traditionem habemus. Longum foret et pene superfluum eius rei ex Antiquitate adhibere testes. Cf. Tertullianum, de baptis. c. 11. p. 40. Origenem, in Joannem to. VI, n. 15. p. 222. s. s. Cyrillum hier., catech. III, 6. s. p. 43. s. s. Basilium. I, 2. hom. XIII. exhortat. ad s. bapt. n. 1. II, 114. s. Chrysostomum, hom. 12. in Matth. n. 3. p. 164. s. Augustinum, de bapt. V, 9. s. s. Cyrillum Al., in Joann. 1, 26. p. 110. 2, 25. p. 157. s. Gregorium M., l. I. hom.

saeis vidisset, sermone ad illos verso dixit: progenies viperarum, futurumne speratis, ut Dei furorem vitetis, cum constanter perverse vivitis? Turbas quoque hortabatur, ut externo illi poenitentiae apparatui interiorem etiam flagitiorum exsecrationem iungerent. Quaerentibus ab eo, quid sibi agendum esset, respondit: ut sibi non necessaria pauperibus largirentur, publicanos vero et milites monuit, ne ceteros iniuriis afficerent, iis contenti vectigalibus et stipendiis, quae civitas constituisset. Populo exspectanti et animo volventi, num forte esset ipse Christus, quem praeconio annuntiabat respondit: Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus procumbens corrigiam calceamentorum solvere [1]. Ipse vos baptizabit in gratia et caritate Spiritus sancti [2]. Se quidem addit, venisse ut Christo testimonium ferret, quo facilius mundus in ipsum crederet. Quosdam tunc discipulos lucratus, in vitae austeritatibus et ad populum concionibus exerceri docuerat [3].

§. 7. Jesus baptizatur a Joanne.

Cum universa tunc Judaea, imo totus late Oriens in Messiae expectationem suspensus esset [4], impletaque viderentur tempora omnia per vates de Christo praenuntiata in magno ad Joannem confluentium numero Judaeorum venit et Jesus Nazaretho Galilaeae ad Jordanem, atque baptismo tingi poposcit. Jesum lavari petentem obnixe prohibebat Joannes: ‚Ego utique a te debeo baptizari, quia ego in hunc mundum carnali sum parente

in Evang. 7. n. 3. p. 1458. s. Joannem Damascenum, de fide o. IV, 9. I, 261. d. Thomam, III, q. 38. X, 787. s. ibique expositores. Et haec veritas definita est in conc. Tridentino sess. VII. can. 1.

1) Cf. J. M. A. König, de ritu portandi calceos in Thes. theol. p. 86. s. Bynaeum, de calceis Heb. II, 8, 10. 11. p. 234. s. 2) Spiritus s. consideratur ignis πυρός vi, ob eius τὸ agere efficaciam. Cf. J. Vriemot, Observ. in Matth. Trai. 1728. p. 32. 3) Horum deinde nonnulli Jesu Christo adhaesere. V. i. s. Hieronymum, adv. Lucif. 7. p. 178. L. Matth. 3, 12. Marc. 1, 2—8. Luc. 3, 3—18. Joann. 1, 6. 4) C. Svetonii, Vespasianum, n. 4. ed. Bip. p. 333. C. Taciti, Historiar. V, 13. III, 219. M. Schneckenburger, Vorlesungen über Neutestamentliche Zeitgeschichte. Frankf. 1862. p. 194. s. Fr. Hülskamp, Rohrbachers Universalgeschichte d. kath. Kirche. Münst. 1863. III, 581.

profusus, tu vero huc ab ingenito Patre Unigenitus advenisti. Cui respondit Jesus: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam i. e. omnia quidem vera sunt, quae memoras, sed haec mei adventus est ratio, ut quia sub lege factus sum, ordo legitimus suppleatur'[1]. ‚Ministerium veni servitutis implere; ut quos peccatum subdit servituti, ad meam revocem libertatem'[2]. ‚Unde et Joannes salutare mysterium recognoscens non iam Dei Filium, ut Baptista sanctificat, sed ut devotus minister coelestibus obtemperat imperatis; nec enim non poterat servus obedire Domino[3]. Itaque Jesum in proposito manentem Joannes baptizavit, ut manifestius aeterna nobis Trinitas revelaretur'[4]. Filio enim Dei in assumta natura ex aqua ascendente, apertis coelis Spiritus sanctus sub columbae specie descendens super ipsum, quis esset ostendit, et ne id satis esset, aeternus Pater, Filium suum dilectum esse dixit, in quo sibi complacuit[5]. Sic et missio Christi, qui mox erat Evangelium praedicaturus Patris testimonio et Spiritus sancti illapsu[6]; non tantum Baptistae, sed et omni populo patefacta est.

Digressio ad baptismum Christi. Cum his diebus varia ἀποπτήματα congerantur, quibus veritas huius narrationis vexetur, utile erit aliquas circa hanc facere observationes. Primo quidem notandum est: Quodsi ab aliis praeter Christum hominibus miraculum animadversum esse s. Mathaeus, 3, 13—17. Marcus, 1, 9—11. et Lucas, 3, 21—23 ponant, quartus vero Evangelista s. Joannes 1, 32—34. Baptistam certe vidisse affirmat; quid obstat, quo minus rem nostri magis causa quam sui putemus accidisse. Dei filius „in quo plenitudo divinitatis aderat, non indigebat, ut sacramentorum mysteriis impleretur. Sed ideo mysterium implere voluit, non ut ipse profectum caperet, sed ut nobis plenitudo mysterii proficeret." S. Maximus, serm. de temp. 12. de bapt. C. II. p. 427. Secundo quod ad modum attinet: Descendit Christus vestibus exutus, in Jordanem fluvium coram populo; postquam vero a Joanne baptizatus est nullam in fluvio moram fecit, sed iuxta s. Matthaeum 3, 16. confestim ascendit de aqua. Hoc ipso Evangelista indicat protinus post baptismum apertos esse coelos, Spiritumque sanctum descendisse, et vocem Patris insonuisse. Tertio. Collato imprimis d. Marco 1, 10. existimandum est: ut columbam et Patris vocem, ita coelorum reserationem fuisse sensui subiectam, ut omnibus esset conspicua. Itaque reiiciendi sunt, qui omne

---

1) S. Maximus Taurin., hom. 29. de bapt. I. ed. B. Bruni. Rom. 1784. p. 87. 2) Idem, hom. 35. d. b. VII. p. 101. 3) Idem, hom. I. p. 88. 4) Idem, ib. 5) V. Hist. R. D. V. T. p. 126. 6) „Pater auditur in voce, Filius manifestatur in homine, Spiritus sanctus dignoscitur in columba." S. Maximus Taur., de bapt. h. VI. p. 98.

baptismi negotium ad subiectivum, ut loquantur, processum reflexionis in animo Baptistae revocant. Sententia haec prorsus abhorret a narratione Evangelistarum, rem permiram ad naturalem redigit eventum, contradicit Luc. 3, 21. 22. Joann. 1, 31. s. d. q. i. Quarto, ex aperto coelo columba σωματικῷ εἴδει illa vertici Christi insidens, Messiam, i. e. Christum, Spiritu s. unctum esse ostendebat. Cf. A. Varenii, diss. de columba super capite Christi visa, in Thes. th. p. 81. s. „Neque, ut praeclare hanc in rem scribit S. Cyrillus Al. in Joann. l. XI. c. 10. ad 17, 17. p. 993., vero dicimus tunc sanctificatum fuisse Christum, cum Spiritum vidit Baptista descendentem, sanctus enim erat ex utero, quippe ad beatam Virginem dictum est: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi Luc. 1, 35.; sed signum datum est baptistae hoc spectaculum. Existimamus tamen Domini carnem sanctificatam fuisse per spiritum, Verbo Dei quod natura sua sanctum est, templum suum ad similitudinem alterius creaturae in eo perungente." Coll. Ps. 44, 8. Alioquin, inquit celeberrimus A. Agellius, Comm. in Psalm. 44, 8. Romae 1606. p. 206. Christum Dominum ab ortus initio appellavit eum Dominus. Ergo quod post baptismum Joannis unctus est, sic necesse est ut intelligamus, quod unctus esset, declaratum est. Quinto, illud etiam observandum ambigi a quibusdam, num Joannes Christum tunc agnoverit, cum ad baptismum suscipiendum venit? Non agnovisse eum probatum eunt e verbis Baptistae: Joan. 1, 30. „et ego nesciebam eum"; quae indicarent non fuisse notum Christum Joanni ante datum signum columbae. Coll. v. 32, 32. Columba vero post baptismum in Christum descendit, igitur ante baptismum Jesum non agnovit. Contra novisse probant illa eiusdem Baptistae verba, quibus Jesum ante baptismum affatur Matth. 3, 14.: „ego a te debeo baptizari et tu venis ad me"? Christum enim agnoscentis verba sunt haec. Variae sunt huius nodi solutiones, sed non opus est aliorum persequi dicta, paucis sic respondemus. Joannes ante baptismum non agnoverat Christum ex facie, quoniam nunquam illum viderat. Intelligibiliter noverat Christum, venit enim ad baptizandum et testandum de Jesu venturo. Sciebat, quod Christus foret Unigenitus Dei Filius et Messias in medio populi sui; sed nesciebat ad sensum hominum, qui vocatur Jesus a Nazareth esse Messiam. Atque hoc cognovit per signum — δεικτικόν, non autem πειθανόν. Coll. I. Cor. 2, 4. — columbae praedictum ad hoc sibi a Deo, quo accepto mox Jesum praesenti populo ostenderet. Hoc ostendit verbis οὐκ ᾔδειν, non videram. Particula καὶ, et, in κἀγὼ l. c. non habet sensum adversativum verum, sed idem valet quod „vero". Refertur ad inscitiam; cum in deserto abditus vitam agebam, ait, non cognoscebam Jesum, sensibili cognitione, attamen ut manifestaretur Israeli ad hoc assumsi ministerium baptismi. Hoc fuit Joannis B. munus Christum manifestare. Adde hoc testimonium Baptistam, ea de causa edidisse quia α) voluit ut intelligerent auditores nullo affectu, nulla conversatione, aut humana quavis notitia ipsum Joannem motum ad dicendum primum testimonium Joann. 1, v. 30. „hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat," cum nondum Jesum viderit. β) Ut non mirarentur, quare tot annis Jesus incognitus fuerit, et a Baptista non demonstratus. Cur autem in columbae specie potius quam ignis specie Spiritus s. descenderit in Christum bene elucidat Maldonatus, in Matth. 3, 16. p. 83. De Bethabara loco baptismi Joannei, ubi sita lege Not. terrae. s. geograph. p. XCIII. n. 2.

§. 8. Reliquum muneris Baptistae.

Sucurrit plurimis Joannem, qui vitae sanctitate et doctrina adeo inclaruit, Messiae personam gerere et officium. Hinc cum ad synedrii aures pervenisset, quid vulgo de ipso cogitarent homines, concilium Judaeorum supremum legatos Joanni suos mittit, qui an Messias esset efflagitarent? His respondit: se neque Christum neque Eliam, neque prophetam, sed vocem tantummodo clamantis in deserto esse. Porro eum quem quaerebant inter ipsos medium versari, neque tamen agnosci. Joannis Baptistae de Christo testimonium adhuc resonabat Bethabarae, cum postero die ex deserto reversum Jesum ad se venientem intuitus, digito demonstravit populis mundi Redemtorem pro peccatis immolandum. Postridie vero huius diei rursus praedicat: ecce agnus Dei![1] Cum Baptistes disponendis hominibus ad poenitentiam occupatur, orta est quaestio quibusdam ex discipulis ipsius, qui cum Judaeis de Joannis Christique baptismo, uter eorum praestaret, litigabant. Judaei multi et Joannis testimoniis et miraculis a Christo editis moti, relicto Baptista coeperunt Salvatori adhaerere. Itaque invidia perciti Joannis discipuli, ad magistrum veniunt, ut querelas ibi suas deponerent. Quem tu, inquiunt, celebrem tuis testimoniis reddidisti, ecce usurpato officio tuo baptizat et omnes ad eum accedunt. Ad haec Baptista discipulos coeco sui amore captos eximio sermone de praecellentia Christi instituit[2]. Cum in ditione

---

[1]) Sunt itaque Praecursoris tribus diebus tria de Christo testimonia, quorum in universum octo leguntur in Evangeliis: I. Matth. 3, 11. 12. Marc. 1, 7. 8. Luc. 3, 16. 17. II. Joann. 1, 15. III. et IV. Joann. 1, 19—28. V. VI. VII. ibid. 29—36. VIII. Joann. 3, 26—30. [2]) Haec fuit octava et ultima Joannis B., quem non multo post Herodes Antipas detrusit in carcerem, testificatio. Nil ait miri quidem, si se praeterito omnes ad sponsum Ecclesiae accedant. Eoque non gaudere modo, sed voluptate gestire se, quo turmatim ad illum confluant, cum is finis fuerit legationis suae. Consecutus sum quod maxime optabam, ut Christum declaratum viderem. Quandoquidem ille verus sponsus est, ego amicus tantum sponsi sum, quem Graeci νυμφαγωγόν, i. e. sponsae ductorem vocant, — Cf. Hist. Revel. D. V. T. p. 168. 306. — qui sponsam ad illum i. e. homines adducebam. Antequam sponsus appareret aliquis fortasse mihi honos debebatur, demonstrato vero et cognito iam sponso, eius dignitatem convenit crescere, meam decrescere. Aequum esse terrena cedere coelestibus. Quia Christus de sursum h. e. de coelo est, propterea

Herodis tetrarchae qui Antipas dictus est, versaretur, fama doctrinae et morum eius innotuit principi, qui eum uti videtur frequenter ad se accersitum libenter audivit. Neque tamen haec sancti viri consuetudo impediebat, quo minus Antipas incestuoso Herodiadis, quae Philippi fratris sui coniux erat, connubio vitam ageret foedissimam [1]. Baptista incestum non tulit, nec dissimulavit, nullaque circuitione usus intrepide tetrarchae dixit: non licet tibi habere uxorem fratris tui. Vetus proverbium est: veritas odium parit. Herodes indigne istam sancti viri libertatem tulit, adeo ut custodiae tradendum crediderit, donec certi aliquid de ipsius poena statueretur. Initio quidem non admodum arcta fuit vincti Joannis custodia [2]. Appropinquabat interim nefandae caedis tempus. Natalitia agebat Herodes, sive vitae, sive regni intuitu; quibus iuxta morem orientis coenam faciebat primariis Galilaeae [3]. Sub hilari convivio [4] aulam ingressa Salome scita saltatione insanum in modum regis oculos adeo cepit, ut petendi optionem cuiuscumque rei concederet, ad dimidium usque regni, ac temerariam promissionem iuramento confirmaret. Quod mox praeter animi sui sententiam insperatum habens exitum, multarum ei causa fuit curarum. Puella de consilio matris [5] sibi amputatum Joannis caput in disco porrigi postulavit. Quid Herodes nunc cum stulto suo promisso? Undique se constrictum sensit ac serio dolebat [6]. Rei inhonestae speciem aliquam

---

de rebus divinis atque coelestibus loquitur, tanquam de rebus sibi familiaribus et domesticis, et tamen pauci testimonium eius acceperunt; cum tamen Filius unica sit via, qua salutem consequi homines possint, proinde qui sibi velit bene esse, Jesu adhaereat. Ceterum legibus connectendae materiae et narrationis perspicuitati obtemperantes, h. l. rerum a S. J. Baptista gestarum seriem ad finem usque enarrabimus.

1) Coll. Lev. 18, 16. s. 2) In castro, ut putant, Machaeruntis. V. Not. t. s. geogr. p. XCV. Discipulis suis liber erat ad ipsum itus et exitus. Ut Joannes Jesum, sic et Christus Joannem etiam vinctum honestissimis ornavit elogiis. Coll. Matth. 11, 1. Luc. 7, 18. Nulli dubitamus prophetam discipulos suos et quoscumque compellare dabatur, e vinculis erudiisse. 3) Cf. J. H. Stuss, commentar, de natalitiis bibl. Gothae. 1737. §. XIII. 4) Herodiadis ex Philippo priori coniuge filia. 5) Herodias verebatur, ne viri sanctissimi increpationibus, Herodes incestas nuptias solveret. 6) Inhaerebat animo castissimi vatis, cui non parum nuper tribuebat, sanctitas; testabatur conscientia iustam fuisse divini istius hominis reprehensionem; verebatur etiam infamiam apud subditos, si virum talem populo reverendum, absque ulla causa neci daret. Ab altera parte memoria liberae

conciliabat iurisiurandi religio. Ita animo dudum assuetus sequi peiora; eiecto rationis fraeno, permisit se raptandum concitatis affectibus. Missa igitur ulteriore deliberatione statim Baptistam decollari iubet. Ablegatus in carcerem spiculator, cervice praecisa, ferale piissimi praeconis ferculum mensae apposuit, gratissimum furiosae Herodiadi munus [1]. De magistri morte certiores facti, ut alio cadaver asportarent, discipuli convenere; quo vero in loco tumulaverint, non meminit Evangelium [2].

Digressio controvertitur quid causae fuerit, quod Joannes B. Christi disciplinae totum se tradere, communicatisque cum eo viribus regnum Dei propagare noluerit? Ut paucis complectamur rei summam: si Joannis Baptistae indolem, morum austeritatem, vitae genus atque conciones accurate consideraverimus; non veremur iniquius de hoc viro egregio iudicasse, si eum medium locum dixerimus occupasse, Legem inter et Evangelium, qui „praeparatorius" non incongrue vocari potest, cum Joannis iuxta Zachariae oraculum Luc. 1, 76. „praeibis ante faciem Domini parare vias eius" ministerium totum quantum Evangelii praeludium fuerit. Joannes testatur de Jesu Christo, et testimonio suo ad populum perfunctus traditur. Quasi per transenam Oeconomiam regni Christi adspexit, sed in eius veluti limine substitit. Hoc certe vidit Tertullianus, adversus Marcionem, IV. 11. p. 165. s. et magis disertus d. Gregorius Nazianzenus, or. XXI. in laud. s. Athan. n. 3. p. 387. qui de Joanne sic loquitur: „τὸν πρὸ τοῦ φωτὸς λύχνον, τὴν πρὸ τοῦ Λογοῦ φωνὴν, τὸν πρὸ τοῦ Μεσίτου μεσίτην, μεσίτην Παλαιᾶς Διαθήκης καὶ Νέας. Ἰωάννην τὸν πάνυ." Cf. et s. Augustinum, de. bapt. V, 9. v. IX, 146. Hoc sane innuunt etiam verba Salvatoris apud Matthaeum. „Non surrexit inter natos mulierum maior Joanne Baptista; qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo." 11, 11. Joannes ib. v. 13. a Christo non inter Novi, sed inter Veteris Testamenti Prophetas Sanctosque numeratur, his enim confertur, illis opponitur. At Christus, eius mater, omnesque Apostoli ad Novum pertinent Testamentum. Sed et minimus quisque in Evangelio, i. e. eorum qui Evangelium receperunt, maior est Joanne Baptista. Usque ad Joannem Lex vigebat, quae solis Judaeis data est,

---

castigationis infligebat iram; accedebat amor, hoc fervidior quod vetitus. Illa de inimico ulcisci, hic uxori morem gerere imperabat.

[1]) Nicephorus, Ecclesiast. Historiae I, 20. p. 60. narrat de Salome, quod super glaciem decurrens, ea sub eius pedibus subsidente, capite tenus demersa, mox in se redeunte, abscisso capite occubuerit. „At, ut scite observat C. Baronius, quoniam huiusmodi historiae haud constans habetur veritas, esto fides apud auctorem." Annal. eccl. t. p. XXXIII, 6. p. 103. [2]) Matth. 14, 3. s. Marc. 6, 17. s. Luc. 3, 19. s. Joann. 5, 33. s. Praetermittimus hic Reliquiarum divini Praecursoris inventiones et translationes, non enim proprie ad Historiam R. D. N. T. pertinent, cum ad tempora longe aevo apostolico posteriora referantur. Egregie egit de hisce C. du Fresne Dom. du Cange, vir incomparabilis, in operosissimae diligentiae tractatu historico: du Chef de Saint Jean B. Par. 1615. Tillemont, Mem. not. 16. s. I, 494. D. Papebrochius, Act. Sanct. Boll., ad d. 24. Julii c. 3. p. 711.

nec homines iuvabat, sed gravabat, ideo nemo in ea surrexit maior Joanne Baptista; postea remoto Legis impedimento, effusa gratia, tantum quisque capit, quantum virtute et animo contendit, et ideo qui in regno coelorum minor est, maior est illo. Sic antithesis inter Evangelium et Legem, qua Christum usum fuisse perspicuum est, et inter Evangelii et Legis personas aptissime convenit. Joannis utique Oeconomia ab Evangelica utcumque dissidebat, quae ne mente quidem a regno Coelorum i. e. Ecclesia divelli potest. Erat enim doctrina, qua discipuli Baptistae imbuebantur, imperfectior evangelica. Matt. 9, 14. s. 2, 18. s. Cf. J. Khell S. J., Eccloge obs. in N. T. libros Vienn. 1751. p. 63. s. Itaque Apollo, licet ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς, erat tantum Κατηχούμενος, initiatus via Domini, cum tantum sciret baptisma Joannis. Act. 18, 24. 25. Eam fuisse ministerii Baptistae conditionem sapienter a d. Cyrillo Alexandrino observatur ad Joann. 5, 35. „ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος" „Lucernam, quae in tabernaculo sancto erat et extra velum lucebat, divinum Joannem esse diximus, quae oleo quidem purissimo fovebatur, hoc est illuminatione spiritali. Extra velum autem, quoniam doctrina eius praeparativa fuit. Quae autem erant intra velum h. e. occultum Christi mysterium, haud multum patefacit.... Ea quae sunt intra velum denudanda relinquat ei, qui per ignem et spiritum baptizat." IV, 2. IV, 356.

Historiis divi Joannis Baptistae finem imposituri tractatus recensemus in S. Joannem Baptistam scriptos, ad quos legendos S. S. diligentem studiosum invitamus. Sunt hi: J. F. Burchard, de ministerio Johannis. Lips. 1619. A. Glauch, de vita Baptistae. Lips. 1659. P. Canisii S. J., commentariorum de Verbi Dei corruptelis ad. Cent. Magdeb. t. I. de S. Praecursoris Domini J. Baptistae Historia Evangelica. Dilingae 1571. C. Olde, diss. de dom. victu, amictu J. B. Rost. 1658. J. Chremitz, de victu Bapt. Lips. 1659. C. Bock, de bapt. Joann. Witt. 1685. A. Wittig, Joann. bapt. Witt. 1686. P. Rabe, de victu J. B. Regiom. 1685. Eiusdem de amictu. ib. 1693. in Thes. nov. p. 122. s. 131. s. C. Cellarii, memoria J. B. Merseb. 1692. B. F. Wegener, de vita Joann. B. Witt. 1698. C. Schloepke, Joannes ἐρμάζον. Lips. 1699. S. Basnage, Annal. p. eccl. Rotterd. 1706. I, 239. s. H. Witsii, de vita J. B., in Miscell. s. II., 367. s. J. G. Joch, de mortibus pers. J. B. Jen. 1709. J. J. Hottinger, J. B. Histor. chron. Tur. 1717. diss. I—III., etiam in Pent. diss. bibl. Trai. ad Rh. 1723. p. 123. s. J. H. Hottinger, de S. Joannis Baptis. Tiguri 1727, J. C. Eudemann, de vita J. B. Herzf. 1752. Deyling, de J. B. nat. educ. vict. mor. mun. suppl. Obs. s. III, 26. p. 196. s. P. Zorn, Opusc. sacr. Altonaviae 1731. p. 74. s. J. G. Rau, de Joann. B. in rem christ. stud. s. I. II. Ecl. 1785. Thaddaei a S. Adamo — Dereser — de victu J. B. Bonn. 1785., recus in J. J. Müller, de victu J. B. ib. 1829. C. V. Kindervater, de indole ac f. regni Messiae e mente J. B. Lips. 1802. C. F. Ammon, pr. de doctr. et mort. J. B. Erlang. 1809. C. F. Zeigermann, de cons. quo Joann. disc. ad Chr. ablegavit. Numb. I—III, 1814 -18. J. F. Abegg, de Joanne B. or. Heid. 1820. J. H. de Wessenberg, Joann. d. Vorläufer C. Const. 1821. D. Bax, spec. de Joann. B. Lugd. B. 1821. H. Nonnen, de Christol. J. B. Gott. 1824. J. G. Leopold, Joann. d. Täufer. Hal. 1825. Bleck, Bemerkungen z. E. J. in ann. St. u. K. 1823. p. 435. s. L. de Rohden, Jo. d. T. u. s. Leb. u. Wirken. Lüb. 1838. Gademann, ü. d. Verhalten Joa. d. Täuf. z. Herrn, in Z. f. l. Th. 1852. f. IV. B. Gams, Johannes der Taufer im Gefängnisse. Tüb. 1853. Sepp, Leben Jesu. II, 1. p. 22. 54. 2, p. 43. s. 153. s.

§. 9. Christus in deserto a diabolo tentatur.

Baptismum Christi excepit conflictus ille mirabilis, qui ‚dominicae incarnationis triumphale mysterium sonat'[1]. Jesus voce Patris consecratus, ne his quidem iactis exordiis coepit protinus concionari; prius enim motore Spiritu sancto in vastam solitudinem[2] secessit[3], vitamque ab omni hominum conspectu ac colloquio disiunctam, inter feras versatus, agens quadraginta dierum spatio, omni cibo ac potu abstinuit[4]. Hieme, qua neque solum neque arbor alimenta ferebat, nutriebatur vi Numinis[5]. Verbo quod processit ex ore Dei, Tu es filius meus dilectus in quo mihi complacui'[6]. Humani generis hostis diabolus[7], Christum forte ex Patris voce Deum suspicatus, spe tamen victoriae, quod solus, quod in eremo lateret, adgredi audet. Potestatis vim exploraturus, consulentis persona ostendit ei remedium pellendae famis: lapides, exactis quadraginta ieiunii diebus, offert mutandos in panem.

---

[1]) Ut eleganter observavit S. Maximus T., hom. hiem. LXII. de Quadr. VI. p. 126. [2]) V. Not. t. s. geogr. p. XXV. [3]) Hiemis tempore, cum ut vidimus in Prolegom., VI. Januarii baptizatus fuisset. [4]) Perpetuum fuit eius ieiunium, quod indicavit s. Ev. Matthaeus diem et noctem 4, 2. nominans. [5]) Divinae virtuti adscribunt s. s. P. P. quod totos illos quadraginta dies sine cibo ac potu transegerit Christus. Cf. S. Petri Chrysologi, serm. XI. p. 19. „divinae virtutis fuit per dies quadraginta esuriem non habere." Nonullis quidem interpretibus visum est ex eminenti rerum divinarum contemplatione, cui Christus toto illo tempore vacavit, sola factum esse, ut sanus sospesque perennaret. Sed haec levia. Et si enim vegetantis et sentientis animae vires, intelligentis quoque animae vires sint, numquam tamen facultatis intelligentis in contemplatione occupatio, atque ut loquuntur absorptio, sentientis ac vegetantis facultatis naturale exercitium ex integro cohibet, etsi forte retardet aliquantulum. Nam teste experientia in actibus mere naturalibus exercendis, inferior animae facultas ab actuali superioris influxu non pendet. Imo potius quod ad famem attinet, de qua nobis sermo est, nutritu deficiente homo periret, ac plane consumeretur. Secuta nimirum partium inter se dissimilium alteratione, calore humidum depascente, solutoque ad vitam tuendam necessario temperamento. [6]) Matt. 3, 17. Marc. 1, 11. Luc. 3, 22. [7]) Quis per hoc Evangelistae Matthaei 4, 1. nomen intelligatur, obscurum haud est, malorum videlicet spirituum caput, satanas. Ut illius natura atque indoles ipso statim patesceret nomine, hinc vocavit διάβολον. Derivatur haec vox de quo nullus dubitat, a. r. διαβάλλω. Haec habet significationes: τοῦ calumniari, obtrectari, decipere circumvenire, egregie exprimentes Satanae pessimos hominique iam a mundi initio admodum perniciosos mores. V. H. R. V. T. p. 14.

Atque ut primum olim Adamum, sic et secundum vult de cibo perdere. Non morem gessit diabolo Christus, cum si facto ex lapidibus pane, potentiam intempestive demonstrasset suam, in gulae vitium incidisset[1]. Occurrit tentatoris apparatui, solius Scripturae[2] de hominis alimento iudicio ,non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei'[3]. ,Quo responso Dominus nec inesse sibi esuriem denegavit, nec manducandi necessitatem se habere professus est'[4]. Quidquid voluerit, aut iusserit Deus, id esse homini nutrimentum eiusque vitam sustentare potest. Huic divinae voci credendum est; de cuius veritate siquis dubitet, aut diffidens divinae providentiae novo quodam nec a Deo instituto modo[5], sibi de famis remedio velit prospicere, is iniuriam Deo fecerit, veritatem eius in dubium vocans. Ad hanc responsionem Christi diabolus nihil quidem regerit, sed non abiicit hastas, instar agyrtae cum uno aliquo schemate fallere non posset, aliud induit. Observaverat ex responso animum esse huic, quocum disputabat Jesu, plenum fiduciae erga Deum, cuius promissis penitus nitatur. Immutat igitur scenam. ,Accipit tentator ex lege responsum, cui contraire non possit'[6]. Christum ipsum assumens, παραλαμβάνων, in altissimo Templi posuit loco suasurus, ut inde se praecipitem daret. Ne autem Christo perniciem machinari

---

1) Uti necessariis ad sustentationem non est peccatum gulae; sed quod ex desiderio huius sustentationis homo aliquid inordinatum faciat, ad vitium gulae pertinere potest. Est autem inordinatum, quod aliquis, ubi potest recursus haberi ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando miraculose sibi cibum quaerere velit. S. Thomas Sum. III, q. 41. 4. ad I. vol. X, 863. 2) Deut. 8, 3. Matth. 4, 4. 3) Id est ait: Miraculum non est necessarium, ego qui homo sum non in solo pane vivo, sed in omni verbo divino quod procedit de ore — Dei — et intellectu Patris. Humanitas enim haec cum Verbo Divino coniuncta est, in eo his diebus vivit. 4) S. Maximus Taur., hom. XLIII. de quadr. VII. p. 130. Cf. e. B. Bruni e Sch. P. edit. praef. n. VI. p. 48. s. 5) Veluti ex lapidibus panes faciendo. 6) S. Maximus, hom. XLII. de Quadr. VI. p. 126. Doceri nescius, ut verbum Dei audivit diabolus, mox ipsi ob oculos versata est fallacia, quae cum cedebat optime, in maximum exitium Adamum eiusque posteros deiecerat. Illam autem in memoriam revocavit optimum eventum habuisse, ope verborum Dei in pessimum sensum deductorum. Laetitia quam inde perceperat, ipsum impellebat, ut eodem modo adgrederetur secundum Adamum. Hinc ex S. S. periculum facturus occasionem quaerebat, ut S. Literas haud extra oleas vagans posset in medium adducere.

videretur, protulit S. S. verba, quae ipsum omni ex parte possent reddere securum. De te, ait, si Messias et Filius Dei es[1], scriptum est: quod angelis suis Deus de te mandavit, si te praecipitaveris, in manibus te tollent, ne offendas ad lapidem pedem tuum! ‚Explorantis artem mensura cautissimae responsionis evacuat. Ait enim illi spiritualis proelii bellator invictus: scriptum est[2], non tentabis Dominum Deum tuum'[3]. Quo docemur, Deum non esse tentandum, is autem tentare dicitur Deum, qui cum humana suppetunt effugia, divina exspectat miracula[4]. Sed nequitiae diaboli nec ista sufficiunt, tertiae adhuc tentationis laqueos nectit. Ex apice Templi abductum Servatorem sistit in excelso monte[5], ibi novis insidiis Dominum adortus, evecto totius orbis dominationem, regnorumque gloriam ostentat, haec si eum in terram pronus adoraret pollicitus[6]. Homini Christo universi imperium se daturum

---

1) Ps. 90, 11. 12. 2) Deut. 6, 16. 3) S. Maximus, h. d. Quadr. VI. p. 127. 4) „Sed his dictis Christus, non se tamen revelat; sed quasi homo ei interim loquitur. Nam quod dixit, non in solo pane vivit homo, neque illud, non tentabis Dominum Deum tuum, non sese admodum manifestantis erat, sed sese ex ceterorum hominum numero declarantis." S. Jo. Chrysostomus, in Matth. h. XIII, 3. p. 171. 5) Plures interpretes inquiunt istum esse montem sublimem, non longe a Jericho, qui distat duobus milliaribus a Quarantania. Cf. Not. t. s. geogr. p. XXV. Alii montem Oliveti, montium circa Hierosolymas altissimum intelligunt. Ib. p. LXXXIV. Sed hoc nec expressum in S. Literis offendimus, nec coniectura sufficiente assequi possumus. „Supervacaneum, dicit Euthymius, ad h. l. fuisset nomen adscribi montis; quae enim fuisset inde consecuta utilitas?" 6) Quonam modo omnia orbis regna diabolus Christo ostenderit? mire torquet interpretes; aliis hanc, aliis aliam viam euntibus et nescientibus, quid sumere debeant. Sunt qui putent diabolum digito indicasse varias mundi partes. Alii dicunt mundi tabulam in aëre depinxisse, tertii quae sit singulorum regnorum gloria opulentia, potentia verbis descripsisse. Plura interim hic attentenda sunt. Et primo quidem hisce verbis Matth. 4, 8. ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum; subesse potest hyperbole uti revera adest: III Reg. 18, 10. Ezech. 31, 6. Dan. 2, 38. Joann. 21, 25., in quibus locis duntaxat non totum sed pars aliqua intelligenda venit. Pari modo tentator non universa regna mundi exhibuisse putandus est, sed nonnulla, quot scilicet requiri iudicavit ad accendendam in Christo honorum terrestrium cupiditatem. Deinde sunt quaedam, quae oculis revera sistuntur; e. g. Deut. 34, 1. 4., alia quae intellectui ipsi quadam delineatione proponuntur. Ezech. 43, 10. Satan hac posteriori ratione Christo mundi regna eorumque gloriam potuit ostendere, offerendo diversas imagines divitiarum et triumphorum orbis, quarum ad oculos appulsu vehementius irritaretur Jesu animus. Regna mundi tantum ostendit, cum dare non posset, et imaginationi tanquam quid magnum obiicit. Neque sic illudebatur menti Salvatoris quippe qui accurate noverat,

iactat, ut quem cibo pellectum loco dimovere non poterat, fastu et rerum ambitione corrumperet. Sed Dominus ac Salvator exprobrata daemonis malitia, quod debitum Deo honorem sibi arrogaret [1], hostem repressit inquiens: vade satana, scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies [2]. Et haec vox imperantis simul et increpantis fuit. Itaque statim discessit diabolus ab eo. ‚Stupens atque demirans post tot saecula invenisse hominem humanas concupiscentias non habentem, natumque in carne nihil penitus corruptionis habere carnalis. Discedente itaque retrorsum diabolo accedentes Angeli ministrabant ei. Triumphus iste quantae sit gloriae, obsequia nos edocent Angelorum. Nec mirum sane si eius angeli ministeriis occurrerunt, cuius victoriam mirabantur' [3].

Digressio I. Disputant interpretes cur. D. N. J. C. diabolus tentaverit, tentavitne, ut in peccatum aliquod praecipitaret? an ut illius divinitatem exploraret? Non videtur quibusdam a ratione alienum arbitrari, daemonem iam tunc temporis Christum Deum esse simul et hominem cognovisse. Existimasse tamen, Deum quidem peccare non posse, humanitatem vero etiam cum Deo copulatam peccare posse; vel saltem hac de re dubitasse, atque ideo Christum ad peccandum tentando impulisse. Quod si peccaret humanitas, dicunt, arbitrabatur diabolus, miram illam Verbi cum natura humana copulam dissolvendam, humanitatemque ob peccatum repudiandam, atque ea ratione orbis redemtionem impediendam. Durum exercebat daemon imperium in homines, quos peccatum sibi fecerat servos, sciebat autem hoc suo imperio deturbandum in adventu Christi, statuit ergo rem explorare, num is esset Messias? Cf. C. Ullmann, d. Sündlosigkeit Jesu. edit VI. Hamb. 1853. p. 274. s. At huic sententiae assensum nostrum praebere non

---

inanes esse species quae ad oculos appellebant. Neque obstant verba, quae habet S. Lucas, ista in momento temporis ‚ἐν στιγμῇ χρόνου' fuisse peracta; haec enim Evangelistae verba non sunt adeo coërcenda, quin totum illud tempus notent, quod ad hanc eorum regnorum delineationem requiritur. ‚Στιγμῇ χρόνου, scribit Euthymius l. i. c., καθὼς προσέθηκεν ὁ Λουκᾶς, τουτέστιν ἐν βράχει καιρῷ.' Cf. J. D. Maioris, scrutinium regnorum mundi Christo a diabolo monstratorum, in nov. Thes. I, 142. s.

1) Uti enim unus est Deus, ita una religio, quae non dividitur in varias species. 2) Matth. 4, 10. Tertium, ut duo priora, telum Scripturae Deut. 6, 13. clypeo Dominus reiicit, hostemque penitus victum fugat. Abire iubet indignum. qui cum disputet, eo quod manifesto falsa loquatur non sine Dei ignominia. 3) S. Maximus, hom. hiem. XLII. de Quadrag. VI. p. 128. S. Lucas 4. 13. addidit: diabolum recessisse a Christo usque ad tempus, sc. passionis; non quia tunc venit ad tentandum Christum, sed ut pugnet aperte, ut habet S. Ambrosius. l. i. c. n. 36. p. 1344., per propria sibi instrumenta Judaeorum. Ita quoque censet S. Chrysostomus, l. i. c. n. 4. p. 172.

possumus. Si enim a. diabolus scivisset Christum esse Deum, non illi promisisset regna mundi, perspectum enim habuisset Jesum, quia Deus erat, totius terrae coelique imperium obtinere; quorsum igitur id promitteret, quod in potestate illius esse noverat? b. Insipiens fuisset daemon, si cum Deo coniunctam humanitatem in peccatum trahi posse credidisset. Nam si noverat Christum esse Deum, noverat praeterea Deum peccare nullo modo posse; ergo neque, ut in peccatum traheret, tentavisset. c. Opinio haec S. S. Patrum sententiae minime convenit; qui docent daemonem ex his, quae viderat, coepisse dubitare num Christus filius Dei esset, neque id explorate cognovisse. Omnium instar audiatur S. Maximus Taur., l. s. c. „Itaque cum viderit leo feralis agnum Dei post longissimum atque continuum quadraginta dierum ac noctium ieiunium esurire, et esurientem Deum esse non crederet, arte illum calidissima adgreditur.“ Atque hom. XIII. de Quadr. VII. p. 129. idem prosequitur: „Adgreditur itaque diabolus tentare Christum, exploratque sollicitus, si forte illum Dei esse filium deprehendat. Suspicatur illum esse, quem continuatum quadraginta dierum videt explicuisse ieiunium; sed rursus dubitat divinam illi inesse naturam, quem quasi infirmum inter ceteros homines perspicit esurire.“ Haec est etiam sententia S. Hilarii, comm. in Matth. 3. ed. Par. 1830. IV, 12. S. Ambrosii, exposit. evang. s. Luc. l. IV, 18. ed. ben. p. 1339. divi Gregorii Nazianzeni, theol. carm. l. I. s. 2. v. 203. „ἡ πεῖρα δ' ἦν ἔρευνα τῆς Θεοῦ πλοκῆς.“ p. 221. s. Joannis Chrysostomi, hom. XIII. in Matth. n. 2. VII, 196. s. Hieronymi, in Matth. 4. 6. VII, 20. s. Augustini, de Civ. Dei, IX, 21. p. 371. s. Leonis M., serm. XLII. de quadr. IV, 3. ed. Malou p. 32. Euthymii Zig., comm. in Matth. 4, 3. p. 116. s.

Illud vero pro confesso habent omnes catholici Christum fuisse impeccabilem ἀναμάρτητον; atque ἀναμαρτησίαν, quam impeccantiam latine vertendo vocat S. Hieronymus, dialogo contra Pelag. II. n. 16. II, 760. esse duplicem. Nam aut simplicem vacuitatem peccati significat, ita tamen ut peccari posset; aut eiusmodi, ut nec insit reipsa, nec ullum possit inesse peccatum. Posterior quae absolutam peccandi possibilitatem eripit, in solo Deo reperitur. Quibus positis sequitur: Christum ut Deum esse ἀναμάρτητον. Sed Christum Dominum non solum, qua Deus est, verum etiam ut homo est, nihil admisisse peccati, adeoque vere ἀναμάρτητον exstitisse ratum est e testimoniis divinarum Scripturarum et Traditionis. Vide in hanc rem: Joann. 8, 31—46. coll. Matth. 26, 59. 27, 3. 19. 24. II Cor. 5, 21. Hebr. 4, 15. 7, 26. I Pet. 2, 22. I Joann. 3, 5. Lege effata S. Justini Phil. et Mart., dial. cum Tryph. n. 35. p. 118. S. Irenaei, contra haer. III. 16, 6. 7. p. 509. s. S. Hilarii, de Trin. X. 25. p. 393. s. S. Hieronymi, adv. Jovin. II, 1. p. 322. dialog. c. Pelag. II, 17. p. 761. S. Augustini, Enchir. n. 41. ed. Faure p. 81. S. Cyrilli Al., in Joann. IV, 1. Ev. 8, 29. p. 531. Conc. Constantinop. II. coll. VIII, 12. apud Hard. III, 198. s. Const. III. act. 8. „ἀναμάρτητον θέλημα προσέλαβεν ὁ κύριος ἡμῶν I. X.“ ib. p. 1183. Quod illi hypostatica tribuit unio; certe impeccantiae, quae Christo-homini adscribenda est, causam repetere debemus ex divinitate Verbi, quacum una fit persona. Ex eadem enim unione sequitur carnem sive naturam humanam propriam Dei, ac Verbi esse factam; ita ut quidquid in eam caderet, hoc in se ille reciperet, ac sibi tanquam proprium imputaret. Quare si aut peccaret homo Christus, aut peccare posset, dicere hoc fas esset — quod vel cogitare, eo magis scribere sit blasphemum — peccare vel peccare posse Deum. Hinc denique illud oritur quod S. Leo, ep. XXV. ad Julianum ep. Coens. n. 3. ed. Ven. 1748. I, 142. de Christo vere

affirmat, adversus Eutychianam haeresim: „Sensus corporei vigebant sine lege peccati; et veritas affectionum sub moderamine Deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis.“ Ex quo iure infertur Christum quamvis a diabolo appetitus sit, itidem ut homines alii, non eo tamen modo esse tentatum. Quod ipsum sic elucidant s. s. P. P. s. Gregorius M., Mor. l. XXV. in c. 24. b. Job. c. V. s. p. 790. coll. hom. XVI. in Evang. Matth. 4, 2. p. 1492. et s. Joannes Damascenus, de fide orthod. III, 20. p. 244. Homines dicunt, undecumque tentari, intus affici, et immissis cogitationibus ac motibus urgeri etiam invitos ac repugnantes. Rom. 7, 13. In Jesu vero nullus interior motus, appetitus, exstitit, neque pugna cogitationum aliqua; sed extrinsecus appulsa suasio et hortatio daemonis nihil intus agere potuit. Daemon non cognovit Christi humanitatem propria personalitate carere, et cum divino supposito coniunctam esse; ideoque tentatione an Jesus filius Dei esset incarnatus explorare decrevit. Cum nec in phantasia Domini, neque in corpore aliquid posset efficere, externamque pugnam esse oporteret, extrinsecus Christum adortus est. Ut enim pulchre scribit Caietanus, comm. in Matth. c. 4. „Universa quae describitur tentatio foris fuit non intus; nam integram perfectionem Jesu dedecebat habere intra cogitationes aut phantasiae vel sensus motus adversus spiritum, exteriores autem suasiones ad malum, audire non dedecuit, ut illas vinceret.“ ed. Par. p. 19. Sed et ex iis, quae hactenus de Christi hominis ἀναμαρτησίᾳ disputata sunt, validissime construitur argumenti genus, quo Christus homo probatur divinitate ipsa sanctus fuisse. Cum enim constet omnem creaturam ex se et natura sua esse peccabilem, solumque Deum esse ἀναμάρτητον, sequitur statum τῆς ἀναμαρτησίας, impeccantiae, non aliunde quam ex Divinitate proficisci; adeoque si, ut revera monstravimus, in humana Christi natura exstitit, necesse est eum ex illo divinitatis fonte manasse. Sive Christus idcirco est ἀναμάρτητος, quia Deus est, Deique filius. Itaque enuntiata ab Ecclesia doctrina: Christum tam certo factum esse „κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας,“ quam omnibus certe nominibus naturam humanam accepisse, de fide est. Aevo quod dicunt Theologiae Scholasticae, dogma de Jesu ἀναμαρτήτῳ quam maxime solerter tractatum, idque non tantum a Theologis, sed etiam a poëtis inter quos Dantius, et Otfriedus Weiszenburgensis, qui eum vocat „ther suntiloso man.“ Etiam tempore s. XVI. sequentibusque apud ipsos acatholicos mansit dogma hoc intactum. — Sed de hac re plura suppeditabunt praesertim eruditissimus D. Petavius, de Pelag. et Semip. haer. c. VI. in op. de Theol. Dogm. ed. Fr. A. Zachariae. III, 319. s. de Incarnatione l. XI. c. X. et XI. V, 27. s. M. Walther, de Christi hominis ἀναμαρτησία s. impeccabilitate. Tüb. 1717. p. 4. s. Idem, de dissimilitudine ortus nostri et Christi hominis, in diss. theol. ed. Hoffmann. Witt. 1753. p. 207. s. Hoevel, disp. de ἀναμαρτησία Christi. Hal. 1749. — Saeculo fere XVIII mota contra Revelationem ingenti pugna, Reimarus, von dem Zweck Jesu ed. in fragm. Guelpherbyt. Berol. 1788. p. 10. s. 66. s. ἀναμαρτησίαν D. N. J. C. negavit. Nimis autem longum foret enarrare quid Rationalistae, Illuminati, Encyclopaedistae aliique ad impugnandam et labefactandam hancce doctrinam effutierunt. Contra quos calamum strinxere: Erbstein. G. u. d. Fr. ob der Erlöser sündigen konnte. Meissen. 1787. Ph. A. Stapfer, V. e. Bew. d. g. Sendung J. a. s. Char. Bern. 1797. M. Weber, doct. b. de nat. corp. Chr. Hal. 1825. p. 9. s. Fr. a Meyer, war Jesus der Sünde fähig, in Blatt. f. höh. Warh. coll. sec. Berl. 1831. p. 198. s. G. Menken, Homil. üb. das IX. u. X. Cap. des Briefes an die Hebräer. Brem. 1831. 177 s. Al. Schweitzer, in ann.

Stud. u. Krit. 1834. p. 521. s. 813. s. C. J. Fritzsche, de ἀναμαρτησία J. C. Hal. Saxon. Comm. I—IV. 1835—37. H. J. Vogelsang, de ἀναμαρτησία J. C. Bonnae 1839. Theile, ü. d. sitt. Erh. Jesu in d. Allg. Kirchenz. 1841. n. 92. 93. 94. Ullmann, die Sündlosigkeit Jesu p. 28. s. C. Tischendorf, diss. cr. et ex. de Matth. 19, 16. Lips. 1840. G. Doehner, de dictis aliquot J. C. quae eius ἀναμ. infringere videntur. Zwic. 1840. E. Dandiran, Essai sur la divinité du car. mor. de. J. C. Gen. 1850. Schwetz, Theologia Dogmatica Catholica. Vienn. ed. IV. 1863. II, 297. — Novissime F. Pecaut, le Christ et la conscience 1859. et D. Fr. Strauss, Leben Jesu f. d. d. Volk. p. 195. Jesum ἀναμάρτητον fuisse impudice negarunt; quos refutarunt. Schaff, the Moral character of Christ. Chambersb. 1861. P. J. Gouda Guint, disp. ex. h. de Jesu ἀναμαρτήτῳ. Trai. ad. Rhen. 1861. p. 129. s. J. A. Dorner, ü. Jesu sündlose Vollkommenheit. Gotha. 1862. p. 16. s. Th. Keim, der gesch. Christus. ed. II. Zür. 1865. p. 107. s.

Digressio II. de tentatione Christi. Agitanda hic loci celeberrima quaestio: utrum scilicet Jesus reipsa, an vero imaginatione, spiritu aut visione tantum a diabolo in Templi pinnaculum, montemque fuerit translatus? Novimus antiquos et recentes S. S. expositores esse, qui posteriorem amplectantur opinionem, eo quod pati nequeant id statui, diabolum reali translatione Christum de loco in locum transportasse. In quo tamen bene pensitato nihil occurrit, quod quemquam debeat offendi. Quamvis enim a. concipi nequeat, qua ratione spiritus moveat corpus — quia nempe nihil movere valemus nisi corporeus intercedat contactus —, necesse est tamen fateamur id fieri posse, cum mens nostra materiae prorsus exsors corpus nostrum moveat. Spiritus autem ab omni materia seiunctos, eadem virtute pollere, constat angelorum exemplo, qui Moysem in Moabitide inhumarunt; Eliam sub flammeorum equorum currusque ignei specie in coelos evexere; Habacucum ex Judaea in Babyloniam, Philippum diaconum Azotum transtulerunt. Cf. H. R. D. V. T. p. 127. 343. 423. Act. 8, 39. Jam autem si Angeli ea pollent facultate, quidni pollebunt itidem mali Spiritus, eiusdem cum bonis naturae? Quamquam enim hi a primaeva sua conditione exciderint, ingenitis tamen proprietatibus non fuere spoliati. Adde loca Matth. 17, 5. Marc. 5, 4. 9, 21. Luc. 8, 28. 29. et quod s. P. P. et S. E. de Simone Mago scribunt. Non licet proinde diaboli industriam et vires, ex nostris metiri. Tum demum posset aliquis non nemo definire, quod praestare valet diabolus, quando fuerit daemon. Ad haec b. quoties S. Pagina translationis alicuius mentionem facit, nec subdit, eam spiritu aut visione fuisse praestitam, toties realem intelligit. At idem minime dicendum de rerum oblatione, aut intuitu per visionem, quae saepissime exstant in rebus specie sola observatis. Exempla huius sunto: Exod. 25, 9. Num. 8, 4. Jer. 24, 1. Ezech. 40, 4. Hebr. 8, 5. Apoc. 4, 1. Rursumque Apoc. 17, 3. 21, 10. In hisce omnibus locis hae voces: visione, visione Dei, spiritu, per Dei Spiritum, perspicue ostendunt de physica et reali translatione ibi sermonem non haberi. Verum in eo loco de quo disputamus Scriptura nude exponit diabolum: Christum assumsisse vel statuisse in pinnaculo Templi. D. q. v. Not. t. s. geogr. p. LXXVIII. Hist. R. D. V. T. p. 498. Cum ergo dicitur: „tunc assumsit eum diabolus et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei, si filius Dei es, mitte te deorsum", ex proprietate verborum Textus sequitur, Christum non specie sed revera, in pinnaculo stetisse, secus alioquin ridicula omnino fuerit daemonis ad praecipitationem instigatio. Et quando dicitur diabolum C. D. detulisse in montem, quandoquidem non adiiciatur

spiritu, aut visione id fecisse, temerarius esset quisquis haec adiiceret. Ea enim interpretatione S. S. fides labefactaretur: siquidem ea omnia, quae nobis ut realia proponuntur, possent pari iure in visiones et imaginationes traduci. Quid quod ea ratione inde varia colligerentur πορίσματα, ad quae veri quique fideles exhorrescerent. Illud autem inprimis notandum c. quod cum S. Lucas Ev. de Christo narraverit 4, 1. „ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον“ verbo utatur simillimo, quando refert „ἤγαγεν αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλήμ“ v. 9., et iterum ubi dicit „ἀναγαγὼν αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλόν“ v. 5. Jam vero cum idem vocabulum ἄγειν, iisdem in historiis, eademque rerum serie, ter occurrat, nonne ludibrio illi contextum habent, qui docent prima vice realem, aliis vero vicibus imaginariam transportationem significari. Addimus d. si diabolus visione aliqua C. D. illusit, horum alterum necessario evenisse, ut vel α. sensibus et imaginationi tantum, vel β. menti quoque fucum fecerit, falsumque Christo persuaserit; ipsum sc. quanquam in regione plana versaretur, in pinnaculo tamen Templi aut montis vertice stare. Quodcumque autem admittatur, gravissima sese offerunt incommoda. Si enim א. prius statuatur, id sequeretur illius tentationem Matth. 4, 6. nugatoriam esse et inanem, eo quod Christus optime tunc nosset, id esse prorsus impossibile, quia tunc in solo aequabili stabat. Neque erat quod satanae responderet l. c. v. 7. Quod si posterius ב. quis perhibeat, id scandalosum quid prae se fert; sic enim potuisset tentator Christo persuadere, praecipitium esse solum aequabile, ipsum eo inducere, ut se praecipitem daret, falsum veri loco supponere. Quae omnia sunt detestanda et talia, quae optimus quisque aversatur. Sed et cum immensis illis sapientiae et scientiae thesauris, quos in Christo exstitisse nos docet Apostolus Col. 2, 3. nequaquam potest consistere. Quid multa? longe incredibilius est concessam daemoni fuisse facultatem illudendi menti Dominicae, quam transferendi de loco in locum corporis. e. Nullum est inconveniens quod diabolus Christum assumserit. Meminisse enim oportet, quae divinissimus Salvator ipse, Luc. 22, 53. Paulus de Christo Hebr. 4, 15., et de se II Cor. 12, 7. testetur. Quidni vero potuerit diabolus e loco in locum transferre illum ipsum, quem eius satellites Judas, Caiphas, Pilatus in crucem deinceps erant sublaturi? ut observat d. Gregorius, hom. s. c. Quin et eo illustriorem fecit victoriam suam Redemtor, quod isthaec adversario suo permiserit; quandoquidem ultra nihil ei concesserit. Et certe Christi quidem corpus valuit movere; at animi constantiam e situ suo nullatenus potuit emovere. Imo cum Jesus a satana deduceretur, ipsum eodem tempore vinculis sic alligatum tenebat, eiusdem sic frenabat vires, ut nullum sibi posset infligere damnum. Itaque in hac Christi assumtione, non tam daemonis quam Salvatoris mirabilis elucet potentia. Audet diabolus quia Deus permisit, qui prohibere poterat. Neque solum mirabilis ea in re Jesu potentia; eiusdem bonitas longe mirabilior, in eo quod nostri causa tam grave opprobrium voluerit subire. Denique f. si ab argumentorum propugnaculis ad Maiorum testimonia confugimus, in iis certe maximum habemus praesidium. Quanquam enim Veteres multi, quorum penes nos sunt scripta — Origenes, hom. XXX. et XXXI. in Lucam. ed. Lomm. p. 198. 200. s. s. C. Juvencus, l. I. de evang. hist. ed. Lugd. p. 22. S. Hilarius, comm. in Matth. III, 4. p. 14. S. Ambrosius, expos. ev. s. Luc. l. IV, 23. s. p. 1340. s. S. Joannes Chrysostomus, hom. XIII. in Matth. 3. s. p. 171. s. S. Hieronymus, comm. in Matth. l. I, 5. p. 20. S. Augustinus, de cons. Evang. II, 16. p. 47. S. Maximus Taurinensis, hom. de Quadr. VI. p. 127.

S. Petrus Chrysologus, serm. XIII. p. 23. s. S. Gregorius M., in Ev. l. I. h. 16, 3. p. 1493. Ven. Beda, in Matthaei Evang. ed. Colon. V, 8. Hrabanus Maurus, comm. in Matth., l. I. ed. Col. Agr. 1626. V, 23. S. Thomas Aq., Summ. III. q. 41. a. II, ed Parm. p. 180. S. Bonaventura, expos. in c. IV. Luc. ed. Lugd. 1668. II, 43. Meditat. Vitae Christi. c. XVII. VI, 350. — cum recentiorum turba — A. de Escobar, comm. lit. in N. T. I, 11. J. Maldonatus, comm. in q. Ev. p. 92. Lamy, Comm. in Harm. l. II, 9. p. 98. Chemnitius, harm. q. ev. I, 19. p. 189. s. S. Bochartus, expl. J. C. in mont. temp. pinn. transl. ep. III. ad N. Herault. Op. omn. I, 943. A. G. Ammon, Tentator satanas confutatus. Grypsw. 1670. in Th. n. II, 160. S. Barradius, Comm. in conc. l. II, 4. II, 78. s. J. C. Wolfius, Cur. phil. et crit. in IV. s. Ev. Hamb. 1725. p. 69. M. Wouters, diluc. in hist. et conc. ev. V, 128. J. Sylveira, in text. ev. Comm. I, p. 313. S. de Cassia, Gesta Salv. D. N. J. C. Ratisb. 1733. p. 177. s. C. Graul, ex. d. Versuch über die Versuchungsgesch. in ann. Z. f. d. l. Theol. 1844. III, 45. s. M. Arnoldi, Comm. z. Ev. d. Matth. Trier. 1856. p. 123. Scio quidem nonnullos Theophylacti, comm. in Matth. p. 22. et Euthymii, ad v. 8. ed. c. p. 124. pro "visione" auctoritatem proferre; sed illi in re ipsa magnopere errant. Duumviri hi penitius inspecti, opinionem illam de transportatione in visione refellunt. Ut loquuntur, de Tentatione Christi „ex professo" dixerint, attamen ne unus quidem inter Sanctos Patres et Scriptores E. reperitur, qui subdubitet, an Jesu transportatio in templi verticem vel montem fuerit realis. Ut igitur rem concludamus g. ab hac sententia nunquam discedemus, cum stabunt argumenta a nobis prolata in medium; et si adversariorum ita viderentur comparata, ut nihil nobis succurreret ad diluendum.

Digressio III. Vindiciae historiarum tentationis Jesu Christi Matth. 4, 1—11. Marc. 1, 12. 13. Luc. 4, 1—13 expositarum. In alia omnia ii abeunt, qui cum historias Salvatoris, si praecipua eius capita spectantur fide dignissima esse concedant, nonnulla tamen ut in magnorum virorum memoria fieri solet, tum admirationem hominum tum curiositatem effinxisse autumant. Quare coniecturis indulgent, atque Evangelii verba mire pervertunt. Ablegato, quem uberioris diversarum ab interpretibus ut plurimum acatholicis opinionum recensionis ceperit desiderium, lectore ad libros S. Deylingii, Obs. s. II, 27. p. 269. J. C. Wolfii, Cur. phil. in Evang. p. 60. Gratzii, k. h. Comm. ü. d. Ev. d. Matth. Tübing. 1821. I, 193. Anonymi — Feilmoseri, coll. Kuhn. L. J. p. 391. — disq. in ann. Theol. Quart. Tüb. 1827. ü. d. Versuchungsgesch. J. p. 25. s. 195. s. Ullmanni, d. Sündlosigkeit J., Beil. p. 273. s. Hasei, d. L. J. p. 89. s. haec habeto. I. Tentationem Christo non vere, sed κατὰ φαντασίαν, vel in somnio evenisse opinantur: Theodorus Mopsuestenus, in Fr. Muenteri fragm. P. P. gr. Havn. 1788. I, 107. A. Scultetus, exercit. evang. Amst. 1624. B. Bekkerus, in exsecrabilis memoriae libro cui titulum fecit: de betooverde Weereld. Amst. 1691. germ. a J. M. Schwager. Lips. 1781. I, 44. s. H. Farmer, an inquiry into the nature and design of Christ's tentation. Lond. 1761. germ. a. Schwagero. Brem. 1777. J. A. Boltenius, Bericht des Matth. von. Jesu. ü. m. Ammerk. Altona. 1792. p. 51. s. Paulus, ph. k. Comm. ü. d. N. T. Leipz. 1812. I, 355. s. J. Jahn, Nachträge zu seinen theol. Werken. Tüb. 1821. p. 141. s. Bertholdt, t. p. Ev. tentation. C., in Op. ed. Winer. Lips. 1824. p. 50. s. Gratz, l. s. c. p. 223. G. C. R. Matthäi, Syn. d. v. Ev. n. Krit. ihrer Wunderz. Gött. 1826. p. 10. Gebser, in prol. ad. Juvenci hist. ev. Jen. 1827. p. 37. s. Meyer, die Vers. C. als bedeutungsvoller Traum, in ann. Stud. u. Krit. 1831. II. Alii interpretes duce H. von der Hardt. exeg. loc. diff. quat., Ev. p. 470, in Antiquario philologico pro illustrando V. et N. T., ephem. Helm.

1703, I, 38. s. J. G. Rosenmüller, Scholia in N. T. Nor. 1801. I. 68. S. H. Möller, Neue ansichten schw. St. a. d. IV. Ev. Gotha 1819. p. 20. s. Feilmoser, l. c. 219. s. C. T. Kuinoel, Comm. ev. Matth. ed. III. p. 81. s. arbitrati sunt per. διάβολον intelligendum esse fraudulentum Judaeum, qui Jesum identidem convenerit, et ut an esset Messias exploraret. Inventi sunt porro III. alii interpretes, qui historias istas mythum historicum vel philosophicum dicerent, uti: J. O. Thiess, n. kr. Komm. ü. d. N. T. Halle 1804. I, 55. s. J. C. T. Löffler, in d. Kl. Schr. Weim. 1817. II, 166, s. Car. Fr. A. Fritzsche, Ev. Matth. p. 172. s. L. Usteri, in ann. St. u. Kr. 1832. IV. D. Fr. Strauss, das Leben J. Tüb. 1835. I, 396—428. A. Fr. Gfrörer, die h. Sage. Stuttg. 1838. I, a. 379. s. G. de Wette, K. e. H. ed. Messner Leipz. 1857. I. 1, 60. W. Meyer, kr. ex. K. ü. d. E. Matth. p. 117. Adde IV. alios qui ceu parabolam has historias sumendas esse voluerunt; e quibus sunto: Thaddaeus a. s. Adamo — Dereser — die Vesuchungsgesch. Chr. erl. Bonn. 1794. Cunze, quid de tent. Chr. statuendum? in Syll. comm. theol. ed. a Pott et Ruperti, Helmst. 1808. VIII, 308. s. Fr. Schleiermacher, ü. d. Schriften. d. Lukas. c. kr. Vers. Berlin. 1817. I, 54. s. E. A. Richter, form. tent. Matth. IV. par. Vit. 1823. A. Schweizer, kr. Darstell. d. Versuchungsgesch. Zür. 1833. Theile, z. Biographie Jesu. Leipz. 1837. p. 49. 50. Est denique V. nonullorum sententia, quae narrationem de Christo a satana tentato, neque visionem, neque phantasiam, neque somnium, neque parabolam; sed rei vere gestae seriem referre largitur, Evangelistarum tamen verbis minime inhaeret. Vide Kuhn, l. s. c. p. 391. s. Neander, L. J. p. 114. s. Ullmann, l. c. p. 159. 165. Hase, L. J. p. 88. Fr. W. Laufs, ü. d. Vers. Jesu in ann. St. u. Kr. 1853. II. Ewald, Gesch. Chr. u. s. zeit. Gött. 1855. p. 244. s. His interpretibus censentibus ineptae Judaeorum de Messia opiniones — coll. Bertholdt, Christolog. Judaeor. Erl. 1811. p. 69. s. — non ignotae erant Christo. Sic igitur secum meditatus est: cum populares mei res admodum absurdas et impias Messiam effecturum opinentur, anne eae mihi, ut eorum votis respondeam, obeundae sunt? Fuisse sane in his meditationibus tentationes diaboli, sed quae fuerint eius partes nemo dixerit. Evangelistae res intus in animo Christi peractas, ita enarravere, ut eas visas, animadversas et vere gestas esse contendant; ideoque menti Jesu oblata, rerum sensibus perceptarum historiis incluserunt. Scriptores Evangeliorum has quidem ex Christi ore hausisse, sed nonnullis e traditione haustis auxisse dicunt. Ita narrationem confectam fuisse, quae non sit ad extus gesta, sed ad intus, attamen vera! S. S. Patres et Scriptores eccl. atque interpretes priorum saeculorum catholici fere omnes, Evangelistarum narrationi inhaerendo, historias tentationis ad literam esse explicandas defendunt. Quorum vestigia premendo interim in summam conferemus argumenta, ex ipsa sermonis serie desumta, quae vere haec omnia gesta esse credere iubent. Verum externumque congressum demonstrant: A. verba λαμβάνειν ἱστάναι, παραλαμβάνειν, προσέρχεσθαι, aliaque quae de vero ὑφισταμένῳ usurpari solent. Simili ratione locutiones: προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων, ὕπαγε, et τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος, de accessu et recessu locali tentatoris ad Christum et a Christo, sub forma visibili et externa, exponi debent. Etenim literae proprietas absque summa necessitate non est deserenda, ne phantasiarum et coniecturarum deliriis via sternatur. Nam si hoc certamen Christi ad visionem, somnium, meditationem referunt, idem urgere possunt mythologi illi e. c. de passione et crucifixione Christi, quae a summa eius dignitate adhuc magis videbuntur aliena. Sicuti iter Christi in desertum et ieiunium vere gesta fuerunt; ita et tentatio, quia ista

omnia eodem contextu et nexu recitantur. Opiniones oppositae B. praeconceptae, tum quod absurda et impossibilia continent, tum quod consequentia habeant admodum periculosa, tolerari non possunt. α. Prima de Christo in visione tentato supra suo loco refutata est. Altera β. quae ad somnium et phantasias confugit faciliter, ut nobis quidem videtur, diluitur. Nititur haec sententia 1. falsa interpretatione Matth. 4, 1. Luc. 4, 5. Cum 2. non legatur formula κατ' ὄναρ, neque ullum appareat somnii vestigium; atque 3. phantasiae, animi a corpore quasi abstracti, ab indole et ingenio Christi plane alienae sint, argumentis e contextu sumtis confirmatur, rem vere gestam enarrari. Haud felicior est γ. hypothesis tertia, Hardtii et sequacium, in qua tot temere finguntur, supponuntur, inferuntur, et affinguntur simplici narrationi, quot lineas universum habet eiusmodi interpretamentum. Obstat ipsi 1. articulus Matth. 4, 1. additus τοῦ διαβόλου; 2. unde constat Hardtio tentatorem hominem fuisse; repugnat 3. narrationis contextus, in quo nullum adversarii humani vestigium. Vanissima et sordidissima pericopae nostrae expositio, aut si mavis depravatio, est δ. mythica; sed de hac alia opportunitate dicemus. Qui porro ε. voluerunt parabolam his tradi interpretes, ut alia reticeam, 1. accurate demonstrandum habent, esse a N. T. Hagiographis hoc sensu propositam. Eiusmodi parabolas, qualem in historiis tentationis scriptam supponunt 2. Salvator nunquam docuit; neque 3. ulla cuiusdam momenti ratio afferri potest, quare Jesus parabola tam aequivoca discipulos instruere voluisset. Sed et ζ. εὕρημα postremum, quod nonnisi opinionis sub β. explosae temperamentum est, extra modum absonum est, omnesque historias evertit. Eius πρῶτον ψεῦδος est 1. quod cum Jesu ἀναμαρτησία, quae vere sic appellatur, consistere nequeat. Ut iam ante diximus: omnis tentatio est interior vel exterior. Externam diabolum cum Christo iniisse pugnam indicat s. Matthaeus scribens 4, 2. 3. post Salvatoris famem accessisse tentatorem; proinde exterior Jesu tentatio famem excepit. Interiori vero, quae fit immissis in mentem imaginibus, quibus ad peccatum sollicitatur, impossibile est Dominum fuisse subditum. Immissae scilicet intellectui cogitationes malae, excitataeque partis sentientis cupiditates nullum in Christi persona locum habere potuerunt; quia pars eius sentiens ita erat rationi subdita, nullus ut in ea motus invita ratione posset oriri. „Tentari inquit, l. c. s. Gregorius M., ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris non intus fuit.“ Quo titulo Christi tentatio Protoparentum tentationi similis fuit, quamdiu in felicissimo illo innocentiae statu perennarunt; nostris toto coelo dissimilis. Quare idem s. Papa paulo ante laudatus dicit: „Nos cum tentamur, plerumque in tentationem aut etiam in consensum labimur; quia de carnis peccato propagati in nobismet ipsis etiam gerimus, unde certamina toleremus. Deus vero qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat.“ Hom. XVI. in Ev. n. 1. p. 1492. Cf. e. J. H. Serry, exercit. hist. crit. pol. de Christo. ed. Lugd. 1767. exerc. XLVI, 8. p. 160. Neque 2. contrariae sententiae suffragatur α. S. Lucas 4, 13. „καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ διάβολος, ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ“ h. e. ait. divus scriptor: consummans finiens, omnem tentationem diabolus recessit ab eo. Illud συντελέσας, finiens, referendum est ad diabolum h. s., finiens diabolus omnes tres tentationes discessit a Christo. Ad satanam refert certe β. s. J. Chrysostomus, hom. XIII. in Matth. n. 4. „Et quomodo inquies, Lucas ait, ipsum omnem

tentationem consummasse? Videtur mihi ut capita tentationum diceret, omnes dixisse, quasi aliis hoc numero comprehensis" p. 172. Idem facit S. Ambrosius, expos. Evang. sec. Luc. l. IV, 35. p. 1343. S. Augustinus, enarr. in Ps. VIII, 13. IV, 45. et Theophylactus, in Luc. comm. c. 4. p. 329., qui omnes cum S. Gregorio M. l. s. c. docent omnem tentationem dici consummatam, quoniam tres illae omnium reliquarum capita et fontes sunt. Opponuntur quidem verba Apostoli Hebr. 4, 15.; sed ibi s. Paulus hoc sibi demonstrandum sumsit: habere nos Pontificem, qui labores, cruciatus et afflictiones nostras toleravit, iuxta similitudinem nostram „excepto peccato" cui nunquam fuit obnoxius. Labentibus vero diebus quadraginta diabolum nullam cum Christo iniisse pugnam, indicat S. Matthaeus annotans, post Christi famem, demum accessisse tentatorem. Omnium minime his interpretibus S. Marcus praesidio est, ubi summarie referat Redemtoris cum satana certamen verbis „πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ σατανᾶ", cum tentationem non innuat ab illa diversam, cuius s. s. Matthaeus Lucasque meminere; ea autem exterior fuit. Quae de tentatione Christi narrat S. Marcus 1, 13. haec sunt: „Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tentabatur a satana, eratque cum bestiis et angeli ministrabant illi." Jam vero cum nullam tentationis cuiusquam extra desertum passae mentionem iniiciat; inde continuo inferunt nullam omnino alio quocumque loco sustinuisse; eoque modo triplicis huius tentationis narrationem labefactare pergunt. Tametsi S. Evangeliorum Scriptores hoc habuerint propositum, ut cum vitam, tum mortem Salvatoris nostri scriptis consignarent, nihilominus singuli eorum omnia, quaecumque ille egit vel passus est, noluerunt memorare. Coll. Joann. 20, 30. 21, 25. Ita sunt varia notatu dignissima, quae ab uno dumtaxat Evangelista narrantur; aliaque a duobus, tribus aut quatuor referuntur; ita tamen, ut eorum unus fere semper adiiciat circumstantiam, quam reliqui praetermittunt. D. q. v. Prolegom. Eo semel constituto, nonne iniquum est s. Joannis silentium, et s. Marci abbreviationem, opponere iis, quae a s. Matthaeo et Luca diserte traduntur, ut inde concludatur, vel tentationem nullatenus accidisse; vel si acciderit, imaginatione tantum aut ὀπτασία factam? Eoque iniquior est haec ratiocinandi methodus, cum s. Joannes frequentissime eorum non iniecerit memoriam, quae apud ceteros Evangelistas leguntur; atque cum s. Marcus hoc fere intenderit, ut Christi facta in compendio daret, unde permulta silenda fuerint eorum adiuncta, quae Matthaeus et Lucas prolixe prosequuntur. Anne etiam haec mera sunt visa, meraeque cogitationes? Ad haec 3. patronis huius opinionis accurate probandi officium incumbit, esse in more Hagiographis N. T., ut si vel honesta vel prava aliquem animo suo volvisse consilia narrent, rem sic concipere: accessisse ipsum aut Spiritum sanctum virtutis, aut satanam peccati artificem et magistrum. Fuerunt enim Jesu et discipulis eorumque coaevis Spiritus sanctus et diabolus, non imaginaria entia — Ut volunt scriptores antehac nominibus suis enumerati, qui sententias Sacrarum Literarum novitiis philosophiae nostrorum dierum hypothesibus accomodare suae eruditionis esse putant. — sed vera, quae et existerent et operarentur. Quamobrem, ut etiam Straussius, d. Leben Jesu f. d. d. Volk. p. 399. s. fatetur, si illud Christus Apostolis dicere voluisset; ita loquendum fuisset cum diabolus menti meae turpia consilia suggessisset, ego ex animo meo eieci; si secus nemo non verbis proprie intellectis satanam accessisse, et pugnam cum eo seruisse credidisset. Postremo 4. hac interpretatione admissa Apostoli et Evangelistae Christi mentem perperam

aperuissent. Hi enim, ut repetitis vicibus vidimus, Jesu tentationem haud dubie rem Redemtorem inter et diabolum vere gestam esse, censuerunt. Nihil autem ea explicatione magis iniquum, qua quis ultra scriptorem, quem exponendum suscepit, sapit, eumque parum recte intellexisse dicat. Cum enim plurima fingi possint, ubi se quis, quod vult opinandi, libertati tradiderit; sequitur de eorum quae ita temere finguntur, quia idoneis argumentis probari nequeunt, veritate non constare. Apostoli et Evangelistae igitur rite rei a Christo enarratae summam perceperunt. Unde omnis horum interpretum de tentatione opinio ex vano hausta. Omittimus alia! Ita historiae confectae essent, quae non sint historiae, sed quasi historiae, narratio ex veris cum falsis conflata, cum eam hominum sermo depraverit, parabola ad edocendos discipulos a Salvatore composita, sed quam Hagiographi non capiebant, eo quod rem sibi a magistro narratam spectaverint. Ut ad ea tandem 5. veniamus, quae adversus omnes has violentas S. S. explicandi rationes valent; unde, quaeso, expositores saepe fati resciverunt, ita rem evenisse ut sibi persuadent? cum Hagiographorum auctoritatem deseruerint, indicia autem, quae S. Scriptores vera falsis miscuisse ostendant, attulerint nulla! Haec sufficiant. Quae Scriptores a nobis recitati cum aliis adhucdum ὁμοψήφους contra historias tentationis exceperunt, diluta leguntur praeter hinc inde sparsim laudatos singulares libellos, in J. Winkler, conc. die wahrh. v. Teufel erduld. Vers. Chr. Hamb. 1694. edita, cui frustra se opposuit Z. Weber, op. besch. u. gründ. Antwort. Amst. 1695., quam sub examen vocavit Z. Grapius, diss. de tentatione Evae et Christi a diabolo. Rost. 1705. Eodem labore perfuncti sunt: C. Vitringa, de tent. Dom. Franeq. 1695. J. J. Hottingerus, diss. I—III. de J. C. in deserto cum satana congressu. Tig. 1709. et 1710. Lilienthal, gute Sache der gött. Offenb. IV, 764. s. Storr, in opus. acad. III, 8. s. Domey, Observ. th. ph. historiam tent. illustraturae. Ups. 1792. J. J. Hess, Lebensg. J. I, 138. s. L. Stollberg, Gesch. d. Rel. Jesu. V, 91. s. P. Ewald, d. Versuch. C. Bair. 1838. J. R. Sepp, d. Leb. J. Chr. ed. II. 6. p. 124. Thaten und Lehren Jesu, p. 78. s. Brückner, die Versuchungsgeschichte ein exeg. pschych. Vers. Leipz. 1857. Ebrard, wiss. Krit. d. ev. Gesch. ed. II. p. 265. Tafel, das Leben Jesu, p. 104. s.

§. 10. Discipuli a Christo vocati. Nuptiae in Cana. Eiecti vendentes e Templo. Jesus et Nicodemus.

Tricesimus[1] a nativitate Christi lapsus est annus, ad quem usque vitam privatam egerat, cum iam sibi oblatum munus iniret. Ubi itaque turbis indicatus est a Joanne B., vocavit discipulos aliquot[2], ut sint

[1]) Levitici etiam muneris ingressui sanctus. Coll. Num. 4, 23. 47. [2]) Inter quos primas tenuere Petrus et Andreas Joann. 1, 35—42., exinde Christum magistrum suum professi, cui post secundam vocationem indivulse adhaeserunt. Cf. s. Epiphanii, haer. 51, 15. p. 437. S. Augustini, tract. VII. in Joann. n. 9. p. 345. Postero die ex quo Petrus ad Jesum accesserat v. 43. s., Philippus et Nathanael — d. q. v. J. Kindleri, disp. ad Joann. 1, 46. in Thesauro theol. phil. II, 370. s. — pariter fiebant discipuli.

testes actorum eius[1]. Iter itaque his comitibus in Galilaeam ingrediens tertio die[2] venit Canam[3], ibique cum iis atque matre[4] ad nuptias invitatus; cum vinum deficeret, sponsi vice fungitur, aquas in vinum optimum vertit, coniugalis thalami laetitiam primo miraculo dignatus[5]. Intra angustos adhuc terminos se et manifestationem suam continuit Christus, discipulis qui eo miraculo maiora in eum fidei incrementa ceperunt, et iis paucis e circulo domestico se revelans, qui videre ipsius gloriam cupiebant. Post illas nuptias Jesus una cum matre et discipulis suis Capharnaum[6] profectus, ibi non multis diebus est commoratus, nam festo Paschatis appropinquante contendebat Hierosolymas[7]. Ibi ut venit in templum, ovium, bovum ac columbarum nundinationibus inquinari haud ferens, subversis nummulariorum abacis, flagello ex sarcinarum funiculis confecto temeratores abegit; prophanum agendi morem in aede sacra detestatus, solo Deo replenda[8]. Commoti Salvatoris facto Judaei, non obscure Christum postulant seditionis, nisi

[1]) Act. 10, 39. 40. Apoc. 19, 10. [2]) Ex quo profectus est. Nota. Quoniam superiore apparatu in Prolegomenis, de dispositione temporum satis dictum est, ea supposita concinna, qua coepimus, brevitate rerum a Christo gestarum seriem ennarrabimus, expositione interpretibus relicta. Eam accurate suggerent Jansenius Barradius, Maldonatus, Lamy, aliique numero plurimi, omnique eruditione clarissimi recentiores interpretes, a nobis plus semel laudandi. [3]) V. N. Geogr. p. XLIX. [4]) Nam nutritius iam obiisse creditur. Fuit ad istas nuptias vocatus Jesus et Maria vel ob devotionem, vel ob viciniam, vel ob cognationem. Certe et divus Josephus cum illis vocatus fuisset, cum discipuli propter Christum vocati fuerint, quanto magis parens, si in vivis fuisset. Cf. Ignatii a S. Francisco, Magnalium d. Josephi P. III, 1. Leod. 1684. p. 478. s. Pictorum his in nuptiis repraesentandis errores corrigit J. Molanus, Historiae imaginum IV, 20. Lov. 1771, p. 516. s. [5]) Joann. 2, 1—11. [6]) Miraculi huius memoria a quarto inde saeculo die sexta Januarii celebrata fuit, quamvis verosimile prorsus sit, non ea die sed circa finem Februarii id gestum esse. L. quae in hoc argumentum, adfert Tillemont, a. VII. s. n. S. J. C. p. 17. et a V. s. l. s. Vierge. p. 65. Benedictus XIV., de festis D. N. J. C. I. 2, 30. s. ed. Bass. p. 18. s. Eleganter Sedulius, in pasch. op. h. e. de J. C. mir. l. III. „Implevit sex ergo lacus, hoc nectare Christus, quippe ferax qui vitis erat, virtute colona. Omnia fructificans, cuius sub tegmine blando Mitis in occiduas enutrit pampinus uvas.“ ed. Lugd. 1566. p. 163. Hanc aquae in vinum conversionem veluti, exemplum afferunt S. S. P. P. et S. E., ut maiorem alteram panis mystici in corpus et vini eucharistici in sanguinem D. N. J. C. confirment. [6]) V. Not. t. s. Geogr. p. XLIX. [7]) Joann. 2, 12. 13. [8]) Fiebat olim in ipso loco sancto id commercii in atrio quidem Templi, lucri vel commodi caus aconcessum a sacerdotibus. Cf. H. R. D. V. T. p. 498.

signo quodam probet, hanc sibi auctoritatem competere; ut e loco sacro illos eiiceret quos sacerdotes admiserant[1]. In auctoritatis indicium adfert se Corporis sui Templum, si hoc Judaei solvissent, intra triduum ad vitam revocaturum[2]. Postridie huius colloquii, prima sc. azymorum die Christus compluribus miraculis adstruxit haec illum non impari potestate fultum ausum fuisse, nec pauci in illum crediderunt[3]. Quos inter fuit Nicodemus[4], qui nocte venit ad Jesum, ut illius doctrina imbueretur. Christus colloquium cum eo instituit de regenerationis mysterio[5] per baptismum; item

---

¹) In ipso quidem Christi facto ingens sane miraculum fuit, cum avara nummulariorum et venditorum pecudum cohors pellenti non restiterit. Hoc advertere iam Origenes, in Joann. comm. X, 19. I, 338. atque s. Hieronymus, in Matth. 21, 15. VII, 163. quos legere volupe est. Interim satis erit observare, hanc primam eiectionem sedulo discernendam esse a secunda, quam referunt Synoptici Matth. 21, 10. s. Mr. 11, 11. Luc. 19, 45. ante ultimum Pascha, quae contigit prima die ingressus Hierosolymas coll. Matth. l. c. v. 15. Verba Joann. 2, 19. quae soli Synoptici et in accusatione Christi momentum habuisse, et pendenti in cruce in opprobrium versa esse tradunt, non praeteriissent tres priores, si ad eandem rem spectassent. ²) Joann. 2, 14—21. Christus de morte et resurrectione corporis sui, in quo ceu in Templo Divinitas habitabat locutus fuerat. Cf. Cramer, animadvers. in loc. Joann. 2, 19. s. in Pott. et Ruperti, Syll. diss. Helmst. 1800. I 23. s. ³) Joann. 2, 22—25. ⁴) C. J. van Assen, diss. de colloquio Jesu cum Nicodemo. Hagae Comm. 1830. p. 1. s. nomen proprium Νικόδημος, coll. orat. Aeschinis in Timarchum graecum habet, victor populi i. q. בִּלְעָם. Erat e Pharisaeorum secta Christo infensissimorum, de principibus unus, magnae inter suos reputationis utpote magister Israelis. Coll. Joann. 19, 39. opulentus fuit, quod divitiarum possessoribus honorem conciliat. ⁵) Si vis, inquit Jesus Joann. 3, 3., Nicodeme regnum Dei — quod est Ecclesia — ingredi, renasci oportet „denuo ἄνωθεν.“ Cum vox graeca ambigua sit, in diversas partes de eius sensu abeunt interpretes. Aliqui desuper, e loco superiore, coelo, coelitus; alii ex rariore et a multis perperam negato usu, denuo — cum Syro, Vulgata, Persa, Arabe et Aethiope — verterunt. Et id quidem recte, nam qui desuper nascitur, iam semel natus, denuo nascitur. Cf. Lampe, diss. synt. III. p. 44. s. Knappium, Comm. VI. p. 181. s. C. Loehlein, comm. de colloquio Christum inter et Nicodemum habito. Biponti 1836. p. 3. Quoniam verba summi doctoris non intellexerat discipulus nocturnus, clarius rem exponit Christus v. 5. s., et de qua generatione loquatur aperit. Non loquor, ait, de nativitate carnali, qua homo ex ventre oritur matris; fieri enim non potest, ut hac generatione homo iam genitus denuo nascatur. De nativitate dixi spirituali, qua homo ex aqua in baptismo, et ex Spiritu Sancto renascitur. In baptismo renascitur homo, fitque Dei filius, non carnali sed spirituali generatione. Coll. Joann. 1, 12. 13. Unde ex proxime elucidatis verbis recte colligunt omnes s. s. Patres et doctores, nec non Concilia — inter quae unum laudetur C. Tridentinum Sess. VII. de bapt. c. 5. „Siquis dixerit

copiose simul et divine docuit eum de typo serpentis aenei[1], de fidei necessitate et utilitate, denique de poena infidelitatis[2]. Septiduo paschali elapso Jesus digressus Hierosolymis in agrum provinciae Judaeae[3], baptizabat; quanquam non ipsemet, sed discipuli eius[4].

Digressio ad Joann. 2. 1, s. Deficiente convivis vino Maria ea de re Jesum monet, a quo responsum accepit „quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.“ Priusquam calumniam optimo castissimae Matris Filio impactam reprimeremus, in quasdam narrationis circumstantias inquiramus. Ubi statim expendendum est, cur in his nuptiis vini penuria intervenerit? Causa huius defectus non inde derivanda, quod largissime eo uterentur convivae; sed forte egestas novorum coniugum, qui cum essent pauperes, modicam vini copiam comparaverant, et adeo pluribus ac opinati erant confluentibus iam consumtam. Vini inopia occasionem suppeditabat Deiparae, ut adiret sanctissimum suum Filium, eumque his compellaret verbis „vinum non habent“. Dictum hoc, licet primo obtutu, nudum praeseferat defectus vini indicium; tamen ex intentione Mariae desiderium aliquod, et petitum aperuit. Exspectabat Virgo iussa Christi ad praesentem necessitatem sublevandam idonea. Genitrici probe cognitum fuit Jesum non tantum esse filium suum, sed et Filium Dei, mundique Salvatorem. Id enim non poterat non constare ex illustribus testimoniis, quae de Jesu Angeli, Elisabetha, Zacharias, pastores, Magi, Simeon et Anna attulerant. Idque maxime quod B. V. Maria omnia ista verba coll. Luc. 2, 19. contulerit cum vaticiniis prophetarum V. T. Iniuriam facit Beatissimae Virgini, qui preces, quibus ad necessitatem sponsi advertit, laude defraudaret. Praeseferunt istae preces s. Deiparae erga neonymphos amorem, quorum honori consulebat, praeclaram spem et

---

aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto; ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.“ — baptismum esse necessarium ad salutem, atque neminem in regnum coelorum ingredi posse nisi per baptismum fluminis renascatur, vel flaminis vel sanguinis. Tria enim haec baptismatis sunt genera ut docet d. Thomas III. 66, 11. XI, 155. s. Ex quo rursus intelligitur, tantum abesse ut verum sit quod A. Maier, Comm. ü. d. Ev. Joann. I, 291. post Lampeum, diss. de generatione ex aqua et spiritu, in synt. diss. V. p. 92. s. scripsit, nomen aquae l. c. non aquam baptismalem significare, et Christum non loqui de baptismo, sed de regeneratione quae purgat; ut quodammodo illi canoni Concilii Tridentini qui tamen authenticam sensus „quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum“ explanationem continet, sit opposita! Qua etiam ratione et verbis et sententiae v. 5. vis inferatur, non est quod moneamus. Sine dubio autem rectam viam ingressi sunt: J. Lund, spicilegium ench. exeg. in N. T. Havn. 1802. p. 29. atque J. van Assen, l. s. c. p. 29. Hengstenberg, d. Evang. d. h. Joh. Berl. 1861. I. 186., omnes e coetu interpretum acatholicorum, qui ὕδωρ de regeneratione per baptismum accipiunt.

1) L. H. R. D. V. T. p. 125. 2) Joann. 3, 1—21. 3) V. Not. Geogr. p. XLVII. LVIII. 4) Ut dicitur Joann. 4, 2.

fiduciam, quam Maria in Christi potentia et benignitate reponebat; denique modestiam haud vulgarem, siquidem verba sua supplex ita proferebat, ut Filio nihil ratione modi iuvandi praescriberet; sed inopiam praesentem tantum exponeret, sapientiae ipsius relinquens, quomodo eam levare vellet. Nihilominus tot egregiis virtutibus, quibus se commendat s. Genitricis petitum, aliquid tamen ei quod Christo displicuerit inhaesisse, ex responso eius inferunt scriptores. Ita C. L. Hocheisel, comm. ph. ex. sistens Mariam in nuptiis Canaeis repulsam ferentem. Franc. 1734. p. 17. s. recentissime, Meyer, Ev. Joh. p. 104. et Hengstenberg, das Evang. d. h. Joh. p. 138. s. Sed habita venia a quibusdam S. S. Patribus, qui etiam in hac sententia fuerunt, quosve recenset Joann. de Sylveira, comm. in text. ev. II, 9., nulla macula B. M. V. sanctae et submissae, humilem Domini ancillam semet profitenti Luc. 1, 38., adspergenda est, cum postulatio Matris ex caritate et misericordia originem habuerit. His praestructis iam ad considerationem responsi Salvatoris accedamus. Hoc ita habet: „quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea.“ Certe maximopere falluntur, qui vocabulum γύναι probrosum esse Mariae dicunt. Nam γυνή non semper status, sed saepe sexus nomen est, virisque opponitur. Cf. Gen. 3, 15. H. R. V. T. p. 15., et ut alia loca taceamus Luc. 1, 28. 42. 10, 38. Act. 8, 3. 9, 2. Apud LXX respondet voci אִשָּׁה. V. J. Fr. Schleusner, Novus Thesaurus ph. cr. s. Lexicon in LXX. Lips. 1820. II, 46. Chr. A. Wahl, Clavis Libror. V. T. Ap. phil. Lips. 1853. p. 106. s. C. G. Wilkii, Clavis N. T. phil. Lips. 1862. p. 82. Nihil inde colligi potest Jesum loco matris, aut blandi alicuius nominis, hac appellatione uti voluisse, ut reprehensionem suam matri significaret. Nomen mulier esse reverentiam testificantis, sudo clarius elucescit ex Joann. 19, 26.; idem confirmatur e Matth. 15, 28. Joann. 20, 13. 15. Ut taceamus Homero, Iliad. III. 204. Odyss. XIX, 221. ceterisque Graecis, ipsi adeo Josepho, Ant. I. 16, 3. p. 46. nomen γυνή honestissimam feminarum compellationem fuisse. Unde omnino sequitur vocem mulier nihil reprehensionis involvere. Graecum γυνή synonimo carens civilius sonat, quam mulier, quatenus ab altero femina distinguitur, et mulier pro matre dicitur. Isai. 45, 10. An vero idem de phrasi „quid mihi et tibi“ dicendum sit, ulteriori examine indiget. Cave enim existimes Jesu animum fuisse piissimam matrem ignominiae exponendi. Dicere vult Christus ore benigno et sereno: in his quae sui muneris erant, et ad Patris obsequium hominumque salutem spectant, se puro tantum in Deum duci respectu; nondum venisse ὥραν, tempus opportunum, quod exspectaret ut vinum penitus deficeret, editurus tunc miraculum, cum nemo posset putare, auctum solummodo fuisse vinum, aut aquam vino admixtam. Virgo sanctissima iuxta ac prudentissima, de omnipotentia Filii ac clementia firmiter persuasa, e verbis Christi non perperam colligebat, certo adventurum momentum, quo Christus levamen laturus sit, licet nondum advenisset. Intelligens velle tamen Jesum precibus obsequi, ministros monuit, ut quidquid Filius imperaret, statim exsequerentur. Divinissimus Salvator sex hydrias aqua oppleri, atque inde haustum potum ad architriclinum, convivii sc. rectorem, afferri iussit. Degustatum poculum vinum optimum exhibuit. Ostendit eximio hoc miraculo quantum supra homines posset. Videantur ceterum ad istum locum: s. Gregorius Nyssenus, orat. in illud „tunc subiicietur“ ed. Migne I, 1307. s. S. Bernardus, serm. II. Dom. pr. p. Oct. Epiph. n. 5. II, a. 137. s. s. Thomas Aquinas, III. 27, 4. ed. Bon. X, 573. s. G. L. Oeder, de petit. Mar. Joann. 2, 3. 4. Onoldini 1721. et in Obs. s. syntagm. ib. 1729. obs.

XXX. p. 440. s. l. G. Schuster, über 2, 4. Joh. in Wineri, n. kr. Journ. 1829. 1. s. J. A. Bengel, Gnomon ed. c. p. 315. Klee, Comm. p. 95. Tholuk, Comm. ad h. l. ed. VI, p. 94. A. Maier, Comm. I, 250. Ebrard, Joann. p. 80. s.

§. 11. Ingressus, peragratio, praedicatio, miracula et fama Christi in Galilaea.

Crescente per totam Judaeam asseclarum numero, Joannes Baptista Christi praeco ac praecursor carceri mancipatus est, quod iustitiae zelo incestum aversatus nuptias Herodis tetrarchae reprehendere ausus erat. Christus comperto Joannem B. in vinculis teneri in Galilaeam [1] regressus est [2]. Proficiscenti eo necesse erat iter facere per Samariam, venit itaque in civitatem nomine Sychar [3]. Cum itineris labore lassatus ad parietem putei sederet, accidit, ut mulier quaedam e civitate ad hauriendam aquam veniret. Feminam samaritanam Christus allocutus sermone longiore ad veritatis cognitionem et meliorem frugem perduxit [4]. Admiratione perculsa mulier relicta hydria in urbem regreditur, ut quem nacta fuerit Salvatorem civibus suis notum faceret. Multi Sichimitarum fide mulieri adhibita ad Christum exierunt rogantes, ut apud ipsos maneret; annuit Jesus et biduo Sychemis commoratus est [5]. Post duos in salute Samaritanorum curanda actos dies redux Nazaretham, inde abiit in agrum galilaicum [6]. Nunc vero munus propheticum exorsus est filius qui est in sinu Patris [7], Dei de salute hominum voluntatem annuntiando, atque eius consequendae viam monstrando. Summa autem et

---

[1]) Cf. p. 26. S. Joannes ait iterum 4, 3. prior enim profectio fuit ab eodem Ev. memorata 1, 43. [2]) Coll. Joann. 4, 35. iam December aderat, ideoque octo circiter menses commoratus est in Judaea. [3]) Aut Sychem. V. Not. Geogr. p. LVI. [4]) Mulieris e verbis fontem Jacobi laudantibus Jesus occasionem arripit commendandi verba salutis, agitata mentione aquae coelestis, qua sitis omnis pellitur. Ut autem exhibito omnis scientiae suae specimine Christus ad sui notitiam mulierem perduceret, ostendit se non esse impurae quam ducebat vitae ignarum. Quo signo permota mulier statim recte iudicat Christum esse Prophetam. Sic obtinuit coelestem aquam mulier, cum terrenam quaerit; Jesusque tunc sitiens atque famelicus ostendit se alia maiori quidem torqueri fame atque siti, videlicet homines Patri suo reconciliandi. Joann. 4, 5—29. [5]) Cf. P. Antonii, de conversione Samaritan. ad Christum. ed. IV. Hal. 1713. [6]) Joann. 4, 30—43. Matth. 4, 13. Luc. 4, 14. [7]) Quod soli Christo debetur ob hypostaticam unionem. V. Joann. 1, 18. F. A. Lampe, diss. de sinu Patris, in synt. diss. ed. D. Gerdes. Amstel. 1737. IV. p. 73. s.

argumentum omnium concionum Jesu erat, ubi desierat praecursor J. B. Impletum esse tempus, appropinquare nunc regnum Dei, poenitentiam ergo ut agerent, et credant Evangelio [1]. Tanto certe erudiendi populum palantem et errantem [2] flagravit studio, ut eius misertus itionibus longis et mansionibus asperis per omnes Galilaeae civitates et vicos obiverit. Accessiones frigorum, decessiones dierum, et alia noxae opportuna, non vitabat; sed boni pastoris instar nullum tempus praetermittebat, nullumque fugiebat sudorem, si modo servaret ovem [3]. Dominus hoc ingressu in Galilaeam ostendit virtutem spiritus, et cum prius ferme latuisset, coepit magno hominum concursu praedicare, publiceque se ostendere Messiam. Ut lux magna in caliginosa Galilaeae regione exoritur, et in omnem oram circa et pone ipsum mare Tiberiadis luminis sui diffundit fulgorem [4]. Cum venisset Canam, a quodam regulo [5] pro valetudine filii sui absentis, quem morbus ad extrema urgebat, enixe rogatus, eum cum certa spe sanitatis obtentae remisit. Verbo Jesu fidem habuit regulus, cui revertenti occurrunt domestici incolumitatem filii nuntiantes, quae eodem momento accidit ac Jesus praedixerat. Ex quo factum est, ut ipse cum tota familia crederet [6]. Plures adscivit sibi dehinc apostolos Galilaeos Petrum, et Andream. Uterque iam ante Christo adhaeserat [7], sed uterque pariter ad artis suae exercitium redierat. Illos igitur iterum nactus Salvator piscationi intentos in lacu Tiberiadis, iussit piscaturam penitus

---

1) Matth. 4, 17. Marc. 1, 15. 2) Matth. 9, 35. 36. 3) Joann. 10, 1—10. 4) Coll. Isai. 8, 23—9, 6. Ad quae loca videatur Joann. Vriemoet, Observ. in Matth. ev. Trai. in Bat. 1728. p. 74 s. 5) Gr. βασιλικὸς Joann. 4, 46. Non convenit inter interpretes, utrum haec vox l. l. denotet eum, qui e familia regia oriundus, an tantum, qui in famulitio et ministerio regis sit? Apud Josephum certe nunquam aliter usurpatur. Cf. J. T. Krebsii, Observ. in N. T. e Flavio Josepho Lips. 1755. p. 144. Similiter Syro, servus Regis audit. V. G. J. Reusch, Syrus interpres cum fonte N. T. graeco collatus. Lips. 1741. p. 120. Arabs vir regius vertit. Cf. Ludov. de Dieu, Animadvers. sive Comm. in quat. Evang. Lugd. Batav. 1631. p. 421. Tholuck, Comm. z. Ev. Joann. p. 140. Herodis Antipae ministrum interpretatur. Quae vero s. Joannes de hoc regulo eiusque filio memoriae prodidit diversa esse ab illis quae Matth. 8, 5—13. et Luc. 7, 1—10. de centurione deque huius servo leguntur, ipsa ambarum narrationum comparatio vel obiter facta quemque certiorem faciet. Cf. Fr. Lücke, Comm. ü. d. Ev. d. Joh. ed. III. Bon. 1840. I, 619. s. Maier, I, 262. Patritii, II, 395. Ebrard, das Ev. Joh. Königsb. 1861. p. 137. Hase, Leben J. p. 110. 111. Hengstenberg, das Ev. d. h. Joann. I, 284. 6) Joann. 4, 46—54. 7) V. p. 41.

relinquere, hominum piscationi operam abhinc navaturos. Illi autem relictis retibus, cymbis ceterisque omnibus statim vocanti Domino paruerunt. Eadem pariter ratione vocabantur etiam filii Zebedaei Jacobus et Joannes[1]. Fixo Capharnaumi domicilio, ibi habitare, aut diutius commorari quam uspiam alibi, coepit, quanquam varias in diversa loca excursiones praedicationis et sanandorum infirmorum causa susciperet[2]. Sabbatis docebat populum in synagogis[3], pluraque miracula facit cunctis stupentibus super doctrina et potestate eius. E synagoga egressus domum Simonis Petri accessit cuius socrum magna febri[4] correptam sanitati ita restituit, ut illa Christo statim ceterisque ministrare potuerit. Cum sol occidisset, ad Petri aedes magnus populi factus est concursus, adductique sunt plurimi infirmitate detenti, quos omnes ille verbo sospites fecit[5]. Diluculo autem surgens[6] ibat in desertum locum, ibique orabat. Capharnaitae tot beneficiis deliniti, longiorem moram precantur, vix eum urbe discedere passi, quem sibi adeo munificum cernebant. Ille non urbis unius causa a Patre se missum respondit, ad cetera etiam oppida deferendum esse Evangelium. Quare una cum discipulis suis urbes vicosque Galilaeae peragrans passim obvios docuit[7]. Ut sermone sic operibus vim divinam testabatur; animae Instructor, corporis Medicus. Navi con-

1) Matth. 4, 18. s. Marc. 1, 16. s. Luc. 5, 1. s. Eandem esse vocationem quatuor Apostolorum a s. Luca prolixius, a s. Matthaeo vero et s. Marco compendio descriptam, antiqui e. c. s. Epiphanius, haer. 51, 15. p. 438. et recentiores e. g. Tillemont, Memoires n. 2. sur. s. Pierre, aliique ibi laudati p. 506. docent. 2) Matth. 4, 13. Marc. 1, 21. Luc. 4, 31. coll. Matth. 4, 23. Mar. 1, 39. Luc. 4, 44. 3) V. H. V. T. p. 589. 4) Lucas medicus 4, 38. πυρετῷ μεγάλῳ eam decubuisse cum affirmat, et reliqui Evangelistae πυρέσσουσαν quoque describunt, hinc rei medicae expertes dicunt febrem fuisse ardentem. Cf. C. Johrenii, diss. de morbis biblicis. Francof. 1704. p. 11. 5) Matth. 8, 14. Marc. 1, 29. Luc. 4, 38. s. Cf. Khell, Eccl. Obs. in N. T. I, 6. p. 31. Neque curationes istae pluris Christo stabant, quam una vocula, aut levi contactu; ut qui praestaret tam facile, Messias crederetur. 6) Marc. 1, 35. „Videtur hic ordinem tenuisse Marcus, ut post illud quod dictum est „vespere autem facto“, deinde diceret „et diluculo.“ D. Augustinus, de Cons. Ev. II, 22, p. 54. 7) Matth. 4, 23. s. Marc. 1, 35. s. Luc. 4, 42. s. Cuidam e scribis offerenti se ad sui sequelam, proposuit incommoda evangelicae praedicationis. Cum autem alium ad se sequendum vocasset, illeque inducias pro patre sepeliendo petiisset, non permisit eum ob id a tam nobili vocatione retardare; sed nec alteri quoque volenti ipsum sequi concessit, ut prius domum rediret et bonis suis renuntiaret. Matth. 8, 18. s. Luc. 9, 57. s.

scensa Jesus cum discipulis suis, ut iret trans fretum, gravis admodum oritur tempestas; protinus solo iussu ventos increpat et eorum sonoros fremitus compescuit[1]. Traiecto mari adpulerunt ad regionem Gerasenorum[2], in qua legionem daemonum, quae diu duos homines misere divexarant, corpore eiectam, in bis mille porcos ingredi permisit, qui confestim sese in mare praecipites dederunt. Quamobrem ab incolis rogatus ut discederet de finibus eorum, rursum unde venerat in Galilaeam rediit[3]. Paucis diebus interiectis Christus Capharnaum regressus, paralytico[4] per tegulas prae turba, cum lectulo e solario domus demisso, peccata, scribis et Pharisaeis murmurantibus, remittit; difficilem deinde morbum omnium stupore medicatus[5]. Versus mare iter faciens Matthaeum publicanum sedentem ad telonium offendit, virum se sequi iussit; illico Matthaeus praeceptorem secutus sumtuosum illi convivium paravit[6]. Discedentem Dominum archisynagogus Jairus orat, ut ad filiam morti vicinam veniat; ad quam cum adit, haemorrhoissam[7] solo tactu fimbriae vestimenti sui curat; moxque virgini

[1]) Matth. 8, 23. s. Mar. 4, 35. s. Luc. 8, 22. Eandem rem a tribus Evangelistis describi plurimorum sententia est; diversitates exiguae quomodo concilientur, in contextu lege apud s. Augustinum, l. s. c. c. 24. p. 56. [2]) L. M. Fr. Stapell, diss. de Gedarenis. Witt. 1682. §. 7. s. Not. Geogr. p. XCIV. [3]) In hac daemonum eiectione Matth. 8, 28. s. Mar. 5, 1. et Luc. 8, 27. s. omnia conveniunt, praeterquam quod s. Matthaeus duos energumenos commemorat, unicum vero s. Marcus et s. Lucas. Quod sic conciliat s. Augustinus, l. s. c. „intelligas unum eorum fuisse personae alicuius clarioris et famosioris.“ L. J. Khell, ecl. Obs. I, 7. 8. p. 33. s. [4]) Cf. J. Dan. Maioris, exercitat. de paralytico, in Thesauro novo th. ph. Hasaei. II, 181. Diciturque παράλυσις α λύω, solvo vel laxo, quod robur nervorum ac musculorum in ea affectis resolvatur; est itaque medicis privatio motus voluntarii in partibus corporis humani ad motum alias determinatis. Cf. Th. Bartholini, Paralytici N. T. Lipsi 1686. J. P. Trusen, Darstell. der bibl. Krankheiten. Posen. 1843. p. 183. [5]) Matth. 9, 1. s. Marc. 5, 21. Luc. 5, 17. s. [6]) Accitis simul pluribus ex Publicanis aliisque sibi familiaribus viris, qui apud Judaeos pessimae erant famae, Jesum eiusque discipulos excepit. Eam ob rem Pharisaei redarguerunt Dominum ac discipulos eius, quod manducarent cum publicanis et peccatoribus. Quos brevi sermone sapienter repressit Jesus: non sanos sed aegrotos medico indigere. Isti nihilominus cum discipulis Joannis B. quaestionem proposuerunt, cur ipsis ieiunantibus Christi discipuli non ieiunarent? Verum Christus obtrectatores refellit dicens: sui praeconii tempus esse veluti nuptiarum dies, quibus ieiunare discipulos suos dedeceret, se autem per mortem sublato illos dura et aspera manere. Matth. 9, 9. Marc. 2, 14. s. Luc. 5, 30. s. Cf. Khell, ecl. Obs. I, 10. p. 63. [7]) Mulierem fluxu sanguinis duodecimum iam annum laborantem.

Jairi filiae ammissum spiritum, cum ingenti adstantium stupore redonat. Denique duobus coecis post se clamantibus videndi facultatem, daemoniaco autem muto sanitatem impertitus est [1]. Hoc primo anno scribit s. Epiphanius [2]: ‚Jesus Christus promulgare divinum verbum adgressus est, ac annum illum acceptum [3] in ea praeconii sanctione consumit, nullo neque Judaeorum neque Gentilium, neque Samaritanorum, neque alterius generis repugnante.'

§. 12. Alterum Christi Pascha, curatio paralytici, variae sanationes, electio Apostolorum.

Cum sub exitum mensis Martii ad solennia Paschae ascendisset Jesus Jerosolymas, paralyticum quemdam, iam triginta octo annos aegre decumbentem ad probaticam piscinam [4] sabbato inve-

---

Matth. 9, 20. Marc. 5, 25. Luc. 8, 43. Morbus αἱμοῤῥοἱς vel αἱμοῤῥαγία, — d. q. l. Conr. Johrenii, diss. de morbis biblicis N. T. p. 2. s. Wedel, de femina duodecim annorum profluvio sanguinis laborante. Jen. 1719. Khell, ecl. Obs. II, 1. p. 1. s. — in adultioribus cumprimis si immodice duret periculosus est maxime. Admiranda sane res, quod duodecim annorum hoc malum tamdiu vitam concedere potuerit huic feminae. Divina absque dubio fuit voluntas, hanc conservari aegram omniaque medicamenta licet dextere adhibita, fuisse frustrata; ut Christus miraculose morbum incurabilem, redderet curabilem. In fine adhuc et hoc notandum duximus Eusebium, Hist. eccl. VII, 18. p. 265. et Asterium Amasenum ep. in Ponto, apud Photium cod. 271. ed. Migu. Op. IV, 222., narrare hanc feminam in grati animi monimentum Medico suo divino statuam posuisse in urbe Paneade. Indubitatum factum ab oculato teste Eusebio relatum levibus quibusdam coniecturis labefactare conatus est Basnagius, Annales pol. eccl. a. D. 31. n. 67. p. 307. s. aliique acatholici, quos refellit Honoratus a S. Maria, animadv. in reg. et usum Critices. II. l. IV. 2, 3. ed. Ven. 1751. p. 156. s. Exstabat illa statua prope domum eiusdem mulieris Caesareae Philippi — V. not. geogr. p. XCIV — usque ad Juliani apostatae tempora, qui ea remota, suam ibi collocari iussit. Cf. Tillemont, Memoires pour servir a l' H. E. VII. Persecution de l' Eglise par Julien a. art. XVII. p. 362. De hac pluribus dixerunt: J. Smidius, disp. de statua Haeorhousae. Lips. 1698. Fr. Petraeus, de mulieris αἱμ. statua. Jen. 1720. Molanus, de Historia s. imaginum et picturarum. II, 6. p. 41. Th. Hasaeus, de monimento Paneadensi, in syll. Diss. II, 314. Heinichen, excurs. X. ad Eus. H. E. III, 397.

1) Quae singula latius enarrata legi possunt apud ss. Ev. nempe s. Matth. 9, 1—35. Marc. 5, 22—43. Luc. 8, 41—56. Nec plura hoc anno τῆς κηρύξεως, de rebus a Christo gestis in s. Evangeliis relata sunt. 2) Haer. XX, 2. p. 48. 3) V. H. V. T. p. 6. 4) In quam victimarum et ovium defluebat cruor, ad ἐπὶ τῇ προβατικῇ supple πύλη, שַׁעַר הַצֹּאן; unde ei nomen impositum fuisse opinantur M. Arnold, diss. de piscina Bethesdea, in Thes. th. ph. II, 374. D. Wendler, de ead. ib. p. 378. s.

nit. Hunc iam Jesus interrogat, an sanus esse vellet? respondit ille, deesse sibi hominem cuius ope, quo tempore aqua movebatur, in piscinam mitteretur. Ad quae eum Dominus sublato grabato integrum in medium prodire iussit.[1] Judaeis indignantibus obiicientibusque eius diei violationem[2], Jesus spreta eorum ira sublimem sermonem asserendae suae divinae potestati adiecit. Quamobrem de Christo, nedum tanquam sabbati violatore, verum etiam blasphemo[3] interficiendo cogitare coeperunt[4]. Quod quidem odium magis exarsit, quia eodem die[5] Jesu per sata ambulante esurientes eius discipuli revellebant spicas, et excussis granis manuum attritu vescebantur. Visum id est grande nefas hominibus tumentibus fastu, quem tamen Christus egregie refudit, allatoque Davidis exemplo[6] discipulos a Pharisaeorum ineptis criminationibus defendit[7]. Ac posteaquam ea ratione factum discipulorum vindicavit, Templum adiit, inventoque paralytico, quem ante sanavit dixit: noli amplius peccare. Addit peius aliquid illi eventurum, nisi emendari studeret[8]. Per septiduum paschale in metropoli moras

---

Lücke, Comm. ü. d. Ev. Joann. II, 16. Probaticam adpellatam censent alii, quod ibi πρόβατα in sacrificiis immolanda abluerentur. Non male Hebraeis Βηθεσδά בית חסדא, dicebatur i. e. domus gratiae, Heilort, quasi νοσοδόχιον, quod aegroti hic sanarentur divino beneficio; nam aquam eius piscinae quotannis angelus commovebat, quam ubi aegrotus primus in eam coniectus attigisset, illico sanabatur. Illa enim explicatio nullo modo ferri potest, quae solis, sanguine et victimarum adipe mixtis aquis, vim morbos arcendi adscribit. Hanc vero piscinam quinque στοάς circumdedisse narrat d. Joannes 5, 2., per quas plures interpretes intelligunt non tam porticus, quam conclavia, in quibus ingens aegrorum cuiusque generis multitudo angelum aquas moventem exspectavit. Cf. Not. Geogr. p. LXXI. LXXIV.

1) Jubente Domino nec angelum venire nec aquam commovere, nec immitti in piscinam languenti opus fuit, statim se hic erexit in pedes, mirante universo populo. 2) Quasi sabbati Dominus non curare deberet in sabbato; et qui mirabiliter sanatus erat, tanti miraculi fidem publicam facere die ipso festo prohiberetur. Cf. C. Wakii, Christi curatio sabbathica in Thes. novo Hasaei II, 196. s. Cum igitur Christus a Judaeis argueretur, ceu sabbati violati reus, his rem defendit: se cum Patre pari potestate operari, similem utrique esse virtutem, et nullis limitibus coercitam. Diem sabbati non hominum exitio, sed saluti esse institutam, quam nemo vilem habet, quamdiu proximis auxiliarem manum porrigit. 3) Cum Patrem sibi esse Deum, seque Deo aequalem praedicaret. 4) Joann. 5, 1—47. 5) Sabbato secundo-primo. De quo v. Prolegomena. 6) Cf. Hist. R. D. V. T. p. 240. 7) Docuit ignaros esse illos mosaicae legis interpretes, plus esse in iis invidiae, quam doctrinae. Luc. 6, 1. s. 8) Hoc facto Christus ostendebat se et conscium esse vitae ipsius praeteritae, et hominem istum propter peccata in morbum incidisse.

trahens Jesus sabbato insequenti cum instituendis populis operam daret, oblatus est illi quidam arida manu languens [1], quam viribus restitutis erexit. Quaerentibus Pharisaeis, liceret ne sabbato curare? dissimulata hac quaestione, aliam vicissim proposuit; utrum nisi liceat sabbato nocere, fas saltem sit benefacere? Hiscentibus illis, magis adhuc invidos perstrinxit. Inde odio frementes Pharisaei cum Herodianis [2] inierunt consilium adversus Christum, ut eum perderent. Jesus autem, cui probe nota erant scelesta inimicorum molimina, cum discipulis suis secessit ad mare Galilaeae. Euntem turba multa non tantum e Galilaea, sed etiam ab omnibus circumvicinis regionibus curandos secum afferens aegrotos secuta est, quos omnes valetudine donavit. Multitudini, qua pene comprimebatur, volens Jesus se subducere, traiecto mari in montis cuiusdam solitudinem se recepit [3]. Ibi totam noctem egit in oratione, mane vero facto accitis ad se discipulis, qui comitabantur eum, elegit ex ipsis duodecim, quos et apostolos nominavit, ut essent praecones Evangelii sui. Simonem cui imposuit nomen Petrus [4], Jacobum Zebedaei filium [5], Joannem fratrem Jacobi [6], Andream, Philippum,

---

[1]) Evangelium Nazaraenorum „caementarium" vocat. Cf. s. Hieronymi, comm. in Matth. 12, 13. VII, 78. [2]) V. H. V. T. p. 595. [3]) Matth. 12, 9. s. Marc. 3, 1. s. Luc. 6, 6. s. Cf. P. Zornii, diss. de Christi Servatoris pervigiliis, in opusc. s. p. 147. s. [4]) Πέτρος, quo eum aliquando vocandum ante Christus praedixerat. Joann. 1, 42. Syro sermone Κηφᾶς, כפא, quocirca et s. Paulo ad Gal. 2, 9. 11. Cephas dicitur. Nomen hoc proprium formatum a πέτρα significat rupem i. e. Petram, in qua Ecclesia universa firmissimo veluti fundamento constabilita est. A tribus autem Evangelistis quamvis describantur nomina Apostolorum, a s. Matth. 10, 2, s. in prima ap. legatione Marc. 4, 13. s. Luc. 6, 13. s., omnes tamen primum locum s. Petro tribuunt, ultimum Judae. Profecto quia sic Petri, Romanique Pontificis primatum, quemadmodum Judae proditionem ipso loco docere voluerunt. S. Matthaeo non fuit satis Petrum primo loco nominare, sed aperte 10, 2. primum etiam nominavit. „Vides, ait s. Gregorius Nazianzenus orat. XXXII. de moderatione in disp. n. 18. I, 591., quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat." D. Chrysostomus autem inquit. „Ὁ πέτρος ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κοριφὴ τοῦ χόρου." „Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, et coetus illius caput." in Joann. hom. LXXXVIII, 1. VIII, 525. Qui hac super re amplius erudiri cupit, scriptores adeat, qui ex professo ut dicunt, de Primatu S. P. tractant: P. et H. Ballerini, de vi ac ratione Primatus Romanorum Pontificum. Veronae 1766. p. 74. s. L. Veith. S. J. de Primatu et infallibilitate Romani Pontificis. Mechl. 1824. p. 12. s. [5]) Iste ad alterius distinctionem Maior appellatur. [6]) Hos Petrum sc. Jacobum, et Joannem

Bartholomaeum, Matthaeum, Thomam, Jacobum Alphaei, Thaddaeum, Simonem [1], atque Judam Iscariotem [2].

§. 13. Sermo Christi in monte habitus, variae doctrinae, modus precandi.

Cum e summitate montis descendisset Jesus ad aliquem aditum planiorem [3], reperit ingentem turbam hominum, qui illum undique secuti fuerant. Tunc os suum aperiens, qui olim aperuerat ora prophetarum, Dominus loqui coepit et eximiam orationem dixit, quam montanam adpellant omnem pene doctrinam evangelicam continentem [4]. Verba fecit de ‚beatitudine', et ubinam illa sita esset. Principio beatos affirmat regnique coelorum compotes pauperes et mites. Ideoque iaciendum esse altissimae demissionis animi fundamentum, quod certum pignus est salutis. Qui inimicorum insultus virtute mansuetudinis sustinerent,

---

prae ceteris in Evangelii ministerio similes tonitru exstituros nominavit Βοανεργὲς, Marc. 3, 17. coll. בְּנֵי רְגָשׁ, V. S. Hieronymi comm. in Matth. 10, 4. VII, 57. Lightfoot, hor. hebr. ad c. Mar. l. p. 604.

1) Cananaeum cognomento Matth. 10, 4. Marc. 3, 18. χαναvίτης, quod coll. קנאה s. Lucas ζηλωτὴς 6, 15. Act. 1, 13. reddidit. 2) V. Not. Geogr. p. XLIX. J. G. Lakemacheri, Obs. phil. Helmstadii 1730. V, 4. p. 239. s. Apostolos Christus in montis celsitudine elegit, ut loci altitudine de muneris sui sublimitate monerentur. 3) Qui in latere montis erat, et multos homines capere poterat. Ita d. Augustinus, de cons. Ev. II, 19. p. 51. S. Matthaeum cum s. Luca componit. Mons interim ille ad mare Genezareth haud procul a Capharnaumo fuit. V. Not. geog. p. XXIII. 4) Praecipuae istius orationis partes quidem ad apostolos pertinent, ideo tam s. Matthaeus, quam s. Lucas referunt dictam discipulis; non tamen ad solos, ut vult J. Harduinus, Comm. in N. T. Amstel. 1741. p. 24. unice dirigitur, cum in fine eius sermonis s. Matthaeus testetur 7, 28., non minus ac s. Lucas 7, 1. eundem turbam audivisse. Cf. J. G. Rau, inq. an. or. mont. Apost. initiandorum causa dicta sit. I. II. Erl. 1802. Eiusdem, Untersuchungen die wahre Ansicht der Bergpredigt betreffend. Erl. 1805. Adde G. Ch. Knappii, epicrisin illius libri in ephem. Allg. Lit. Zeit. Hal. 1806. n. 202. 370. s. Ea autem Christi concio Matth. 4. et 5. est, quam apud Lucam 6, 20—49. legimus, quanquam alii secus opinentur. Multa id nobis suadere videntur. α. Narrationum circumstantiae, nam et initium idem est, et progressus, et eadem conclusio. β. Habitus sermo in monte coram turba, eodem a tribus Evangeliorum Scriptoribus coll. Marc. 3, 13. s., aequali modo describitur. Denique γ. hac oratione finita d. Matthaeus et Lucas ait Christum rediisse Capharnaum. Quibus observatis nil difficultatum superest. Cum neutri Evangelistae omnia, sed summam tantum recensere propositum fuerit, idcirco leve est, quod s. Matthaeus octo, s. Lucas quatuor solum referat beatitudines; vice versa s. Lucas 6, 24. s. vae divitibus memoret, quod S. Matthaeus praetermisit.

coelestium suavitatum fore haeredes. Lugentes offensas Dei et coecitatem mortalium vitali rore rigabuntur[1]. Zelus consequendae salutis, sit instar famis et sitis, quae placari nisi cibo et potu non possunt; ita et non decet contentos esse desiderio et pigra voluntate, in rem ipsam veniendum. Tempus autem erit ut huiusmodi aliquando experrecti saturentur. Qui animabus et corporibus per opera misericordiae subveniunt, illos pariter misericordiam esse consecuturos, habeant cor mundum placendi uni Deo, merces munditiae est visio beata Numinis. Quoniam vero mundus abundat odiis, litibus et contentionibus, qui paci fovendae operam navant filii Dei sunt, quippe qui est Deus pacis. Beatitudo in animo insidet, qui cum interius sit, in eum potestatem non habent, qui exterius vi, armis aut quocumque modo saeviunt. Certamen videlicet perpetuum est inter pios et impios; interim afflictis[2] spes integra manet amplissimae mercedis in coelo[3]! Deinde conversus ad discipulos eos dixit esse salem terrae et lucem mundi, his nimirum figuris, quales esse deberent

[1]) Tertia haec beatitudo in textu graeco secundo loco posita est. [2]) Ex mero odio, quod impiis est contra pios. Cf. Vriemot, Obs. in Matth, p. 105. [3]) Laxiore paraphrasi hanc partem orationis montanae exponendam duximus sperantes pio lectori operam non ingratam nos posuisse, plura volenti haec legere licebit apud s. Joannem Chrysostomum, hom. XV—XXIV. in Matth. VII, 184—306., et qui hunc sequitur Theophylactum, comm. in Matth. p. 25—42. Euthymium Zigabenum, Op. ed. Migne. Par. 1864. II, 190. s. 923. s. S. Isidorum Pelusiotam, ep. I, 375. III, 13. IV, 169. IV, 190. p. 395. 742. 1262. 1279. Item apud S. S. P. P. et S. E. Latinos veluti s. Hilarium Pictaviensem, comment. in Matth. IV, 17. s. inprimis s. Augustinum, de sermone Domini in monte sec. Matth. l. II. Quem quidem sic interpretatur, ut omnia vitae christianae praecepta ad sententias de Beatis in ipsius sermonis exordio pronuntiatas, pertinere iisque ex ordine respondere demonstret. III, 165. s. Cf. et Retractationum I, 19. s. Hieronymum, comm. in Matth. VII, 22. s. V. Bedam, in Matth. Ev. V, 11. s. S. Bonaventuram, diaetae salutis tr. VII. de beatitudinibus, Oper. VI, 307. Vitae Christi c. XXI, 353. s. Thomam Aq., in exposit. aurea in Ev. Matth. 5. s. Oper. ed. Par. 1660. XVI, 42. s. A. Salmeron, Comm. in Hist. ev. t. V. de sermone Domini nostri Jesu Christi in Monte. Colon. 1612. Seb. Schmidium, disp. Argent. 1684. Ch. A. Crusium, prob. quod scopus hom. mont. sit. ev. Lips. 1759. C. G. L. Frotscher, de cons. J. in or. mont. Vit. 1788. D. J. Pott, de indole or. mont. Helmst. 1788. J. J. Wagner, or. J. mont. p. ins. Bamb. 1790. Bonifacium a s. Wunibaldo, comm. in serm. D. i. m. Heidelb. 1794. G. C. Knapp, explanatio loci Matth. 5, 3. s. Hal. 1801. in script. var. arg. ed. II. Hal. 1823. n. XI. p. 351. s. J. G. Oertel, de oratione J. montana Witt. 1802. G. Jentzen, de ind. or. mont. Lub. 1819. A. Tholuck, ph. theol. Auslegung der Bergpredigt Christi. Hamb. 1813. ed. IV. 1856. Kienlen, ü. d. Makarismen, in ann. Stud. u. Kritik. 1848. III. Sed de his hoc loco satis, ne lectorum patientia abutamur, alia adhucdum infra sub orationis dominicae commemoratione, item tractatu in Christi sententiam de Lege Mosaica daturi.

nsinuans. Mox prosequens sermonem suum Christus in universum omnes de perfectione erudiens, multa in eam sententiam dixit: de mansuetudine, reconciliatione, concordia, item de continentia et scandalo, vinculo coniugii [1], de iuramentis vitandis, de patientia et caritate colenda, de iusta ratione dandi eleemosynam, quod suos quam maxime cuperet a fastu Pharisaeorum alienos. Multa etiam alia salutaria vitae regendae praecepta impertivit, qualiter oratio praestanda sit, neve ethnicis assimilarentur, qui in multiloquio [2] se exaudiri putarent. Pulcherrimam autem excellentissimamque omnium, quae unquam dictae fuere, orandi formulam discipulos suos docuit, quae ab auspicalibus vocibus ,Pater Noster' audit. Diutius adhuc sermonem protrahens eos admonuit, ne nimia sollicitudine rerum temporalium tenerentur; ne quemquam temere iudicarent. Hortatus est insuper, ne sacra imprudenter dispensent, ut in orationibus suis petitiones suas instanter fundant; per angustam mandatorum Dei portam intrare satagant; eos, qui se in errore inducere possent, vitent. Denique ut verba Dei non solum audire, sed quod longe praestat sollicite facere non negligant.

Digressio de Oratione Dominica. Partes huius orationis aliae in aliis Judaeorum libris occurrunt, sed recentibus, et quidem absque dubio ex Evangeliis descriptae; quamvis nonnulli — e. g. Ch. Knorrius, in Cabbala denudata, cf. Fr. Buddei, Intr. ad H. Phil. Ebr. Hal. 1702. p. 236. s. Möller, in Augusti, theol. Monatschrift. L. 1801. p. 23. Neue Ansichten sch. St. d. v. Ev. p. 43. J. C. W. Augusti, Denkwürdigkeiten a. d. chr. Archaeol. L. 1821. IV, 132. J. A. Noesselt, Obs. ad or. dom. 1801. — scripta ista iudaica vetustiora esse arbitrati, Christum Dominum suam orationem ex istis voluminibus, vel quod adhuc peius est e libro Zendavesta — ita Herder, Erl. d. N. T. a. e. neu eröffn. Urk. Riga 1775. J. A. C. Richter, d. Christ. u. d. ä. Rel. d. Or. Leipz. 1819. Rhode. d. h. Sage d. a. Bactrer. 1820. p. 416. Seyffarth, Beitrag z. Specialchar. d. ioh. Schr. L. 1823. — mutuatum esse perperam doceant. Cum e contrario certum sit: α. Judaeos ea, quae, hac in parte vel alias, N. T. conformia inveniuntur, inde sua fecisse; a vero autem prorsus absonum sacras illas preces ex impuris adeo rivulis fluxisse. β. Rationes quae ad has coniecturas confirmandas in medio proferebantur leves sunt, et nullius ponderis. Consensus si sententiae iudaicae accuratius comparentur, respiciunt potissimum Matth. 6, 9, 10. non vero v. 11. s. γ. Coll. Luc. 11, 1. certum est J. B. discipulis suis formam orandi tradidisse, eoque exemplo hanc quoque a Christo conditam. Pro hac sententia erudite pugnarunt. G. Wernsdorfius, vindiciae or. dom. Witt. 1708. M. H. Rothe, V. or. dom. ib. 1709. Fr. J. Schrader, Or. dom. h. d. praecipue Judaismo opposita. Helmst. 1710. J. Ch. Wolfius, cur ph. et cr. in IV. Ev. p. 125. Biblioth. hebr. II, 1236. J. Bernardus, in not. reip. lit. 1718. p. 276. A. R. Gebser, de explic. S. S. praes. N. T. e Zendavesta. Jen. 1824. Id. de or. dom.

1) V. H. V. T. p. 168. 2) Cf. B. Stolbergii, diss. de βαττολογία precum. in Th. th. ph. II. 112. s. Schegg, Evang. nach Matth. I, 465. s. aliique interpretes.

comm. I. Region. 1830. M. J. Macquelyn, de precatione dominica. Lugd. B. 1829. p. 22. s. Tholuck, Bergpr. p. 383. Olshausen, Comm. I, 238. Meyer, I, 171. Petitiones in hac oratione, quam Tertullianus, de orat. n. 1. II, 2. Breviarium totius Evangelii comprehendere merito affirmat, septem, gr. αἰτήματα, contineri docet Catechismus ex decr. S. C. Trident. editus Rom. 1761. p. 195. s.; et sensus omnium Catholicorum. Tres primae petitiones gloriam Dei unice spectant, reliquae quatuor nos. Antequam ad preces sive postulationes accedatur, Dominus voces tradidit, quibus loco prooemii nobis utendum sit, ut fidentius ad Deum veniamus. Ac prima quidem vox, qua Christo Jesu iubente utimur est: Pater. Ad quam monet s. Cyprianus, de or. dom. n. 9. „Homo novus renatus et Deo suo per gratiam eius restitutus Pater primo in loco dicit; quia filius esse iam coepit." n. 11. „Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse permisisset nobis sic orare." II, 159. s. Noster, ex dono divinae adoptionis; qui in sublimibus coelis sedes, fac ut Te regem cum Christo tuo omnes omnino, quae te non noverunt gentes agnoscant; da deinde ut sicut in coelo angeli, sic etiam in terra homines faciant voluntatem tuam. „Jam hoc dicto ad sufferentiam nos ipsos praemonemus," observat Tertullianus, de orat. n. 4. p. 4. Postulationem rerum divinarum consequitur earum petitio, quae ad hanc vitam tuendam pertinent. Panem substantiae nostrae, sustentandae et alendae, quotidie necessarium largire nobis, quamdiu hac vita frui concedis. Quaeri potest nec sine causa, qui Vulgatus vocem ἐπιούσιον solis locis Matth. 6, 11. Luc. 11, 3. obviam, apud d. Lucam vertat quotidianum, cum apud d. Matthaeum redderet *supersubstantialem*. Supersubstantiale bene latine dicitur — etiam si non placeat Grimmio, Clavis N. T. s. h. v. p. 164. scribenti „Hieronymo barbare panem supersubstantialem vertente —, quod superaddi ad substantiam opus, ad eam utique tutandam et alendam. Syrus transtulit interprete Tremellio panem indigentiae nostrae, Bodero placuit reddere: panem necessitatis nostrae. Videtur ut recte explicat Suidas, Lex. ed. G. Bernhardy. Hal. 1853. I, 440. ἐπιούσιον accepisse quasi „ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων." Arabs, v. P. Kirsteni, not. in Ev. s. Matth. Bresl. 1610. p. 26., legit panem nostrum sufficientem nobis, da nobis in diem. S. Jo. Chrysostomus, hom. de angusta porta et in or. dom. III, 30. n. 5. exponit. „Supersubstantialem, i. e. qui in substantiam corporis transit, eamque confirmare potest." In Hebraeo Nazaraeorum erat „crastinum", referente s. Hieronymo Comm. in Matth. VII, 34. Porro istud supersubstantialem, quod in Vulgata reperitur, de translatione s. Hieronymi est, nam ante erat quotidianum, quomodo etiam Tertullianus, s. Cyprianus, s. Ambrosius, s. Augustinus aliique S. P. P. atque S. E. legerunt; quae lectio cum in consuetudine esset inter fideles, non obstante s. Hieronymi correctione usque hodie in Ecclesia perdurat. Longum nimis foret hic recensere omnia quae ad panem „ἐπιούσιον" pertinent, et dici poterant. Legi possunt: in Henrici Stephani, Thesauro s. h. v. Jos. Scaligeri, ep. Lugd. B. 1627. p. 810. Salmeronis, Comm. V. tr. 50. p. 312. s. D. Heinsii, exercit. s. 1639. p. 31. et Salmasii, libro ad. Grotium sub Simplicii Verini nomine scripto p. 109. s. et de foenore Trapezitico l. III. Trai. 1640. p. 794. Contra quem disputavit ut solet eruditissime vir summus Dion. Petavius, in diatriba de potestate consecrandi et sacrificandi sacerdotibus a Deo concessa deque communione usurpanda II, 9. excusa in ed. Fr. A. Zachariae VI. p. 417. Huc item pertinent Sculteti. exercitat. ev. II, 32. in Crit. s. IV, 19, 86. s. Suiceri, in Thes. eccl. e Patr. gr. ed. 2. Amst. 1728. I, 1169.

Js. Casauboni, animadv. in annal. Bar. in Casaubonianis ed. a J. Chr. Wolfio. Hamb. 1710. p. 88. coll. 288. Rich. Simonis, Histoire critique de texte du N. T. Rott. 1689. c. VII. p. 76. Lud. Kusteri, ad Suidam I, 440. J. Ph. Pfeifferi, diss. in Th. th. ph. p. 116. s. B. Stolbergii, diss. ib. p. 123. s. G. G. Kirchmaieri, de pane ἐπιουσίῳ, in Th. n. p. 189. s. Fischeri, de lex. N. T. prolus. XII. p. 312. L. C. Valkenarii, sel. schol. in l. N. T. Amst. 1815. p. 190. J. Fr. Meyer, Blätter f. h. Wahrh. Frankf. 1821. V, 28. s. J. Ch. Wolfii, Ev. Matth. p. 126. s. Tholuck, l. c. p. 406. s. Olshausen, l. c. p. 241. L. Meyer, in Kuhn Z. f. v. Sprachf. VII, 401. s. H. A. W. Meyer, l. c. p. 167. Arnoldi, l. c. p. 182. Schegg, p. 466. A. H. H. Kamphausen, d. Gebet d. Herrn. Elberf. 1866. p. 100. s. Sed quo sensu Christus panem supersubstantialem dixerit, restat indagandum? Si κατὰ λέξιν i. e. secundum ipsam notionem hae voces examinentur, duplicem derivationem reperimus vocabuli ἐπιούσιον, quod apud nullum sive ecclesiasticum sive profanum scriptorem occurrit, praeter interpretes sacros et vocabulariorum compilatores, interpretibus hac parte pares. Advertit id olim Origenes, l. περὶ εὐχῆς §. 27. scribens: „Πρῶτον δὲ τοῦτ' ἰστέον, ὅτι ἡ λέξις ἡ „ἐπιούσιον", παρ' οὐδενὶ τῶν Ἑλλήνων, οὔτε τῶν σοφῶν ὠνόμασται, οὔτε ἐν τῇ τῶν ἰδιωτῶν συνηθείᾳ τέτριπται, ἀλλ' ἔοικε πεπλάσθαι ὑπὸ τῶν εὐαγγελιστῶν." ed. Lomm. XVII, 208. Ab analogia tamen et norma vocum graecanici sermonis non recedit. Aliqui compositam eam censent interpretes ex ἐπὶ et οὐσία, i. e. substantia, natura, essentia. Linguae analogia huic explicationi non obstat, nam et ἐξούσιος et ἐνούσιος sic derivata sunt; nec obstat hiatus, quandoquidem simili hiatu dicuntur ἐπεικής, ἐπιούρος. Ceteri expositores pro verbali nomine habent, et originem repetunt a part. aor. II. ἐπιών, ἐπιοῦσα. Hoc fem. part. de postero etiam die, subintelligendo ἡμέρᾳ, usurpatum legitur Act. 7, 26. 16, 11. 21, 18. Isti igitur pro crastino, seu futuro sumunt. Ubi porro de sensu quaeritur, dubium est, quem panem nobis a Deo quotidie petamus? imprimis quod homo anima et corpore constat, et per se quaelibet pars suo alimento indiget. Sed certe dubium hoc dissolutum est, per testimonia S. S. et s. s. P. P. et S. E., qui praeter corporalem etiam animae cibum, doctrinam, gratiam, Eucharistiam nos postulare docent. Rationes huius sententiae partim οἰκεῖαι partim ἐξωτερικαί, ex multis sequentes sufficere possunt. a. Cum anima longe antecellat corpori, et spiritus carni, coll. Joann. 3, 6. procul dubio constat hac petitione efflagitari praeter panem communem, spiritualem ad tuendam animam. Coll. Matth. 6, 33. b. Petimus ut Deus nobis det τὸν ἄρτον ἡμῶν, at vero panis naturalis non noster est, sed communis etiam nobis cum infidelibus. Articulus etiam in graeco bis repetitus, praepositivus; certum quemdam peculiarem panem denotat, a communi distinctum, in quo infideles non communicant. c. Hunc sensum plurimi imo fere omnes inter Veteres urgent, qui ἄρτον de pane spiritus, atque adeo de sacrosancta Eucharistia, quae est cibus animae exponunt. Sic Tertullianus, S. Cyprianus, et S. Hilarius, s. c. l. S. Cyrillus Hier., cat. XXIII, 15. p. 329. S. Ambrosius, de Sacram. V, 4. II, 379. S. Hieronymus, comm. in Matth. 6, 11. p. 34. ad Tit. 2, 15. p. 726. J. Cassianus, coll. IX, 18. de or. Dom. ed. Gazaei p. 368. S. Petrus Chrysol., serm. 67. p. 106. S. Augustinus, serm. 58. in Matth. 6. de orat. Dom. n. 5. „Eucharistiam tuam, quotidianum cibum." V. 339. Germanus, Conf. in rer. eccl. Theoria, Bibl. Patr. VI, 134. Ven. Beda, in Matth. 1, 6. p. 18. Florus Mag., de expos. Miss. Bibl. P. VI, 239. Walafridus Strabo, de reb. eccl. c. 20. Auctar. Bibl. P. I, 678. Theophylactus, comm. in Matth. p. 35. S. Bernardus, in natali Domini serm. I, 7. p. 116. Hugo de S. Victore, erudit. theol. de Sacram. II, 8. ed.

Rothom. 1648. III, 633. Nic. Lyranus, Comm. in Matth. V. p. 126. „eucharistiam quae reficit animam." Dionysius Carthusianus, enn. in q. Ev. Colon. 1543. art. XIII. fol. 24. „Christum vere superessentialem et tibi consubstantialem, qui ait: ego sum panis vivus qui de coelo descendi, h. e. panem sacramentalem, da nobis hodie." Omnes istae explicationes sensum, non literam spectant. Haec illi s. s. Patres, Scriptores et interpretes nos docuerunt. Denique d. quia a tempore Apostolorum, imo teste divo Hieronymo, dial. contra Pelagianos II, 15. s. 800., ab ipso Christo institutum est, ut ante sumtionem S. Sacramenti oratio haec dominica recitetur — sicut et ipsa Ecclesia canit „divina institutione" —, evincitur: nos petere panem animae, cui tanquam additamentum quoddam hic panis corporis adiicitur. Atque haec quidem de his satis, ne forte nimia sunto! Progrediamur ad quintam postulationem. Et idcirco remitte nobis delicta nostra cum poenis, quas deberemus exsolvere pro peccatis nostris; quemadmodum etiam nos remittimus eis, qui nos laeserunt. „Post subsidium cibi petitur et venia delicti, ut qui a Deo pascitur in Deo vivat, nec tantum praesenti et temporali vitae, sed et aeternae consulatur, ad quam venire potest, si peccata donentur." S. Cyprianus, de or. n. XXII. p. 167. Et ne nos patiaris vinci in tentatione; sed libera nos a malo. „Quando autem dicimus libera nos a malo, nihil remanet. quod ultro adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus. Quis enim ei de saeculo metus est, cui in saeculo Deus tutor est." S. Cyprianus, de or. XXIII. p. 170. Ἐπίλογος habet Ἀμήν. De hac particula fiduciae iudice, multi commentati sunt scriptores, quorum praecipuos commemorat J. Ch. Wolfius, cur ph. p. 134. P. Possinus, in spicileg. Comm. ad loca selecta q. Ev. addito Catenae Gr. P. P. in s. Marcum. Romae 1673. p. 23. Quidam existimant conflatum τὸ אמן, ex אדני מלך נאמן, Dominus Rex fidelis. In graecis autem codicibus, item versione Syra et Gothica haec doxologia addita reperitur: ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία κ. τ. λ. Hanc autem e Graecorum Liturgia, in qua a sacerdote post orationem dominicam recitabatur, in Textum irrepsisse, atque ob id a S. Joanne Chrysostomo, hom. in or. dom. n. 5. p. 32. — non tamen hom. XXI. in Matth. p. 259. — explanatam fuisse, nulli dubium. Nam praeterquam α. quod eam appendicem reliquae versiones ignorent, neque mentionem eiusdem aliquam fecerunt: β. Origenes, l. c. S. Cyrillus hier., l. c., S. Gregorius Nyss., εἰς τὴν προσευχήν, or. 5. ed. Migne. I, 1193.; nec. γ. S. Lucas 11, 2—4. eam iungit. Praeterea δ. Ecclesia Latina nunquam eam clausulam adhibuit, unde Latinorum P. P. nullus eam agnovit. Eruditi acatholici, quamquam in eorum conventibus religiosis dominica oratio cum eo augmento recitari solebat, post Erasmum, in Ev. Matth. p. 36. Griesbach, Meletemata de vetustis N. T. rec. p. 51. M. Roediger, ann. cr. ad Matth. 6, 13. de orationis dominicae doxologia, in Synops. Ev. p. 229. s. Tholuck, l. c. p. 448. reiiciunt. Proinde non est, cur L. Valla, de Coll. N. T. c. II. Amst. 1630. p. 15. stomachetur, bonam dominicae orationis partem fuisse decurtatam. Ceterum eximiam hanc orationem, ex Vetere et apostolica ut vidimus, consuetudine super corpus Christi in S. Eucharistia praesens, fusam fuisse; ex s. s. Patribus et Liturgiis omnibus apud eruditos indubitatum est. Cf. H. Menardi. Obs. in L. Sacramentorum d. Gregorii M., n. 84. III, 291. Bona, de div. Psalm. ed. Col. 1677. XVI, 1. p. 423. J. L. Selvaggii, Ant. Chr. I. II. 120. app. ad l. II. p. 1. c. 7. Benedicti XIV., de s. Missae sacrificio II, 19. s. Op. VIII, 84. Macquelyn, l. c. p. 57. s. Marzohl, Liturgia S. Lucern. 1835. II, 392. Lüft, Liturgik. Mainz. 1847. II, 29.

§. 14. Christi de vi Legis Mosaicae sententia.

Cum Lex Mosaica divitias thesauri illius sacri, Revelationis ante Christum habeat [1], quaestio quaenam fuerit doctrina Jesu de Lege Mosaica? neque anxia neque nimia videri debet [2]. Si quis obiter Novum Testamentum legit, facile sibi persuadebit, tantum abesse ut Christus corrigat Legem vel ei se opponat, ut potius Legem summis efferat laudibus [3]; ad eam provocet et Judaeos remittat. Consulto vero et dedita opera Christus in oratione, quae adpellatur montana [4], sententiam suam professus est. Postquam Jesus [5], qui regni coelestis participes essent futuri, exposuisset, fusius et per exempla demonstrat, quid hominibus tenendum et agendum esset, si salvari velint [6]. Hoc autem efficacius facere non potuit, quam si ad rerum conditionem, qualis tunc erat, et maxime si ad eorum qui summa auctoritate in negotio religioso utebantur, praecepta et mores respiceret. In oratione montana Christo res erat cum Judaeis, quibus a pueritia nota erant interpretamenta Pharisaeorum, imo in quorum mentibus ita cum Lege coniuncta fuere haecce, ut populus Legem corruptelis Pharisaeorum depravatam teneret. Hanc igitur pravam Legis interpretationem Christus acriter perstringit. Protestatur tantum abesse, ut solvat Legis Mosaicae auctoritatem, ut eam potius adimpletum i. e. vita et exemplo confirmatum venerit [7]. Legem vindicat a corruptelis iudaicis, quibus ad actus externos tantum tota illius vis restringebatur, adeoque maxima sui parte eludebatur; quam suae integritati, amplitudini ac sensui genuino restituit Dominus. Suum esse dixit munus, ut quibusvis Dei sanctionibus et institutis satisfiat. Vetus et Novum testamentum una utuntur lege immutabili et aeterna a Deo manifestata. Aliter enim

---

1) Quod cum admiratione illi observant, qui penitius in Spiritus S. sermonem inquirunt. 2) Notum Samosatenianos et Anabaptistas statuere, Dominum Legem Moysis, ut doctrinae suae contrariam correxisse; Judaeos autem criminari doctrinam et praxim Christi, et discipulorum, illius contrariam omnino esse Legi Moysis. 3) Quid enim fortius et dilucidius de inviolabili Legis vi proferri potest, quam id, quod legimus Matth. 5, 18. „Amen quippe dico vobis: donec transeat coelum et terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.“ Coll. Lucae 16, 17. 4) Matth. 5, usque ad c. 7. 5) In exordio 5, 1—16. 6) Matth. 5, 17—48. 7) Instituti nostri non est in ἐξήγησιν verborum Matth. 5, 17. „οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι“ excurrere, sed tantum ostendere, quid sibi velit haec sententia Christi. Si ad primitivam significationem verbi πληρῶσαι spectamus, obiectum requirit, quod aliqua ratione habeat locum vacui. Tale vero Lex est Antiqui Foederis. Lex vacua est, quantum requirit, ut ei satisfiat; impleri igitur dicitur, si id quod postulat fiat.

observante sancto Augustino [1], non eum, qui illi simpliciter obtemperaret, eamque doceat magnum dici posse in regno coelorum. Christus dicta sua non opponit dictis Veteris Oeconomiae, sed tantum dictis magistrorum inter Judaeos [2]. Lex Antiqui Testamenti non erat modo cui externa observatione satisfit; si enim solum externam, civilem observationem exegisset, ipsa Oeconomia divina A. T. paganismo fuisset simillima. Ad quod addimus certissimum testimonium Christi, Legem secundum spiritum adimplendam, narrationem [3] de adolescente praecepta V. T. adamussim observante, quem cum Christus intelligeret externae iustitiae superbia aegrotare, eum increpat et ad poenitentiam monet. Quod profecto vanum esset, si Legi actibus externis satisfactum fuisset. Vetus Lex nititur foedere in deserto pacto; fulget igitur tremenda illa maiestate Dei in Sinai tonante. Lex nova, in clementia et humilitate filii Dei splendescebat. Lex V. T. iubet non iuvat, exigit non dat, onerat non roborat: Lex N. T. praecipit et iuvat, exigit et dat, iubet et roborat. In Lege Deus exactorem agit, in Evangelio patrem. Eo ipso autem nihil detrahitur Legi, sed plena tantum spiritualium beneficiorum distributio vindicatur Christo, a cuius plenitudine accepimus omnes gratiam pro gratia [4]. Hoc tamen discrimen non est tantopere efferendum, ut quae Nova Lex doceat, opposita sint Veteri; si enim non in externa specie haeremus, sed in interno principio, perfecta erit concordia. Nunquam enim Israelitis non inculcabatur fons omnis virtutis ,sancti estote quia Ego sanctus sum [5]!' ,Populus sanctus es Domino Deo tuo [6].' Ab eodem Spiritu profecta Lex et Evangelium; haud quaquam itaque Lex a Christo correcta, cum eadem origo, idem principium sit et Legis et Evangelii. Vel negandum Christum a Lege praecepta corrigere; vel dicendum [7] alium esse Deum Veteris, alium Novi Testamenti, quod blasphemum et fatuum. ,Christus' ait s. Augustinus [8], ,quibusdam antiquis sententiis propositis adiunxit, ego autem dico vobis, neque primorum hominum Legem hoc verborum additamento adimplevit, neque illam, quae per Moysen data est, quasi contrariorum oppositione destruxit; sed potius omnia ex

---

1) De sermone Domini in monte. I, 9. III. 2, 173. 2) Bene tamen tenendum est, Christum et Apostolos si de Lege loquuntur maxime praecepta Decalogi spectare, quod nititur ea ratione et vi, quam Deus ipse Decalogo tribuit, decem verba digito proprio tabulis lapideis inscribens. Cf. Hist. R. D. V. T. p. 110. 133. 3) Matth. 19, 16. 4) Joann. 1, 17. 5) Lev. 11, 44. 21, 8. coll. Exod. 19, 6. 22, 31. 6) Deut. 7, 6. 14, 21. 26, 19. Particularismus externus quidam inest Antiquo Foederi, sed hic ex peculiari Veteris Testamenti institutione explicandus est. Cf. H. R. D. V. T. p. 131. 166. 7) Cum Manichaeis et Antinomis. 8) Contra Faustum. XIX, 27. VIII, 330.

Hebraeorum Lege commemorata ita commendavit, ut quidquid ex persona sua insuper loqueretur, vel ad expositionem requirendam valeret, si quid illa obscure posuisset, vel ad tutius conservandum, quod illa voluisset.' Reliquum est, ut quaeramus, quid divinus Salvator de Lege Caerimoniali censuerit? Ante omnia monemus, Legem Caerimonialem ad tempus dumtaxat datam fuisse, et uni quidem genti electae, adeoque ad Oeconomiam usque Novi Testamenti tantum perdurasse. Sin quaeratur an Christus Legem Caerimonialem transgressus fuerit, respondemus eum nunquam Legem Caeremonialem violasse: quippe ut Apostolus dicit ,γενόμενον ὑπὸ νόμου'[1] factum sub Lege. Ut taceamus, quae de eo infante facta sint[2] festis diebus Hierosolymas proficiscitur; didrachma solvit; quos a lepra purgaverat, iubet sacerdotes adire, et offerre sacrificium. Quamvis autem Legem Caerimonialem non migret, saepius tamen docet, inter Caerimonialia et Moralia praecepta distinguendum esse. Aliam esse rationem moralium praeceptorum[3], aliam caerimonialium[4]. Non exaequanda esse quae sunt iuris positivi et temporarii tantum, et illa quae sunt iuris naturalis et aeterni[5]. Caerimonias quoque divino spiritu esse impletas, neque tamen ita necessarias, ut ab ipso spiritu non possint secerni, et salvo illo abrogari. Revera caerimonias spiritum legis non coercuisse, sed eam vim, quam sanctus Paulus Legi tribuit, ante oculos posuisse, non est quod dubitemus[6]. Interim summus in hac re doctor, S. Augustinus[7], tria tempora in caerimoniis demonstravit secernenda. Unum ante Christi passionem, in quo legales caerimoniae erant ad vitam piorum ordinatae; alterum post tempus Evangelii in publicum divulgati, quo tempore legales illae caerimoniae mortuae censendae sunt, praesertim quae ad complementum, veritatemque in Christo praefigurandam pertinebant. Tertium denique intermedium tempus, quod pertinuit a passione Christi ad promulgationem usque Evangelii; in hoc enim tempore fuerant quaedam mortuae legales caerimoniae, quia neque vim ullam habebant ipsae, neque ad observationem ipsarum tenebatur quisquam, sed tamen non continuo fuerunt perniciosae, quia pro ratione hominum ad tempus sapientia divina dissimulatae sunt[8].

---

1) Gal. 4, 4. c. Matth. 3, 15. 2) V. H. N. T. p. 10. 11. 15. 23. 42. 62. 72. 3) Quae ex se et natura sua intrinsecam, ut ita loqui liceat, habent bonitatem. 4) Quae bona sunt non ex se qua talia, sed quia praecepta tantum. 5) V. H. R. D. V. T. p. 144. 162. 6) Cf. Rom. 7, 7. Hebr. 10, 1. 7) Epist. LXXXII. ad s. Hieronymum. n. 14. s. II. 194. 8) Nam quicumque ex Judaeis transibant ad Christum, poterant licite observare legales illas caerimonias, modo spem in eis non collocarent, easque sibi necessarias esse ad salutem arbitrarentur; tanquam si absque legalibus fides

§. 15. Leprosus et servus centurionis curantur. Filius viduae Naimi resuscitatur. Baptista legatos ad Jesum mittit. Peccatrix ungens Christum. Daemoniacus sanatus. Pharisaeorum temeritas. Cognati Jesum insaniisse dicunt. Diversae Parabolae. Apostolorum missio. Decollatio s. Joannis B.

E monte, in quo sermones illos ad Apostolos populumque undique confluentem dixit, digressus Capharnaum in via leprosum suppliciter mundari deprecantem curavit, praecipiens ut sacerdoti se sisteret, et munus iuxta Legem debitum offerret[1]. Et verbis et operibus Christi centurio romanus, qui Capharnaumo praeerat, stupefactus, servum dira paralysi cruciatum, ac tantum non animam agentem Christo exhibet, quem commendata fide voti compotem dimisit[2]. Quin et alia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine quantum sat erat hominibus apparebat[3]. Postero die Jesus Naimis[4] adolescentem filium unicum viduae, qui ad sepulchrum

Christi iustificare hominem non posset. Qui autem ex gentibus ad Christum adducebantur, hi nulla ratione caerimonias illas tenebantur observare; sed uti libertate poterant, quam Christus sanguine suo electis suis comparavit, idque ad aedificationem, ac non ad destructionem: prout res omnes medias sive indifferentes a piis prudentibusque viris necesse est occupari. Nam hac ratione Timotheum circumcidit Paulus ut aedificaret; Titum vero minime, ne plus hoc suo facto destrueret. Ceterum plura de hac quaestione aventem B. L. invitamus ad F. Spanhemium, Dubior. Evangelic. III, 539. s. Natalem Alexandrum, Hist. Eccl. ed. Par. I, 402. s. Dissert. III, de caeremon. Legis. Mos. praecept. rec. in P. J. Riegger. synt. diss. eccl. Vindob. 1766. I, 1. s. Becanum, Analog. Vet. ac Novi Test. p. 71. s. S. Junium, de politiae Mosis observatione. Lugduni B. 1693. C. F. Sartorium, de immota auctoritate Legis. Tub. 1777. C. H. F. Bialoblotzky, de Legis Mosaicae abrogatione. Gott. 1824. A. Tholuck: ph. th. Auslegung der Bergpredigt Christi. Hamb. 1833. p. 130. s. M. Baumgarten, Doctrina Jesu Christi de Lege mosaica. Berol. 1838. A. Soetbrood-Piccardt, disq. de legislationis mosaicae indole morali. Trai. 1841. p. 182. s. Döllinger, Christenthum und Kirche. Regensb. 1860. p. 25. s. 184. s. C. A. Auberlen, die göttl. Offenbarung. Bas. 1861. p. 104. s. Fr. Kössing. das chr. Gesetz. üb. Jac. 2, 8—12. Heidelb. 1862. p. 126. s. Sepp, Thaten und Lehren Jesu. p. 180. s. C. H. A. Burger, die Evangelien nach Matthäus, Marcus und Lucas d. erkl. Nördling. 1865. p. 53. s.

[1]) Matth. 8, 1. s. Marc. 1, 40. s. Luc. 5, 12. s. [2]) Matth. 8, 5. s. Luc. 7, 2. s. [3]) S. Augustinus, de utilitate credendi c. XVI. n. 35. VIII, 68. [4]) V. Not. geogr. p. L.

efferebatur a vespillonibus, e mortuis resuscitavit matrique incolumem restituit [1]. Ita ,ille afferens medicinam, quae corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem [2].' Inter haec Joannis B. discipuli magistro suo narrarunt, quae fierent et dicerentur de Jesu. Creditur Baptistes nonnihil invidiae in suis animadvertisse discipulis, quamobrem ut aptum morbo remedium adhiberet, simulque illos in fide Messiae confirmaret, ex carcere ad Christum duos e suis sequacibus misit eum quaesituros, an ille esset tamdiu exspectatus Messias? Qui cum ad Jesum venerunt, deprehenderunt ipsum Evangelium annunciantem atque varios aegrotos curantem. Ad quaestionem: tu es qui venturus es? nihil aliud respondit, nisi, se optare· ut reversi, quae oculis et auribus excepissent, narrarent. Caeci intuentur, claudi incedunt, leprosi mundantur, surdis patescunt aures, vita functi ad vitam revocantur, pauperes evangelizantur, et beatus, qui in me non fuerit scandalum passus [3]. Abeuntibus porro Joannis discipulis, ne coram ipsis laudando Baptistam Jesus assentatorem agere videretur, turbis, huiusce legationis mysterium ignaris, magna et mirifica tantoque viro dignissima dixit. Multa quoque in Pharisaeos locutus est Joannem et Christum reiicientes, addita simul exprobratione contra civitates Chorozaim, Bethsaida et Capharnaum, apud quas egregia patratus esset, impoenitentes [4]. Christo apud Simonem Pharisaeum [5] mensae accumbente, mulier quaedam peccatricis nomine nota [6], convivii opportunitatem nacta ad Christum accessit, eiusque pedibus provolvitur, quos lacrymis rigat, capillis detergit, labiis deosculatur. Id Pharisaeus intuitus secius de Jesu sentire coepit; quod feminam quam corporis pudorisque prodigam noverat, colloquio dignaretur; ignorare propterea Christum putavit, quaenam esset illa mulier. Hominis temeritatem proposito creditoris exemplo Jesus arguit, qui debitoribus inaequali aere obstrictis summam remisisset.' Annon erga eum propensior,

---

1) Luc. 7, 11—17. 2) S. Augustinus de util. cr. XIV, n. 33. p. 66. 3) His se verum Messiam esse demonstravit, cum omnia quae de Christo Isaias vaticinatus fuerat 35, 5. 61, 1., veritatis effectum obtinerent. 4) Haec fusius enarrata habentur Matth. c. 11. p. i. Luc. 7, 18. s. 10, 13. s. Cf. e. J. Khell, eclog. Obs. I. 3, 36. V. Not. geogr. p. XL. IX. 5) In urbe Naim? 6) Maria Magdalena, soror Lazari. De qua pecul. disquis. in append. ad alt. h. Histor. caput tractaturi sumus.

quem pluribus absolvit. Quare dicta pro muliere poenitenti sententia, liberalem se condonatorem ostendit, amori eius tribuendo, quod soli suae indulgentiae deberi videbatur[1]. Christo exinde per oppida iter facienti, comitatus mulierum, quas sanaverat, adhaesit[2]. Cum ita peragraret oblatus est ei vir daemoniacus voce carens et luminibus orbatus. Daemone expulso, homini videndi nec non loquendi facultas est restituta. Tanti aspectu signi, tota turba cogitare coepit, annon Jesus esset promissus ille Messias e prosapia Davidis oriundus, quem Judaei exspectarent. Pharisaei autem scelestissima perciti invidia calumniati sunt eum, quod in Beelzebub[3], principe daemoniorum eiiceret daemonia, quos acriter reprehendit[4]. Negavit quoque iis miraculum, quod ab eo poscebant[5], amandavitque ad signum Jonae prophetae signo simile; quo ut Jonas ventri ceti triduo clausus post triduum ex eo incolumis evaserat, ita et ipse e sinu terrae post triduum resurrecturus esset[6]. In iis adhuc erat cum et matrem et fratres[7] prae foribus ad colloquium adesse nuntiatur[8]. Tum ille verbo Dei praedicando intentus,

---

[1]) Quippe peccatrix lacrymis baptizata est, et crine, quo multos perdiderat, Domini pedes abstergens salutem obtinuit. Luc. 7, 36—50. [2]) Comitatus ille mulierum, quae Christum sequebatur, offensioni non fuit. Pietas feminarum, beneficiaque a Salvatore ministrata divinitus, omnem scandali ansam removebant, quibus accedit, id non esse alienum a Judaeorum moribus, qui non sine mulierum comitatu se Jerosolyma conferebant, celebrandis festivitatibus. Legatur hac de re omnino S. Hieronymus, in Matth. 27, 55. 56. VII, 238. Ex magna tam virorum quam mulierum caterva quae Jesu comes ibat, omne scandalum removebatur. [3]) Cf. J. Lund, Spic il ench. exeg. Havniae 1802. p. 13. s. Not. geogr. p. LXXXVII. [4]) Tuebatur se Dominus proposito quorumdam Judaeorum exemplo, qui daemones expellerent, et nemo eam virtutem stygiae potestati acceptum retulit. Graviter castigans porro Scribas et Pharisaeos declaravit, quam immane ipsorum esset peccatum, et quid eis immineret exitii. [5]) Cum vel pertinacissimi editis a Christo signis flecti erudirique debuissent, tamen Pharisaei post tot tantaque prodigia Jesum conveniunt: volumus a te signum videre. [6]) Cf. Matth. 12, 22. s. Marc. 3, 20. s. Luc. 11, 14. Signum Jonae illustrant in Thes. n. Hasaei, I, 317. s. Fr. Baringius, ubi et de tribus diebus et totidem noctibus p. 220. s. atque de corde terrae disquirit. p. 224. J. Wesselius, in diss. Leid. ed. Lugd. B. 1721. XI. p. 372. s. J. H. Verschuir, in opusc. ed. Lotze. Trai. a. Rh. 1810. p. 79. s. 91. s. Fr. Delitzsch, in ann. Z. f. d. C. Th. Leipz. 1840. II, 119. s. M. Baumgarten, ü. d. Zeichen des Propheten Jona in iisdem. 1841. II. 1. s. Fr. Kaulen, expos. l. Jonae prophetae. Mogunt. 1862. p. 32. s. H. R. D. V. T. p. 353. 354. [7]) I. e. cognatos ut ostendemus disq. Theo-Genealogica. [8]) Accurrerunt sui cognati falsa quadam fama decepti „ὅτι ἐξέστη“, quoniam deliquium passus est. Ut habet paraphrastes Arabs apud Waltonum, Bibl. Pol. V, 169. Haec

quasi nullo moveretur carnis affectu, quaesivit: quae mater mea et qui fratres mei? et porrecta versus discipulos dextera, matris et fratrum nomine dignos dixit, qui Patri suo in coelis parent, eiusque mandata exsequuntur[1]. Haec cum diceret, mulier de turba extulit vocem in Christi piissimaeque Genitricis laudes; quae causa fuit ut Jesus responso suo cognationi carnali, spiritualem praeferret[2]. Secuta est eodem die[3] oratio habita ingruentibus de more turbis secus mare Tiberiadis, qua Christus proposuit doctrinam de Regno Dei. Tum similitudinibus, quinam essent Evangelii effectus pro varietate hominum, quibus annunciabatur, aptissime ostendit. Narravit primum parabolam seminantis[4], et postea explicuit[5]; adiecit alias: zizaniorum[6], seminis ultro germinantis[7], grani sinapis[8], fermenti[9]; item thesauri absconditi[10], praetiosae margaritae[11] et sagenae missae in mare[12]. Post emensam Galilaeam venit Christus in patriam suam Nazareth[13], et ingressus more consueto die sabbati synagogam, traditum sibi librum Isaiae cum aperuisset legissetque[14], coepit ostendere, tunc temporis prophetiam illam esse adimpletam, idque tanta evidentia, ut omnes dicerent

---

explicatio, si adiuncta consideremus multo melior est illa, quoniam in furorem versus est. Nos graves rationes adducunt ad Vulgatam h. l. negligendam. In notionem verbi ἐξίστημι et derivatorum inquisiturus erud. Khell, Ecl. Obs. II, 4. p. 58. testimoniis medicorum graecorum ostendit, significare Hippocrati gravem mentis emotionem, etiam eam quam in deliquiis observamus. Collata vero S. S. Matth. 12, 23. II Cor. 5, 13. nunquam Scriptores s. de quibus nobis res est, verbum controversum pro furere, in furorem verti adhibuisse constat. Etsi vero admissa interpretatione Vulgatae, nihil Christo indignum diceretur, qui languores nostros tollens taedere et pavere dignatus est; tamen e Marci 3, 20. 21. nondum sequitur nos credere oportere, quod reapse ea λειποθυμία accidisset. Sufficit sumere rumorem hunc sparsum fuisse. Narrat s. Marcus Jesu ingruentibus turbis oppresso, nec cibi capiendi otium fuisse. Aderat sanctissima Genitrix cum ceteris; sed non eo affectu, quo alii. Sollicita maternis visceribus compatiens praesto fuit filio, sicut et Passionis tempore; Christumque extra dubium, ab importuna turba ad cibum sumendum advocavit.

1) Christum matris et cognatorum contemtorem non fuisse, demonstravit J. F. Volbeding, diss. utrum Christus matrem genusque dissimulaverit. Vitemb. 1784. p. 11. s. 2) Matth. 12, 46. s. Marc. 3, 31. s. Luc. 8, 19. s. 11, 27. 28. 3) Coll. Matth. 13, 1. 4) Matth. 13, 3. s. Marc. 4, 3. s. Luc. 8, 5. 5) Matth. 13, 18. s. Marc. 4, 14. s. Luc. 8, 11. s. 6) Matth. 13, 24. 7) Marc. 4, 26. s. 8) Luc. 13, 18. 9) Luc. 13, 20. s. 10) Matth. 13, 44. 11) Matth. 13, 45. s. 12) Matth. 13, 47. s. 13) Matth. 13, 53. 14) C. 61, 1.

non sine admiratione, unde populari et fabri filio haec sapientia? adeo ut etiam illa offenderentur. Cernens id Jesus, occurrit huic scandalo incusans ipsorum incredulitatem. Quibus auditis impii cives cruenta ira succensi eum ductum super montem, cui urbs imposita erat[1], praecipitare voluerunt. Quod atrox consilium pervidens Christus, vultu ad gravitatem composito, simulque liberrimam animi constantiam scientiamque intentati sceleris prae se ferente, viam alio securus sui deflexit; urbem numquam regressurus, addito, nullibi quam in patria sua minori pretio haberi prophetas[2]. Itaque Jesus detestatus civium suorum contumaciam ad alia loca Galilaeae se contulit. Ast ubique simul adesse non poterat, ideoque consilium cepit dissipatis quasi ovibus non habentibus pastorem, providere; missis ad praedicandum et sanandum Apostolis, cum ipse alias regiones peragraret[3]. Mox Apostoli euntes et quaquaversum Christi doctrinam nunciantes, ad morum emendationem homines hortabantur, sed et daemones eiecerunt, multosque aegrotos maximo cum hominum stupore curarunt[4]. Cum Apostoli spargendo praeconio occupantur et divina virtute diversas regiones obeunt, Joannes B. ab Herode capite truncatur. Non tamen os illud aureum exsangue conticuit; imo et post mortem loquitur, qui in vita non siluit. Herodes Joannem in Christo revixisse ratus eius operibus terretur, creditgue in eo circumire, quem saltatricis rogatu ferro abstulerat. Adeo peccare miserum, cum nemo impune delinquat[5]. Munere suo functi Apostoli ad Christum[6] redeunt, certiorem de omnibus illum facturi quaecumque egerunt. Jesus autem accepto de morte Joannis nuntio in Bethsaidae desertum Apostolis comitibus secessit[7].

---

1) V. Not. geogr. p. LI. 2) Cf. Deyling, Obs. I, 30. p. 118. Matth. 13. 54. s. Marc. 6, 1. s. Luc. 4, 16. s. 3) Mittens ipsos nulla rerum temporalium voluit sollicitudine gravari, multaque dixit quae observare deberent. Ut rite ac fortiter dimicent neve pugnam metuant; displicere quidem hominibus veritatem coelestem, atque Deum cum occultaret intelligentibus, quae patefaceret infantibus, sapienter egisse. 4) Matth. 9, 26. s. Marc. 6, 7. s. Luc. 9, 1. s. 5) Matth. 14, 6. s. Marc. 6, 21. s. Luc. 6, 7. 6) Capharnaumum aut in aliud aliquod oppidum lacui Genezareth vicinum. 7) Marc. 6, 32.

§. 16. Christus quinque hominum millia pascit, ambulat super aquas, Eucharistiam promittit, multa signa facit. Confessio Petri.

Crescente in dies fama Jesu, tantus fiebat ad ipsum populi concursus, tantaque aegrorum copia curanda ei offerebatur, ut nullum quieti tempus suppeteret. Itaque navicula conscensa cum discipulis suis ad orientalem lacus Genesareth ripam, in desertum agri Bethsaidensis transiit, ut illic seorsim ab omnibus aliis aliquantum quiesceret[1]. At magna hominum multitudo, quae quo irent animadvertit, pedestri itinere propere lacum circumivit, ac traiecto Jordane[2] ad eum locum se contulit; adeo Jesum audiendi omnes cupido invaserat. Tanto vero numero convenit, ut deficiente commeatu fame premeretur. Cum iam inclinaret dies, Apostoli Christum rogarunt, ut dimitteret turbas emendis sibi panibus. Tum Jesu beneficentia ac virtus enituit[3]; etenim quinque hominum millia exceptis mulieribus ac parvulis, ex quinque hordeaceis panibus et binis piscibus ingenti miraculo[4] saturavit: duodecim corbibus ex fragmentis, quae supererant, discipulorum ministerio sublatis[5]. Viso tanto prodigio stupefactâe turbae eum sibi in regem adsciscere volebant, regi subditos pascere proprium arbitratae. Christus probe noscens plebis consilium, delatam sibi dignitatem aspernatus, in montem solus secessit, orationi operam daturus. Jusserat interea Apostolis lacum conscensa navi iterum traiicere. Ingressi ergo mare transfretare cupiebant. Cum in medio mari versarentur[6], aquis ad flantem ventum magnum intumescentibus; circa quartam vigiliam noctis[7], cum ecce ‚Jesus medium

---

1) V. Not. geogr. p. XCIV. 2) V. Not. geogr. p. XXVIII. 3) Christi interrogatio, unde ememus panes? Joann. 6, 5. non locum quidem sed pretium spectat; maius quam pro tanta multitudine ab Apostolis solvi posset. Ex Jesu autem quaestione patrandum mox miraculum illustrabatur, cum responderit Philippus Joann. 6, 7. „Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.“ Tantum pecuniae in Apostolorum marsupio certe non reperiebatur. 4) Vespera diei XIV. m. Nisan. 5) Velut in divinae potestatis defensionem, qua incredulitatis protervia exarmaretur et miraculi certitudini succumberet. 6) Quadraginta stadiorum, quae lacus complectitur latitudo, viginti quinque aut triginta provecti erant. 7) V. Not. geogr. p. XXXII.

per mare ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas‘ Apostoli prima specie territi spectrum se cernere arbitrati sunt. Pellendo igitur timori, quo corripiebantur, Christus locutus est eis: habete fiduciam ‚ego sum, nolite timere.‘ Ubi Petrus, cui inerat magnus ut animi sic fidei fervor, vidit Jesum velle eos praeterire[1], petiit, ut ad illum in summa aqua veniendi potestatem faceret[2]. Annuente Jesu, ille in aqua viam inivit. Sed vento vehementius flante, cum se sentiret mergi, Dominum ut sibi auxilio esset magna voce clamavit. Continuo adfuit Jesus, Petrumque extenta manu apprehendit, et ad superficiem aquarum retraxit. Rogantibus autem discipulis navim una cum Petro conscendit Jesus; quem omnes praesentes adoraverunt Messiam fassi. Ut primum intravit navigium, mox ventus pacatus est brevique ad litus oppositum appulerunt. Appulsi Capharnaum perrexerunt. Turba quae eodem loco stabat, quo discipuli navim conscenderant, montis ad radices et pernoctarat; utens navigiis quae Tiberiade venerant, mare traiecit atque Jesum in synagoga capharnaumitica versantem convenit. Coepit hac occasione[3] Jesus coram eis de quaerendo ‚pane coelesti‘[4] dicere. Ut autem audierunt dicentem, quod ipse esset panis vitae de coelo datus; quod nisi manducassent carnem suam et bibissent sanguinem, non essent habituri vitam aeternam; cum haec minime caperent neque assequerentur quid

---

[1]) Marc. 6, 48. [2]) Hanc Petri petitionem S. S. P. P. adscribunt eius fidei. Omnium nomine audiatur s. Hieronymus, comm. in Matth. 14, 28. „In omnibus locis ardentissimae fidei invenitur Petrus. Interrogatis discipulis, quem homines dicerent Jesum, Dei filium confitetur. Volentem ad passionem ire prohibet; et licet erret in sensu, tamen non errat in affectu; nolens eum mori, quem filium Dei paulo ante fuerat confessus. In montem cum Salvatore inter primos primus ascendit: et in passione solus sequitur, peccatum negationis, quod et repentino timore descenderat, amaris statim abluit lacrymis. Post passionem cum essent in lacu Genezareth et piscarentur, et Dominus staret in litore, aliis paulatim navigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus ependyte, statim praecipitatur in fluctus. Eodem igitur fidei ardore quo semper, nunc quoque ceteris tacentibus credit se posse facere per voluntatem Magistri, quod ille poterat per naturam.“ VII, 107. 108. Ecquidem in verbis „Domine si tu es iube“, fides deprehenditur potentiae Christi, quem solo nutu posse naturae imperare Petrus existimabat; in his „iube me ad te venire super aquas“ cernitur amor, quo in magistrum ferebatur discipulus. [3]) Die quidem Sabbati et Paschae. V. Prolegom. [4]) In Eucharistiae sacramento, quod post unum annum erat instituturus.

sibi vellent, oblocuti sunt. Imo offensionem etiam ex iisdem verbis passi sunt complures discipulorum, qui Christum propterea inconsulte deseruerunt. Illis itaque abeuntibus Jesus conversus ad duodecim Apostolos quaesivit, numquid et vos vultis abire? Tum Petrus e persona omnium, quod esset eorum caput, edidit confessionem: nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei! [1] Ad haec Christus reposuit, se duodecim nisi Apostolos elegisse, et tamen ab uno ex iis se inimici instar habitum iri [2]. Hinc profectus in tractum Galilaeae Tyriorum et Sydoniorum agris finitimum, cum eo pervenisset, adventum suum cuiquam indicari vetuit; nec tamen potuit latere, quia fama Jesu ubique innotuerat. Phoenissa igitur quaedam mulier ad ipsum venit pro sanitate filiae, quae a daemone torquebatur, rogatura; enixis precibus et eximia fide ut curaretur revera impetravit [3]. Circa idem tempus scribae et Pharisaei discipulos accusarunt, quod illotis manibus manducarent. Qua occasione accepta Salvator eos arguit, quod in exterioribus quibusdam caerimoniis ab hominibus institutis essent supra modum diligentes, de mandatis vero divinis accurate observandis nihil penitus curarent [4]. Postea reversus ad mare Galilaeae surdum et mutum immissis in aures digitis, aliosque multos infirmos sanavit [5]. Cum versaretur in regione Decapoleos [6] plures in dies ad eum convenerunt cum multis aegrotis, quos omnes sanitati restituit. Deficiente quo indigebant commeatu Jesus misereri se eorum Apostolis dixit, ne forte antequam ad propria remeassent inedia perirent. Septem iisdem erant dumtaxat panes et aliquot pisciculi. Quibus insigni prodigio multiplicatis, Christus denuo quatuor millia virorum, praeter

---

1) Quae omnia pluribus narravit solus d. Joannes. c. 6. p. i. coll. Matth. 14, 13. s. Marc. 6, 32. s. Accedit vero orationi Christi lucis et gravitatis ab eius diei festi sc. paschatis dignitate. Coll. Joann. 6, 4. Sermonem hunc Domini illustrant Haneberg, diss. das Zeugniss der alten Kirchen über den sacramentalischen Sinn der Worte J. C. bei Joann. 6, 51. s., in Archiv. für Th. Lit. Regensb. 1843. p. 1037. seq., ubi et p. 1086. traditiones et exspectationes synagogae hac in re collegit; F. X. Patritius e S. J., comm. de Christo pane vitae. Rom. 1851. p. 40. s. 2) Intelligebat his Judam qui magistrum suum erat proditurus. 3) Matth. 15, 21. s. S. Marcus 7, 24. „γυνὴ Ἑλληνὶς Συραφοινίκισσα τῷ γένει“ vocat. Graecam quidem religionis causa, cum ethnici tunc temporis a Judaeis Graeci dicerentur; Syrophoenissam autem, quod Phoenicia Syriae provincia censeretur. 4) Matth. 15, 1. s. Marc. 7, 1. s. 5) Matth. 15, 29. Mar. 7, 31. s. 6) V. Not. geogr. p. XCII.

feminas puerosque ita pavit, ut septem e reliquiis sportae implerentur[1]. Ne vero ipsum invitum plebs spe similium epularum allecta ubique comitaretur, extemplo conscensa cum Apostolis navicula in Dalmanuthae confinia venit Magedan[2], ubi Pharisaeos signum de coelo quaerentes reiecit, eorumque, Sadducaeorum, et Herodianorum doctrinam cavendum docuit[3]. Transmisso lacu extra Bethsaidam praesentibus solis discipulis coeco cuidam bis manus imposuit, ita ut primo aliquantulum videret, post moram certam autem per alteram manuum impositionem quam aptissime de obiectis visis iudicaret[4]. Christo apud Caesareae Philippi[5] vicum sciscitanti ab apostolis, quem eum homines esse dicerent? Petrus Dei Filium esse profitetur. Petro benedictionibus cumulato Christus Primatum Ecclesiae assignat, pollicita ligandi solvendique potestate[6]. Interdixit attamen discipulis, ne cui dicerent se esse Jesum illum Christum, ne homines novarum rerum cupidi apud se confluerent, ex quibus seditio fors aliqua nasci potuisset. Demum Apostolos ex eius societate sibi blandientes, magnasque spes inde agitantes Christus imminentis passionis praedictione coercuit; nihil se praeter mortem, suos autem sectatores hominum odia ac persecutiones manere[7]

---

1) Matth. 15, 32. s. Marc. 8, 1. s. 2) D. q. v. Eusebii Onomasticon, ed. Larsow et Parthey. Berol. 1862. p. 271. s. Not. Bonfrerii, in ed. J. Clerici. Amst. 1711. p. 106. 3) Matth. 16, 1. Marc. 8, 11. Luc. 12, 51. s. 4) Marc. 8, 22. s. ad q. l. Khellii, ecl. Obs. II, 70. s. 5) V. Not. geogr. p. XCIV. 6) Matth. 16, 13. s. Luc. 9, 18. s. Marc. 8, 27. s. S. S. P. P. et s. s. e. e. commentaria, quibus s. Codicis de Petri Primatu capita modo ἐξηγητικῶς commentati sunt, modo δεικτικῶς ac διδακτικῶς exposuerunt, modo πολημικῶς vindicarunt, additis eruditissimis notis longa et illustri serie recenset: C. Schrader S. J., de Unitate Romana. Frib. 1862. p. 140. s. 7) Ut salutis mysterium penitus cognoscant docet eos, quis sit hominis ille Filius, quantum ipsum pati oporteat, quid denique huius magistri deceat sectatores. Sed quae docet Dominus, non ea qua par est attentione audiuntur a discipulis, et varie eorum diffidentia, ambitione, ingenio hebeto et tardo vexatur Dominus. Nihilominus haec omnia patienter tulit, viribusque omnibus in id intendit, ut et verbis et factis confirmet eorum intelligentiam. Eundem Petrum, qui eximiam paulo ante edidit confessionem, quod Jesum ab indigno supplicio revocare nisus est, severe increpavit. Matth. 16, 21. Marc. 8, 32. Luc. 9, 22. s.

§. 17. Transfiguratio, variae curationes, praedictio mortis, solutio didrachmatis, Scenopegia, mulier adultera, coecus natus, Vae in Pharisaeos.

Ne pusillorum discipulorum animi e praedictione mortis plus aequo deprimerentur, divinitatis suae gloriam illos cernere voluit Jesus. Octavo igitur post editum hocce vaticinium die [1] iussit Petrum, Jacobum atque Joannem secum ascendere in montem excelsum [2], in quo erat Deum oraturus. Cum autem eo religionis officio fungeretur, tunc transfiguravit se Jesus ante eos. Vultus eius fulsit luce clarissima, niveo vestes nitebant candore, praeterea Moyses et Elias [3] visi, qui sermonem cum Jesu miscebant de futuro Hierosolymarum excidio. Denique eadem ac in baptismo vox coelestis de nubibus audita est. Quorum omnium contemplatio eam coelestis habitationis cupidinem Apostolis accendit, ut perpetuam in morte ultro mansionem deposcerent. Verum nondum tanta gloria perfrui dabatur, sed nonnisi effusi sanguinis mercede. Monte abductos Christus docuit quomodo intelligendum esset ‚oporteret prius venire Eliam quam Messiam.‘ Vetuit etiam eos cuiquam narrare ea, quae in monte viderant, antequam ipse e mortuis resurrexisset [4]. Die postero cum ad montis pedem scribas cum

---

1) Post dies sex ut aiunt s. Matth. 17, 1. Marc. 9, 1. intermedios, octo scribit s. Lucas 9, 28. nimirum terminis extremis computatis; proinde octavo die, ex quo passionem suam praedixerat. Transfiguratio Domini tam gravis res ab s. Evangeliorum scriptoribus habita est, ut et diem eius indicent. 2) Thabor. V. Not. geogr. p. XXIII. 3) Lex et Prophetia. V. H. R. D. V. T. p. 126. 344. 4) Qui assensum fidei Verbo divino denegant interpretes, loca Evangeliorum Matth. 17, 1—9. Marc. 9, 2—9. Luc. 9, 28—36. coll. e. II Pet. 1, 16—18. ad μεταμόρφωσιν J. C. spectantia variis artibus pervertunt. Ut legere licet in Eppelii, Aperçu critique des differentes explications, qu'on a donnè de l' hist. de la transfig. Strasb. 1846. Ex his unam quae etiam his diebus Meyero I, 334. s. placuit refutasse sufficiat. Praelusit huic Tertullianus adv. Marc. IV, 22. τὸ ὅραμα ad visionem in spiritu referens. „Quomodo enim, ait l. c. III, 199., Moysen et Heliam — Petrus — cognovisset nisi in spiritu?“ Isti explicationi Matth. 17, 9. opponitur s. Marcus v. 9. scribens ἃ εἶδον; s. Lucas, v. 36. ὧν ἑωράκασιν; s. Petrus qui II. 1, 16. discipulos dicit „ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος.“ Quis enim inficias ibit, haec vocabula ad solam externam intuitionem referri posse. Omnis explicatio, quae in hoc facto a litera s. Codicis recedit, repugnat summae Salvatoris

discipulis altercantes reperisset, causam discordiae perquirenti, vir quidam ad genua Jesu provolutus respondet, daemoniaci lunaticique filii sui occasione ortum esse dissidium; a quo Apostoli spiritum immundum vocis expertem et surdum expellere haud valerent. Christus puerum prehensa eius manu sanavit, et patri sanatum restituit. Seorsum discipulis interrogantibus, cur daemonium eiicere non potuerint, respondit Salvator impotentiam eorum ex infirma fide manasse, si fidem habuerint sicut granum sinapis [1], posse eos illico montes de loco ad locum transferre [2]. Praetergrediens deinde Galilaeam inter eundum Apostolorum animos magis ac magis praeparaturus, iterum passionem suam et resurrectionem revelavit [3]. Jamque Capharnaum pervenerant, cum exactores didrachmatis accessere ad s. Petrum quaerentes, num tributum illud Jesus solvere vellet, quemadmodum alii? [4] Respondit

---

sanctitati et sapientiae non minus, quam fidei et integritati s. Evangeliorum. Cf. G. Brückner, biblische Studien. I. die Verklärung Jesu Christi Leizp. 1864. p. 6. s.

1) Quod scissurae expers ac sphaerica figura nullum angulum patitur. 2) Matth. 17, 14. s. Marc. 9, 13. s. Luc. 9, 37. s. 17, 5. s. Vide huc J. F. Mayeri, diss. de translatione montium. Kilon. 1702. 3) Eo enim frequentius assumebatur hic sermo, quo tempus proprius accedebat dominicae Passionis, ut minus, cum in rem ventum esset, discipuli turbarentur. 4) Nummi τὰ δίδραχμα fuerunt dimidium stateris, seu tetradrachmi δίδραχμον. Intelligitur vero non nummus didrachmus sed tantum valor didrachmi, h. e. dimidius siclus. Sed quodnam fuit hoc tributum? Nonnullis est illud בֶּקַע, Exod. 38, 26., census a singulis in necessitates Templi pendendus. De capitatione Romanis soluta, capiendum esse didrachma volunt alii. Tributum Templo exhibitum evincere videntur sequentes rationes α. Verba Christi; reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Matth. 17, 24. e quibus colligit v. 25. liberos esse filios. Quae verba cum rationem habeant similitudinis, efficiunt, eo Christum tributi immunem fuisse, quia filius regis erat, cui solvebatur tributum. Jam vero non Caesaris sed Dei filius fuit. Qui alterius sunt sententiae τοὺς υἱοὺς τῶν βασιλέων, de civibus indigenis, et τοὺς ἀλλοτρίους de exteris sumunt. His autem repugnat, quod Jesus hoc respectu habito non υἱός sed ἀλλότριος sit. Tributum igitur h. l. non Caesari, sed Deo quotannis pendebatur in ministerium Templi. β. Unam solvendi causam 17, 27. affert Christus, scandali vitationem, non obsequium legis debitum; quia didrachma Templi, quod in dimidii sicli mosaici locum secessit, non vi praecepti, sed laudabili consuetudine solvebatur. Cf. II Esdr. 10, 32. Sponte oblatum fuisse sequitur γ. etiam e verbis colligentium 17, 24. Probari nequit denique δ. illo tempore a Romanis aut Herode vectigal in singula capita impositum, idque δίδραχμον fuisse. Hac explicatione praeivit olim s. Hilarius, Comm. in Matth. XVII. n. 10. s. p. 130. s., secuti sunt: P. Possinus, in Spicil. a. l. p. 60. s. Seb. Smidt, in disput. de didrachmis a Christo solutis, apud Ugolinum

fortasse. Cum rem Domino narraret, Jesus Petro dixit; quamvis eo quod esset Filius Dei, tributi immunis foret, pendere tamen se velle, ne homines offenderet. Jubet itaque Petrum mittere hamum in mare, et eum piscem, qui primus ascenderit tollere, inventumque in eius ore staterem pro se et pro ipso persolvere [1]. Pene aderat Scenopegia, Galilaei nonnulli Mariae cognati Jesum convenerunt, eique persuadere adgressi sunt: ut ad solemnia Jerosolymam pergeret ac se miris operibus suis hac in urbe manifestaret. Hac ratione semet famam Prophetae certius consecuturum, quam in angulo Galilaeae. Verum Jesus id facere recusavit, quod opportunum sibi tempus illuc eundi nondum advenisset. Mansit proinde per aliquot dies in Galilaea, quibus lapsis muneris sui probe conscius obfirmato et vultu et animo carpit iter versus metropolim [2]. In itinere decem leprosos mundavit, Legis gnarus praecipit, ut se sacerdotibus ostenderent, cumque illi obtemperantes abirent unus tantum alienigena inventus est, qui rediret et daret laudem Deo [3]. Cum per Samariam transirent, praemisissetque nuncios in vicum aliquem, ut sibi et suis hospitium pararent, Samaritae eum pernoctaturum excipere recusant [4]. Quod cum audiissent discipuli, quasi illata iniuria a Samaritanis praecipue afficerentur, negantes igne coelitus delapso perditum ire cupiunt. At Jesus ad eos conversus dixit; qua affectione animi praecones Evangelii esse oportet,

---

in Th. A. S. XXVIII, 1439. s. M. Wouters, Dilucid. S. p. 255. Basnagius, Ann. p. 328. s. Fritzsche, Ev. Matth. p. 563. s. Kuinoel, comm. I, 474. Z. D. Schimko, comm. de nummis biblicis. Vind. 1838. II, 11. Meyer, k. e. Handb. I, 341. Ebrard, wiss. Kritik, p. 445. n. 1. Tischendorf, Syn. p. XXV. Arnoldi, Ev. d. h. Matth. p. 368.

1) Interrogatio Christi Matth. 17, 25. Quid tibi videtur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? causa fuit discipulis, ut cum iam in via disputassent, quis eorum esset maior, domi Marc. 9, 32. magistrum adirent et quaererent: quis in regno coelesti foret maximus? Matth. 18, 1. s. quos Dominus parvuli exemplo humilitatem docuit. Addit non esse prohibendos malos in nomine Christi aliquid boni facere, puta daemonia eiicere, vel aliud simile. De scandalo etiam instruens, ne quem manu, pede vel oculo laederent monuit. Quapropter parvulos non esse contemtui habendos, fratrem in eos peccantem arguendum; ab Ecclesia ligandum aut solvendum, et septuagies septies usque condonandum. Luc. 9, 48. s. 17, 3. s. Marc. 9, 37. s. Matth. 18, 6. s. Subdit etiam parabolam de centum ovibus et pastore, qui in montes profectus unam aberrantem quaerat. Matth. 18, 10—14. 2) Joann. 7, 2. 3) Luc. 17, 11. s. 4) Luc. 9, 52. s.

meum, ait, amoris et clementiae spiritum nondum agnoscitis. Ego non perdendis hominibus veni sed salvandis! Ab initio festi Tabernaculorum Judaei Jesum [1] Hierosolymis quaesierunt. Itaque sciscitabantur a Galilaeis, ubi esset, nec exiguus rumor de eo ferebatur in urbe. Tandem sub medium dierum festorum adfuit Christus, atque in Templo docere coepit populum. Sermone quem habuit ad concionem ostendit, coelestem esse doctrinam suam. Octavo die Jesus alta voce, ut ab omnibus audiretur, clamavit: si quis sitit, veniat ad me, et bibat, aquam coelestem! [2] Exitus sermonis fuit, ut plerique de populo et legis doctores inter se altercarentur. Nicodemo partes Domini propugnante: cumque ex turba multi credidissent, ardentes invidia Judaeorum primores, ministros misere suos ut Jesum caperent, quibus Dominus dixit; vel repugnantibus tamdiu vobiscum una versabor, quamdiu Pater meus voluerit [3]. Dilapso populo in domos suas, Jesus perrexit in montem Oliveti, unde diluculo rediens in Templum cum ibidem sederet docens, scribae et Pharisaei adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, rogaruntque quid facto opus esset, cum iuxta Legem lapidari deberet? [4] Christus ubi sentiret accusationem subdolo animo proponi, suspendit iudicium; et iussit aliquem ex adstantibus in feminam primum lapidem iacere, qui exsors criminis esset. Interim eorum crimina exarabat in pulvere pavimenti [5], quae cum legissent et eorum essent conscii, singuli post alios alii discessere. Tunc Jesus surgens ream sic admonuit, ut ostenderet neque sibi scientiam, ut culpam cognosceret, neque iustitiam ut castigaret, neque facilitatem ut condonaret, homini simul atque Deo defuisse [6]. Accusatoribus cum probro, muliere vero cum venia dimissis, iterum concionem alloqui suscipiens, se mundi lucem dixit. Offensus improba Pharisaeorum obstinatione, in peccato suo exstinctos iri pronuntiat. Multa addiecit de neces-

---

1) Quem passim ad solennia festa metropolim se conferre solitum norant.
2) Cf. Deyling, Obs. s. II, 31. p. 302. 3) Joann. 7, 11—52. 4) Accusatores credebant a se Christum sic implicatum iri, ut periculum adiret violatae mansuetudinis vel legalis iustitiae. 5) Ita s. Hieronymus, dialog. contra Pelag. n. 17. II, 761. 6) Joann. 8, 1. s. Cf. Chr. L. Stoltii, interpr. γεωγραφίας Chr. Gott. 1738. p. 13., qui tamen vult Christum non vere scripsisse, sed manum tantum in substrato pavimento movisse, atque ita scribentis expressisse imaginem.

sitate in se credendi, de eius efficacia in liberandis a servitute hominibus, de laetitia qua perfusus est Abraham, dum vidit Diem Christi [1]. Audito vero Judaei Jesum sibi divinitatem adscribere: ‚antequam Abraham fieret ego sum', sustulerunt lapides, ut tamquam in blasphemum animadverterent. Jesus autem se ab illorum subduxit aspectu [2] et exivit foras [3]. Cum rursus rediisset, urbem die sabbati perambulans coecum a nativitate offendit, cui usum restituit oculorum. Formato saliva sua luto, coeci oculos linivit [4], iussit eos deinde in natatoria Siloe abluere [5]. Paruit ille et statim visum recepit. Hic homo firmi ingenii fuit; eiusque rationes animose de Christo testimonium perhibentis, scribae nonnisi convicio reiicere potuerunt. Quare Dominus expulsum iniuria a synagoga, etiam laude putavit dignum [6]. Inde orta est altera cum Pharisaeis disputatio, in qua multa exposuit de se ostio ovilis, pastore illo bono, simul etiam de Patre; Scribarum autem simulationem detexit et avaritiam castigavit [7]. Ut latius Evangelium disseminaret, misit quaquaversum septuaginta duos discipulos; quos cum post aliquod tempus laeti rediissent ad Jesum dicentes, quod etiam daemonia subiiciebantur eis; Christus hortatus est: gauderent magis, quod nomina eorum scripta essent in coelis [8]. Tum Jesus

---

[1]) Cf. Lampe, diss. XVII. ad Joann. 8, 25. p. 391. s. H. R. D. V. T. p. 55. 220. [2]) Efficiendo ne corpus eius hostium in oculos submitteret imaginem, qua conspicuus fieret. Neque enim Prophetae afflati divino spiritu lapidum, sed crucis supplicium praedixerunt. [3]) Joann. 8, 12—59. V. Deyling, Obs. s. II, 32. p. 307. s. [4]) Sed quaeret hic aliquis, cur Christus hunc coecum non sic sanaverit, ut alios verbo sed luto, et quare e sputo lutum fecit Dominus? F. G. E. Rost, opusc. Plautin. Lips. 1836. I, 55. sibi reperisse visus est: „Quod Christus cum in aliis sese ad vulgi opiniones accomodavit, tum in hoc quoque ut in curandis aegrotis, ad spem recuperandae valetudinis confirmandam, medicorum mores imitaretur, in quibus etiam illam exspuendi consuetudinem fuisse." Quae opinio quanto in errore circa mores Christi versetur, non est quod disertius exponamus. Quo diligentius miracula Christi expenduntur, eo luculentior est eorum magnitudo. Cum luto oculos coeci linit, quo fieri poterat coecus si oculis valuisset, credi non poterat, naturali virtute, sed divina Christi potentia curationem fuisse factam. Ne porro aquis Siloe, quo coecum missurus erat, sed sibi, cuius saliva quae de corpore exivisset erat, adscriberetur miraculum, non ex aqua sed ex sputo suo lutum fecit. [5]) V. Not. t. s. geogr. p. LXX. [6]) Joann. 9, 1. s. [7]) Quae omnia latius prosequitur s. Joann. 10, 1—21. Ex dictis apparet Jesum aliquamdiu etiam post festum Tabernaculorum mansisse Jerosolymis. [8]) Luc. 10, 1. s.

Legisperito interroganti, quid ei faciendum esset, ut vitam aeternam consequatur, eidemque sciscitanti de proximo qui foret diligendus? respondit parabola de Samaritano, qui a latronibus sauciatum Judaeum pie mederi curavit[1]. Interim multa obiit Judaeae loca, ubi et animis et corporibus profuit; et his valetudinem, illis virtutem divinitus elargitus est. Cum Bethaniam venisset in domo Marthae et Mariae Lazari sororum hospitio receptus est. Martha parandae mensae studebat, Maria autem ad pedes Domini audiendis verbis illius intenta nihil de re domestica curavit. Martha Jesu conquesta est, quod soror sua otiosa sederet, oravitque ut illam ad opem ferendam mitteret. Verum Dominus Mariam a querimonia Marthae defendit. Optimam partem elegisse respondit, a qua nonnisi cum iniuria amoveretur[2]. Secundum haec plura de orando Deo discipulis impertitus est praecepta[3]. Invitatus a Pharisaeo quodam ad prandium, animo forte non satis sincero, Christus domum ingressus statim illotis manibus discubuit, ut exemplo suo pharisaicam superstitionem everteret. Miranti quod ritum observari solitum sprevisset, arguere coepit Christus religionem Pharisaeorum praeposteram; quibus externa mundities curae esset, interna neglectui. Qua de causa horrendum Vae dicit in Scribas et Legis peritos. Interea cum aggregata esset turba multa, monuit cavendam Pharisaeorum hypocrisim. Tum aliquis caducis magis, quam coelestibus intentus, Jesum arbitrum pro dividenda cum fratre haereditate rogat: quam Christus provinciam prudenter abnuit. Huius petitionis occasione docuit avaritiam esse fugiendam et ante omnia toto pectore quaerendum Regnum Dei![4] Hortatus est quoque omnes ad vigilantiam[5]. Ubi praecepta haec Dominus inculcat, ecce triste ei nuntium affertur, de Galilaeis nuper a Pilato occisis, quo audito apertius prosequitur hortari omnes ad poenitentiam, ne et ipsi a Deo gravius puniri permittantur[6].

---

1) Luc. 10, 25. s. 2) Luc. 10, 38. s. 3) Luc. 11, 1. s. 4) Luc. 11, 37. s. 12, 1. s. Matth. 23, 25. s. 5) Luc. 12, 35. s. Matth. 24, 42. s. 6) Luc. 13, 1. s.

§. 18. Encaenia, diversa salutis monita, signa item varia. Lazarus obit, quem Christus ad vitam revocat. Apud Simonem leprosum coenat.

Jesus docens et sanans urbes et pagos Galilaeae peragrabat[1], ubi tamdiu moratus est, donec immineret festum Dedicationis Templi[2]. Tunc igitur lentis itineribus sese Hierosolymas contulit. Ea in itione ad Jesum cum in quadam synagoga die sabbati doceret, adducta est mulier octodecim iam annis incurva, cui manu imposita valetudinem restituit. Hanc rem moleste ferens archisynagogus monuit turbas aliis diebus venire, ut curarentur. Interea Praefecti superstitionem eo refellit Dominus, quod sabbato quisque solveret bovem suum a praesepe[3]. Inde amplitudinem Regni Coelorum ita declarat, ut nihilominus angustam esse portam dicat, qua ad illud perveniatur, et praeter opinionem hominum multos expulsum iri, qui videbantur admittendi[4]. Usus monitione sibi facta de Herodis insidiis, praedicit se occisum iri Jerosolymis et super urbis s. excidio lamentatur[5]. Alio sabbato cum Jesus venisset ad domum Pharisaei manducare, hydropicum sanavit; mox mota controversia demonstrat, opera caritatis nullatenus sabbati religione prohiberi[6]. Deinde pergit ad curandum, quo Pharisaei maximo laborabant morbum, animi sc. ambitionem, erudiens eos invitatos in conviviis debere novissimum sibi locum deligere, invitantem vero quos potius vocare debeat. Facta autem a quodam mensae accumbentium mentione, de manducando pane in regno Dei; Christus illata parabola de coena, ad quam multi vocantur, causam affert, cur Judaei secus quam putabant extra numerum beatorum futuri sint. Alia die turbis undique circum septus, monuit volentes se sequi, non tantum gressu corporis, sed mentis affectu deferendam post se crucem. Porro publicani peccatoresque flagitiis infames Christi mansuetudine allecti sponte ad eum tanquam aegroti ad medicum accedebant, ut audirent illum.

---

[1]) Quo acta Scenopegia ivit. [2]) V. R. D. V. T. p. 557. Celebrabatur mense Decembri d. 20—27. [3]) Luc. 13, 10. s. [4]) Qua re significavit reprobationem Judaeorum et vocationem gentium. Luc. 13, 22. s. [5]) Luc. 13, 31. s. Matth. 23, 37. s. [6]) Luc. 14, 1.

Hos ubi benigne et comiter exciperet Jesus, ut vel cum ipsis ederet, familiaritas ista supercilio Pharisaeorum offensioni fuit. Factum vero Salvator tuetur suum parabolis elegantibus, et ad persuadendum magnam vim habentibus [1]. Cum haec et his similia doceret, tandem Jesus Hierosolymas pervenit ad agenda encaenia. In una huius festi die Jesus, non recreandi quidem sed docendi, causa ambulabat in porticu, quae Salomonis dicebatur [2]. Ambulantem Dominum cinxere Judaei valde instantes, ut palam, sine verborum involucris, diceret eis: si ipse foret Christus? Quibus cum vere et sapienter respondisset, non verbis modo sed factis ostendens, se illum esse Messiam, cuius in exspectatione erant, addit, se unum esse cum Deo. His auditis Judaei statim sustulerunt lapides quibus eum obruerent. At ille quaesivit, ex quonam beneficio in vos collato tale supplicium mihi rependitis? Cumque illi respondissent, non in beneficia sed in blasphemiam arrogantem sibi Divinitatem ea poena animadverti, ostendit iniquum esse sibi de usurpato nomine Dei crimen imputare, cum Pater ei dederit suam naturam atque potestatem. Verum Judaei his minime contenti manus ei iniicere tentarunt; sed aeque facile ac antea elapsus est, transmissoque Jordane abiit Bethabaram [3]. Ubi in transiordanica versaretur Christus regione, accesserunt ad eum de more suo Pharisaei, non discendi studio sed tentandi causa. Quaesierunt autem, si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? [4] Quaestionem solvit auctoritate Moysis, qua ostendit unius viri et uxoris a Deo institutam esse coniunctionem; divortiique licentiam concessam

---

[1]) De ove recuperata, de drachma reperta, de filio prodigo, villico iniquo, epulone divite et Lazaro, operariis in vinea, de superbo Pharisaeo et humili Publicano, vidua et iudice. Quae omnia continuo ordine fuse prosequitur s. Matthaeus c. 20. s. Lucas, c. c. 14. 15. 16. [2]) V. H. R. D. V. T. p. 497. [3]) V. Not. t. s. geogr. p. XCIII. Joann. 10, 22. s. In Bethabara Christum non fuisse otiosum certo certius est. Num vero semper ibi versatus fuerit, donec se in Judaeam postremum conferret, aut quamdiu ibi manserit silentio premunt s. Scriptores. Elapso quodam temporis spatio Jesus venit trans Jordanem, sed brevi in Peraeam rediit Matth. 19, 1., ubi turbas confluentes docuit, morbos curavit et multi crediderunt in eum. [4]) Digna Matth. 19, 3. Marc. 10, 2. ingenio pharisaico quaestio. Putabant enim utrumvis responderet, habituros se, quod calumniarentur. Si diceret non licere, accusari illum posse tamquam Legi contrarium; si vero diceret licere, accusari posse eius doctrinam tanquam imperfectam.

pro duritia cordis [1]. Audita sententia, qua illibatum vinculum servatur coniugio, discipuli cum domi versaretur dixerunt Salvatori: Si talis est conditio mariti cum uxore, ut numquam dimittere eam possit, non expedit in illam coniicere se servitutem, unde sola morte exitus daretur. Quibus respondit Dominus ita, ut eos ad cupiditatem servandae virginitatis impellere studuerit [2]. Agenti in Peraea Christo oblati sunt parvuli [3], ut bene ipsis diceret. Discipuli autem [4] eos repellebant. At prohibentes vetuit benignissimus Magister: dicendo, infantum cum aetate tum moribus esse Regnum Dei. Alio cum discessisset, occurrit Christo in via quidam e Judaeorum primoribus Pharisaeorum, qui ab eo quaesivit, quid faciendum boni, ut vitam aeternam haberet? cui cum dixisset vendere bona omnia et dare pauperibus, illeque tristis abiret, Jesus familiari Judaeis proverbio: cameli per foramen acus deducendi ostendit, quam difficile esset divitem in regnum coelorum ingredi. Petro autem interroganti de mercede eorum, qui relictis omnibus sequebantur eum, promisit centuplum in hac vita et aeternam beatitudinem in altera [5]. Cum adhuc moram traheret Jesus ultra Jordanem contigit graviter aegrotare Lazarum [6] Bethaniensem, quem singulari amore prosequebatur. Sorores eius Martha et Maria fratrem periclitari intelligentes, ad Jesum miserunt, qui nunciarent ei morbum Lazari; cui cum bene velle norant: ut si ita Christo videretur, sanitatem aegro restitueret. At Jesus, qui absens absentem facile sanare valuisset, de Lazari infirmitate admonitus, non illico se Bethaniam, ubi decumbebat, contulit; sed duos adhuc dies in eodem loco moratus est; nec rediit in Judaeam, nisi post mortuum et conditum sepulchro Lazarum, eo animo, ut quod facturus erat, non humanum sed divinum haberetur. ‚Distulit [7] sanare, ut posset resuscitare.' In oppidum Bethaniae adventanti, ut se verum unicumque vitae auctorem esse monstraret,

1) Ne gravius peccarent, id si negaretur. De matrimonii vinculo ad I Cor. disputabimus, quo L. B. relegamus. 2) Matth. 19, 11. s. 3) Qui necdum incedere poterant. 4) Amore magistri sui, cui in instruendis sanandisque adultis vehementer occupato, absque necessitate cum nullo infantes afficerentur morbo, exhibebatur molestia. 5) Quae narrant Matth. 19, 13. s. Marc. 10, 13. s. Luc. 18, 15. s. 6) Λάζαρος i. q. אֶלְעָזָר, Deus opitulatus est. Prima nominis litera elisa per Aphaeresin. 7) Ait s. Augustinus, in Joann. Ev. c. 11. tr. XLIX, 5. III, 621.

in occursum Christi processit Martha, atque eum quem amore prosequebatur obiisse nuntiat. Protestata est Martha nunquam obiturum Lazarum, si opportunius venisset; scire se tamen illius precibus tantam inesse vim, ut omnia a Deo obtinere possit. Ad quae Jesus ‚ego sum resurrectio et vita.' Ubi est vita, nequit esse mors. Hinc ad tumulum Lazari deducendum se curavit; abeuntem secuti sunt Judaei. Christus in lacrimas effusus, sepulchro lapidem amoveri iussit, et quatuor dies iam in eo iacentem et ideo foetentem [1] magno clamore, evocat. Mirum sane prodigium. Ad Christi vocem Lazarus tumulo erumpit mortuus, pedes manusque institis ligatus, facie sudario tecta [2]. Solvi tunc fascias, et liberum Lazarum tradi iis, quae aderant sororibus, Jesus praecepit [3]. Quo viso, multi qui aderant Judaei, se Christo miraculi testes addixere. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, et retulerunt tam stupendissimum illum suscitationis modum, quam multitudinem eorum, qui eo persuasi se Christo adiunxerant. Quamobrem odio invidiaque aestuantes Pharisaei [4] Christum interficere decreverunt; inepti, qui non intelligerent, Jesum praestiturum sibi, quod in Lazaro perfecisset. Quia tamen mori nondum decreverat,

---

[1]) Ideoque sex ante dies mortuum, quia defuncti non eo ipso die sepeliebantur a Judaeis, quo vitam reliquerant. Sepulchra in rupe excidere solebant Hebraei, eaque apto lapide et ad ostii amplitudinem caeso claudere. Intra speluncam cadaver iacebat, in paris magnitudinis loculo. Cf. J. Nicolai, tract. de sepulchris Hebraeorum, in Thes. Ugolini XXIII, 333. s. J. A. Quensted, tr. de sepultura Veterum. ib. 642. s. [2]) Cf. J. J. Chiffletii, de linteis sepulchralibus apud Ugolinum, l. c. p. 843. s. [3]) Nobilem adeo narrationem unus d. Joannes retulit 11, 1. s. Quamvis autem nullum D. N. J. C. miraculum maioribus veritatis indiciis comprobaretur, tamen reperti sunt, qui Lazarum non vere mortuum, sed mera syncope correptum fuisse volunt, et quidquid in resuscitatione eius miraculi rationem habet, tollere satagunt. Istorum ineptas expositiones refellunt: J. S. Weikhmann, miraculum Jesu reditu Lazari in vitam nobil. a crim. phil. nov. def. Witt. 1763. H. L. Heubner, mirac. ab Evangel. narr. interpr. gr. h. ib. 1807. p. 30. s. F. G. Saupe, Obs. s. h. Laz. in vitam revocati. Dresd. 1808. Schultess, die Gewissh. der Schrifterkl. erpr. a. d. Wiederbeleb. d. Laz. Zür. 1808. p. 127. s. H. A. Schott, opusc. exeg. cr. Jen. 1818. I, 259. s. G. Hülsemann, d. Gesch. d. Auferw. d. Laz. Lips. 1835. L. Bonnet, la famille de Bethanie. Med. s. l. mal. l. m. et t. resurr. de Laz. Laus. 1852. Item Hug, Gutachten II, 48. Lücke, Comm. II, 467. s. Gumlich, in ann. Stud. u. Krit. 1862 p. 65. s. 248. s. [4]) Ex sententia Caiphae pontificis, qui ceteros ignorantiae arguit, quod sibi conducere nescirent, ut unus amoveretur, quatenus toti iudaicae genti consultum esset.

secessit in oppidum Ephrem[1]. Neque vero hic diutius latuit, paulo enim post dat se in viam Jerosolymam versus, ut ultimum inviseret, et ad poenitentiam vocaret. Ac praeibat quidem tanto ardore, ut aegre eum discipuli[2] sequerentur, quibus et imminentem aperuit enucleate passionem. Quam cum antea nec semel[3] Jesus praedixisset, tamen neque eius rei modum neque rationem intelligebant Apostoli[4]. Iter igitur iniens Jerosolymas obviam habuit Salomen Zebedaei coniugem, Jacobi et Joannis matrem, quae pedibus Christi advoluta eum rogavit, ut filiorum uni ad dexteram, alteri sessionem ad sinistram in regno coelorum concederet. Christus matrem[5] importunam responso depulit: penes se situm non esse, quod peteret largiri, sed apud Patrem suum, qui gratiae oeconomus, eam pro lubitu daret. Tum ceteros indignantes admonuit, ut qui aliis praeire ambit, omnium servus et minister haberetur; filii hominis exemplo, qui servitium obiturus venerat, sua morte homines coelo redditurus[6]. Zachaeus[7] audito Jesum Jerichunti instare, eum videndi cupidine aestuans, cum statura parvus esset, sycomorum subiit. Visum Christus ex arbore descendere iubet, quem contemplari tantopere appetebat hospitio excepturum. Zachaeus Dei contubernium expertus, relicto divitiarum onere, earum dimidium pauperibus elargitus est, fraudum censu ad quadruplum reddito[8]. Appropinquans Jerichuntem Jesus duos coecos prope urbem illuminavit; qui in Dei laudes effusi benefactorem suum secuti sunt[9]. Prorogato Jerusalem versus itinere,

---

1) 'Εφραΐμ, Joann. 11, 54. Eusebio, Onom. ed. Parthey p. 197. „vicesimo ab Aelia milliario." Bonfrerio, l. c. p. 70. sita in deserto Jerichuntino. Ephrem cum Ephron confundit Arnold, Palästina. Halle. 1845. p. 183. Vaihinger, in Herzogs. R. E. IV, 93. Ephrem abiit non tam ut vitaret mortem, quam ut ostenderet sibi nihil esse tectum, proinde iam inimicorum consilia innotuisse. 2) Quibus displicebat id iter, quia Judaeorum insidias in magistrum metuebant. 3) V. p. 70. 72. 4) Luc. 18, 34. 5) Quod coeco amore ducta, filiis primatum ardentius exposceret. 6) Matth. 20, 17. s. Marc. 10, 32. s. Luc. 18, 31. s. 7) Publicanorum — in illo tractu? — princeps et vir opulentus. 8) Qua liberalitate et peccatorum veniam obtinuit et bona egenis dando non tam perdidit quam mutavit. Luc. 19, 1. s. 9) Matth. 20, 29. s. Marc. 10, 46. Luc. 18, 35. S. Matthaeus duos commemorat, sed quia alter altero nobilior, unius tantum meminerunt s. Marcus, et s. Lucas; cuius et nomen Bartimaeus exprimit s. Marcus. Contrariae sententiae patroni hoc unum discriminis afferunt, quod iuxta s. Lucam Christus appropinquaret Jericho; iuxta Matthaeum

ubi Apostoli quamprimum regnum Dei [1] manifestatum iri credebant; narravit eis parabolam de homine nobili abeunte in regionem longinquam ad accipiendum sibi regnum, et interim dante servis suis mnas ad negotiandum; qui post reditum singulos pro apportato lucro remuneravit, servum vero ab opere torpentem damnavit [2]. Interea sex diebus ante festum Paschae [3] Bethaniam diverterat, ubi a Simone leproso coena exceptus est [4] conviva etiam Lazaro, quem a mortuis ad vitam antea revocarat. Inter epulas Maria Magdalena mensae accumbentem accessit, pedesque pretioso unguento tinctos capillis abstersit. Deinde vase ex alabastride [5] fracto reliquum in caput effudit, tota domo suavis odoris fragrantiam redolente. Eam rem discipuli inprimis Judas aegre ferebant, quibus praestare videbatur, si pretium unguenti in pauperes distraheretur. Mariae causam Christus egit, opus extollens, cuius ea erat dignitas, ut per universum orbem omnibus retro saeculis annuntiaretur [6].

---

vero et s. Marcum egrederetur a Jericho. Verum enimvero ἐγγίζειν seq. εἰς et acc. loci, non semper motum ad locum, sed saepe distantiam tantum significat. V. g. Luc. 19, 29. „ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγῆ καὶ Βηθανίαν“; cum appropinquasset ad Betphage et Bethaniam, i. e. cum esset circa ea loca, nam Bethaniam tunc iam transierat. Cf. J. Fr. Schleussner, Nov. Thes. II, 222. s.

¹) Quod ipsi praeiudiciis iudaicis occupati temporale suspicabantur. Cf. L. Bertholdt, Christologia Judaeorum Jesu Apostolorumque aetate. Erl. 1811. p. 187. s. Chr. Fr. Boehme, de spe Messiana Apostolica. Hal. 1826. p. 60. s. ²) Luc. 19, 11. s. Cf. F. L. Cramer, de diverso exitu ac mercede serv. fid. atque ignav. Luc. 19, 11. Harder. 1751. C. G. Klinckhardt, s. par. J. C. de homine div. Lips. 1831. Flensburg, de vero sensu parab. Luc. 19, 11. s. Lundae 1849. ³) Πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα Joann. 12, 1., ita sumendum videtur, ut hebdomadem interiectam inter diem adventus et Pascha notet; sive ut eadem die, et quidem vespere i. e. feria sexta advenerit Bethaniam, qua hebdomade proxima et quidem feria sexta a Judaeis agnus paschalis edebatur. Joann. 18, 28. 19, 14. 31. 42. Quodsi vero res ita evenit, coena inter quam pedes Christi ungebantur, in sabbatum videtur incidisse. A quo sabbato, si dies sequens — non enim audiendi sunt qui, vertunt „die alio“ inter quos Hase, L. J. §. 99. p. 177. nominasse sufficiat — Joann. 12, 12. „ἐπαύριον“ numeratur, feria prima. i. e. dominica, ut prisca habet Ecclesiae traditio, solenniter Christus urbem introiisse putandus sit. ⁴) Videtur Lazari consanguineus fuisse; qui antequam a Salvatore sanaretur lepra laboraverat, unde leprosi cognomen traxerat. ⁵) Quo continebatur unguenti nardi spicati minimeque vitiati libra. D. q. v. B. Otto, de nardo pistica ad Marc. 14, 3. Lips. 1673. J. Ihlström, de πιστικῇ νάρδῳ. Ups. 1734. B. P. Santesson, de una Christi unctione. Lund. 1794. ⁶) Matth. 26, 6. s. Marc. 14, 1. s. Joann. 12, 1. s. Utrum autem eadem et hic Christum et in sepulchro perunxerit, fueritque

Statim ut auditum est Jerosolymis [1] Jesum commorari Bethaniae, plurimi e Judaeis accurrerunt illuc [2], non solum ut viderent Jesum; sed etiam ut Lazarum intuerentur, quem a mortuis suscitaverat. Sacrorum antistites facto attoniti commotique etiam Lazarum de medio tollere moliuntur. Livorem eorum irritarat, quod multi Lazari quatriduo tumulati resuscitatione, Christum Dei filium et Messiam agnoscerent [3].

§. 19. Triumphalis ingressus Christi in Jerusalem.

Mane feriae primae e Bethania digressus Christus cum discipulis, ubi pervenisset in vallem ad radicem montis Oliveti, quae inter Bethaniam interiacebat et Bethphagen [4], misit in eum vicum, qui e regione erat [5], duos ex discipulis [6]; ut asinam et pullum solverent, eosque adducerent [7]. Discipuli obsequium praestabant

---

una et peccatrix et Christo Domino acceptissima, peculiaris disquisitionis erit statuere.

[1]) Cum sabbatum iam ad finem vergeret. [2]) Ob viciniam loci. [3]) Joann. 12, 9. s. [4]) Ita ut Bethaniam post tergum, Bethphagen contra ante faciem haberet. Cf. Sepp, Jerusalem und d. h. Land. Schaffh. 1862. I, 579. Not. t. s. geogr. p. LXXXIV. [5]) Eadem illa Bethphage, quam digito discipulis suis monstrabat. Cf. S. Justini, dial. cum Triph. n. 53. p. 172. s. Hieronymi, in Matth. 21, 1. p. 159. [6]) S. Petrum et Joannem? quod ad priorem attinet, non male huius opinionis patrocinium quaesierunt interpretes apud s. Marcum 11, 4., quae testem oculatum produnt, et de qua re ceteri tacent. [7]) S. Marcus et Lucas solius pulli mentionem faciunt, item s. Joannes, qui etiam solius pulli meminit. Quae narrationum diversitas Criticis ansam dedit, acriter in s. Matthaeum invehendi; qui nimirum 21, 2. ut maiorem dictis conciliaret cum Zach. 9, 9. convenientiam, rem finxerit improbabilem, quod cum pulli ad eam pervenissent aetatem, qua equiti apti forent, tum diu iam a matre essent separati. Refelluntur haec animadversione Jesum utrumque animal ad se adduci iussisse, quo facilius pullus discipulos sequeretur. Reliqui Evangelistae de asina silentes, minime cum s. Matthaeo pugnant; quippe pullum unice memorantes Jesu usui destinatum, matrem vero praetermittentes, cuius mentio minus cum solenni ingressu coniuncta esset. Non voluit autem violenter arripi animal atque invitis possessoribus etiamsi amicis, qui eum plurimi facerent; sed sponte, quos ut abduci sinant gemino persuadeant argumento; τὸν κύριον, suos in usus eos petere, magistrum, qui ut ἐξουσίαν ἔχοντα metropolim ingressurus esset, his opus habere. Unde rursus divina scientia et potentia inclaruit, ne casu inventis asina et pullo, Zachariae oraculum sibi accommodasse videretur. Cf. H. R. D. V. T. p. 524. Admirabilem sane scientiam et potentiam in eo mandato a Christo exhibitam liquet, non ut asinus modo, sed et ligatus reperiretur, et quidem cum matre, nondum subactus, in aditu vici, momento, quo Apostoli

magistro[1], adducunt asinam eiusque pullum, quo substratis Apostolorum vestibus vectus Jesus iter Jerosolymas prosequebatur, ut impleretur Zachariae vaticinium ‚ecce Rex tuus veniet tibi iustus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.‘ Rumore per viciniam sparso: ecce appropinquat Jesus, qui Lazaro vitam restituit, misitque nunc suos legatos, ut iumentum sibi, urbem introituro peterent; ingens multitudo portis vici effusa[2], cum Christum asino, discipulorum vestibus ephippii instar ornato, vectum viderat ei occurrit. Exuebant laeti pallia sua, iisque viam sternebant, qua iter facturus erat[3]; interea

---

ingrederentur, et tum, cum solverent, dominum reclamaturum primum, postmodum assensurum, idque quamvis ignota non erat pagi incolis synedrii de interficiendo Christo sententia.

[1]) Dictis sua fides. Cum statim ad pagum procederent, ita plane omnia inveniebant uti magister indicaverat. Illi, qui legatos Jesu impedire volebant, quominus animalia secum ducerent, audito τοῦ κυρίου mandato statim desistebant ab iis, asinosque Apostolis adducendos tradebant. [2]) Non incredibile est, eis interfuisse ipsum asinorum dominum, qui si forte una cum laetante turba Jerosolymas ingressus est, ipse animalia, postquam iis usus fuerat Christus, potuit Bethphagen reducere. Discipuli, quo commodius Dominus veheretur, utrique iumento vestes immiserunt, utro magister uti vellet nescientes, ipsique eius rei optionem relinquentes. Christus pullum selegit, nondum humanis usibus mancipatum, sive iniugium. Jumenta iniugia ad usus sacros adhiberi solebant. Cf. I Reg. 6, 7. Homeri, Iliad. Z., 93. 94. Virgilii, Aen. VI, 38. Georg. IV, 540. Ovidii Metam. III. 10. Historias quas tractamus, referentes s. Matthaeus et s. Joannes locum quemdam V. T. citant, non adscripto nomine, cuius sit. Nec dubium tamen est, quin Zachariae vaticinium l. s. c. intellexerint, cum utriusque allegato unice conveniens. Judaeos Zach. 9, 9. oraculum adimpletum non agnoscentes reprehenderunt s. Justinus M., Apol. I, 35. p. 90., s. Athanasius, in illud Matth. 21, 2. profecti in pagum. n. 6. II, 77. s. et s. Joannes Chrysostomus, hom. in Matth. LXVI, 1. p. 654. Dicite filiae Sion, in dativo τῇ θυγατρὶ Σιών, i. e. incolis Jerusalem, ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam, et pullum filii subiugalis. Matth. 21, 5. Utrum Christus alternatim asinae et pullo insederit controvertitur. Nec affirmantibus: e. g. Origeni, in Ev. Matth. comm. tom. XVI, 17. ed. Lomm. IV, 52. s. Augustino, in Joann. tr. LI, 5. p. 636. s. Hieronymo, in h. l. p. 160., suae desunt rationes cumprimis mysticae. Cf. Theophylactum, ad h. l. p. 120. Idem placuit quoque Fritzschio, ad h. l. p. 631. Nos cum longe plurimis interpretibus putamus Matth. 21, 7. ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν, congruenter explicari posse enallagen numeri, qua pluribus indefinite tribuitur, quod uni eorum convenit. Est enim frequens in S. S. et apud ipsum s. Matth. 26, 8. 27, 44. eiusmodi loquendi modus. Quamobrem et Ecclesia canit in or. O. s. D. qui D. N. J. C. super pullum asinae sedere fecisti. [3]) Ita volebant ex Orientis praesertim consuetudine Christo singulare honoris et venerationis testimonium edere.

vero alii[1] caedebant ramos a palmis, quibus Jesum salutarent[2]. Hoc facto efficiebatur, ut fama advenientis Domini Jerosolymas pertingeret. Erant in urbe, qui opperiebantur Christum atque hi praecisis ramis palmarum[3] in occursum Christi egressi, ubi eum viderant stipatum magna turba, gratulantes sponte in has laetissimas eruperunt acclamationes Hosanna[4] benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel![5] Eas acclamationes continuo repetiit ac similibus amplificavit turba, quae antea iam Salvatorem comitabatur, donec et haec et illa in unum agmen congregata magnis vocibus plauderet, ita ut iubila in altissimos usque penetrarent coelos[6]. Quae iubila cum increbescerent, summopere

---

[1]) Nimirum continuisse videtur haec multitudo partim eos, qui pridie iam Bethaniam venerant, partim Bethphagae incolas, partim s. urbem adeuntes peregrinatores. [2]) Palmam ex qua Judaei ramos acceperunt, quasi egregium triumphi Christi monimentum, intactam ad multa perdurasse saecula tradit s. Cyrillus hier., cat. X, 19. p. 146. „Testatur — s. Crucis lignum — palma in valle sita, quae ramos pueris Christum olim encomio celebrantibus ministravit." In memoriam triumphalis Christi ingressus Benedictionem Palmarum ac processionem instituit Ecclesia catholica, ritu vetustissimo, quippe cuius exstat memoria in antiquissimo Ecclesiae Romanae Kalendario, quod circa saec. V. initium conscriptum Edm. Martene, O. S. B. in Thes. n. Anecdotor. Lut. Par. 1717. V, 72. publici iuris fecit. Cf. e. Benedicti XIV., de festis D. N. J. C. I, 4. p. 28. s. [3]) Quae circa montem Oliveti magno inveniebantur numero. [4]) Textu originali הוֹשִׁיעָה־נָּא. Coll. Ps. 118, 25. salutem, quaeso, affer, ei scilicet, quem spectat haec vox. [5]) Sedes fausti devotique huius voti, si in L. L. V. T. inquiratur, extra controversiam constituitur l. Ps. 118, 25. 26., de desiderato Messiae adventu manifeste tractans. Testis est s. Hieronymus, ad Dam. ep. XX, 3. p. 66. scribens „in synagogis Judaeorum creberrime legebatur, unde et populis notior erat, hos versus esse assumtos, quod ille qui repromittebatur de genere David, venerit salvaturus Israel. Cfr. interim de etymo vocis ὡσαννά, de qua multum disputatum est, A. Pfeifferi, Quinquagenam Locorum ebraicorum et exoticorum N. T. e suis fontibus deriv. in dub. vex. Dresd. 1713. p. 904. D. Winzern, diss. de acclam. vot. Hos. in Thes. th. ph. p. 164. C. M. Pfaff, de Hosianna. Tüb. 1749. Th. C. Regneri Huydecoper, diss. de solenni J. C. in urbem Hierosolymorum introitu. Trai. ad Rh. 1829. p. 90. s. [6]) Videntur longe plerique credidisse, Doctorem illum praestantissimum, qui tanta peregerat miracula, et quem Messiam habebant, tandem sibi definitum regnum occupaturum esse, neque diutius civium voto resistere velle. Messiam enim exspectabant strenuum belliducem et regem, victorem, qui ipsis libertatem amissam recuperaret, et rempublicam instauraret. Cf. L. Bertholdi, Christologia Judaeorum p. 160. s. Ex hucdum enarratis quidem facile intelligitur, tantum abesse, ut Christus illis auctor fuerit, talis spei primum suscipiendae, ut eam ipsam ex inveterato praeiudicio dudum haustam, quantum in se esset

displicebant Pharisaeis [1], qui exierant. Jesum ergo accesserunt monueruntque, ut hominum voces seditiosas reprimeret. Ipse vero malignum monitorum consilium penitus perspiciens acerrime eos reprehendit, qui ne verum viderent oculos clauderent. Nihilominus inter faustas illas acclamationes in montis Oliveti descensu, cum totam fere metropolim videret [2], flevit super ea [3]. Quo propius ad urbem accederet, eo maior incolarum numerus ei obviam ibat; nec cum torrentem Cedron transgressus portam intrasset, quidquam laetitiam iubilantium cohibere poterat. Tandem comitante innumera caterva Jesus urbem ingressus recta Templum ivit. Tunc laetis mons sacer resonuit clamoribus. Pueri voces iterarunt Christo honorificas, quas ex parentibus audierant. Querentibus iterum sacerdotibus et scribis, quod nimium populi infantiumque applausum non cohibuisset [4], Dominus noster sapientissime [5] respondit: a parvulis quoque Deum esse laudandum [6]. Pueris adhuc hosanna accinentibus intravit s. aedem [7], nummulariorum et eorum, qui victimas vendebant, mensas evertit; nec patiebatur quemquam illic emere aut vendere, sive vas ullum per Templum ferre [8]. Erant tunc temporis Jerosolymis Graeci [9] quidam, qui Philippum

---

docendo monendoque correxerit; at totam eam destruere non potuit. Cf. C. Fr. Boehme, de spe messiana. p. 65. s.

1) Hi ex longinquo conspiciunt Jesum ingenti hominum multitudine obvia, Christum Israelitarum regem consalutante, urbi appropinquantem et vehementer consternuntur. Videtisne? inquiunt, vos nihil proficere! ecce eum sequitur orbis. 2) Eximiis palatiis ac celeberrimo imprimis Templo magnificentissimum offerentem spectaculum. V. not. t. s. geogr. p. LXXXIV. 3) Cladem, quae ipsi imminebat prospiciens, querulas ex imo pectore emisit voces. Magni profecto animi documentum nobis praebent illae lacrimae, Jesu minime indignae; quales olim videbantur temerariis illis correctoribus, qui teste s. Epiphanio, in ancoratu n. 31. II, 36. timore quodam inducti sustulerunt dictum „ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ.“ Non est quod plura de Christi lacrimis addamus, qui haec cognoscere velit adeat: M. J. C. Artst, diss. de lacrymis Christi, in Thes. th. ph. p. 330. s. 4) Audisne quid hi dicant, inquiunt? Quae verba contemtum prae se ferunt. 5) Ex divinorum Scriptorum testimonio Ps. 8, 2. 6) Matth. 21, 1. s. Joann. 12, 12. s. Marc. 11. 1. s Luc. 19, 29. s. 7) Sicuti et olim fecerat. V. p. 42. 8) Haec eiectio secundum s. Matthaeum 21, 12. coll. 15. et s. Lucam 19, 45. prima die ingressus Jerosolymam contigit. Itaque s. Marcus, qui 11, 11. distinguit dies, et ad alteram hebdomadae referre videtur, usus est recapitulatione eius, quod pridie acciderat. „Intelligitur, ait s. Augustinus, de cons. Ev. II, 68, p. 85., Marcum quidem secunda die commemorasse, quod primo die factum praetermiserat.“ 9) Judaicam circumcisionem

rogarunt, ut Christi in conspectu adstare sibi liceret. Ille re prius cum Andrea communicata, eorum preces Christo retulit. Quibus alta voce respondet, iucundam sibi esse illam Graecorum postulationem [1]; venisse iam horam, qua Filii hominis gloria longe lateque corruscaret [2]. Templum deinde urbemque reliquit et Bethaniam secessit [3]; neque enim ultra voces honor paullo ante Christo redditus processit, nullus enim hospitio, nullus eum tecto mensaque dignatus est [4].

§. 20. Ficus maledicta, variae quaestiones, Jerosolymarum eversio, signa praecessura adventum Christi.

Mane autem altera die Jesus Feria secunda iterum rediens in urbem esuriit. Depellendae fami, cum e longinquo vidisset ficum habentem folia, venit visurus, num inveniret aliquid in ea; quia autem non erat tempus ficuum, nil invenit, quo circa maledixit ficulneae non habenti fructum, quae statim arefacta est [5]. Ingressus in Templum docuit. Cum vero audiissent sacerdotes et scribae varios Jesu sermones, quibus eorum contumaciam et

---

quidem non susceperant, sed veri tamen Dei timentes fuerant. V. R. D. V. T. p. 587.

1) Qui veluti primitiae gentium profitebantur Salvatoris apparitionem sibi fore acceptissimam. 2) Instare tempus glorificandi Filii hominis, ex disseminato ubique terrarum Evangelio, quod promto animo ethnici suscepere; hanc vero glorificationem nonnisi passione sua et morte praevia fieri posse, tritici ad modum, cuius semen mortuum multos fructus affert. 3) Joann. 12, 20—50. 4) Bethaniae de more a Lazaro atque piis sororibus religiose excipiebatur. Matth. 21, 17. Veluti vir privatus ad amicos rediit Jesus, qui mane multis comitantibus hominum centuriis, solenniter urbem intraverat, nec eorum quidquam fecerat, quae novarum rerum cupidi speraverant Judaei. 5) Hinc non una movetur quaestio? a. Cur Jesus accesserit ad ficum quaerendo cibo, cum non ignoraret, nondum adesse ficuum tempestatem; atque b. quare insonti ac naturae legibus obsequenti arbori maledixerit? Prima quaestio solvi potest observatione Plinii, Hist. natur. XV, 18. ed Franc. p. 675. „novissima sub hieme maturatur chelidonia"; quae ficus species proinde potuisset in arbore reperiri. Secundae commode sic respondetur. Dominus suo facto exprimebat mysterium reprobationis gentis electae, eo quod veniens in mundum fructus bonorum operum ac fidei in ipsa non reperisset. Ita quoad rei summam s. Augustinus, in Ps. 31. enn. II, 9. p. 176. Deyling, obs. s. III, 29. p. 215. s. Cf. J. C. Goesgenii, diss. de ficu maledicta, in Thes. nov. p. 417. s.

impietatem castigabat, adscitis in factionis societatem principibus plebis, quavis arte tam fatalem sibi virum perdere decreverunt[1]. Vespere Christus iterum cum discipulis suis rediit Bethaniam. Summo mane sequentis diei[2] Jesus denuo una cum Apostolis Bethania Jerosolymas intravit. In via, per quam pridie transierant, arefactam ficum cernebant discipuli, quod cum mirarentur, Christus dixit, quanta vis esset fidei et orationis, omnia eos praestituros, si modo Deo confiderent[3]. Pergunt in Templum[4], quo loco sacerdotes, scribae, populique seniores ad Christum accedunt interrogaruntque, qua potestate tot mira patraret?[5] Interrogationem interrogatione eludens percunctatur, quid ipsi sentirent de Joannis baptismo. Responderunt se nescire, utrum se Baptistam gesserit humano, an divino mandato. Tunc eos de Synagogae interitu, Ecclesiaque ex gentibus colligenda, parabolis erudiit:[6] ut ex iis intelligerent, quod peccassent, et quid sui officii foret. Pharisaei vero et alii, qui audiverant hasce parabolas nihilo meliores effecti, Christum insidiosis quaestionibus irretitum, maiestatis reum peragere conati sunt. Explorant callide una cum Herodianis[7], an tributum Caesari pendendum Christus existimaret? Annuenti in promtu erat populi indignatio, renuenti Romanorum ira! Jesus cognita adversariorum mente cupiit sibi ostendi census numisma, ex eo

---

[1]) Ceterum consiliis, suffragium populi metus iniecit, qui Jesum reverebatur miraculorum magnitudine perculsus. [2]) Feria tertia. [3]) Matth. 21, 18. s. Marc. 11, 12. s. Luc. 19, 47. [4]) Ubi iam per aliquot dies docere solebat. [5]) Instituere populum in aede Deo sacra; inde vendentes et ementes eiicere, et nec sinere quemquam vel vas per ipsam deferre, quae omnia ad sacerdotes pertinerent. [6]) Proposuit primo illam de duobus filiis ad vineam colendam missis. Qua enarrata ab audientibus sciscitatus est, uter patri morem gesserit? qui se palmiti operaturum promittens, eo neglecto recesserat? an qui laborem fastidiens, post poenitentia ductus labori se accinxit? Aliam quoque parabolam addidit: de vinea agricolis elocata, qui ira perciti, servos fructui colligendo a Domino designatos, fuste exceptos interemerant, vineae etiam haerede postmodum mactato. Tertiam quoque parabolam adiecit: de rege, qui nuptiale convivium filio suo apparaverat, sed invitatis epulas aspernantibus, copias suas eorum urbibus admoverat, facibus in eas ad incendium iniectis. Per haec intulit ipsis praeferendam esse peccatorum obedientiam; significabat, quid illi erga ipsum essent brevi facturi; praemonstravit tandem vocationem gentium ad fidem. Matth. 21, 23. s. 22, 1. s. Marc. 11, 27. s. 12, 1. s. Luc. 20, 1. s. Quas Parabolas pluribus expositas legere licebit apud scriptores Commentariorum in Evangelia, ad quos legendos L. B. remittimus, ne longiores aequo simus. [7]) D. q. V. H. V. T. p. 595.

ad propositam quaestionem responsurus. Postquam oblatum sibi denarium [1] conspexisset, ex ipsorum verbis illos convicturus quaerit: cuiusnam esset haec imago et inscriptio, et respondentibus Caesaris; sua Caesari, sua Deo reddenda pronuntiavit! Quo responso turbati abierunt [2]. Secedentibus a Jesu Pharisaeis, eo ipso die Christum interrogatum veniunt Sadducaei obiectione contra resurrectionem facta [3]. Delirantes Jesus retudit convulso erroris fundamento [4]. Sadducaeis vir Legis consultus successit, quaesivitque, quodnam maximum diceret Christus in Lege praeceptum. Jesus praeceptum amoris Dei et proximi primas tenere partes respondit; in hoc mandato omnium, quae in V. T. habentur, legum cardinem verti. Quamobrem est ab auditoribus laudatus. Sed cum videret multos Pharisaeos sibi adstare [5], ab adversariis suis interrogavit de Christo, cuius filius esset? [6] quam ad quaestionem ne hiscere quidem poterant. Gravi eapropter addita censura [7], Pharisaeorum mores et doctrinae capita perstrinxit, eosque cum sepulchris dealbatis comparavit [8]. Nec amplius Pharisaei aut Sadducaei quidquam ab eo quaerere ausi sunt. Eodem tempore cum sedens Jesus in Templo [9] observaret eos, qui posuerunt aes in gazophylacium hos inter vidit et viduam pauperem, cuius praetulit duo minuta [10] magnis

---

[1]) Nummum argenteum, cuius pretium circiter illud drachmae i. e. quinque grossorum erat. Neque is tamen modus tributi, quasi unicum tantum denarium unusquisque solveret; sed monetae genus, in qua tributum exigi solebat indicat; pecuniam romanam auctoritate Caesaris cusam eiusque imagine signatam, quae quidem Augusti aeque ac Tiberii esse potuit. Cf. J. N. Schulini, diss. de numism. cens. in Thes. ph. th. p. 167. s. J. L. Mosheim, obs. in hist. de nummo census. Helmst. 1725. [2]) Matth. 22, 15. Marc. 12, 12. Luc. 20, 20. s. [3]) Quaestione de septem virorum uxore proposita, cuius ex absurditate mysterium resurrectionis egregie sibi refutare videbantur. [4]) Cum post resurrectionem nil nuptiarum contraheretur, sed homines omnes fiant Angelorum similes. Neque obiectionem solvit modo, sed et auctoritate Moysis cuius testimonio abutebantur, impietatem evellit errantibus, ita ut quidam eorum dicerent, Magister bene locutus es. Matth. 22, 23. Marc. 12, 18. Luc. 20, 27. s. [5]) Facile Christi responsum ab iis improbatum fuit, quia sabbati legem, aut circumcisionem vel sacrificia ceteris praeferebant. [6]) Qua quaestione innuebat duas in se esse naturas. [7]) Cum eorum correctio desperata esset. [8]) Matth. 22, 41. s. 23, 1. s. Marc. 12, 43. Luc. 20, 41. Cf. M. J. C. Rosteuscheri, diss. de sep. calce notatis, in Thes. th. ph. p. 170. s. [9]) V. H. V. T. p. 498. [10]) Λεπτὰ δύο, non duo accurate minuta, sed aliquot duntaxat, semper tamen minimum pecuniae. Est tamen

divitum muneribus. Sub vesperas docendi labore defunctus, postremum egreditur de Templo [1]; cuius cum magnificentiam structurae discipuli magistro demonstrarent, ab eo sacrae aedis molem penitus destruendam, soloque aequandam esse didicerunt. Sedenti autem in reditu Bethaniam [2], in Olearum monte [3], ut a labore diurno nonnihil quiesceret, accedunt privatim Petrus, Jacobus, Joannes et Andreas, ut tamquam familiaribus facilius arcana de futuro et Templi et Urbis excidio communicaret, deque signis quae cum haec, tum adventum dominicum et consummationem saeculi praenuntia antecederent [4]. Interrogantibus Christus de reipublicae iudaicae eversione primum [5], deinde de aevo iudicium extremum antecessuro [6], postmodum vero de fine mundi respondet [7]. Praemonuit autem eos Dominus ne iusto citius urbis finem exspectarent, addiditque signa excidii Jerosolymarum [8]. Vivis quidem adhuc apostolis hanc stragem editum iri. Distinctius etiam obsessionem s. urbis veluti consummationem mundi habendam esse

---

verisimillimum, valorem Lepti parem esse dimidio quadranti; circiter una centesima franco-gallica. Plura de hoc lege apud Schimko, de nummis biblicis II, 16. s.

1) Marc. 12, 41. 13, 1. Luc. 21, 1. Matth. 24, 1. 2) Ubi noctu morari consueverat. Coll. Luc. 21, 37. 22, 39. 3) Cf. P. Zornii, diss. de crebra Christi commoratione in monte Oliveti eiusque causis et mysteriis, in opusc. s. p. 300. s. 4) Quae omnia maximi quippe momenti attente legenda sunt apud S. E. Matth. 24, 1—36. Luc. 21, 5—36. Marc. 13, 1—32. Mundum aliquando deletum iudiciumque habitum iri, Apostoli innumeris Prophetarum locis erant edocti. Cum vero iidem regnum a Messia instituendum esse annuntiassent, Judaei adventum Messiae et consummationem saeculorum uno eodemque tempore exspectavere. Cf. Matth. 16, 22. 20, 21. Cf. Bertholdt, Christolog. Jud. p. 187. 212. s. Mortem suam cum pluries praedixisset Jesus, sed et rediturum se, discipuli consummationem mundi non illico sed reditus demum Christi tempore fieri existimarunt: qua de causa Christum interrogando Matth. 24, 3. has duas quaestiones, de consummatione saeculi et signo adventus dominici coniunxerunt. 5) Matth. 24, 4—22. 6) Matth. 24, 23—26. 7) Matth. 24, 27—36. 8) Ad quae pertinent impostorum multitudo, bella, pestis et fames; tum persecutum iri ait fideles, atque adeo haud parvum numerum eorum descituros, seductoresque irrepturos, fieri tamen non posse, quin religio christiana per totum orbem terrarum propagetur. Vastandae Judaeorum civitatis signa haec erant, sed paulo remotiora et initium dolorum. Marc. 13, 8. Venit ad propiora Salvator, nempe ad abominationem illam desolationis in Loco sancto. Matth. 24, 15. coll. Dan. 9, 27. V. H. R. V. T. p. 490. atque Prolegom. N. T. Scelestissimam prophanationem totius Templi conspicientes, quam celerrime in montes aufugerent, Matth. 24, 16—18. tantam enim tum maxime calamitatem imminere, quanta adhuc fuisset nulla. Matth. 24, 19—21.

negat[1]. Continuabitur mundi et Ecclesiae militantis status, qualis inde a Christi aetate coepit. Indicia reditum suum immediate antecedentia erunt: venturos antichristos, et pseudoprophetas falsa miracula iactantes. Confestim tunc[2] homines id minime cogitantes Dei Filius e coelo descendens occupabit[3]. Infelicissimum illud tempus signa in sole, luna et stellis consequentur; signum Filii hominis medio coelo effulgens, post quod ipse tandem Filius hominis nube vectus atque angelis stipatus veniet. Quaestiones ab Apostolis propositae penitus erant solutae, certiores reddebantur mundum non ante finitam Evangelii ubique locorum annuntiationem consummatum iri; his finitis transit Salvator ad adhortationem sumta a ficu similitudine[4]. Quae dixi vobis addit, sive de iudicio Judaeorum, sive de postremo omnium gentium non fallent. Denique vaticiniis suis insistens Jesus subiecit, diem et horam, qua Filius hominis[5] venturus est, omnes praeter Patrem, exclusis etiam angelis ipsoque Christo ignorare[6]. Confecto de excidio Jerosoly-

---

1) Ut maior vaticinio addatur perspicuitas, expresse dicitur finem saeculi Jerosolymis eversis non interpellatum iri. Matth. 24, 23—26. Profecto inde a v. 23. Dominus ad alterius quaestionis 24, 3. priorem partem, i. e. ad verba „τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας“ revertitur. Tunc, τότε ait v. 23., post urbis excidium, iam enim v. 22. facta erat mentio finitae obsessionis, non statim finis mundi est exspectandus. 2) Matth. 24, 29. εὐθέως, repente. 3) Cf. G. Wernsdorfii, disp. de adventu C. ult. Witt. 1714. p. 63. 4) Quomodo in ficu rami virescentes, nascensque coma appropinquantis aestatis signa sunt; ita cum haec omnia praedicta adimplebuntur, intelligerent, quia prope est regnum Dei. Luc. 21, 31. Regno viribusque Antichristi invalescentibus scirent, iudicium paulatim appropinquare. Vigilandum igitur cumprimis, quia aevum Ecclesiae militantis continuabitur, regnum Dei continuum invictumque capiet ex ethnicorum conversione incrementum, donec Evangelium ad Judaeorum gentem reversum efficiet unum gregem sub uno pastore. Non tamen defuturi sunt, qui falso sese Christos appellent, ipsum vero iudicium subito irruet. Interim gens fidelium γενεὰ τῶν πιστῶν, Ecclesia Christi a nullo impostorum discissa permanebit. Ita interpretatur s. Chrysostomus, in P. Possini, S. J., Catena P. P. Graec. XXI. in Matth. Tolosae 1646. „Nomine generationis huius seriem successionemque fidelium intelligit, a tempore praedicationis ac manifestationis ad consummationem mundi pertinentem. De hac enim verum est quod dicitur, non transituram ipsam, donec omnia ista, quae denuntiata sunt, fiant.“ p. 324. Idem hom. LXXVII. in Matth. p. 741. 5) D. q. v. disquis. de nomin. Chr. 6) Quo sensu dixerit Christus, in quo ut s. Paulus ait ad Coloss. 2, 3. „sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi“, ignorare se diem iudicii, omni aevo exercuit interpretes. S. Gregorius M., epist. l. X. ind. 3. ad Eulogium Patr. Al. ep. 39. II, 1070. sic explicat „Unde et Pater solus

mitano et fine mundi sermone, Jesus multa intulit: quomodo ad tremendum extremi iudicii diem nos praeparari conveniat; idque tum exemplis apte propositis, tum etiam duabus parabolis de decem virginibus, et de homine peregre proficiscente apposite ad persuadendum recitatis, praestitit [1].

Digressio de signis adventus Domini ad iudicium. Qui hoc Christi vaticinium ad tempus excidii Judaeorum referunt, coguntur statuere: Jesum locutionibus quibusdam hyperbolicis mala insueta significasse Judaeorum ruinam consecuta. Volunt Christum docuisse: post deletas Hierosolymas infinita malorum series Judaeos undique apprehendet, adeo ut astra coeli lucem illis negare videantur; illataque vindicta Redemtor ita conspicuus fiet, ut vel ab invitis agnoscatur. Nos tamen inhaeremus sententiae s. s. P. P. et S. E., qui commata S. Matthaei 24, 27—36. ad supremum iudicii diem referunt et quidem sensu proprio. Inter signa adventus Christi ut iudicis concomitantia erunt siderum commutationes, et „σημεῖον — κ. ε. — τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ." Quod per particulas καὶ τότε restringitur ad tempus, cum sol et luna et astra casura sunt de coelo atque obscurata fuerint. Nec obstante eo quod tunc sol, luna et stellae obscurabantur, apparebit, φανήσεται, ut conspiciatur hoc signum. Et expresse s. Chrysostomus, in Matth. hom. LXXVI, 3. p. 736. sole splendidius dicit visum iri. Apparebit autem in coelo i. e. in aere, qui in S. S. aliquando vocatur coelum. Sed operae pretium erit, ut aliquanto penitius scrutemur, quodnam illud signum futurum sit? Signum sanctae Crucis appariturum docent Veteres. Ita s. Hippolytus, or. de consumm. mundi n. 36. ed. Fabr. I, 22. Lagarde, p. 115. „Orietur ab oriente ad occidentem usque signum crucis superantis splendorem coeli." Scriptor Evang. apocr. Nicodemi c. 24. ed. Tischendorf. II, 8. p. 308. s. Cyrillus hieros., Cat. XV, 22. p. 235. s. Joann. Chrysostomus, in Catena Matth. P. P. Gr. XXX. collectore Niceta ep. Serr. interprete B. Corderio S. J. Tolosae 1647. p. 719. s. Hilarius, comm. in Matth. c. 26, 1. p. 185. s. Hieronymus, comm. in Matth. p. 198. Auctor serm. de Cruce et Latrone, in append. Serm. S. Augustini, n. 150. p. 277. — non ergo s. Augustinus ut per errorem citat Schegg, Ev. n. Matth. III, 272. — et ibid. serm. 31. de serpente aeneo p. 65., quem inter Augustinianos reliquerunt Lovanienses, spuriis accensuerunt Benedictini. Theophylactus, in Matth. 24, 30. p. 146. Euthymius, in Matth. 24, 30. I. 2, 929. V. Beda, in Matth. ev. p. 71.

---

dicitur scire, quia consubstantialis ei Filius, ex eius natura, qua est super Angelos habet ut hoc sciat, quod Angeli ignorant. Unde et hoc intelligi subtilius potest: quia incarnatus Unigenitus factusque pro nobis homo perfectus, in natura humanitatis quidem novit diem et horam iudicii, sed tamen hunc non ex natura ipsa humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit; quia Deus homo factus diem et horam iudicii per deitatis suae potentiam novit." Ita simul Christus curiositatem Apostolorum coercens affirmat, haec arcana sunt, quae uni Deo cognita servantur.

[1]) Quae omnia distincte tradunt: Matth. 25, 1. s. Marc. 13, 33. s. Luc. 21, 34. s.

S. Anselmus, elucidarii III, 12. ed. Gerberon. Par. 1721. p. 482. et alii. Huic sententiae favet etiam Ecclesia, quae sic canit in Off. Inv. s. Crucis: „Hoc signum crucis erit in coelo, cum Dominus ad iudicandum venerit.“ Signum Filii hominis esse crucem, inde ostendi potest, quia Christus per hoc signum triumphavit de satana, atque adeo de omnibus inimicis suis. Coll. Ephes. 2, 16., ad q. v. Origenis, in Exod. hom. VI, 8. ed. Lomm. IX, 66. Lactantii, instit. div. IV, 27. p. 220. s. Athanasii, de incarn. Verbi D. n. 24. s. ed. Ben. I, 67. s. J. Phil. Pfeifferi, diss. de signo filii hom. Regiom. 1682. in Thes. th. ph. p. 181. R. Hoffmann, das Zeichen des Menschensohnes. Leipz. 1850. p. 52. s. Cur crux sit in iudicio conspicienda duae praecipue redduntur causae, una ut illi qui Christum, iudicem crucifixerunt — in Patribus — agnoscant dementiae suae coecitatem, ut habet s. Jo. Chrysostomus, hom. s. c. Altera ut significetur, gloriam tum Jesu, tum suorum dependere a cruce. Coll. Luc. 24, 26. Igitur quo signo contemnebatur, eodem maiestatis suae iura aliquando exhibebit Dominus. Sed idem praeterea adstrui posse videtur ex eo, quia cum eadem crux significatione iudicii, instar prodromi, testibus Historiarum Ecclesiae scriptoribus saepius iam in coelo iam alibi apparuit. Exempla lege apud Pfeifferum l. c. In interpretatione sermonis Christi eschatologici, praeter iam laudatos, consuli possunt: S. A. Flachs, de casu stellarum in fine mundi, in Thes. n. p. 283. s. A. L. Koenigsmann, de iudicio regis Christi, ib. p. 288. Th. Ch. Tychsen, de παρουσίᾳ C. Gott. 1785. J. F. Flatt, symb. ad illustr. N. T. l. quae de παρουσίᾳ C. agunt. I—IV. Tub. 1800—1812., rep. in Opusc. acad. Tub. 1826. p. 289. s. J. H. Kistemacker, Weissag. J. vom Gericht über Judaea u. d. Welt. Münst. 1816. H. A. Schott, q. s. J. adventum suum nuntiaverit. Jen. 1815. Ei. Comm. in eos J. C. serm. qui de reditu eius ad iudicium futuro agunt. ib. 1820. in opusc. Jen. 1818. II, 205. s. Lambert, die Weiss. d. K. J. C. auf die letzten Zeiten der Heiden geg. Nürnb. 1818. Rintsch, disq. vat. Matth. XXIV. Neap. ad. Oril. 1827. Mau, de norma iudicii Matth. 25. Kil. 1841. J. H. Ebrard, adv. erron. op. q. l. existimasse perh. fore ut iud. un. ips. aet. superven. Erl. 1842. J. A. Dorner, tract. theol. de Or. C. esch. Stuttg. 1844. C. Passaglia de Ecclesia Christi comment. l. V. Ratisb. 1853. I, 134. s. J. Orsbach w. Abh. zum Verständn. d. Weiss. d. H. v. d. letzten Zeiten. Aachen. 1856.

CAPUT ALTERUM

HISTORIAS PASSIONIS, RESURRECTIONIS ATQUE ASCENSIONIS D. N. J. C. ENARRAT.

§. 21. De praecellentia Passionis Christi.

Quamvis singula Christi dicta et facta, quae in diebus carnis suae protulit et peregit, ab omnibus vere piis magni aestimanda sint; tamen quae sub vitae finem in ultima illa vespera et die, paucis ante mortem suam horis, locutus est et egit, prae reliquis peculiarem observationem merentur. ‚Nihil in mundo poterat melius fieri, inquit s. Bernardus [1], quam quod factum est a Domino his diebus.' Persuasissimum autem habemus hanc Bernardi sententiam divinae maxime consonam veritati; quod patet ex triplici argumentorum genere. I. Ex comparatione sive collatione. Ut namque amici a se discessuri solent vel maxime cor suum per suavissima colloquia effundere [2], ita quoque Christus in ultimo illo certamine ἀγωνίῳ, omnem amoris sui erga Apostolos et quosvis credentes vim demonstrare voluit. Proinde ut eorum qui morti iam sunt vicini, sermones et res diligenter annotamus, ac memori mente retinemus, cum videantur ex hoc mundo iamdum egressi: ita multo magis Christi dicta et facta, quae morti vicinus protulit ac peregit, summo studio observare et expendere convenit. Hoc ipsum sequitur II. ex Evangelistarum narrandi ratione. Evangelistae ea, quae primis tribus ministerii annis, et primis quarti anni mensibus, locutus est et egit; eo modo descripserunt, ut praecipuas dumtaxat historias, conciones et miracula annotarent. Sed post Lazari resuscitationem [3], cumprimis vero post coenam Bethaniensem [4], summa diligentia consignarunt, quid sin-

[1]) Serm. fer. IV. hebdomad. s. II. I, 279. [2]) Coll. I Reg. 20, 41. s. H. V. T. p. 239. s. [3]) Quae Christi passionem mense uno fere antegressa est. V. p. 80. [4]) In qua Maria Magdalena Christum ad sepulturam unxerat. V. p. 82.

gulis ferme diebus acciderit, ac postmodum in describenda passione iuxta ipsas horas, seriem historiarum ordinarunt. Quo ipso diligentiorem eorum observationem ac meditationem nobis commendare voluisse, haud immerito censentur. Idem patet III. ex ipsa gestorum consideratione. Quaecumque Christus paulo ante passionem et mortem egit, plena sunt mysteriis. Ita a. resuscitavit Lazarum. Hoc facto futuram suam resuscitationem confirmavit. Num enim alios virtute propria ex morte resuscitaret, Ipse vero perpetuo in morte maneret? Admisit b. sumtuosam unctionem in convivio Bethaniensi, quia per eam praefigurari voluit futuram suam mortem et sepulturam. c. Solenni pompa ingressus est urbem Hierosolymarum, ut indicaret suum regnum. d. Maledixit ficui, per hoc docuit futurum iudicium. e. Manducat cum discipulis agnum paschalem, quo ipse in se impleri demonstravit totius illius typi veritatem. f. Animae passio in horto, oratio assidua, sudor sanguineus, corroboratio angelica; Judae perfidia, Christi captivatio, discipulorum fuga, abductio et deductio ad Annam et Caipham cum maxima Christo illata contumelia; item g. negatio Petri, tragicus Judae exitus; h. Pilati missio Christi ad Herodem et illusio, flagellatio, iniuriae in praetorio, praepostera iudicii ratio, eductio ad montem Golgotha, portatio atque elevatio crucis; i. Titulus crucis, Crucifixi verba et opera, miracula passionalia; k. Ecclesiae primitiae, confossum Christi latus; l. Jesu corpus ἄψυχόν fidei amabile obiectum, providentia denique Dei in sepulchro conspicua. Ex quibus vel obiter pensitatis constat, cuius amplitudinis, consolationis, et utilitatis sint historiae ‚Dei immortalis in corpore mortali patientis.' Quippe quae totius sacrae Scripturae cor sunto et anima; imo quomodo hae prae ceteris aliis s. Codicis historiis efficacissime faciant ad suscipiendam crucem [1], qua itur ad lucem. Haec causa est, quare S. Petrus [2] dicat, quod Christus patiens ὑπογραμμόν nobis reliquerit, ut ipsius vestigiis insistamus; et ipse Christus [3] discite, inquit, a me, quia mitis sum et humilis corde. Hinc Apostolus inter Corinthios [4], nihil nisi Jesum Christum et hunc crucifixum scire, et annuntiare sibi proposuerat. Denique Passio D. N. J. C. cum sit mysteriorum omnium, quae sunt, fuerunt et erunt, dignitate primum, omni ex parte immensum; ita A et Ω Verbi Prophetici existit [5]. Passio Christi ab aeterno fuit decreta, multis figuris in V. T. adumbrata, Prophetarum oraculis praenuntiata [6]; est causa universalis redemtionis et salutis nostrae. Passio caritatem Dei maxime

[1]) Viam u. v. regiam. [2]) I. 2, 21. [3]) Matth. 11, 29. [4]) I. 2, 1. 2. [5]) V. H. R. V. T. p. 462. s. [6]) L. s. Joann. Chrysostomi, comm. hom. enarr. in Passionem Domini, editore A. van Heck. Bruxellis. 1852. II, 5. s. 19. s.

ostendit [1], Dominus enim ,qui dives est in misericordia' [2] amoris sui in cruce patefecit thesaurum opulentissimum [3]. Haec erat sapientia et philosophia Sanctorum Patrum: s. Joannis Chrysostomi [4], qui Passionem ponit ,consolationis et exhortationis caput, quod est primum et ultimum.' S. Hieronymi, iuxta quem [5] Dominus omnem doctrinam suam passione roborarat; et ut alios ommittamus S. Augustini [6], qui ait ,internis luminibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis [7].' His et aliis ducibus nos quoque tandem manu quasi deductos nos reperimus ad ipsas Passionis Dominicae Historias enarrandas, quas animadversionibus quibusdam illustrare animus est, ad fidem, tam in cognitione viarum Dei, quam amore ac aestimio Christi sublimandam. Et plurima quidem sanctissimae huius Passionis narrationes, a divis Evangeliorum scriptoribus perdiligenter exaratae, habent dignissima [8]. Verum cum Passionis huius Historiis rite expendendis integrum volumen haud sufficeret, nobis intra angustos narrationum limites constitutis, praecipua modo contemplanda erant eiusdem momenta.

§. 22. Ultima Christi coena.

Biduo ante festum Paschae, nimirum feria quarta [9] Jesus suis Apostolis dixit, fore ut norunt Pascha perendie, ipsoque die azymorum se traditum iri Romanis, ut illum in crucem tollerent. Ac sane eodem tempore pontifices maximi, scribae et seniores populi in aedes Caiphae convenerunt deliberaturi, qua arte, quove dolo Jesum caperent interimerentque. Homines isti impii alia quidem omnia cogitabant, quam ut Christum in tam solenni festo afficerent poena capitali; rem enim esse periculo plenam omnino iudicant, quaeque ad exitum perduci non posset sine tumultu.

---

1) Rom. 5, 8. 2) Ephes. 2, 4. 3) I Joann. 4, 9. 10. 4) Enarr. s. c. ed. p. 165. s. 5) Ep. 121. ad Algasiam, q. 5. p. 861. 6) De s. Virginitate. c. 53. VI, 365. 7) Cf. S. Bernardus, cuius inprimis sermo XLIII, in Cant. III, 284. seq. „de fasciculo myrrhae collecto ex laboribus et doloribus Christi" huc spectat; praeterea sermo LXI. ubi n. 7. s. exponitur vulnerum Domini vis ad curanda animae vulnera. Ib. p. 403. 4. 8) Sive tempus et locum aliasque operis a Christo suscepti circumstantias, sive sanctissimos merumque amorem spirantes sermones debita attentione consideremus. 9) Quae olim ob hanc causam ieiunio deputabatur, sicut feria sexta ob passum Dominum; ut testatur s. Augustinus, ep. XXXVI. 13, 30. ad Casulanum. p. 80.

Hoc tamen eo ipso tempore non iuxta eorum propositum, sed Dei decreto pera gendum fuit[1]. Cum res in deliberatione versaretur, occasio senatui percommoda facta est Judae Iscariotae, ex Apostolo proditoris, nefario conatu, quo tandem morti traditus in ipso festo fuit. Homo enim hic impius magistratum iudaicum praeceps adiit, ut eis operam suam ad comprehendendum Jesum offerret. Avarum Judae Iscariotae animum adduxit spe lucri diabolus ad prodendum Synedris magistrum. Ubi facinoris mercedem peteret, triginta argenteos siclos[2] Judae numerarunt; queis acceptis se iis Jesum

[1]) Coll. Prov. 16, 9. [2]) Textus originalis habet: τριάκοντα ἀργύρια, quae vox proprie diminutiva ex ἄργυρος est. Dederunt igitur proditori nummos argenteos minutos, aequantes triginta drachmas atticas, h. e. circiter 10. fl. 50. xr. m. a. Cf. Cavedoni, bibl. Numismatik, ex it. v. Werlhof. Hann. 1855. p. 41. s. Sufficiebant triginta hi argentei, quos aerario templi inferre noluerunt summi Pontifices, ad agellum vilem emendum, cuius omne uber ita ad figlina opera exhaustum fuit, ut nullus inde fructus sperare potuerit. Matth. 26, 15. 27, 3. 5. 9. Hac occasione et hoc tempore impletum esse vaticinium quoddam Prophetae Jeremiae ait s. Matthaeus, 27, 9. Observandum in citatione huius loci Syrum et Persam interpretem non exprimere nomen prophetae; exprimi autem in Vulgata, Arabe, Evangelio Hebraeorum nomen Jeremiae sicut et in graecis codicibus. An sine mendo hic legi queat Jeremias pro Zacharia, apud quem invenitur locus quidam huic similis 11, 13., non levis est controversiae. Nonnulli — quos sequitur Schegg, Ev. n. Matth. III, 422. et 160. — existimant esse μνημονικὸν σφάλμα s. Matthaei, qui ex memoriae lapsu loco Zachariae scripserit Jeremiam. Quorum opinionem nullo prorsus modo probandam, iam olim iuste dixit Maldonatus, ad h. l. p. 630. Haec opinio enimvero contrariatur ipsi Scripturae coll. Joann. 16, 13. I. Pet. 1, 12. II. Pet. 1, 21., et salva s. Codicis fide, quae summa et firmissima esse debet, consistere nequit. Magna nimirum cum Hagiographorum iniuria coniuncta illa opinio est, eisque culpa, quae probari nequit, impingitur. Etenim ut s. Augustinus ep. 82. ad Hieronymum scribit n. 3. II, 190. „nullus eorum qui Canonici appellantur Libri auctor scribendo aliquid erravit"; atque n. 24. p. 109. „Scripturas Canonicas" ita se sequi dicit „ut conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse" non dubitet. Si aliquid ad solvendum nodum, in quo iam a temporibus Origenis, in Matth. Comm. ser. ed. Lomm. V, 29. laboratum est, statui debet: nobis in re intricata non sine pondere esse videtur C. Sanctii S. J. Theologi, sententia, quam Comm. in XII. Proph. min. Lugd. 1621. p. 1617. seq. proponit et multis demonstrare pergit. Ait, testimonium hoc coaluisse ex Jeremia atque Zacharia, solum tamen citari Jeremiam. Neque deesse causam, cur a s. Matthaeo Jeremias potius nominari debuerit. Rationem siquidem reddere voluit, non tam pretii quo Christus traditus est, quam agri eo pretio emti. De agro vero nihil dicit Zacharias, quare hoc loco nominandus non fuit; dixit vero Jeremias 32, 6. seq. Ceterum videantur dissertationes M. G. Schwarzen, de pretio, quo Serv. n. aestim., in Thes. th. ph. p. 211. s. Fr. Woerger, Hakeldama, ib. p. 222. s.

traditurum promisit. Nihil vero Pontifici, ac reliquae male dominantium turbae accidere gratius poterat, quam apostatae perfidia, qui nummi cupidine illectus, Dei Filium tot signis cognitum, hostibus tradere non vereretur. Nec hos latebat, Judam odio praeceptorem suum prosequi, qui profanos eius mores imposturasque non semel reprehensas aversabatur [1].

Noctem, quae feriam quartam clausit, Jesus in monte Olivarum orationi intentus transegit [2]. Cum vero illuxisset primus dies azymorum [3], quo ex Lege inter vesperas [4] immolare oportuit victimas paschales, misit Jesus Bethania Petrum et Joannem Jerosolymam ad parandum Pascha [5], singulari quadam ratione [6],

---

Deyling, Obs. s. I, 28. s. p. 110. s. Bynaei, de morte J. C. II, 459. s. H. Olshausen, b. C. ü. s. S. d. N. T. II, 2. ed. 4. p. 143.

1) Matth. 26, 1. s. Marc. 14, 1. s. Luc. 22, 1. s. Inter causas instrumentales Passionem Domini nostri J. C. promoventes maxime Caiphas et Judas fuere. De Caipha enim dicitur Joann. 11, 50., quod Judaeis consilium dederit „expedit ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat.“ Ab eo tempore synedrium Christum e medio tollere induxit. „Hem bellum consilium! decernitur Christi mors, ne Romani Hierosolymae dominentur, et ecce Romani Hierosolymae imperant et dominantur, quia Christum occidere decretum est. Usque adeo facillimum coelo est, malignorum consilia invertere.“ P. Segneri S. J., Quadraginta sermones per verni ieiunii tempus, ex it. v. Dirrhaimer. Diling. 1693. serm. XXXIII, 2. p. 420. Et de Juda diserte perhibetur Joann. 6, 71., quod iam olim diabolus fuerit non natura sed imitatione. Verum S. S. ipsam proditionem tanquam diaboli εὕρημα considerat. Joann. 13, 2. Neminem enim mortalium tam sceleratum esse constat, ut tantum facinus nisi auctore diabolo in animum inducere potuisset. Sed et tandem sicut serpentem intravit daemon, ut primum Adamum perderet, ita Judam intravit, ut occideret secundum i. e. Christum. Proditio inter omnia facinora turpissimum est, etiam apud feras et incultas gentes; atque tanto turpius, quo persona vel dignior, vel innocentior existit, vel necessitudo inter proditorem et proditum arctior. Cf. J. C. Mercken, Obs. cr. in S. S. Pass. D. N. J. C. Duisb. 1732. p. 216. s. Henneberg, Comm. ü. d. Gesch. des Leidens u. Todes Jesu. Leipz. 1822. p. 28. s. J. Langen, die letzten Lebenstage Jesu. Freib. 1864. p. 39. s. 2) Luc. 21, 37. 3) Nempe feria V., quae tunc fuit dies 14. m. Nisan, et secundum Exod. 12, 6. 18. primus azymorum, quia ad vesperam illius diei immolandus erat agnus paschalis et commedendi panes azymi. Vide disquis. in app. 4) V. H. V. T. p. 145. 5) Pascha comedi non poterat, nisi legitimo paratum modo, apparatuque haud exiguo indigebat. Postquam de aedibus prospectum esset, in quibus commode poterat manducari; sternendi lecti erant, — Judaei ea tempestate inter vescendum more Graecorum et Romanorum accumbebant mensae — pro copia aut inopia convivatoris instruendum coenaculum, emendus denique agnus. 6) Non nominaverat hominem, cuius aedes eapropter adirent,

cui statim paruerunt Apostoli[1]. Praeceptis Domini illi obsecuti, ubi reversi essent, inclinante iam die; Jesus et duodecim discipuli cum eo, urbem ingressi sunt. In ipsa via monuit Apostolos: se vehementissimo desiderio teneri Paschalem coenam cum illis manducare. Discumbentibus omnibus ad edendum de more sumsere prius agnum et azyma. Coena media Christus palam Apostolos monuit, supremum illud esse convivium, quod ipse cum illis ageret.

Digressio. Quaeritur num ea, quam Joannes 13, 1. s. describit coena Christi novissima, cum illa Matth. 26, 1. s. Marc. 14, 1. s. Luc. 22, 1. s. identica sit? Nunquam a mundo condito habita coena est vel augustior, vel significantior, hac novissima Domini, quae coena eius valedictoria dici solet. Tria quidem convivia nocte illa fecit Christus. Primum legale illud agni paschalis fuit; ante quod Christum non lavisse pedes discipulorum inde probatur, quia Joann. 13, 2. a coena surrexisse dicitur. Agnum autem paschalem stando sumere oportebat. Secundum fuit commune convivium. Alios cibos etiam post praescriptos paschales comedere Judaeis non erat vetitum, sed potius solitum, ut qui largiore ad saturitatem cibo indigerent, consuetis eduliis saturarentur. Ante hoc vel inter hoc Christum non suscepisse lotionem pedum apparet inde, quia Joann. 13, 2. legitur id coena facta accidisse. Tertium epulum festivum erat, cum finita lotione, sacramentali cibo N. T. discipulos pascit et reficit, i. e. Eucharistiae. Pascha inter et institutionem Sacramenti, abluendi pedes ritus peragi debuit, quem sola Eucharistia exciperet; ut ostenderetur sanctitas, quae divino huic cibo sumendo est necessaria. Ampla praeterea hic est disputatio utrum per δεῖπνον Joann. 13, 2., coena paschalis illa a ceteris Evangelistis memorata, an alia anti-paschalis intelligatur? Posterius multis tuentur: Lighfootus, in hor. hebr. ad Matth. 26, 2. 6. p. 463. s. Basnage, Annal. p. eccl. a. D. 33. n. 28. I, 350. A. Bynaeus, de morte J. C. l. I. comm. ampliss. Amstel. 1691. I. 5, 3. p. 386. s. S. Rus, Harm. Ev. Jen. 1730. III, 515. J. B. Bengel, Gnomon N. T. ed. Stuttg. 1860. p. 378. 9. J. J. Hess, Lebensgesch. Jes. ed. VI. Tub. 1787. II, 347. G. B. Winer, δεῖπνον, de quo Joann. c. 13. Evangelii memoriae prodidit, num πάσχα fuerit quaeritur. Lips. 1847. p. 4. s. J. Wichelhaus, Vers. e. a. Comm. z. d. G. d. Leidens J. C. Halle. 1855. p. 155. s. Röpe, dass das Mahl d. Fusswasch. m. d. Pascham. nicht ident. sei. Hamburg. 1856.

---

indicia tamen dedit, unde cognoscere poterant quisnam esset; deinde ipsa dictat verba, quibus praecipit, ut primo dicant patrifamilias: se Pascha in ipsius aedibus comedere velle, postea petant ut locum ad eam rem commodum demonstret. Cuius rei causam sic reddant: magister tibi nuntiat tempus mortis meae appropinquat, volo itaque in domo tua hac vice ultimum agnum paschalem edere.

[1]) Emerunt Petrus et Joannes agnum, qualis in Lege describitur. Mactarunt illum in Templi atrio, ac post sparsum a sacerdote sanguinem, portarunt ad virum — Christo familiarem — utpote apud quem ultimam suam coenam non invitatus sumere vellet. Assarunt deinde veru, coqui fecerunt azyma, paraverunt herbas amaras, vinum et reliqua iuxta morem ad id convivium requisita.

Döllinger, Christenthum, p. 37. s. Sed alii interpretes tantum non plurimi, coenam hanc a paschali ista non distinguunt. Ita Lampe, Comm. exeg. an. in Ev. s. Joann. Amst. 1735. III, 4. s. Kuinoel, Ev. Jo. ed. III. p. 568. s. Klee, C. ü. d. Ev. n. Joh., p. 353. Tholuck, C. z. E. Jo. ed. VI. p. 306. Lücke, C. ü. d. Ev. Jo. ed. III, II, 547. Neander, L. J. ed. q. p. 693. Derenburg, Orientalia. Amst. 1840. p. 175. J. H. Friedlieb, Archäologie der Leidensgesch. u. H. J. C. Bon. 1843. p. 63. s. A. Maier, C. ü. d. Ev. Joann. II, 270. s. W. Meyer, K. ex. H. ü. d. Ev. Joann. ed. III, p. 374. s. Ebrard, d. Ev. d. Joann. p. 333. s. F. X. Patritius, in Joann. comm. p. 160. s. Lichtenstein, Lebensgesch. d. H. J. C. p. 398. Fr. Koessing, de suprema Christi coena. Heidelb. 1858. p. 32. s. E. W. Hengstenberg, das Ev. d. h. Joh. Berl. 1862. II, 348. s. Langen, d. l. Lebenstage J. p. 100. Nobis etiam numquam non placuit vulgaris eruditissimorum hominum opinio, qui coenam illam quam s. Joann. 13, 1—17. descripsit, non aliam fuisse volunt quam paschalem. Certe e pluribus circumstantiis nihil clarius et apertius est, quam coenam illam eam fuisse, qua pascha suum ultimum Jerosolymis comedit. Matth. 26, 6. Marc. 14, 3. Luc. 22, 14. Ad hanc sententiam defendendam nos ducunt gravia argumenta. Coenam eandem α. vel verba quae praemittuntur 13, 1. evincunt. „Ante diem festum Paschae, sciens Jesus quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.“ Quorum sensus absolutus est: Ipso die, qui praecessit festum Paschae, cum semper dilexisset suos quibuscum vixerat, usque in finem vitae dilexit eos. Quis vero haud perspiciat, ut s. Joannes his verbis aliquid significare velit grande omnino insigne, ad id indictum atque inauditum, specimen aliquod eximium et indicium amoris, quo Jesus flagrabat. Nisi autem de Ultima Coena loquatur, hoc amoris specimen esse aliud nequit, quam lotio pedum. Grande quid hoc fuit, non tamen adeo, ut de hac loqueretur s. Joannes, veluti si non alia praeter hoc, eaque longe graviora ac perenniora amoris sui monimenta Christus suis tradiderit. Atque adeo supremo vitae suae die, illaque ipsa hora, manet S. S. Eucharistia instituta. Haec igitur Eucharistia argumentum illud est, quo Jesus suos a se in finem diligi demonstravit. Quam interpretationem ipsa verborum emphasis comprobat, eaque confirmant, quae s. Joannes de coena ita subiungit, ac si hanc iam commemoraverit, nemoque, quanam de coena loquatur, non intelligat. Quare necesse est ut eadem fuerit vere habita cum paschali. Ad haec idem is β. annotat, mox ubi Judas post buccellam e Christi manibus acceptam egressus est, 13, 31. Jesum Petro lapsum praedixisse v. 33. Unde luculenter patet haec contigisse eadem illa nocte, qua Jesus Pascha suum ultimum cum suis discipulis comedit; cum vaticinium Christi de trina abnegatione Petri, s. s. Matthaeus, Marcus et Lucas eo tempore dictum referant explicite. Insuper γ. ea omnia quae a Christo dicta s. Joannes narrat c. c. 13, 31—18, 1. serie non interrupta, certe ultima nocte facta sunt. Pensitato contextu l. l. apparet haud quaquam esse plures sermones, alios aliis diebus habitos, sed unum dumtaxat, discipulis subinde interpellantibus continuatum. Unde rursus manifestum est, si attendantur verba 18, 1. „Haec cum dixisset Jesus, egressus est trans torrentem Cedron“, a Synopticis narrari coenam eandem ac descripta a s. Joanne est. Rationes eorum qui in contrariam eunt sententiam, quantumvis speciosae nostram non evertunt. Leguntur refutatae in Patritii, l. III. de Ev., diss. 52. n. 5—16. p. 500. s.

§. 23. Lotio pedum.

Ad singularia Christi opera perpetua et accurata piorum meditatione dignissima pertinet admiranda illa pedum lotio, cuius memoriam feria quinta maioris hebdomadis Ecclesia devote recolere consuevit[1]. Varia et diversa Christus hactenus specialis dilectionis Apostolis exhibuit indicia, vocando eos ad Apostolatum, in familiare consortium ipsos adsciscendo, in doctrina sua quotidie eos informando, de necessariis ad vitae sustentationem ipsis prospiciendo, adversus inimicos defendendo ipsos. Circa finem vitae maiora quaedam et uberiora dilectionis suae indicia eis exhibere voluit: ideo et pedes ipsorum lavit et Sacramentum corporis et sanguinis sui instituit, et suavissimo sermone ipsos consolatus est[2]. Cum sciret Christus sibi omnem in coelo et terra potestatem

---

[1]) Quam antiqua fuerit haec caerimonia legere licet apud H. Rausch, de pedilavio Christi imitando. Lips. 1699. p. 19. s. Describit vero pedum lotionem ab aliis Evangelistis praetermissam solus d. Joannes c. 13., et quidem hac ratione: ut a. proponat ipsam facti narrationem cum circumstantiis temporis et causae impulsivae; b. facti illius a Christo ipso traditum explicationem. Res ipsa autem ostendit accuratam illam praecipuarum circumstantiarum descriptionem eo cumprimis ab Evangelista directam esse, ut hoc singulare Christi opus magis nobis commendaretur. Sic autem Evangelista pedum lotionem describit, ut non tam cum praecedentibus iungat, quam potius novis historiis inchoandis praemittat. Primo temporis notam dat „ante diem festum Paschae“; deinde addit: „sciens Jesus quia venit hora eius“, scilicet quam Pater coelestis ad sanctum Redemtionis opus perficiendum ipsi destinavit. Tam diligens ac accurata temporis descriptio, non solum fidem scribentis commendat, sed et ipsis quoque Historiis auctoritatem conciliat. Eximium opus esse oportet, quod Christus paulo ante mortem suscepit, quia morituri, quando brevi ex mundo sibi transeundum vident, nihil temere agere solent. Pedum lotio ut singulare quid erat, ita non initio sed tempore insolito inter coenam facta. Christo enim nec unice, nec praecipue hoc propositum fuit, ut Apostoli mundos pedes haberent, ac proinde non fuit haec vulgaris ac consueta lotio. Nam α. ante esum agni paschalis et coenam ei subiungi solitam, pedes discipulorum abluti erant; nec paterfamilias in cuius aedibus pascha manducarunt, hac in parte defuisse putandus est. Sed β. et Christus nunquam eam tanti aestimasset, ut propterea a mensa surrexisset et ipse eam peregisset. Cf. Matth. 15, 20. Marc. 7, 7. s. Mysterii causa adhibitam γ. docet ipse Christus, uti etiam s. Evangelista, non obscure innuit praemisso praeloquio. 13, 1. [2]) Exhibetur Joann. 13, 1. causa impulsiva, quae Christum moverit, ut lotionem illam susciperet, videlicet: ut eximium suum in Apostolos amorem demonstraret. Nec prae tristitia ob mortem imminentem, nec prae

esse datam, seque ad plenum eius exercitium[1] propediem esse evehendum, voluit prius pedum lotione singularis humilitatis exemplum ad eruditionem ipsorum eis relinquere[2]. Surgens a coena communi et vulgari esui paschalis agni subiungi solita, deposuit vestimenta, praecinxit se linteo, infusaque in pollubrum aqua lavandos suscepit singulorum pedes, et linteo, quo praecingebatur abstergere[3]. Ad Petrum cum venisset, rei singularitate illi attonitus: ‚Domine, dicit, tu mihi lavas pedes?' Cui Jesus: sine ‚quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea.' Petro nihilominus repugnante, et nunquam se id in se admissurum respondente Jesus inquit, si non lavero te, non habebis partem mecum[4].

---

gaudio ob instantem ad Patrem et gloriam coelestem transitum, nec ob Judae proditoris defectionem et ingratitudinem, aliter erga Apostolos in ultima illa coena affectus fuit, quam prius eos sincere dilexerat. Observari autem in hac circumstantia potest, quod omnium beneficiorum, quae Christus discipulis ac toti Ecclesiae contulit, causa impulsiva unica sit ardens ipsius amor. Ex amore Christus pedes lavit, coenam instituit, sermonem valedictorium habuit, mortem pro toto genere humano in cruce subiit. Magnam hoc Ecclesiae et omnibus piis suppeditat consolationem. Ne quis enim existimet, hanc dilectionem, quam Evangelista hoc loco commendat, terminari in Apostolis, ideo non scripsit: cum dilexisset Apostolos, sed τοὺς ἰδίους suos, modo simus, et esse velimus ipsius ἴδιοι.

1) In ascensione et sessione ad dexteram Patris. 2) Joann. 13, 3—15. Evangelista non narrat in genere Christum discipulis suis pedes lavisse; sed in specie ac diligentissime annotat, qua ratione Christus se ad illud officium praeparaverit, quomodo illud peregerit, et quibus quasi gradibus ad infimam illam humilitatem descenderit. 3) Non solum ut commodius lotionis ministerium perageret, et expeditior esset; sed etiam quia servile erat hoc officium, coll. Gen. 19, 2. 43, 24. ideo etiam servili modo et habitu id ipsum peragere voluit. Servorum enim erat sine pallio aut ulla alia veste exteriore tunicatos, et cinctos vel etiam linteo succinctos ministrare, quem servilem habitum etiam ingenui servilia ministeria obituri assumebant. Theophylactus, in h. l. comm. p. 751. recte monuit, potuisse Christum iubere, ut aliquis discipulorum aquam afferret, vel praesentem in pelvim, sive vas lotionis destinatum, effunderet; verum ipse hoc fecit, ut humilitatem et caritatem suam magis demonstraret. Duodecim discipulis autem pedes lavit; ergo toties aquam in pelvim priore effusa misit. 4) Nisi magni momenti fuisset haec lotio, Christus ex arbitrio S. Petri reliquisset, an eam admittere velit nec ne? sicut alias ad beneficia accipienda nemo cogitur. Sed quia Christus non permittit s. Petro, ut ab hac lotione sese excludat, ostendit rem maxime seriam se agere, et hanc lotionem multis mysteriis abundare. Id ipsum probant singula verba, quibus Petrum recusantem a proposito suo revocat. Primo enim dicit: quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Id est: non specto ad externam lotionem, sed aliquid longe sublimius, quod

Petrus commonitorio isthoc Christi sermone exterritus, et ab eo propter quem omnia [1] reliquerat separari metuens, voluntati Christi se submittit et pedes lavandos promte; imo [2] non tantum pedes, sed et caput et manus lavandas exhibet. Ad quae Christus regerit: Illis qui iam antea loti sunt, non alia quam pedum lotio est necessaria. Quare cum vos Apostoli [3], et inter eos, tu Petre, sitis loti ac mundi, ideo non capitis, nec manuum, sed dumtaxat pedum

---

modo quidem a notitia tua absconditum, progressu vero temporis me doctore tibi innotescet. Occasio disceptationis proponitur 13, 6. in qua occurrit Petri oppositio, sicuti v. 8. Indignum et praeposterum est ait Petrus, ut Dominus servo pedes abluat, iam vero tu es Dominus, ego servus. Unde etiam colligi potest, quare Petrus recusaverit pedum lotionem admittere. Petro lotionem admittere renuenti respondit Jesus v. 7., quo Petrum ignorantiae arguit; simul etiam ipsum hortatur, ut citra ullam tergiversationem hoc lotionis officium admittat, fore ut suo tempore eius mysterium intelligat. Sed quia non statim mysterium illud explicabat Christus, inde Petrus forte suspicabatur exempli tantum causa hanc lotionem suscipere, ideo pergit reniti v. 8. In aliis potius ait, quam in me hoc humilitatis exemplum statue, ego in aeternum illud non admittam, in quibusvis potius, quam in hoc indecente facto tibi obsequar. Hanc Petri recusationem excusant s. Chrysostomus, in Joann. hom. LXX, 2. „quod non parvi amoris reverentiaeque signum fuit." p. 415. s. Cyrillus, in Joann. Ev. l. IX. ed. Migne. VII, 116. s. Theophylactus, l. s. c. p. 752. „Magna reverentia Petri erga magistrum, unde et religiose hanc eius curam a se amandat." Et sane concedimus quamdam θερμότητα, sive fervorem ut Graeci P. P. vocant: reverentiae, humilitatis, amoris erga Christum in Petri pectore fuisse, propter quam religiose eius curam a se amandat. Respondet Christus, si ita mihi pergis reluctari, si non obedieris; propter istud inobedientiae peccatum non potes amplius habere partem mecum. Quamvis enim isthaec pedum lotio esset in se ac per se actus indifferens, tamen ex mandato Christi necessaria reddebatur illius observatio, ac proinde Petrus eam finaliter repudiando peccatum mortale commisisset, propter quod a Christi consortio fuisset separatus. Ita s. Basilius, in proem. regul. fusius tract. n. 3. ed. Ben. II, 329. s. Cyrillus Al., l. c. p. 118. Cum vero a. Christo etiam alias usitatum fuerit, a rebus corporalibus ad spiritualia beneficia transire; coll. Joann. 4, 13. 6, 27. 9, 39. atque β. cum in eiusmodi ambiguis responsis non solum maior vis insit sed et gratia et elegantia coll. Matth. 8, 22.: Origenes, comm. in Ev. Joann. 2. XXXII. 2, ed. Lomm. II, 381., s. Bernardus, sermone in coena Dom. II. 1, 293. Maldonatus, p. 1719. recte statuunt, Christum in Petro omne hominum genus alloqui, docereque neminem, nisi a se lavetur partem secum habere posse. Quis enim nisi Christi lotus atque purgatus sanguine salvus esse potest?

[1]) Matth. 19, 27. [2]) Ex amoris erga Christum exuberantia. Joann. 13, 9.
[3]) Uno excepto. Christus 13, 10. dicendo „vos mundi estis sed non omnes", teste d. Joanne v. 11. immane scelus Judae indicavit. Unde minime dubitamus, quin et Judas inter discipulos fuerit, quorum pedes lavit Jesus.

lotionem hac vice requiro, quos etiam mundissimus quisque sordidos habet[1]. Ea autem lotione peracta, Jesus sumtis iterum vestibus externis, quas ante lotionem deposuerat, mensae rursus accubuit, atque causam aperuit, cur ad pedes usque ipsorum lavandos, sese demisisset. ‚Vestros, inquit, ego lavi pedes Dominus et Magister': quod Magister et Dominus servis suis fecit, illud discipuli et servi multo magis invicem facere debent[2]. Cum autem notum fuerit Salvatori, promissionem praemii esse maximum ad actionem aliquam suscipiendam argumentum et incitamentum, ideo[3] certiores Apostolos facit, quod in praemium amoris et humilitatis, regnaturi essent cum illo[4].

§. 24. Jesus Christus Sacramentum corporis et sanguinis sui instituit.

Ut Christus mortem suam, quae fidelium vita est, discipulis suis saepe praedixit, ita simul cavit, ne eius memoria post abitum suum elaberetur. Hinc in extrema coena, quam cum illis his in terris egit, illud Sacramentum ineffabile instituit, in quo per transsubstantiationem panis et vinum fit caro et sanguis Domini, ipsum Jesu Christi corpus sub utraque specie integrum. Tunc et Apostoli, cum ipsis Salvator praecepit, idipsum facere in sui memoriam, sacerdotes sunt facti N. T., atque ipsum sacrificium, quod offerrent, est ordinatum. Id Apostoli, id Patres omnes, id traditio ecclesiastica, et fides ab exordio nascentis Ecclesiae praedicavit, et hactenus profiteri non desinit[5].

---

1) Ex his ipsis verbis inter S. S. commentatores orta est quaestio, quomodo totus mundus est, qui indiget, ut pedes lavet? Magna pars Veterum scriptorum, per eam lotionem, qua Christus Apostolos lotos esse dicit, Baptismum intellexerunt; quo qui semel ablutus esset, eum non debere iterum baptizari, sed mundum esse totum, nisi forte aliquid sordium pedibus accessisset. Itaque hinc colligunt Apostolos prius Christi baptismum recepisse. Cf. int. disquis. in app. h. c. 2) I. e. vilissima et contemtissima officia proximis praestare. Quia servus non est maior Domino, ac proinde quod Dominus facit, id a se alienum servus nequaquam putare debet. 3) Quemadmodum et alias. V. Matth. 11, 28. Luc. 6, 35. 4) Joann. 13, 16. s. 5) Atque ut de his singulis, iuxta quod instituti ratio postulat breviter agamus, duo hic vel maxime sunt attendenda, quibus attentis demum recta via ad τὸ ἀληθές, et genuinum sensum huius sacrosancti mysterii

Quod Jesus discipulis suis iam ante significavit, ultimum, quod cum illis celebraturus esset, hoc epulum fuisse, neque institutum iri a se amplius talem coenam, nunc repetiit. Antequam autem mensae et ciborum reliquiae removerentur, Dominus Noster Eucharistiam instituturus, acceptum panem benedixit actis Deo Patri gratiis [1]. Fecit deinde Christus duodecim ex pane partes, et sin-

---

patet. α. Quod origo Sacramenti huius remota ab Eucharisticis Veteris Testamenti arcescenda, quae in Lege שְׁלָמִים, Lev. 3, 6. 7, 32. vocantur, per quorum esum offerentibus indultum in communionem altaris perveniebant participantes. I Cor. 10, 16. 18. Rom. 12, 1. Cf. Hist. V. T. p. 142. 155. s. Sicut Sacra Scriptura Novi Testamenti clavis est ad aenigmata Veteris Testamenti aperienda; ita Scriptura Veteris Testamenti facem praefert Novo, absque quo sanctuarii lumine, neque sensus plenitudo, neque mysteriorum seges nobis constat. Haec enim duo Testamenta mutuam immeationem in se habent, sibique invicem testimonium praebent ac perhibent; haud tantum de veritate et genuino sensu, sed et mysteriis gratiae hinc inde latentibus, atque collatione illa neglecta cognitionem nostram fugientibus. β. Quod occasio quidem institutae S. S. Eucharistiae a festivitate paschali desumta sit, institutio tamen proxima — ut S. Pauli testimonio I Cor. 11, 23. sat indubitanter traditur — in mandato Christi lateat, quando dixit: „Hoc facite in meam commemorationem." Luc. 22, 19.

[1]) Ubi observandum est: Evangelistas varie usurpasse has voces graecas εὐλογεῖν i. e. benedicere, et εὐχαριστεῖν i. e. gratias agere. Nam s. Marcus, cum de pane loquitur, utitur v. εὐλογήσας, cum de calice εὐχαριστήσας. S. Lucas vero et s. Paulus utroque loco v. εὐχαριστήσας. Optime autem videtur Jansenius, in Tetrat. s. Comm. Ev. ad Matth. 26, 26. p. 232. monere, utrumque verbum servare suam significationem; sed in una actione intelligi etiam alteram, quia simul fiunt gratiarum actio et oratio. Id satis probatur ex eo, quod unus Evangelista dicat benedixit, alter gratias egit. Hinc enim colligimus utrumque esse factum. Coll. I Tim. 4, 3. seq. Quod autem Dominus panem benedixerit, probatur ex I Cor. 10, 16. ubi sanctus Paulus dicit: calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; ubi in graeco est ὃ εὐλογοῦμεν, h. e. quem benedicimus. Neque dubium esse potest, quin sanctus Paulus ritum commendaverit, quem sciebat a Christo ipso fuisse servatum. Idem aperte indicat sanctus Marcus 14, 22. Nam cum dicit: accepto pane benedicens fregit et dedit eis, dubitari non potest, quod sicut fregit et dedit, refertur ad materiam, ita etiam benedixit ad eandem referatur. Quocirca recte Ecclesia in Canone Missae utrumque exprimit dicens: accepit panem et elevatis oculis ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit etc. Hinc igitur argumentum sumitur, non fuisse vulgarem et inter Judaeos usitatam benedictionem, quam Christus h. l. dedit, sed peculiarem et propriam huius Sacramenti. Cur enim Evangelistae hoc tam accurate narrassent, cum in coena paschali et communi id reticerent; cum tamen ut Rabbini tradunt in coena agni ea caerimonia Judaei potissimum uterentur. Noluit ergo Christus veterem Judaeorum observare ritum; sed novum instituere, et aliquid multo magis admirandi perficere.

gulis singulas dedit [1]. Fregit enim distribuitque Apostolis his additis verbis, accipite et comedite ‚hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.' Similiter accepit calicem vino plenum, gratiisque pariter Deo actis, porrexit bibendum Apostolis, iussitque omnes ex eo sumere inquiens ‚hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.' Queis verbis eadem illa virtute, qua olim mundum e nihilo creavit, nunc panis et vini substantiam, in suum ipsius corpus et sanguinem convertit. Sed et Novum Foedus, id est Evangelii pactum confirmavit. His itaque vocibus illud instituit sacramentum, quod postea ‚Eucharistia' aliisque nominibus dictum est, in quo divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit, atque re ipsa eos in finem dilexit. Quod amoris sui ardentissimi in homines monimentum singulare, non tantum huius diei voluit esse, sed quamdiu deinceps stabit orbis terrarum. Unde ad extremum iussit Dominus Apostolos, ut idem postea frequentarent dicens: ‚Hoc facite in meam commemorationem.' [2] Quo facto Christus clarissime declaravit: mysterio Eucharistiae mortem suam repraesentari, atque se suum sacerdotium, et cum eo Sacrificium, voluisse perdurare, usque dum ipse iterum rediret, mundum in fine saeculorum iudicaturus [3].

---

[1]) In manus an in os? non constat; sed coniectura non levis est, quod in manus tradiderit. α. Quia dicit accipite, quod ad manus potius quam ad os spectat. Cum β. calicem in manus dedit, et credibile est eodem modo dedisse quoque corpus. Accedit γ. quod aliquo tempore etiam in Ecclesia usitatum fuerit, ut sacrum Christi corpus in manus fidelibus traderetur. Coll. Tertulliano, de idololatria c. 7. I, 35. s. Cyrillo Hieros., cat. XXII, myst. IV, 7. p. 321. s. Augustino, sermone 38. de verb. Eccl. 2. p. 192. serm. 228. in die Paschae IV. p. 973. s. Chrysostomo, de sacerdotio l. III et V, ed. Lomler. p. 23. Concilio Toletano I, a. C. 400. can. 14. apud Harduinum, I, 991. Meliore autem consilio eadem postea Ecclesia non in manus, sed in os sacramentum dare coepit, quod id et minus periculi et multo plus haberet reverentiae. Quemadmodum, quamvis Christus coenatis Apostolis Eucharistiam dederit, Ecclesiae consilium tamen laudat s. Augustinus, quod ea relicta consuetudine nonnisi ieiunis dedit: „Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Domini corpus intraret, quam ceteri cibi." ep. 54. ad inq. Januarii n. 8. p. 126. [2]) S. Matthaeus et s. Marcus haec verba praetermiserunt, ea scribit d. Lucas dicta a Christo, cum corpus suum discipulis praeberet; divus vero Paulus I Cor. 11, 24. 25. bis dicta refert, semel cum corpus dedit discipulis; et iterum cum sanguinem daret. [3]) Ita semper catholica Ecclesia intellexit et docuit, atque Concilium Tridentinum, sess. XXII. c. 1. et 2. sic definiit „Si quis dixerit illis verbis, hoc facite in meam

,Tantum ergo Sacramentum omnes intendentes vires veneremur, et si quid eius gloriae impendere nobis concessum sit, maximum fecisse lucrum confidamus.' [1]

---

commemorationem" Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, anathema sit." Qualis enim haec commemoratio foret ac memoria explicat s. Paulus I Cor. 11, 26. „Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis." In sacrificio Missae mors Domini annuntiatur et repraesentatur. Non determinavit Christus hac vel illa vice, sed absolute; ac proinde non semel et iterum, sed quoties volueritis meminisse. Certae personae deputatae ad sacrificium sunt, Apostoli et qui eis succedunt; illis enim solis Christus dixit: Hoc facite „εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν." Sed habent etiam verba illa intentionem et finem sacrificii descriptum „in meam commemorationem." Nam ut finis erat praecedentium sacrificiorum Veteris Testamenti repraesentare sacrificium crucis ut futurum; — V. Hist. V. T. p. 158. — sic finis est sacrificii Eucharistiae, commemorare et repraesentare sacrificium crucis, ut praeteritum. Et sicut vetera illa sacrificia non ammittebant suam propriam sacrificii rationem, ex eo quod essent repraesentativa, ita nec sacrificium Eucharistiae amittit suam, quia simul est alterius sacrificii commemorativum. Sed ex I. Cor. 11, 26. 27. illud quoque patet, verba „hoc facite in meam commemorationem", primo quidem ad sacerdotes N. T., suo tamen modo pertinere ad omnes fideles; atque idem confirmatur ex Canone Missae verbis „sed et plebs." De quo s. Bernardus, in Ps. qui habitat s. III. ed. Mab. Par. 1719. I, 893. haec habet: „Quid autem est manducare eius carnem et bibere sanguinem nisi communicari passionibus eius, et eam conversationem imitari, quam gessit in terra." Serm. in coena Domini p. 879. „Duo enim illud sacramentum operatur in nobis ut videlicet et sensum minuat in minimis, in peccatis gravioribus tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat corpori et sanguini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo." In quo ut idem habet Bernardus, Serm. in Cant. 1394. „utcumque respiro, quoties tristis est anima mea et quoties conturbat me." Sed haec et alia id genus plenius discutienda Theologis Dogmaticis relinquimus, eos adeat qui plura scire avet. E. g. C. Bellarmini, Tert. t. III. controv. gen. de Sacramento Eucharistiae e. c. p. 578. s. A. Arnauld, la perpétuité de la foi de l' Église cath. touchant l' Eucharistie. Par. 1781—1782. v. I—VI. Honorati Tournelly, Curs. theol. ed. Colon. 1754. VIII, 65. s. N. Wiseman, the real presence of the body and blood of our Lord Jesus Christ in the blessed Eucharist proved from scripture. Lond. 1836. J. A. Möhler, Symbolik, Mainz. 1843. p. 298. add. Ei. neue Untersuchungen der Lehrgegensätze z. d. K. u. P. ib. 1835. p. 421. s. J. Kössing, liturgische Vorlesungen ü. d. h. Messe. Billing. 1843. p. 9. s. J. Schwetz, Dogmat. cath. Vienn. 1864. III, 2. s. 273. s. J. Lonovics, népszerü egyházi Archaeologia. ed. II. Pest. 1865. II, 103. s.

[1]) Concil. prov. Vienn. a. 1858. III, 4. Quae cum ita sint, nostri quoque libri esse existimavimus, exarata peculiari digressione accurate eos imprimis S. S. locos illustrare, e quibus, ceu limpidis fontibus, omnis hac de re haurienda est notitia; ut hac ratione sua singulis vindicetur auctoritas, atque universum

Institutionem S. S. Eucharistiae secuta est coena communis, in qua Jesus visus est animo commoveri, iterumque testatus est Apostolis, se ab illorum uno esse prodendum. Nesciebant tamen, cum essent duodecim, quemnam designaret. Quo nuntio, ad rem indignam consternatis omnibus, singulisque de se sollicitis et innocentiae testimonium a magistro poscentibus; cum eorum rogatu Christus nihilominus proditorem nominare noluisset[1], Petrus, qui iniquiore quam ceteri animo Salvatoris iniurias ferre solebat, Joanni[2] nutu suo significavit, ut ex Christo, quis illum esset traditurus, secreto quaereret. Intellexit Joannes Petrum. Igitur statim magistrum interrogavit[3] de scelesto illo, quem Jesus dixit se traditurum. Christus eum[4] indicat Joanni, intincto pane[5] Judae praebito, qua buccella accepta Judas interrogavit ‚numquid ego sum?‘ cui Christus ‚tu dixisti.‘ Non latebat Jesum Judae pessimum propositum, ideo addit ‚quod facis, fac cito.‘ His auditis, Judas cum scelus suum compertum videret, sub initium noctis, e mensa surgens exiit foras[6]. Egresso Juda cum Christus tempus gloriae suae iam instare diceret[7], Domini verba minime capientes Apostoli, de primatu inter se contendere coeperunt; sed eam ambitionem proposita sua humilitate[8] coercuit, moxque de suo discessu locutus[9], eis mutuae dilectionis mandatum iniunxit; quo potissimum indicio cupiebat, ut tanquam sui discipuli dignosce-

---

eorum et commune argumentum illustretur. Quod consilium si obtinuerimus, simul fortasse censebimur symbolas contulisse ad λατρείαν huius augustissimi Mysterii.

1) Christus qui proditorem in genere notavit „unus vestrum“, cum singuli interrogarent paulo clarius, significavit „qui intingit mecum manum“; sed nec hoc indicio colligere eum poterant, quia in magna mensa, ubi tredecim accumbebant, diversae erant paropsides, in quibus aut terni aut quaterni panem suum solebant intingere. 2) Qui u. v. inter coenam recumbebat in sinu Jesu, et ideo optime clam quaerere poterat, quisnam ille homo nefarius esset? 3) Submissiori voce. 4) Etiam quasi in aurem, ita ut reliqui non adverterent. 5) V. ψωμίον, de omnis generis ciborum frustis dicitur, apud LXX. respondet h. לֶחֶם. 6) Cum ille discessisset, discipuli ceteri verborum Jesu sensum minime assecuti, existimarunt Jesum Judae, qui commune aerarium curaret mandasse, ut emeret quibus per dies festos opus esset, aut egenis aliquid distribueret. Cf. Rettlig, Einl. i. d. Abschn. v. d. Verrath durch Judas, in Wineri, n. kr. Journ. 1827. p. 385. s. Lakemacherum, Obs. phil. V, 5. p. 246. s. 7) Matth. 26, 21. s. Marc. 14, 18. s. Luc. 22, 21. s. Joann. 13, 16—32. 8) Qui praeesse aliis vult, inquit, debet se gerere quoad modestiam, quasi minimus esset. 9) Luc. 22, 24. s. Joann. 13, 33. s.

rentur. Quoniam vero adiecit secum eos ire non posse, Petrus animose respondit, se praesto esse vel ad carcerem vel ad mortem euntem sequi. Ita iactantem Christus redarguit, praedicens futurum, ut ea ipsa nocte ante secundum galli cantum, se illum nosse, ter negaret[1]. Quae cum Petrum et ceteros, qui eadem cum Petro pollicebantur, vehementer perturbarent, Dominus oratione in longum protracta eos consolatus est, firmavitque contra imminens scandalum Crucis.

Digressio I. Ratio ordinis in narranda institutione S. S. Eucharistiae. De pedum lotione reliqui Evangelistae tacent, sed huc spectare quaedam a Luca 22, 24—31. relata de contentione inter Apostolos quidam interpretes affirmant. Sed gravius est hoc, quod S. S. Ev. Matthaeus et Marcus manifestationem proditoris praemittunt institutioni Eucharistiae, Lucas querelam de proditore eidem postponit, Joannes pedum lotioni eamdem proxime et immediate subiungit. De ratione ἀκολουθίας tres ortae sunt sententiae. a. Quidam statuunt s. Matthaeum et s. Marcum rectum hic tenuisse ordinem; s. Lucam vero recapitulatione usum. Alii b. contra sumunt s. Lucam certum tenuisse ordinem. Tertii et inter eos s. Augustinus, l. III de cons. Evang. c. 3. T. III, b. 100. s. mediam quasi amplectuntur sententiam, traduntque Christum duabus distinctis vicibus dixisse „unus ex vobis me tradet"; semel scilicet ante Eucharistiae institutionem, et vice altera post illam. Distinguendum omnino est inter generalem proditoris manifestationem, quae Eucharistiae institutionem praecessit, et specialem, quae secuta fuit. Eadem est sententia Euthymii, in Matth. 26, 21. p. 1004. Nobis quoque haec opinio summe probabilis videtur, atque Christi de proditore in viam reducendo conformis sollicitudini. Manifestationem specialem post Eucharistiae institutionem factam ideo dicimus. Nam a. quae de ea denunciatione s. Lucas narrat, eadem sunt prorsus cum illis, quae de ipsa Joannes commemorat. Jam vero s. Lucas descriptionem illius denunciationis Eucharistiae institutioni subiungit, ergo etiam narratio s. Joannis 13, 21. 22. non potest divelli a v. 23., in quo manifeste datur locus, ubi Eucharistiae institutio erit inserenda. b. Si Christus verbis tam claris et perspicuis denunciasset proditorem, antequam Eucharistiam institueret, Apostoli animis suis vehementer perturbati, non attendissent ad nova et sublimia illa mysteria, quae in Eucharistici Sacramenti institutione ipsis traditurus erat Christus. Ideo d. Augustini amplexi sententiam affirmamus: lotioni pedum Eucharistiae institutionem **immediate** esse subiungendam, proditoris vero manifestationem specialem in serie historiarum esse postponendam. Verba s. Joannis 13, 21. ταῦτα εἰπὼν ὁ Ἰησοῦς, cum haec dixisset, respiciunt ad ea, quae in pedum lotione et Eucharistiae institutione Jesus dixit.

Inter argumenta eorum, qui primae sententiae adhaerent, unicum est alicuius ponderis, scilicet *quod non sit verisimile Judam proditorem ad Eucharistiam*

---

1) Matth. 26, 31. s. Marc. 14, 27. s. Luc. 22, 33. s. — ad q. v. Fr. S. Winterberg, diss. in comm. theol. Velthuseni, V, 104. s. — Joann. 13, 36. s.

esse admissum. Traditorem ante panis et vini consecrationem secessisse, sumit iam s. Hilarius, comm. in s. Matthaeum „Post quae Judas proditor indicatur, sine quo pascha accepto calice et fracto pane conficitur: dignus enim aeternorum sacramentorum communione non fuit." IV, 199. Scriptor operum Dionysii Areopagitae e saeculo V. — cf. Baronii Ann. ad. a. 532. §. 39. ed. Luc. IX, 450. — de Eccl. Hierarchia c. 3. §. 1. ed. B. Corderii. Antv. 1634. I, 285. Rupertus, in Matth. c. 26. p. 100. A. Salmeron, Comm. in Ev. Hist. IX, 69. seq. S. Barradius, Comm. i. q. Ev. III, 1. p. 71. eiusdem sunt sententiae. Omnium autem istorum praecipua ratio ad hoc perducitur, quia proditor indignus erat tanto mysterio, ac proinde ab hoc Sacramento excludendus fuit. Opposita sententia est verior, ac ceterorum S. S. P. P. et interpretum communis. Judam Iscariotem sacrae Eucharistiae convivam fuisse, multis argumentis edita hac de re disputatione probavit M. Plesken, Bremae 1716. p. 11. s. Et sane ex Evangeliorum narratione manifestissimum est, non solum agni paschalis manducationi, pedum lotioni ut vidimus, sed etiam Eucharistiae institutioni interfuisse. Probatur haec sententia α. ex Matth. 26, 20. ubi loquens de coena agni paschalis Evangelista ait „vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis"; et v. 26. „coenantibus autem eis accepit Jesus panem" nempe duodecim, uti nulli dubium est. Jam vero series textus, et idem loquendi modus, eumdem sensum ac interpretationem importat; et sicut cum de traditore est sermo v. 21. „et edentibus illis dixit" duodecim intelliguntur, ita etiam „coenantibus eis", cum sit in eodem contextu, et omnia immediate scribantur. Confirmatur idem ex s. Marci 14, 23. qui loquens de calice Eucharistiae dicit „et biberunt ex illo omnes." Nimirum duodecim Apostoli, qui cum Christo ad coenam venerant, ut ipse Marcus 14, 17. diserte scribit: „vespere autem facto venit cum duodecim." Idem probatur β. inde, quia Luc. 22, 21. narrat, quod Christus consecrato Eucharistiae calice immediate subiunxisset: „Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa." Ubi illud πλήν — particula continuativa, ceterum, porro; aliis adversativa, sed, tamen — arguit verba illa post Eucharistiae institutionem esse prolata hoc sensu: Verum enimvero quamvis proprium meum corpus et proprium meum sanguinem vobis distribuerim, tamen ecce manus proditoris mei mecum est in mensa. Joannes vero non discrepat ab ordine Lucae, qui apertam dictorum consequentiam notat. Lucas promissi sui memor 1, 3. cum post Matthaeum et Marcum scripserit, est magis exactus ordinis chronologici observator. S. Matthaeus et S. Marcus suo narrandi modo nullum temporis ordinem significant, dicunt enim in genere edentibus illis. Sane Christus ut suae eximiae caritatis nobis daret exemplum, et ut per eam Judam ad poenitentiam adduceret, nec traditorem, cum praesens esset, a sacra mensa exclusit. „Concesso autem — ut scribit Innocentius P. III. Mysteriorum Missae l. IV. c. 13. ed. Leodiensis, 1846. p. 242. —, quod Judas Eucharistiam acceperit, quod expositorum plerique — s. Chrysostomus, hom. in Matth. 81. p. 774. s. Augustinus, enn. in. Ps. III. ed. Ben. IV, 7. in Joann. Ev. tr. XXVI, 11. p. 498. ib. tr. LXII, 1. 2. p. 668. Theodoretus, ad I Cor. 11. III. 1, 238. s. Leo. sermon. III, 3. VII, 4. de pass. ed. Leod. p. 16. 45., et alii quos citat ac sequitur Fr. Suarez S. J. Th., Comm. ac Disputationum in Tertiam Partem D. Thomae tr. III, q. 73. a. 5. disp. XLI. s. 3. ed. Mogunt. 1619. p. 459. s. — concedunt quaerendum est, qua ratione Medicus salutaris medicinam dabat aegroto, quam ei sciebat esse mortiferam? Sciebat enim quod qui manducat indigne, iudicium

sibi manducat I Cor. 11, 29. An ut suo doceret exemplo quod sacerdos non debet illi communionem negare, cuius crimen etsi sibi sit notum, non tamen Ecclesiae manifestum, ne forte non sit corrector sed proditor.... Si vero quaeratur, utrum Christus ad bonum, an ad malum Eucharistiam Judae tradiderit. Responderi verissime potest, quodsi propositio intentionem denotet vel affectum, cum dicitur dedit ad malum, falsa est propositio. Si autem consecutionem insinuat vel effectum vera est. Nec debet intelligi, quod sub buccella panis intincta Christus Eucharistiam dederit traditori, sed per buccellam intinctam atque porrectam, suum denique traditorem expressit, fortasse per panis intinctionem illius significans fictionem." Ut autem ad proditionem Judae redeamus prout passionis ac mortis praedictio incrementa sua habuit, ita simul in proditoris manifestatione quosdam gradus observare licet. Peccatum Judae erat adhuc occultum soli Christo — non scientia humana sed divina — notum. Judae scelus nondum erat in lucem protractum, animo suo illud adhuc clausum tenebat; ergo Christus eum ad sacrae mensae communionem admisit: ita tamen, ut gravi ac seria praemonitione a nefarii sceleris proposito ipsum prius dehortaretur. Mundi estis aiebat, sed non omnes. Denuntiatio ante Eucharistiam fuit adhuc generalis, tecta et indeterminata, quae nequaquam obstitit, quominus proditor ad Eucharistiae participationem admitti potuerit. At si Christus Eucharistiam ei negasset, specialiter aperte et determinate proditorem Apostolis manifestasset, id quod erat consilio Christi contrarium. Christus enimvero tum demum voluit hunc proditorem suum manifestare, postquam nullis mediis — nec mensae communione, nec pedum lotione, nec Eucharistiae participatione — ad saniorem mentem revocari potuit. Qui contrariam tenent sententiam argumento potissimum moventur sequenti. Joannis 13, 30. dicitur, quod post acceptam buccellam, per quam proditio ipsius Apostolis manifestabatur, Judas exierit. Jam vero ex Matth. 26, 23. Marc. 14, 21. colligitur, buccellam ante Eucharistiae institutionem Judae fuisse traditam. Ad quae simpliciter respondetur. Judam post acceptam buccellam statim quidem e coenaculo abivisse — quia Joannes significat buccellae traditione Judam irritatum fuisse, ut e coenaculo statim sese proriperet, propterea quod se esse proditorem manifestatum intelligeret —, traditionem autem buccellae non esse factam ante, sed post institutam Eucharistiam. Quamvis enim coena paschalis et vulgaris iam peracta esset, mensa tamen ipsa nondum erat remota — coenantibus ait Matth. 26, 26. et Marc. 14, 21. —; ideo potuit Christus etiam post esum tum agni paschalis, tum coenae consuetae, buccellam catino intinctam Judae praebere, et hac buccellae traditione eum manifestare. Affirmantem partem tuentur: M. Hugo de s. Victore, l. II. de sacr. p. 8. c. 4. ed. Rothom. p. 632. P. Lombardus, IV Sent. distinct. 11. c. 5. ed. Colon. 1513. fol. 167. b. S. Thomas, P. III. q. 81. art. 2. ed. Bonon. XI, 587. 8. C. R. Bellarminus, de Controv. f. l. I. de sacr. Euch. c. 13. III, 678. Corn. Jansenius ep. Ipr., in Tetrateucho ad Joann. 13, 26. ed. Lugd. 1713. p. 522. Baronius, ad Ann. 34. n. 63. ed. Luc. p. 137., Maldonatus, Comm. in Matth. 26, 20. p. 561. Sylveira, Comm. in text. ev. tom. V. p. 87. Unde etiam Ecclesia canit in hymno notissimo: „Cibum turbae duodenae, se dat suis manibus." Neque est verisimile Judam a mensa surrexisse et abiisse, antequam omnia essent peracta, alias proditionem suam ipse manifestasset. Ergo Judas non minus quam ceteri Apostoli Christi corpus accepit et sanguinem bibit, non tamen ad salutem sed ad iudicium. Denique praeter hymnum Ecclesiae pro hac

opinione allegari potest constitutio Eugenii Pontificis, quae habetur cap. 2. si sacerdos, in X. de officio Judicis ordinarii I. tit. 31.; ubi sacerdotem non debere peccatori occulto Eucharistiam petenti denegare, probat exemplo Domini, qui Judae proditori tunc occulto Sacramentum corporis et sanguinis sui, similiter ut ceteris distribuit. Neque excipere iuvat alicui, Doctoris angelici hymnum illum esse superius laudatum, quo suam de proditoris praesentia sententiam expressit; nec summa semper auctoritate pollere, quae in sacris precum officiis in Ecclesia recitantur. Ex quo enim S. Thomae Aquinatis carmen adoptavit Ecclesia; illius quoque sententiam in eodem expressam, suam fecisse videtur.

Digressio II. De nominibus quibus Maiores nostri consueverint Sacrosanctam Eucharistiam nuncupare deque verbis institutionis annotationes. Eucharistiae Sacramentum, quo nihil in Ecclesia maius aut augustius est, pro eo atque illius multiplex virtus postulat, variis apud Veteres nominibus exprimi consuevit. Ac. I. S. Literis insistentes s. s. P. P. et S. E. hoc mysterium „εὐχαριστία“ adpellarunt, quia illud Christus instituit εὐχαριστήσας, cum gratias egisset. Matth. 26, 27. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. I Cor. 11, 24. Eucharistiae denominatio antiquissimam prae se fert aetatem, quippe ea iam reperitur apud s. Ignatium, — ad Smyrn. c. 7. ed Hef. p. 229. „Ab Eucharistia et oratione abstinent haeretici, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamve Pater benignitate sua suscitavit.“ — S. Justinum, — „Atque hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia: καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παῤ ἡμῶν εὐχαριστία.“ Apol. I, 66. ed. Otto. p. 156. — s. Irenaeum, — I. adv. haer. 13, 2. p.. 146 — Tertullianum, — de corona mil. c. 3. p. 188. „Eucharistiae sacramentum antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus.“ — et alios. Nominis potestatem ita explicat s. Chrysostomus, in Matth. hom. XXV, 3. „Ideoque horrenda illa mysteria, tam salutaria, quae in singulis collectis celebramus, Eucharistia adpellantur, quia beneficiorum multorum commemoratio sunt, caputque ipsum divinae providentiae ostendunt, nosque per omnia apparant ad gratias agendas.“ VII, 510. Denique nomen εὐχαριστία et εὐλογία, quod idem est, ad hoc sacramentum maxime pertinet, cum soleat ex una parte tota actio nominari, atque sacramentum per eam, aut non sine ea, perficiatur. Unde II. μυστικῆς εὐλογίας, benedictionis consecrationis vocabulum legimus apud s. Cyrillum Alexandrinum, l. IV. c. 2. in Joannis Evangel. 6, 54. et „τὴν ζωοποιὸν εὐλογίαν“ VI, 577. Sumta est eiusmodi adpellatio ex I Cor. 10, 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας. III. Frequens denominatio est: τῆς ἁγίας σαρκός. Ita vocat s. Cyrillus Alex., l. XII. in Joannis Evang. 20, 27. VII, 696. Ita et s. Cyprianus, de lapsis. XV. II, 143. IV. Saepissime habito respectu ad fideles, qui eam accipientes Christo per omnia maxime uniuntur — Coll. I Cor. 10, 16. Luc. Act. 2, 44. — κοινωνία, communio; — cf. Conc. Nicaeni can. XIII. et XVIII. apud Harduinum. I, 330. 1. — σύναξις, λειτουργία, θυσία, προσφορά, sumtio cibi, mensa, coena Domini, convivium spiritnale, spiritualis esca; Sacramentum fidelium, μυστήριον, ob admirabilem et ineffabilem quandam coniunctionem. Corpus et sanguis Domini, quod sit ipsum vivificum corpus in ara crucis oblatum, et inenarrabili modo, manentibus specierum panis et vini accidentibus, in ipsum transsubstantiatum; immolatio, sacrificium altaris, oblatio, habito respectu, quod pro peccatis hostia offertur. Non raro V. vocatur apud sanctos Patres τύπος, ἀντίτυπον, figura corporis Christi, imago. Quo quidem nomine exterior Eucharistiae pars, quae sensibus subiicitur, spectatur.

Quod ad ipsa verba institutionis S. S. Sacramenti Eucharistiae annotare iuvat: a. Scriptores S. verba a Jesu Christo in solenni institutione Eucharistiae adhibita, non eodem modo retulisse. Differunt enim inter se, atque alter altero magis copiosus b. Suam cuique narrationi vindicandam esse auctoritatem; unde sequitur, ut est, neque verba s. Lucae, 22, 19. „quod pro vobis datur"; „hoc facite in meam commemorationem"; propter s. Matthaei et s. Marci silentium; neque illa „in remissionem peccatorum" ab aurito teste s. Matthaeo 26, 28. profecta, ob silentium reliquorum suspecta reddi posse. c. Quibus de causis S. Joannes, qui tamen recubuit in coena super pectus Christi coll. 21, 20., Eucharistiae institutionem silentio praeterierit, non satis constat, forte propterea, quod rem et traditione et usu Ecclesiae notissimam vidisset. Accedit inde a c. 13. s. manifesta occurrere indicia, quibus narrationum a reliquis Evangelistis de institutione Eucharistiae traditarum rationem habuisse Joannem ita appareat, ut dubitationi non sit locus. Praeter classica ex hoc genere loca penes Evangeliorum scriptores, verborum institutionis S. S. Sacramenti mentio fit d. a s. Paulo I. Cor. 11, 23—25. De q. s. l.

Jam vero singulas voces institutionis S. S. Sacramenti expendamus. Accepto pane Jesus dixit: Hoc est corpus meum. Nihil his quatuor verbis in Sacra Scriptura dictum erat clarius, antequam Acatholici et Increduli cum divina mysteria sensu metirentur mortali, et Verbo Dei humanae rationis iudicium, fidei humilitati superbiae suae pertinaciam anteponerent, denique ad occultandam incredulitatem suam in figuris latebras quaerentes figmentorum suorum caligine verba ista, quorum intellectus erat sane facillimus, obscurassent. Qui dissentientes Acatholicorum explicationes cognoscere avet, legere poterit in sequentibus libris: Albertini, de sacr. Eucharistiae, ed. Blondelli. Davent. 1654. Lightfooti, in Evang. Matth. 26, 27. hor. hebr. p. 477. s. s. Fr. N. Mori, Comm. exeg. hist. in Theol. chr. Hal. 1778. II, 547. s. Elsley, annotations on the four Gospels. Lond. 1824. I, 416. s. H. I. Tol, spec. acad. quo Evang. et Pauli de instituto ab Jesu Christo epulo s. narr. ill. Lugd. Bat. 1829. p. 152. J. C. Rodatz, ü. d. Einsetzungsworte des Abendmahls, in Ann. Z. f. luth. Th. Leipz. 1843. I, 65. s. III, 1. s. IV, 1. s. 1844. I, 121. s. 1848. IV, 717. Atque ibidem C. Ströbel, der Abendmahlstreit, 1841. II, 14. IV, 67. 1842. die Schriftmässigkeit der evang. Abendmahlslehre und die Schriftlosigkeit der Reformirten. III, 85. 1848. IV, 748. seq. I. C. K. Hoffmann, der Schriftbeweis Nödl. 1853. II, 1. 200 seq. Delitzsch, in Zeitsch. f. luth. Theol. 1845. II, 1. s. Richter, das Wesen des h. Abendmahls, in ann. Stud. u. Krit. 1863. p. 241. s. Nihil intactum reliquerunt hi viri, quod vel ex reconditis s. s. P. P. et S. E. operibus depromtum; vel ex Hebraeorum antiquitatibus; vel denique e S. S. loquendi ratione haustum, causam suam probaturum censebant. Quae omnia iam olim a Theologis catholicis prostrata fuerant. Prima vox quae nobis consideranda occurrit, est pronomen hoc, τοῦτο, quod demonstrat non panem, sed rem contentam sub speciebus panis; quae etsi antea fuit panis, tamen tunc iam erat Christi corpus. Secundo considerandum est verbum est, ἔστι. Hoc verbum substantivum non potest ullo alio modo accipi, in alio significationis sensu, quam in suo proprio. Nam imprimis habet simplicissimam et communissimam significationem, ita ut non possit trahi ad significationem alterius verbi. Est copula omnium propositionum, coniungens praedicatum cum subiecto, igitur non potest dimittere suum nativum sensum. Denique nullus unquam scriptor docuit

tropum fingi posse in verbo „est.“ Sequitur tandem: corpus meum, τὸ σῶμά μου. Pro vero Christi corpore accipi ex adiunctis manifestissimum est. a. Quia nusquam in Sacra Scriptura sumitur corpus Christi nisi vel pro naturali corpore ipsius, vel pro mystico i. e. Ecclesia. Cum Sacra Scriptura accipit improprie continuo idipsum explicat. Coll. Coloss. 1, 18. Idem probatur b. ex verbis apud s. Lucam 22, 19. „hoc est corpus meum quod pro vobis datur; τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον.“ Si figuratum dedisset corpus, dicendum erat: „quod vobis datur.“ Dabat ergo iis aliquid, quod pro ipsis offerretur, in peccatorum expiationem, qualis profecto res, figura corporis Christi esse non poterat; solum enim verum Christi corpus pro nobis datum est. Idem sequitur c. ex illis quae de pronomine „hoc“ monuimus. Nam si τοῦτο non demonstrat panem, ut vidimus, ruit fundamentum adversariorum; nec enim habent de quo praedicent „signum corporis“; nisi velint ipsum verum et naturale corpus esse signum sui ipsius. Refutatur d. verbis s. Pauli: „hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur — Vulgata, sed T. O. frangitur, — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. I. Cor. 11, 24. Quod neque de figura, neque de corpore Christi in cruce dici potuit, quia sacramentalem locutionem esse constat. Recte autem dicitur corpus Christi frangi, quatenus sub panis specie et sacramento est, quia panis frangitur. Oratio enuntiativa est, eaque operatoria sive efficax eius quod significatur; velut si quis voluntate donandi dicat: hoc est vestis tua. Cum enim Christus ipsa veritas, qui panem tenens manibus dixit, hoc est corpus meum; necesse est veram esse sententiam. Priusquam autem praesentem disputationem missam facimus, memoria iniicienda est figmenti cuiusdam, quod finxit Anglus Th. H. Hartvell Horne, op. an. Introduction to the Critical Study and Knowledgethe s. Scriptures. Lond. 1825. ed. V. II, 5. I. 2, 590. Contendit Christum verba institutionis syriaco protulisse sermone, — quod quidem facile damus. u. i. app. ad h. c. d. — in quo ut ait quidem nullum vocabulum habetur, quo significandi, repraesentandi, denotandi idea exprimatur. Hinc est quod phrasin — quae iam reperitur in Gen. 41, 26. — „hoc est“, tam crebre in S. S. usurpatam inveniamus pro hac „repraesentat, significat“; neque addit, quisquam hodie syriacam loquens adhiberet alia verba ad exprimendum „hoc repraesentat corpus meum et sanguinem meum“, nisi haec „hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.“ Certum quidem est hanc Horneii et aliorum ante eum, quos ipse sequitur — v. J. Chr. Wolfii, cur. ph. et cr. in Ev. I, 374. 5. — interpretationem, rem nullatenus posse conficere. Hoc enim solum inde sequeretur, in re dubia confugiendum esse ad alia Hermeneuticae s. subsidia. Attendendum sc. contextum, expendenda loca parallela, investigandum avitam Ecclesiae traditionem. Denique ultro fatente idipsum interprete acatholico Th. Hakspanio, Not. ph. th. in varia S. S. loca Altdorfii 1674. III, 170. 1. „Licet Hebraei — Aramaei — non habeant vocem, qua exprimant τὸ significat, Graeci tamen habent sc. τὸ σημαίνειν, quo Evangelistae uti potuissent.“ Sed et quae ex indole linguae syriacae contra catholicum dogma comminiscuntur heterodoxi, ea ex ipsa lingua egregie prorsus confutavit Em. C. N. Wiseman, commentat. de obiect. contra sensum literalem verb. s. s. Euch. sacr. instit., in horis syriacis. Romae. 1827. I, 16. s. Ac primo a. quidem demonstravit, tantum abesse, ut lingua syriaca vocibus destituatur figuram sive symbolum exprimentibus, ut potius hac in idea denotanda ceteris ditior existimari debeat; cum quinque ultra quadraginta vocabula habeat, quae ab optimae notae scriptoribus

syriacis, ad hoc significandum luculentissime et frequentissime usurpantur. Deinde iidem scriptores Syri b. ita verbum est refugiunt, et voces symbolum significantes repetunt, ut pene fastidium lectoribus, taediumque moveant. Sed quid plura c. Syri non solum clare insinuant posse se existentiam — si ita loqui fas est — a symbolo, suo sermone distinguere; sed et argumenta pro reali Christi praesentia in Eucharistia hinc petunt, quod Jesus non dixerit: „haec est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum." Testimonia omnino inexpugnabilia huius dicti dedit C. Wisemanus, l. c. p. 57.; quae multis editis et duobus ineditis auxit vir praeclarus Th. J. Lamy, diss. de Syrorum fide et disciplina in re eucharistica. Lovanii 1859 p. 7. s. Ast familiaris est iste loquendi modus instant adversarii, in S. S. Sed dato non concesso, d. si verbum „est" aliquando figuram notaret, millies vero in sensu obvio occurrat, quo iure pro parallelis habenda loca illa, ista vero reiicienda? En igitur exclusum e verbis institutionis omnem Orientalismum, et verba haec eodem modo sumi debent ac si latino sermone fuissent prolata.

Consecratio vini a consecratione panis fuit quidem distincta, non tamen longo temporis intervallo; vel intercedentibus aliis actibus separata, sed immediate connexa. Quod probatur ex his fundamentis. 1. Omnes Evangelistae et cum illis s. Paulus I. Cor. 10, 16. 21. 11, 24—29. uno eodemque contextu utramque consecrationem arctissime iungunt. 2. Per adverbium „ὡςαύτως" Luc. 22, 20. I. Cor. 11, 25. „similiter", et copulam καὶ indivulse et inseparabiliter connectunt. Certe Scriptores S. ita rem narrant, ut inter haec aliud quid convivas vel edisse, vel bibisse sumere nefas sit. 3. Tota Antiquitas unanimi consensu docet Christum utrumque in Eucharistiae institutione immediate coniunxisse. Inde Gelasius Papa, c. comperimus dist. 2. de cons. c. 2. divulsionem illam vehementer improbat. Idem dicunt Concilium Constantiense — sess. XIII. apud Harduinum, VIII, 381. Christum post coenam instituisse, et suis discipulis administrasse sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum. — et Tridentinum sess. XXI, 1. Posterior Eucharistiae institutionis pars circa poculum genimine vitis impletum occupatur. Fuisse in eo calice vinum aqua temperatum, tum ex usu Judaeorum cum ex traditione Ecclesiae constat. V. Concilii Trident. sess. XXII. de sacrif. Missae cap. VII. J. Bona, rer. liturg. II, 9. Op. ed Antv. 1739. p. 337. s. J. Kössing, lit. Vorles. ü. d. h. Messe. p. 312. s. Ex ipsis adeo Acatholicis l. H. Grotium, ad Matth. 26, 27. Op. th. II, 251. s. et J. Lightfootum, Hor. hebr. in Evang. Matth. 26, 27. p. 478. 9. Succedit ergo calix, qui non tam de continente, quam contento usurpatur. Christum calicem separatim benedixisse omnes Evangelistae expresserunt. Cum enim dicunt „similiter" Luc. 22, 20. I. Cor. 11, 25., perinde est ac si dicerent: similiter accepit, et similiter benedixit. Quem calicem benedictum discipulis exhibens ait: „bibite ex eo omnes." Haec verba Matth. 26, 27. Christus ideo dixit, quia corpus singulis porrexit, calicem uni tantum dedit proximo. Ne autem videretur Jesus velle ut ille solus biberet, sed ut sequentibus daret, dixit „bibite ex eo omnes". Ceterum sanguinem suum consecratum vocat vinum, sicut corpus consecratum alibi Joann. 6, 32. panem; sed cum emphasi „hoc vinum", et hunc panem. Tum α. quia ex vino et pane facta; β. quia externa species panis et vini in iis perseverat. Non possumus non, habito respectu incredulorum nostri temporis, abstinere a recitatione sobrii iudicii, quod tulit Guil. Paley, scriptor famosus inter Anglos libri, cui

titulus, the Evidences of Christianity. P. II, 3. ed. Edinburg. 1817. II, 90. Ille docte commentatus in argumenta interna pro veritate et sinceritate Hagiographorum N. T., inter alia illud protulit in medium; quod oritur ex simplicitate, qua Eucharistiae institutio narratur, additque difficultatem, quae oritur ex brevitate sermonis Christi, vitatam fore in confictis historiis. „Nullus scriptor, subiungit, arbitrarie et absque necessitate lectori difficultatem obiecisset, quae ut minime dicam acrem investigationem et eruditionem requirit, quo amoveatur." Quibus verbis, observat em. C. Wiseman, l. c. p. 67. nihil credo clarius proferre potuisset, ut fateretur, explicationem Protestantium, nulla ratione ex naturali verborum situ, vel ex circumstantiis prolationem earum comitantibus oriri. Sed ad nostra verba redeamus. Christus mandato suo de bibendo addit rationem. „Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur." Luc. 22, 20. I. e. dicit: hoc enim quod in calice, et ex calice bibendum vobis offero, est sanguis meus, inquam ille Novi Testamenti. Hoc nempe contentum in calice, quod vobis propino non est vinum vulgare, sed est — sub specie vini — verus et realis ac proprius meus sanguis, in quem divina potentia substantia vini est conversa per verba consecrationis. Apponit 26, 28. s. Matthaeus particulam „enim, γάρ", i. e. Christus invitat discipulos ad bibendum, quia est sanguis eius. Queis verbis clare docuit Christus, non in typico, sicut Vetus, sed vero et proprio sanguine Novum sanciri Testamentum. Correspondens nomen graecum „διαθήκη", quod innumeris in locis apud LXX. ponitur pro בְּרִית — V. Schleusner, Nov. Thes. II, 89, — proprie omne significat quod certum et constitutum est, in specie foedus; cuius species una est: testatio ultimae voluntatis. Apud s. Lucam oratio sine verbo est, itaque dubitatur ubi subintelligendum sit, an post pronomen „τὸ hic", aut post substantivum „ποτήριον calix". Cum s. Matthaeus et s. Marcus h. l. non solum sententiam, sed etiam verba Christi recitaverint, quia magis exprimunt quod Christus agebat, ex illis Lucae verba non solum intelligenda, sed etiam ordinanda sunt. Propositum erat tunc Christo non ut Novum Testamentum, sed ut sanguinem suum traderet. Unde „in sanguine meo ἐν τῷ αἵματί μου" v. 20. apud s. Lucam Hebraismus est, atque particula ἐν=בְּ, coll. Ps. 75, 1. Hebr. 1, 1. quae significat proprie „in", sumitur etiam loco per. Sensus est „Novum Testamentum per meum sanguinem." Solebant omnes fere gentes foedera sancire victimarum sanguine. Vetus quoque Testamentum coll. Exod. 24, 8. sanciebatur aspersione sanguinis. Idem fecit Christus dato ad bibendum Apostolis sanguine suo Novi Testamenti; non iam cum Judaeis, sed cum omnibus gentibus, quae Evangelium reciperent foedus sancire volens. Duodecim enim, qui aderant Apostoli, omnis Ecclesiae, quacum foedus inibat, personam repraesentabant. Unde et illud rursus colligitur: α. eum tunc Sacrificium obtulisse, sine quo foedera iniri non poterant. Cum ergo sanguinem suum Apostolis tradit dicens: „Hic est sanguis meus Novi Testamenti," revera Apostolos in possessionem Novi Foederis mittit; sequitur β. etiam Christum tunc verum suum sanguinem dedisse. Opponit enim sanguinem suum sanguini vitulorum, tamquam figurae veritatem. S. Matthaeus et s. Marcus continuant: „τὸ περὶ πολλῶν qui pro multis", s. Lucas autem „τὸ ὑπὲρ ὑμῶν qui pro vobis". Coniectura ducti probabili dicimus ex verbis s. Lucae et s. Pauli „τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν", Matthaei s. et Marci locutiones exponendas esse. Tum quia cum solis Apostolis loquebatur; tum quia munus illis commendabat sacerdotale,

volebatque declarare quid illis, quibus porrigebat sanguinem suum, profuturus esset. Multos autem opponit omnibus, quia noluit Judam comprehendere, pro quo eius sanguis, quod ad fructum attinet, non effundebatur. Ecclesia securitatis gratia utramque locutionem in verbis Consecrationis coniunxit. Addit Christus „ἐκχυνόμενον — part. praes. p. r. ἐκχέω, et forma grammaticis improbata ἐκχύνω — „Effundetur" vi praesentis funditur, i. e. offertur, sacrificatur; nam non ait qui vobis funditur, ut dicendum erat, si ad bibendum vinum in mensa funderetur, sed qui pro vobis fundetur. Quod cum sacrificio optime convenit, ille enim pro hominibus offertur, cum in specie liquida sanguis in calice collectus offertur Deo. Si dicere voluisset sanguinem in cruce tantum fundendum, iunxisset cum voce sanguine, non cum calice. Cum de corpore dicitur „quod pro vobis datur", non significat u. v. ad edendum; sed quod pro vobis sacrificatur: ergo et cum de sanguine, in quo sacrificii vis maxime cernitur, dicitur „qui pro vobis fundetur", ad declarandam" sacrificii naturam referendum est. Tandem subiicit Jesus verba „in remissionem peccatorum εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν", quibus apertissime docet se sacrificium pro peccatis instituisse. Christus maxima emphasi, illud quod in calice continebatur, pretiosissimum suum sanguinem dixit, illum sanguinem, quem designaverant V. T. sacrificia, illum sanguinem, quo N. T. ratificandum erat, illud denique ipsum Redemtionis nostrae pretium.

§. 25. Sermo D. N. I. C. valedictorius atque Oratio sacerdotalis.

Suavissimum sane erat guttur Christi, quia suavissimus erat sermo gutture illius effusus, suavissima vox stillans myrrham primam [1]; suavitatem vero suam maxime ostendit, cum discipulis suis in coenaculo extremum in vita mortali diceret „vale". Principio Christus turbatos Apostolos, eo quod dixerit se nonnisi modico adhuc temporis spatio cum illis versaturum, iubet esse sine ulla animi commotione [2]. Armat illos fide, cui spem consociare iubet gloriae sempiternae. In coelo multas mansiones esse ait, ad quas parandas discedat reversurus, eosque in illas intromissurus. Scire deberetis [3] inquit, quod iturus sim ad Patrem. At Thomas neque quo Christus abiret cogitans, neque viam intelligens [4]: Domine ait qui fieri hoc potest? Si nos locum, in quem a nobis discedis, ignoramus; quonam modo viam, qua iter es facturus, cognoscere possumus? utrumque nescimus. Eodem hoc ipso posito Christus Thomae respondet, viam scitis, ergo et quo vado. Ego sum via, qua itur ad coelum; sed me cognoscitis, igitur et viam scitis. Nam quod ego sum via, dubitare non licet, cum nemo illuc, quo ego vado, tendere alia via possit. Addit ego sum veritas

---

[1] Cant. 5, 13. 16. [2] Joann. 14, 1. [3] Ex iis quae saepe dixi. Cfr. Joann. 7, 33. [4] Forte aliquam remotam regionem esse suspicabatur.

et vita; doctor veri, dator vitae[1]. Si proinde cognovissetis me, qui via sum, et quo ego vado, Patrem inquam meum cognovissetis[2]. Non intellexit Philippus, quem desiderium cepit cognoscendi Deum, Patrem in Christo videri posse; ideo modeste rogat Christum, ut ipsi ceterisque discipulis Patrem ostendat[3]. Respondet Dominus, et conqueritur amice, quod a discipulis tanto temporis intervallo — triennio — nondum sit cognitum: se esse verum Dei filium, ideoque in ipso cerni Patrem[4]. Consolatorem deinde promittit — sc. Spiritum sanctum[5] —, ut maneat cum ipsis, non parvo aliquo temporis spatio, sed semper donis suis[6]. Spiritum inquam veritatis, ut qui sit e veritate[7]. Mundus spiritum hunc non cognoscit,

---

1) Observandam singulis horum nominum apponi articulum: ἡ ὁδός, ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή: ut indicetur, non quamlibet viam, veritatem, aut vitam esse Christum, sed solam et unicam. Coll. Act. 4, 12. „Quia nisi per Christum, non itur ad Christum," inquit s. Leo, serm. 67. de Pass. 16, 2. p. 120. 2) Per Filium agnitus est Pater, patuit enim vera generatione esse Patrem, qua Filium ex se genitum habeat. „Viderunt Apostoli Christum secundum carnem assumtam, in qua erat Verbum, et in Verbo Pater. Unde in ipso viderunt Patrem." Ita divus Thomas expos. aurea in Joannem, c. 14. l. II. ed. Par. 1660. XVI, 469. 3) Q. d. non ultro quaerendo erimus molesti. Tacite autem illud negat, quod Christus proxime affirmaverat, Patrem ab ipsis iam visum esse. 4) Etenim per humanitatem videbatur in Christo Verbum, videbatur etiam Pater, qui Deus est unius naturae cum Verbo. „In ipso enim et per ipsum Patris cognitio prodebatur. Sed cum hominibus salutaris appareret, tum per Filii humanam formam videbatur." Eusebius C., demonstr. ev. V, 13. p. 24. Cf. et ei. de. eccl. Theol. III, 21. ed Migne. Op. Par. 1857. VI, 1046. Probat 14, 10. id quod dixit a. illo argumento, quod ἡ περιχώρησις, circumsessio, personarum divinarum mutua inexistentia a Theologis adpellatur. V. Lombardum, sent. I. 19, 1. s. p. 25. Hanc ipsam circumsessionem ostendit eo indicio, quod quae ipse loquitur atque agit, haec Pater in ipso manens loquatur, atque agat. Neque semel proposuisse contentus b. 14, 11. et 12. probat in se habere Patrem ex doctrina et miraculis; sed et c. quod potestatem etiam discipulis sit daturus maiora, si fuerit opus — coll. Luc. 17, 6., — patrandi. Id quod solus Deus potest facere. Quae Christus his docuit, ecquis proferre audeat, quin ipse Deus sit? Cf. Patritii, in Joann. comm. p. 172. 5) Παράκλητοι dicebantur, qui a reis advocati, pro illis deprecabantur, et causas agebant. 6) Non solum de Apostolis, sed et de Ecclesia intelligendum „Vobiscum" i. e. cum Ecclesia mea manebit Spiritus s. in perpetuum, ut eam doceat omnem veritatem. Etenim semper Spiritus s. Ecclesiae necessarius est, eiusque capiti summo Pontifici, ne a veritate aberret. Apostolis enim datus est Spiritus s., ut Ecclesiam veritatem docerent, nihilque falsum illi traderent; eandem ob causam Summo Pontifici necessarius est, et s. Conciliis; ergo illis quoque a Deo datur. 7) „Alium itaque Paracletum spiritum vocat, in propria quidem hypostasi eum volens intelligi, qui tantam tamen cum ipso similitudinem habeat, tamque per omnia simili ratione operari possit ea quae et ipse operatur, ut ipse videatur

vos vero addit, quia in animis vestris erit, agnoscetis eum. Ne vero putarent ita alium Paraclitum ipsis dandum promitti; ac si Christus exinde ab ipsis semper abfuturus esset, neque eum ipsi unquam essent visuri, proptereaque moerore afficerentur, Christus subiunxit se se iterum discipulis spectandum praebiturum esse[1]. Cum victor mortis apparebo et Spiritus s. vobis datus erit, hoc experiemini; me et Patrem unum esse, et vos mihi esse coniunctissimos. Vera dilectio obsequio se probat non moestitia[2]. Cum Dominum audiisset Judas alio nomine Thaddaeus, non intelligens, quid sibi vellet Christus, cum de se cultoribus tantum suis exhibendo loqueretur, optabat non solis discipulis sed toto mundo conspicuum fieri regnum Christi; ideo quaesivit qui fit, cur non es manifestaturus te mundo? Causam reddit Dominus, non mirum est, ait, si non omnibus se manifestaret; videlicet quia mansionem faciet cum Patre tantummodo in cordibus eorum, qui praecepta sua servant[3]; illis vero minime manifestat se, qui praeceptis abs se datis non obsequerentur[4]. Haec continuat, hactenus locutus sum vobis. apud vos in corpore manens; postquam in coelum abiero, non desinam loqui vobiscum per Spiritum s. omnia vobis fuse suggeram. Valedicit postea pacemque dat discipulis discessurus; atque hunc ab ipsis discessum suum, non tristitiae sed gaudio prosequendum esse monstrat. Temporis angustiae rapiunt verba, diabolus iam extrema tentat, sed ad propriam perniciem; nullam in me mortis causam habet diabolus, sed ut mundo mea erga Patrem dilectio patefiat, moriar[5]. Surgit a mensa![6] Surrexerunt exituri omnes, et tamen adhuc in coenaculo stantibus discipulis iamiam egressurus in hortum, imprimis imaginem proponit[7] ‚vitis et palmitum'; qua monet Aposto-

---

esse Filius ac nihil aliud. Spiritus enim eius est. Unde veritatis illum nominavit, seipsum veritatem esse dicens." S. Cyrillus Al., in Joann. Ev. l. IX. ad. 14, 16. 17. ed. Migne. VII, 253.

[1]) Praeter hanc, quam vobiscum vivo, altera mihi vita est, nimirum divina; quam obita morte non amittam; haec efficiet ut corpus meum post mortem reviviscat, vosque me iterum viventem videatis. Utitur hic 14, 18. 19. et in c. seq. 16, 22. praesentibus pro futuris. [2]) Servantibus mandata praemium erit Dei manifestatio. Ei qui a Patre et ab ipso diligetur, Christus familiariter se se videndum dabit. [3]) Quales erant Apostoli. [4]) Quales sunt homines mundani. [5]) Nihil in Christum iuris habebat, quia nulla in eo culpa morte luenda. [6]) Joann. 14, 31. Verisimillimum est totum sermonem c. c. 14—18. in coenaculo habitum esse coll. Joann. 18, 1. Concedimus interim Christum surrexisse a mensa, iamque ad discedendum sese accinxisse, postquam ea protulit. Saepe enim dicimus „eamus hinc", et tamen non statim imus, sed aliquantulum immoramur. Aliunde longe dignior est coenaculo, quam via aut aliquo alio loco, divinus ille sermo. [7]) Joann. 15, 1—8.

los, ne a fide et dilectione deficiant, sed ita magistro suo coniuncti maneant per fidem ac amorem, ut palmites viti adhaerent. Ita enim fructum proferent uberrimum, si secus alioquin exscindentur et nullum producent fructum. Operam date ut maneatis in delectione mea. Hominum enim et Christi, tamquam palmitum et vitis coniunctio [1], caritate continetur [2]. Diligere vos mutuo debetis, ut si expediat mortem pro proximo oppetatis, vita enim nihil carius. Iste est amor meus, me imitamini. Vos semper habui amicorum loco, nam nota vobis feci omnia, quae a Patre meo accepi, ut abeatis in orbem et fructum afferatis fidei evangelicae permanentem. Iterum atque iterum et saepius praecipio vobis, ut diligatis meo exemplo provocati alii alios. Amorem veluti clypeum opponite odio mundi. Amori contrarium est odium, praecepit divinissimus Salvator mutuum amorem; nunc ad sustinendum odium, quo discipulos ipsius inimici persequentur, armat [3]. Si impii homines, propter hoc ipsum quod mei estis vos odio habent, scitote me praeire, prior enim ab illis odio habitus sum. Similes sibi similes diligunt. Non persequeretur vos mundus, si impii essetis et increduli. Nihil est quod praetexant impii; nam cum inter eos versatus sim instructus certis missionis meae argumentis, et scire debuerunt me a Patre esse missum. Quidquid in me, sine ulla causa, contumeliosum faciunt, id Patri meo inferunt. Sed hac in re id agunt, quod olim Davides, qui typum mei gessit, sibi fieri conquestus est [4]; unde evenit, ut hoc in me impleretur. Ceterum eorum, quae docui testem mittam Spiritum sanctum, et vos quoque eodem inspirati, idipsum testimonium de me feretis [5]; quia

---

[1]) Eleganter hac de re s. Paulinus, ep. II. ad Severum. „Nihil enim sine eo facere possumus, quia ipse est vitis vera et nos sarmenta eius. Si in eius dilectione maneamus, non arescimus, viventes succo radicis aeternae; nec ad ignem amputabimur ira, sed ad fructum putabimur disciplina, purgante nos Evangelicae falcis acie, ut castigata luxurie palmitis nostri fructuosius pullulemus.“ Magn. Bibl. P. P. Col. 1618. I. 1, 147. [2]) Joann. 15, 9—17. [3]) Joann. 15, 18—16, 4. [4]) Ps. 24, 19. 34, 19. 68, 5. V. H. R. V. T. p. 271. s. 281. s. [5]) Coll. Joann. 14, 16. 17. 26. efficitur Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere. A Patre, quia ex substantia eius procedit. Sed et a Verbo, alioquin mittere illum Filius non posset, quod tamen promittit; quoniam persona divina ab ea mittitur, a qua procedit; quodsi ab ea persona non procedat, mitti ab ea non potest. Ita s. Cyrillus Al., in ep ad Nestorium, quae habetur in Concilio Ephesino approbata I, 4. apud. Hard. I, 1291. Concilium Florentinum in decreto s. Unionis, ib. IX, 422. 986. In hoc dogmate tam Latini, quam Graeci Patres ibi consenserant. At rursus ab ista veritate defecerunt Graeci schismatici, versanturque etiam hodie quoque in maximo errore, cum dicunt Spiritum s. a solo Patre, non autem et a Filio procedere. Qua de re legendus est omnino cel. Leo

principio praedicationis meae mecum perseverastis individui vitae comites. Haec de pervicaci Judaeorum incredulitate, de odio atque aerumnis, quae vobis imminent vos praescire opportunum duco, ut cum contigerint re inexspecta non turbemini. Etenim non solum aposynagogos vos facient, sed tempus veniet ut omnis, qui interficiet vos, existimet, se Deo rem agere gratissimam[1]. Non propter crimina aliqua vos persequentur, sed quia non credunt me esse Christum a Patre missum. Tempore quo haec facere illis permissum erit, recordemini multo ante fuisse praenuntiata, atque sic certi eritis de divina mea cum scientia, tum veracitate. Quoadusque vobiscum fui, opus non erat omnia illa odia vobis denuntiari; at nunc quia me carebitis, contra adversa praemuniendi estis[2]. Discedo abiens et nemo vestrum vere expendit, quo et cur abeam? Tristitia impedit, quominus me interrogetis de rebus, quas scire vestra refert. Ne afficiamini moerore, nam expedit vobis, maximeque utilis est discessus meus. Ingens vobis pariet bonum, nempe Spiritus S. missionem[3]. Neque tamen illud vobis animo fingite, Spiritum S. ea sola tantum de causa venturum, ut in vos effusus praesidio vobis sit; veniet quippe etiam ut mundum convincat malignum ‚de peccato‘ suo, quia mihi non credidit. Ut arguat eum ‚de iustitia‘ causae meae, quod iure dixerim me esse Dei filium, cuius signum est, quod vado ad Patrem: et ‚de iudicio‘ quo propterea quod in me haud crederet, iam condemnatus est[4]. Multa restant adhuc dicenda, sed vos ea non potestis modo intelligere, cum autem Spiritus S. venerit, ille docebit vos omnem veritatem; nihil tamen praeter mea proprium loquetur. Ille me glorificabit, de me accipit; Spiritus enim meus est, cum sit Spiritus Patris, quocum unum sumus[5]. Modicum tempus erit ab hac hora, qua

---

Allatius, de Ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione l. III. Col. 1648. II, 2. p. 48. seq. II. 6, 5. p. 578. III. 1, 3. p. 878. seq. C. R. Bellarminus, Controv. gen. sec. de Christo, II, 20. s. p. 206.

[1]) Cf. Tertulliani, apolog. 1. 20. I, 54. 85. et s. Justini, in dialog. c. Tryph. n. 16. verba: „Occidistis iustum et ante eum prophetas eius, et nunc eos, qui spem in illum collocant.... aspernamini, et quantum in vobis est, afficitis contumelia, diris voventes in synagogis vestris eos, qui in Christum credunt“, p. 57. [2]) Joann. 16, 5–6. [3]) Spiritus s. sane mitti non poterat, nisi Patre reconciliato per mortem Filii, et ita nisi Illo glorificato ad nos venire. Cf. Joann. 7, 39. Christus inquam obtinuit per passionem et mortem suam a Patre, ut donaret Spiritum s. hominibus; ut quo primum omnia vivificaverat mundum creans, eodem illum instaurans iterum vivificaret. [4]) Cf. s. Augustini, in Joann. Evang. tr. 95. p. 370. s. [5]) Audiatur horum difficilium verborum optimus interpres s. Cyrillus Al. scribens: „Citra culpam igitur et reprehensionem omnem dici potest ab Unigenito quiddam accipere Spiritum eius. Nam cum per ipsum procedit naturaliter,

vobiscum loquor, — i. e. triduum — et ego clausus sepulcro non videbor, et iterum parvum tempus[1], quo videbor[2]. Non vero intellexerunt verba Christi[3] Apostoli. Ubi Dominus cerneret discipulos colloquentes et volentes interrogare, quidnam significaret illud modicum iteratum[4], non respondet directe ad id, quod quaerentes sciebat Apostolos; satis tamen innuit loqui de morte sua, ob quam tristitia erant afficiendi. Dixerat Christus plura adhucdum de sua morte, de proxima discipulorum fuga, et quid fieret postquam iterum redivivus Apostolis erat appariturus; de malis futuris, de precibus nomine suo factis atque divino auxilio[5]. Tandem toto fere humanae Redemtionis ordine enarrato, summaque Fidei exposita, Jesus levatis ad coelos oculis, et verso ad Patrem[6] sermone, pro Apostolis orat. Morte iam pulsante fores, suos more boni parentis commendat Deo Patri. Hactenus, inquit, una cum eis versans, per me illos tuitus sum, quia autem nunc abeo, tibi eos credo; illos tuere, Pater sancte mutua caritate iunctos. Habeant in ope tua tutamen, quod me praesente experiebantur. Digni vero sunt, quorum causa apud Te supplex fiam, quod et tui et mei sunt. Nec pro Apostolis tantum

---

utpote cum sit eius proprius — προϊὸν γὰρ δι' αὐτοῦ φυσικῶς, ὡς ἴδιον αὐτοῦ — una cum omnibus quae perfecte habet, accipere dicitur quae eius sunt." In Joann. Ev. IX, 1. VII, 450.

1) Quadraginta dierum. 2) A mortuis resurgens. 3) Nam non putabant mortem Christi adeo vicinam esse, nec ipsum statim resurrecturum. 4) Quoties Evangelistae Christum, de se post obitum ad vitam redituro, colloquentem cum Apostolis sistunt; toties hos notant, ut qui nihil ea de re intelligerent. Vide Marc. 9, 9. 31. Luc. 18, 34. Joann. 2, 19. 22. 5) Plorabitis ait Christus me capto, crucifixo, mortuo, Judaei autem exultabunt, quod me vita privarint. Verumtamen post modicum me videbitis magno cum gaudio redivivum. In illo die gaudii non interrogabitis me quidquam de hac re, de qua modo quaerere vultis. Multa tamen erunt, quae identidem petatis. Petite a Patre in nomine meo et accipietis, quod petieritis; ut gaudium vestrum sit plenum cum vos videritis exauditos propter merita mea. Hunc sermonem non multum apertum vobis locutus sum; instat tempus, cum iam aperte de Patre vos docebo. Petetis in nomine meo, et opus non erit rogare Patrem pro vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et ideo largietur, quod rogabitis. Vobis videmini fortes, imminet imo iam adest tempus, quo me deserto unusquisque proprium sibi latibulum quaeret, et me solum relinquatis. Quid dico me solum, non enim sum solus, Pater mecum est. Hanc habui adhortationem, ut non turbemini propter ea, quae eventura sunt mihi et vobis. Cum ab hominibus affligemini, sumite animum meo exemplo, ego vici principem mundi — diabolum —; vobis quidem pugnandum est, sed cum hoste prostrato. Joann. 16, 17—33. 6) Ad quem mox erat transiturus.

rogavit, sed et pro salute omnium credentium, qui deinceps per eorum praedicationem adducendi erant ad ipsum. Atque ita Christus sermones suos in coenaculo habitos conclusit[1].

§. 26. Christus patiens in horto olearum.

Habito ad Apostolos sermone, fusisque ad Patrem precibus, coenam clausit Jesus hymno[2]; cumque discipulis undecim relicta urbe et superato torrente Cedron[3], hortum prope montem oliveti situm petiit. Ingressus Gethsemanis virentem hortum, discipulis tamdiu considere iussis quamdiu orationem suam finiisset, cum Petro, Jacobo et Joanne remotius ad orandum secessit. Nonnihil progressus tristitia summoque angore correptus est[4]; quod et aperiens tribus illis Apostolis, comites secum manere et vigilare voluit. Deinde ab iis discedens intervallo eo, quo lapis manu iaci potest, in genua prostratus atque in vultum pronus preces ad Patrem fudit magna voce[5] ‚Abba' illud ingeminans; adeo quidem anxius, adeo saucius dolore, ut non semel sed iterum, ac tertium funderet easdem[6]. Rogavit autem Deum, ut dolores acerbissimi[7] morsque dirissima, ab eo sic avertatur, ut liber ab ea foret, et immunis, si sapientissima eius consilia id paterentur[8]. Interea autem

---

[1]) Joann. c. 17. p. i. Ad q. v. c. P. G. Stark, Par. et Comm. in Ev. Joann. XIII—XVI. Jen. 1817. Chr. Knapp, comm. VIII. et X. in script. v. a. ed. 2. Hal. 1823. p. 271. s. 327. s. Lehmstedt, comm. ad deprecationis sacerdotalis locum Joann. 17, 24. Ascherleben. 1836. p. 3. s. Quae omnia — ut optime advertit Fr. Suarez, S. J. Th., Comm. ac Disput. in III. P. D. Thomae, t. 2. q. L, 4. disp. 40, 7. ed. Mog. 1616. p. 416. — sc. agni esus, lotio pedum, institutio Eucharistiae, coena communis, discessus Judae, non potuerunt citius quam per tres vel quatuor horas perfici. Ex quo sequitur, si Christus sub horam sextam discubuit — nam illa hora sol in aequinoctio occidit — hora circiter decima egressum ad montem Oliveti. [2]) Quem Judaei cantare solent in festo Paschatis, quique Psalmos 113—118. complectitur. Constat enim satis Jesum cum suis Apostolis in comedendo paschate, Judaeorum ritus diligenter observasse. [3]) F. Not. geogr. p. LXXXIV. et H. V. T. p. 264. [4]) Scilicet cum non unius hominis nonnulla, sed omnia peccata, ipse verus homo sustineret; solus videt, atque sentit terribile illud et horrendum irati Patris iudicium. [5]) Ad extremum usque spiritum muneris Messiani ab ipso suscepti memor. [6]) Hebr. 5, 7. [7]) Quos iuxta tritam loquendi consuetudinem per ποτήριον expressit. Cf. Matth. 20, 22. Joann. 18, 11. [8]) Hanc igitur

extrema aegritudine animi cum morte luctantis[1] solutus est in tantum, ut prae anxietate sudor magna copia e Christi corpore deflueret, atque guttae sanguinis in terram caderent[2]. Tantus talisque fuit Salvatoris dolor, ut missus sit Angelus Christo corroborando. Teporem discipulorum et somnolentiam interim nec iteratum in praesenti periculo magistri monitum excussit; cum iam proditor male vigil, sub osculi insidiis immineret, et armatam manum ad

---

simul addidit conditionem „si possibile est". Quasi diceret, si fieri potest per aeternum tuum propositum et consilium Patris. Jesus cum preces suas in hunc modum claudit, se Deo non parere tantum, sed et assentiri, voluntatemque suam, contra naturale desiderium, subiicere voluntati Patris sui, ostendit evidenter. Quae praecipua pars obedientiae ipsius fuit. Cum anima ipsius moesta esset ad mortem, minime destitit, sed eo magis intendit vim orationis, quo maiori esset in angore. Sed plura h. d. r. in append. h. c.

1) Cf. J. A. L. Hoffmann, Comm. Quomodo singularis illa Jesu anxietas, quam Lucas ἀγωνίαν vocat, sit explicanda. Lips. 1830. p. 19. 2) Luc. 22, 44. Nil mirum, quod Jesus in angore illo maximo sudavit vere sanguinem. Ostensum a variis medicis atque inprimis a Thoma Bartholino l. i. c. est, sanguinem secundum legem naturae morbo laborantis ex hominum corporibus exstillare subinde. Haud vero vasa thesaurum illum sanguinis in angustis cutaneis contentum facile effundunt, nisi vitio laborent. Verum in corpore non morboso fieri vix solet nisi a magno animi affectu. Magnam animi contentionem intendere motum sanguinis, eumque per minora vasa iam dilatata, quae lege naturali subire non solet, urgeri expellique posse haud inficiantur medici, quos vide apud Bartholinum, de cruce Christi hypomn. IV. de sudore sanguineo. ed. Lugd. B. 1695. p. 184. s. Grunerum, de J. C. morte vera. Hal. 1805. p. 32, s. 109. s. Trusen, Darstellung der bibl. Krankheiten. p. 179. s. Fridrich, zur Bibel. Nürnb. 1848. I, 283. Stroud, a treatise on the physic. cause of the death of Christ. Lond. 1847. p. 379. s. Loenartz, de sudore sanguineo. Bon. 1850. Id vero ab inaudita Christi agonia contigisse s. Lucas significat 22, 44. „Cum videlicet cor contremisceret et ossa similiter, ac cor speciem haberet liquescentis in ventrem cerae, ut sciremus Patrem voluisse etiam in eiusmodi perpessionibus Filium suum vere propter nos versari, neve diceremus illum, cum Dei Filius esset, non sensisse, quae ei inflicta sunt, quaeque ei acciderunt." Ita olim iam divus Justinus, dialog. c. Tryphon. n. 103. p. 355. Nec sic quodsi salva dignitate divina Christo licuit ipsam mortem subire; eadem dignitas divina ne quid exinde detrimenti ceperit, quod mortis impetum sentiret, verendum est. Nihil enim eorum, quae humanae naturae conveniunt, a se alienum esse putavit Jesus, omnibusque sortis humanae malis, incommodis et molestiis exercitatus, sollicitatus et fatigatus est teste Apostolo ad Hebr. 4, 15. Ut quo plures et graviores ipse perpessus est calamitates, eo facilius opem ferre possit mortalium generi varia miseria presso. Id. Hebr. 2, 8. Haec Christi orantis pugna, haec agonia, unde sanguinei sudoris origo.

illud proditionis signum e longinquo attentam post se traheret, conflatam e romanis militibus[1] et ministris iudaici senatus[2].

Etiamnum loquente adhuc Jesu apparuit cohors, quam ducebat Judas. Traditor itaque accedens ad Christum: ‚Ave' inquit ‚Rabbi'; simulque eum osculatus est. Jesus cui non incognitum erat, quid sibi vellet osculum, quod ipsi dabat Judas: reponit illi ‚amice ad quid venisti[3]?' Recepit se statim proditor ad milites, quibus obviam occurrentibus Jesus ultro prodit, ac intrepidus se offert. Interrogat autem, quemnam quaerant in secessu illo atque silentio noctis. Illi vero responderunt, quaerere se Jesum Nazarenum[4]. Quo audito Jesus ait ‚ego sum'. Hoc solo verbo, qui missi fuerant ut eum caperent, regressi in humum attoniti ceciderunt[5]. Mox erectis satellitibus eos denuo interrogavit, quem quaererent[6]. Iis, cum idem ac prius respondissent, iussis, ut a comitibus suis abstinerent, facta potestate impias eorum manus admisit. Quod non ferens Petrus animi fervore excitatus, confestim evaginato gladio uni militum auriculam dexteram amputavit; sed eam Jesus illico sanam restituit, compresso gravi oratione Petri conatu, atque ut gladium reconderet praecipiens. Supervacaneum videbatur, ut qui angelicarum legionum praesidium respuerat,

---

[1]) Diebus festis, inprimis Paschatis, quia tunc magnus erat populi concursus; romanos praesides militum cohortem ad custodiam templi collocare solitos, docet Josephus, Antiq. XX. 4, 3. I, 966. Cohors illa hic intelligenda, ita tamen ut non necesse sit cohortem totam adfuisse, sed illius partem. Cautum ergo a iudaico senatu est, ut „servato ordine legitimae potestatis, nullus tenentibus auderet obsistere". S. Augustinus, tract. 112. in Joann. n. 2. p. 784. [2]) Quorum opera utebantur ad prehendendos, quos pro sontibus habebant; atque ut certi essent Jesum ex ipsorum manibus non posse elabi, cum facibus veniunt lampadibusque. [3]) Cf. interpr. J. A. Martyni-Laguna, in Bertholdtii Kr. Journ. 1820. p. 4. s. [4]) Juxta vulgarem illam loquendi consuetudinem, qua Jesus dictus est ὁ Ναζωραῖος. Matth. 26, 71. Quoniam in Nazareth pene per triginta annos habitarat una cum parentibus, tanquam a patria adpellatus est Nazarenus. Cf. H. Niqueti S. J. Tit. s. Crucis. Antv. 1670. p. 66. s. 105. s. H. R. D. N. T. p. 15. n. 3. [5]) Pavore divinitus eis immisso. [6]) Queritur quod ad ipsum capiendum exierant cum armis, ac si latro foret, qui capi non poterat nisi armata manu; cum tamen vitam inter ipsos egerit quietam, docueritque in templo. Postea veram aperit horum omnium causam: potestatem a Deo concessam diabolo, ut suum impetum faceret in Jesum.

unius discipuli armis ad sui defensionem indigeret[1]. Haec ubi sic fiunt, res discipulis timorem magnum incutiunt tremoremque. Affirmarunt se vel mortem subituros cum ipso. Nunc vero cum Jesum capi vident, seque non liberare ex manibus hostium infensissimorum, eum deserunt, fugiuntque non unus eorum aliquis et alter, sed ad unum omnes[2]. Tum iuvenis quidam, e villa proxima Gethsemani, ad tumultum excitatus veste nocturna tectus Christum sequebatur; et nisi fugam maturasset, etiam captus fuisset a cohorte, quod edito signo Domini sectatorem eum esse agnoverit[3].

§. 27. Examen et iudicium Caiphae.

Romani igitur milites atque ministri iudaici senatus[4], Juda duce, Jesum vinctum, media nocte tradere tenebantur pontificibus maximis, et senioribus populi, qui sanguinem ipsius sitierant iam dudum. Ex horto Gethsemanis itaque stupente populo novitatemque mirante, eum duxerunt Hierosolymas in aedes Annae Pontificis maximi[5]. Nil ab Anna patratum in eius domo circa Christum, nil quaestionis, nil iudicii, sed postquam satiata est pontificis videndi cupiditas, Jesum veluti reum ad Caipham amandavit, ne in alienum munus invaderet. Cohortem sequi, cum huic negotio incumberet, ex Apostolis tutum fuit nemini. Petrus tamen, qui cum reliquis fuga sibi consuluerat, et alius quidam ex discipulis, e longinquo sequebantur, ut rei coeptae cum Jesu finem spectarent. Quia vero discipulus iste Caiphae eiusque familiae notus esset, intravit ipsam pontificis maximi aedem, dein et ut Petrus admitteretur impetravit[6]. In atrio cohors quae Jesum deduxerat, igne

---

1) Ex his dictis et factis Judaei qui aderant summam D. N. J. C. mansuetudinem divinamque simul potentiam intelligere potuissent; nisi mens illis pravitate et iniquitate obcoecata fuisset. 2) Legimus ista apud s. s. Math. 26, 36. s. Marc. 14, 32. s. Luc. 22, 39. Joann. 18, 1. 3) Marc. 14, 50. 51. 4) Qui missi erant cum praefectis suis. 5) Habuit Caiphas uxorem filiam Annae, hinc Annas ipsius socer fuit. Ad Annam propterea prius, quam ad Caipham, qui erat pontifex anni illius, ductus est Jesus; quod milites prae voluptate de tali ac tanto captivo gestientes apparatissimum Annae spectaculum exhibere voluerint, non ignari et genero et socero id fore pergratum. Cf. s. Augustini, in Joann. tr. 113, 5. p. 788. 6) Quisnam autem iste fuerit discipulus, ex mente s. Augustini, in Joann. tr. 113, 3. non temere affirmandum est, quia tacetur. p. 786. Quamquam id post s. Chrysostomum, in Joann. hom.

excitato algentis brumae frigus depellèbat, cui etiam Petrus sese adiunxit[1]. Magnus populi iudaici Senatus, qui in aedibus Caiphae pontificis congregatus, media licet nocte, fuit; Jesum condemnare non potuit ac morti tradere violentae, nisi causa ipsius in speciem diligenter cognita, atque obtento crimine sat gravi[2]. Jesus vocatus in conclave, in quo concilium Judaeorum

---

83, 2. p. 491. et s. Hieronymum, ep. 127. ad Principiam n. 5. p. 955., multis etiam recentiorum interpretum visum sit s. Joannem Evangelistam fuisse, plura tamen huic sententiae obstare videntur. Cum enim hic *a.* non minus Galilaeus esset quam s. Petrus, non intelligitur quomodo α. summo Pontifici notus fuerit; et β. cur minus quam ille de Jesu ab adstantibus interrogaretur. *b.* Joanni de se loquenti moris est, quidem nomen supprimere suum, sed aliam tamen periphrasim adhibet, quam quae Joann. 18, 15. reperitur. *c.* Neque adeo notus esse Pontifici potuit s. Joannes, ut virum ignotum in palatium Pontificis, qui cum ipsi nexus intercedebat deduxerit. Verosimile est hunc discipulum fuisse civem Hierosolymitanum, ex eorum numero, qui clam favebant causae Christi. Coll. Joann. 12, 42.

[1]) Nox Mensis Martii frigida id poposcebat. Sic Petrus occasionem praebuit negationi suae ter repetitae. [2]) Quodsi ad modum, quo ad ferendam sententiam eo tempore usi sunt Judaei, attendamus, sanctionibus „de iudiciis capitalibus“ temere violatis fiebat. — Leguntur istae sanctiones tr. „סנהדרין“. Gem. Hier., quem illustr. hebr. et lat. edidit Bl. Ugolinus, Thes. Antiq. XXV, 1. s. — Sive enim iudices spectemus, sive definiendi rationem, sive quo loco haec acta sint, ἄνομα omnia quidquid in contrarium garriat Judaeus Saalschütz, das mos. Recht. p. 623., scriptione blasphema der Process Jesu. Judices quidem quod concernit, causa in praesentiarum tractanda erat criminalis, quales apud Hebraeos „דיני נפשות“ audiunt. His diiudicandis soli Sacerdotes et Levitae, et ex Laicis praestantiores et nobiliores, variarum rerum scientia prae aliis conspicui, idonei erant. Quales quominus praesentis iudicii assessores credamus, Caiphae verba nos movent Joann. 11, 49. 50., ad cuius solius instantiam Christo mortem decernere non dubitant, id quod sanctione penes ipsos expressa erat prohibitum. Unde nec miramur, quantum ad rationem definiendi tam perverse porro ab iis actum esse. Coll. Matth. 26, 59. s. Posita omni fronte, ac veluti mentis inopes, cum alias testes, qui capitis aliquem accusaturi erant omnibus modis ab incepto retrahere consuevissent, nunc ipsi testes eosque falsos conquirunt. Denique nec eo quo par erat loco haec geruntur. Erat inter conclavia illa, quae Templum habebat bene multa, quoddam „לשכת גזית“ nuncupatum, iudiciis exercendis ita proprium, ut extra illud circa „דיני נפשות“ imprimis nihil rite decernere possent iudices — V. Cod. Middoth. cap. ult. th. ult. Gemar. ad Abod. sar. fol. 8. p. 2. — Cum iam constet synedrium in domo Caiphae convenisse, cautionem omnem, qua in fundendo sanguine uti alias iussum erat, abfuisse deprehendimus. Et ea quae hactenus observavimus vitia augentur, quod consessus iste celebretur tempore quoque, multis nominibus vetito. De capitalibus iudiciis et inchoandis et absolvendis — in cod. Sanhedrin. cap. IV. §. 6 — traditur

sedit, a summo sacerdote de doctrina sua discipulisque interrogatus est[1]. Poterat Jesus a quamplurimis, qui docentem ipsum audierant, accusari convincique, si doctrinam sparsisset seditiosam: sed bene sibi conscius, ad eos omnes qui ipsum audire cupierant provocat; seque non interrogandum, sed auditores suos dicit[2]. Palam inquit, se esse locutum in templo et synagogis, nec quidquam praeterea in occultis coetibus docuisse. Ex adstantibus unus[3] existimavit, Jesum se non reverenter satis gerere erga pontificem, iramque in promtu gerens dedit alapam Jesu. Ad facinus tam indignum Christus tranquilla se tuetur ratione aiens: si quidquam contumeliosi[4] sum locutus, stamus hic coram iudice, ut testis accusa me de ea re et convince: sin autem nihil locutus sum, nisi quod rectum est et decorum, iniurium est, quod me caedis. Post hoc examen principes sacerdotum quaerebant testes, e quorum testimoniis Jesum criminis accusare possent, quod valeret ad eum apud procuratorem Caesaris damnandum; sed irrito conatu. Nonnulli falsi testes auditi sunt, quorum tamen accusationes illi damnando ipsis adeo synedris minime sufficiebant. Duorum tantum criminatio aliquid ponderis habere visa est. Testantur Christum

---

„דיני נפשות דינן ביום וגומרין ביום" l. c. p. 99. „iudicia capitalia interdiu peraguntur et interdiu perficiuntur.“ Et mox §. 7. decernitur „iudicia capitalia perficiuntur eodem die ad absolvendum, at postridie ad condemnandum; ideoque non iudicant vespera sabbati, neque vespera diei festi.“ Sed longe secus cum Jesu egit synedrium. Nam et noctu inchoatum ab ipso iudicium, et pronunciata sententia damnatoria; idque pridie sabbati fuit. Certe nisi S. S. fallere ac falli nescia auctoritas, omne dubium abesse iuberet quam longissime, vix crederemus talia a Judaeis patrari potuisse, traditionum suarum alioquin tam tenacibus. Nos interim hisce non immoramur; legantur, qui de hac materia pluribus egerunt: Mercken, Obs. cr. p. 397, s. M. J. Hoffmann, process. crim. synedrii M. in Thes. th. ph. II, 216. seq. Ant. Bynaeus, de morte J. C. Comm. II, 253. J. Gurlitt, Lect. in N. T. sp. IV. expl. c. XVIII. Ev. Joann. Hamb. 1805. Hug, Gutachten II, 156. s. J. H. Friedlieb, Archäologie der Leidensgeschichte. Bonn. 1843. p. 86. s. M. Dupin, Jésus devant Caiphe et Pilate, ou procès de Jésus-Christ. Par. 1863. p. 34. s.

[1]) Cur discipulos colligeret, nominatimque illos duodecim primae admissionis, quoniam hoc speciem praebebat seditionis, ut occasionem inde arriperet commodissimam tradendi eum tamquam seditiosum Procuratori Romano; prout hoc revera praecipuum caput accusationis coram Pilato fuit. Luc. 23, 2. [2]) Etiam Lex iubet a testibus incipere. [3]) Procul dubio ad custodiam captivi. [4]) Quo laesus Pontifex maximus est.

dixisse, se Templum eversurum et trium dierum spatio restituturum[1]. Jesu nec quidquam reponente summus sacerdos[2], sperans se venaturum aliquid ex ore Christi, quod facere posset ad eum damnandum, interrogavit cur nihil responderet?[3] Jesus vero non minus ac antea tacuit[4]. Tunc Caiphas ut ex ipsius sermone elicere posset confessionem, quam sufficere existimabat ad damnandum; interposita iurisiurandi religione iussit eum dicere, num ipse sit Christus Dei Filius?[5] Cui Jesus: tu dixisti; quin Filium hominis Dexterae Dei assidentem, nubibus vectum ad iudicium descensurum vos aliquando visuros praedico. His auditis Caiphas discidit vestimenta sua[6], et nullis amplius opus esse testibus pronuntiat, ad Jesum morte mulctandum[7], quoniam ipsi audivissent eum blasphemantem. Rogat itaque reliquorum suffragia, qui Jesum tamquam blasphemum mortem meruisse clamant. Jesu damnato, adparitores qui vinctum tenebant illum ut hominem diris devotum[8], omni ludibriorum atque contumeliarum genere vexare coeperunt. Impuri homines Jesum sputis contaminarunt. In signum

[1]) Erant hi duo falsi testes, quoniam a Jesu se audivisse quidquam testantur, quod ita, ut illi proferunt, dictum est numquam. Christum onerant crimine irreverentiae erga Templum; tamen Jesus si vel maxime dixisset, quod falsi testes affirmant, nihil locutus fuisset, quod iudicari poterat morte esse dignum; omne quod ex verbis Jesu inferri potuisset, vana iactantia ostentatioque fuit. [2]) Ac si gravis foret haec accusatio. [3]) Q. d. Certe non levis accusatio est: templum Dei destruere, quis hoc vel cogitare ausit, nisi sacrilegus? [4]) Valde notandum, quod Christus neque in synedrio adversus falsos testes, neque in praetorio adversus Judaeorum pontifices, quia ex iudicibus in actores erant conversi, se defenderit. Siluit coram Judaeis, quia testimonium quoad verba et sensum erat inversum; siluit coram Procuratore, causa fuit quaestionum qualitas, quae ad Pilati forum non spectabant; partim sublimitas, cum ipse earum capiendarum par non esset. Locutus est, quando vel indignitatem facti volebat exprobrare inimicis; Matth. 26, 55. 56. Joann. 18, 23. vel calumniam a sua doctrina tanquam seditiosa amoliri; Joann. 18, 20. vel quando interrogabatur de sua persona, Matth. 26, 64. Luc. 22, 67. 70. aut munere. Joann. 18, 34. Silentis igitur et loquentis alternatio gravissimas habuit rationes. [5]) Quamvis Jesus Caiphae malas artes nosceret, tamen ob reverentiam Numinis, utque veritatem illam non proderet suo silentio, non tacet amplius sed sine ambagibus respondit. [6]) Quibus utebatur. Fecit hoc pro more gentis. [7]) Secundum Legem, quae lata est in Levitico 24, 11. 14. 15. 16. Ex hac lege petunt decisionem, Christumque capitali poena dignum esse synedri proclamant; interim tamen supplicii genus non exprimunt. [8]) In quem nihil foret illicitum.

quasi fastidii contemtusque colaphis exceperunt, convitiis illuserunt, tum alia contumeliosa nequissimi isti homines oggerebant[1].

§. 28. Trina Petri negatio.

Inter haec Petrus qui ad ignem cum militibus stabat in atrio, ab ancilla quadam ostiaria agnitus, atque ex iis esse qui secuti Jesum sunt, eumque habuerunt pro magistro proditur; quod quidem Petrus coram omnibus pernegavit. Cum ex atrio in vestibulum domus iret, non longe adhuc a servis ministrisque digressus galli cantum primum audivit. Tum ad ignem reverso id ipsum etiam ancilla alia dixit. Ille vero rursus se Jesu discipulum infitiatus est, protestatus se ne facie quidem hominem nosse. Negat se illius fuisse sequacem, non nudis uti quidem ante verbis, sed quo maior ipsi adhiberetur fides cum iureiurando. Post elapsam circiter horam, quidam ex adstantibus servis[2] rursus eum se cum Christo in horto vidisse affirmat. Assensere ceteri omnes, ex ipso loquentis sermone probantes quod Galilaeus esset[3]. Petrus cum eum

---

1) Crudelitatem sapiunt immanem et prorsus indignissimam, cum alias ad mortem condemnatis, utpote iam satis superque afflictis, afflictionem uberiorem addere nefas esset. Quae habentur apud s. s. Matth. 26, 67. s. Marc. 14, 63. s. Luc. 22, 64. s. Joann. 18, 13. s. 2) Malchi illius, cuius aurem Petrus absciderat cognatus. 3) Debemus haec candidae ingenuitati Evangelistarum, qui ne Apostolorum quidem culpas dissimulant. S. Joannes narrationi suae de Petri negatione secunda 18, 25 praemittens rem, cuius et v. 18. meminerat, quod scilicet s. Petrus steterit et calefecerit se cum servis et ministris; clare ostendit, Petrum in eodem loco consistentem abnegasse Jesum secunda tertiaque vice, quo illum vice prima abnegaverat, et ex quo pedem nusquam moverat deinceps. Nimirum in domo non Annae, sed Caiphae, qui illo quidem anno erat Pontifex M. Coll. Joann. 18, 13—18. Cum vero idem S. Joannes ib. v. 25. scribat „dixerunt" in numero plurali, egregie confirmat, quae s. Matthaeus refert, id et aliam ancillam fecisse 26, 71., et cum illa eandem quoque ianitricem, quod s. Marcus observat, 14, 69. et servum ex circumstantibus, quod s. Lucas habet. 22, 58. Omnes Petri negationes, Caiphae in domo peractas e Matth. 26, 69. s. Marc. 14, 66. s. Luc. 22, 56. s. tenemus, utpote qui ne meminerunt quidem Jesum abductum fuisse ad aedes Annae. Quod etsi minus perspicue a s. Joanne quoque traditur. 18, 15. Hoc posteriore loco vocem „ἀρχιερεὺς" de Caipha intelligendam esse, sequentia evincunt rerum momenta. *a.* Vox pontifex cum in numero singulari ponatur, de solo sacerdote summo accipitur, quare s. Marcus solo hoc titulo Caipham designavit,

arguerent tam multi[1], non modo iterum negavit, se Jesu discipulum fuisse; sed insuper anathema sibi precari coepit. Vix haec dicere absolverat, gallum altera vice cantantem audivit, Jesusque concilio soluto ductus in atrium, in quo Petrus stabat, faciem suam ad eum convertit[2]; ut hoc intuitu admoneret illum tacite de

---

omisso nomine proprio. *b.* Joannes diserte annotavit v. 13. Caiphas erat Pontifex anni illius: itaque Annam numquam ornavit titulo Pontificis. *c.* Jesum ad alium ab Anna deductum esse s. Joannes satis indicat v. eodem scribens „et adduxerunt eum ad Annam primum πρῶτον"; quae transitio tacita est ad ea, quae facta sunt in domo Caiphae. Quod adhucdum *d.* legitur Joann. 18, 24. „misit — pro „miserat" ut Matth. 16, 3. — eum Annas ligatum ad Caipham pontificem", epanalepsis est S. Scripturae frequentissima, et a s. Joanne adhibita, ut quae in domo pontificis gesta narraverat, de illa Caiphae intelligenda moneret. Sic et seriei historiarum s. Joannis et concordiae ipsius cum ceteris Evangelistis consultum satis est. Cf. C. Hasaei, aphor. th. ill. hist. Pass. C. in palatio Caiphae, in novo Thes. II, 549. s.

[1]) Cumprimis quia mentione horti, in quo cognato uni adstantium auriculam amputavit, premi se sentiret; potuisset enim ideo accusari ceu violatae publicae potestatis reus. [2]) S. Lucas 22, 61. ait „conversus Dominus respexit Petrum". Super hoc intuitu variae sunt eruditorum sententiae. Quidam hoc „conversus respexit" improprie sumunt de oculis gratiae et misericordiae. At proprie accipiendum esse inde patet, quod illud „respexit" intime coniungatur cum „conversus", i. e. quod Christus aversa a servis, quibus traditus fuerat facie, eandem converterit ad s. Petrum. Ita enim usurpatur verbum „στρέφειν" Matth. 7, 6. Luc. 10, 22. Joann. 12, 40. Atque illa intuitio satis commode fieri potuit. Nam licet nobis ex Evangelio palatii pontificalis structura haud innotescat, verosimilius tamen creditur domus Caiphae vestibulum habuisse „πυλών", quod Vulgatus Matth. 26, 71. reddit „ianuam." Post vestibulum erat aula, unde s. Marcus id quod d. Matthaeo dicitur „πυλών," vocat „προαύλιον" 14, 68; quia pars illa domus fuit πρὸ τῆς αὐλῆς. Aula ipso vestibulo depressior erat. Unde non erit difficile, quae diversa diversi Evangelistae dicere videntur, conciliare. Cum ministri sacerdotum stitissent Dominum ad vestibulum, ubi synedrium sedebat, Petrus u. s. v. perrexit cum illis in atrium, in aulam — ἔξω foris, extra nempe vestibulum — in qua ignis accensus erat. Atque adeo si consideremus locum, ubi interrogatus est Christus a pontifice, editiorem fuisse credimus, eo ubi Petrus morabatur. Si porro conceperimus haud fuisse pariete aut velo distinctum, intelligemus, quomodo Christus facie retroversa inde Petrum etiam oculis corporis adspicere potuerit. Cf. Ichnographiam aedium summi Pontificis apud Lamy, Comm. in Harm. l. V, 29. p. 553. Descriptionem lege apud J. Wichelhaus, Comm. z. d. Gesch. des Leid. J. C. p. 48. Quae licet vera sint, plane tamen opinamur praeter illam intuitionem propriam, etiam impropriam concipi posse et debere. Quod scriptum legimus „respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter Petro subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit; interiore gratia sua visitavit Petrum,

§. 29. Christus in praetorio Pilati.

Monitus Pilatus Judaeos adesse, qui hominem vinctum traderent, nec praetorium tamen ingredi velle[1], immunditiem veriti, ipse ad eos extra praetorium exivit[2]. Quid deinde accusationis in illum adferrent, petivit. Viguit olim apud Romanos iustitia, ut condemnarent neminem, nisi prius accusatione audita, ac reo data copia defendendi se ipsum. At Judaei irati cum supercilio responderunt, scire satis possis eum esse reum, quoniam alias ad tuum non accederemus tribunal. ‚Expetierunt exsecutorem magis saevitiae, quam arbitrum causae‘[3]. Tum ille sceleris accusatum in eorum manus permittere, muectandum pro Lege iudaica dixit[4].

---

cooptationem alterius ad complendum collegii numerum, unde unus exciderat. Id constare ait non sua tantum, aut quorundam e suis notitia, sed universae urbis Jerusalem: in qua per illos dies nihil aeque rumoribus dilatum fuerit, quam Judam, postquam relata proditionis mercede effecisset, ut novus ager sepulturae peregrinorum accommodatus inde vocaretur ager sanguinis, illum inventum homicidam sui, in voraginem abiectum fuisse. Cf. J. Gronovii, exercitat. acad. de nece Judae. Lugd. B. 1702. p. 151. s. 179. s. J. Warnecii, de suspendio Judae diatr., in Thes. n. p. 304. s. Lakemacheri. Obs. phil. V, 6. p. 259. V, 7. p. 288. s. A. Ansteni, de genere mortis Judae, in Thes. th. ph. II, 410. s. Cf. e. E. G. Schultz, Jerusalem. Berl. 1845. p. 39. Not. t. s. geogr. p. LXXXV.

1) Quoniam gentilis homo erat Pilatus, cum servis suis militibusque, eorum contactu se contaminatum iri existimabant, ne ergo ab esu paschatis, donec expurgati forent, abstinere cogerentur Judaei manserunt extra praetorium. 2) Eorum moribus scilicet hoc concessit, consuetudinibusque. 3) S. Leo, serm. VIII. de Pass. n. 2. p. 57. 4) Pilatus ironice inquit: si vos eum deprehendistis reum, mihique non est concessum ipsius causam cognoscere, accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate eum. Qua de causa ad Jesum interficiendum Pilati ministerio utantur Judaei, in controversia ponitur. S. Cyrilli Al. in Joann. Ev. l. XII. ad 18, 31. 32. VII, 615. sententia haec est „Vetari se ab impia caede aiunt, quia ad agni comestionem purificati erant. Ipsi enim ad impium illud facinus suscipiendum promtissimi erant, nec ullius ad id ope indigebant.“ S. Cyrillo assentitur Baronius, Annal. Eccl. ad ann. 34. n. 77. ed. Luc. p. 142. Potuisse pontifices cum senatu, servata quippe limitata prisci iuris exercendi libertate, poenas mortis reis infligere ex recentioris aevi interpretibus credunt: A. Bynaeus, de morte J. C. comm. l. III. Amst. 1698. I, 14. p. 27. s. S. Deylingius, Observ. S. II, 33. de Judaeorum iure gladii tempore Christi. p. 313. s. J. T. Krebsius, Obs. in N. T. e Flavio. Lips. 1755. p. 155. J. L. Wagner, de synedrio eiusque iure gladii. Marb. 1741. Wolfius, cur. phil. ad Joann. 18, 31. p. 905. Kuinoel, Ev. Joannis. p. 651. Döllinger, Christenthum und Kirche. p. 454. s. Juxta commune

Male sibi conscii responderunt, nobis non licet interficere quemquam. Cum Pilatus ad primam instantiam non vellet esse vindictae illorum satelles, insolescunt clamantes: non solum ab aliis audivimus, sed ipsi testes oculati sumus, hunc rempublicam turbare et subvertere [1]. Compertum sibi: Christum esse hominem avertentem populum a Romanorum obedientia, prohibentem Caesari tributa dare; idque ex eo probant, quoniam audierunt dicentem se regem esse. In praetorium ergo iterum intrat Pilatus de rebus tam gravibus scilicet cogniturus solenniter, atque ad se vocat Jesum et crimen iudicat. Jesus qui coram Pilato stabat, tunc ab eo interrogatus: an esset Rex Judaeorum, se esse respondens; vicissim quaesivit, num a semetipso hoc diceret [2]. Aegre admodum haec verba tulit Pilatus: populares tui te ut talem, ait, accusant. Ad haec Jesus nobilem illam edidit confessionem: me regem esse non nego; sed regnum meum non est de hoc

---

autem plurimorum eruditorum placitum, nullum erat apud Judaeos eo tempore ius sanguinis, et quamvis illis de criminibus capitalibus cognosci permitteretur, capitalis tamen sententiae latio et exsecutio ad provinciae procuratorem spectabat. Ita censent: Casaubonus, exercit Antibar. XVI, 77. p. 610. H. Relandus, Antiq. s. V. H. II. 7, 9. p. 123. Basnage, Annal. eccl. ad a. D. 33. I, 381. B. Carpzovius, annot. XV. ad Schickardi, ius regium Hebraeorum theor. 14., in Thesauro Ugolini XX, 628. C. Iken, diss. ph. th. Leid. 1749. II, 517. s. Diss. II de temp. celebr. a Serv. ult. coen. Pasc. Fr. Lücke, Comm. ü. d. Ev. Joann. II, 735. s. Friedlieb, Archaeolog. d. L. p. 96. Ebrard, das Ev. des Jo. p. 150. s. H. A. W. Meyer, Ev. d. Joann. p. 468. s. Keil, Handb. d. bibl. Archäol. II, 258. s. M. Dupin, Jesus devant Caiphe et Pilate. p. 67. J. Langen, die letzten Lebenstage Jesu. p. 254. s. Praeivit hac opinione s. Joannes Chrysostomus, homil. in Joann. LXXXIII, 3. VIII, 494. scribens: „Sed cur ipsi eum non occiderunt sed ad Pilatum duxerunt? Jam multum ipsis de potentia et de imperio decisum erat, cum Romanis omnia subiecta essent.“ Nos quoque hanc sententiam alteri praeferimus propterea, quod Judaei *a.* autonomiam eo tempore iam non habebant, sed amiserant: ut coram Pilato confitentur Joann. 18, 31., et ipse Pilatus 19, 10. dicit. Cf. Hist. R. D. V. T. p. 577. s. Poterant quidem in statutorum suorum transgressores animadvertere coll. Act. 5, 18. 40. 16, 22. II. Cor. 11, 24.; sed morte plectere eos non poterant. Nam quod s. Stephanum lapidarunt, in tumultu, per viam facti citra iuris competentiam accidit. Act. 7, 57. 58. Sed et *b.* ex sermone Christi quoque constat Pilato superne datam auctoritatem, ut is ultimo supplicio in illum animadverteret. Joann. 19, 11.

[1]) Haereseos falsaeque doctrinae crimen Jesu non impingunt Judaei, sed seditionis; hoc quippe ad tribunal Pilati pertinebat, illud non magni momenti apud praesidem romanum fuisset. [2]) Q. d. Quoniam tibi incessit ea suspicio, an vero, quoniam alii me hoc crimine insimularunt, hoccine quaeris?

mundo[1]. Verum ergo est, quod rex tu sis? inquit Pilatus, cui Christus ‚Tu dicis quia rex sum ego': Ut vero scias qualis rex ipse sim, dico regnum illud, quod sum erecturus, veritatis est[2]; quam qui amat, facile mihi assensurus erit. Extemplo quaesivit Pilatus, quid est veritas? Incerta res et obscura, et quae deprehendi nunquam potest[3]. Nec tamen exspectato responso, cum satis intelligeret nullam vel minimam seditionem opera Christi ortam, ad Judaeos e suo Praetorio iterum exiit Pilatus, deque Jesu innocentia testimonium dedit admodum luculentum[4]. Judaici proceres contra qui odio Jesu immani flagrabant crudelique et mortem illius ardenter quaerebant, valide urgebant seditionis et affectati regni crimen. Dicunt initio a Galilaea facto, per totam Judaeam ipsum turbas ciisse. At Pilato tamen persuadent id haudquaquam; qui non tantum non fert decretoriam mortis sententiam, imo liberari nititur a Jesu causa. Cuius occasionem sane perquam commodam Galilaeae a Judaeis iniecta mentio praebebat.

§. 30. Christus ad Herodem mittitur, flagellatur et condemnatur.

Pilatus audito Galilaeae nomine, utrum Galilaeus esset percunctatus est. Quod cum accepisset, ad Herodem Antipam, qui tunc temporis Hierosolymae morabatur, Jesum et accusatores ire iussit. Herodes videndi Jesum cupidus fuit, et sperabat aliquod miraculum ab eo fieri; sed spes eum haec frustrata est. Christus ne verbo quidem dignatus illum est. Itaque cum responsum a Jesu

---

1) Non omnia regna, inquit, eiusdem conditionis sunt; a regno quod erecturus ego sum, non est quod Caesar sibi metuat. Etiam in affectati regni suspicionem nemo venit, nisi qui instructus est aut militum, aut populari manu. 2) Cf. Luc. 1, 32. 33. 22, 29. coll. 17, 21. Joann. 3, 3. 17, 16. Act. 14, 21. Rom. 14, 17. II Cor. 10, 4. 5. I Petr. 2, 9. Apoc. 1, 6. Coll. item Ps. 2, 8. 44, 7. 71, 7. 8. Dan. 2, 44. 3) Inde a temporibus antiquis Philosophi gentium ea fuerunt in opinione, ut veritatem putarint non agnosci posse. Sic C. Plinius, Natur. Hist. II, 7. affirmat, solum ut inter ista certum sit, nihil esse certi, nec miserius quicquam homine aut superbius. p. 63. Cum Plinio idem senserunt Cicero et plures. Cf. ei. academ. Quaest. I, 16. 44 et 45. ed. Bipont. X, 40. 52. 4) Videtur etiam Jesum coram ipsius accusatoribus extra praetorium stitisse.

ad interrogata sua omnino referret nullum, non tantum aspernatus est Christum, sed eum pro ludo insuper habuit iocoque, candida ipsi iniecta veste [1]. Occasione hac in gratiam redierunt Herodes atque Pilatus [2].

Ubi Pilatus contra suam exspectationem Jesum ab Herode reversum, nec damnatum cerneret, ipsum omni meliore modo liberare meditabatur; ideoque, ne sanguinem effundere cogatur innocentem, turbam promiscuam, omnesque convincere de Jesu innocentia conatur [3]. Procuratori Hierosolymitano innocentiam Domini probe agnoscenti, durum videbatur secundum iniqua accusatorum petita illum capitis supplicio afficere. Nolebat tamen credita sibi potestate innocentem absolvere; ne iram Judaeorum ad seditionem propensorum in se concitaret. Unde de aliis deliberabat mediis, quibus Jesum non dissentiente populo iudaico liberare posset. Inter alia ei in mentem veniebat consuetudo dimittendi aliquem captivum festo Paschae [4]. Cumque tunc in vinculis esset

---

[1]) Christum sic declarans tanquam candidatum regni, allusione ad Romanorum morem. [2]) Cum Pilatus iudicium de homine Galilaeo, nimirum quod regem se venditaret, quod Herodi aeque ac Caesari adversabatur, illi permisit, sublata simultatis causa est. Herodes enim videtur tulisse admodum indigne, quod Pilatus saevierit in Galilaeos, obtruncans illos eo ipso tempore, quo Deo sacrificabant. Lucae 13, 1. [3]) Noverat Pilatus partim ex fama, partim ex instituto examine, odium causam esse, ob quam Christum tradiderant. Accedebat, quod Pilati uxor significaverit, se ex somnio sibi oblato propter Jesum passam esse terrores multos angoresque, quare marito suadet, ne se implicet rebus pertinentibus ad Jesum. Cf. P. G. Mosebach, de Servatoris nostri ex coniugis Pilati evicta innocentia. Giss. 1767. Pilati uxorem quod attinet, quam Veteres Proclam dixere, quae fuerit, prorsus ignoramus. Cf. R. Hofmann, d. Leben Jesu n. d. Apokr. p. 340. Quidam putant Salvatoris ad disciplinam perductam fuisse; qua de re sic Origenes, in Matthaeum comm. ser. n. 122. „Utrum autem et initium habeat conversionis ad Deum ex eo, quod multa propter Jesum fuerat passa per visum, Deus scit: tamen continetur etiam hoc in scripturis quibusdam non publicis.“ V, 36. 37. Videtur Origenes respexisse ad ea, quae habentur in Evang. Nicodemi c. 2. apud J. C. Thilo, cod. apocr. N. T. p. 520. Tischendorf, Ev. apocr. p. 213. V. ei. Pilati c. C. ind. q. l. a. ex actis Pil. Lips. 1855. p. 16. s. [4]) Quaeritur utrum consuetudo, captivum aliquem, quemcumque populus vellet, dimittendi, in paschatis solenni festivitate a Romanis manaverit, an a Judaeis? E verbis Pilati Joann. 18, 39., facili negotio infertur, hunc morem a Judaeis ipsis ortum, non a Romanis esse. Scilicet fuit hic ritus ex ordine eorum, quem cum ceteris connexis exercendi, plenam Judaei habuerunt potestatem. Cum inter paschales numerandus fuerit,

Barabbas insignis latro[1], praesentatis Jesu et Barabba Judaeis optionem dat, utrum ex his dimitti velint?[2] Illi Barabbam respondent. Pilatus ubi videt se spe sua frustratum, obstupescit plane atque attonitus rogavit, quid ergo facturus esset Jesu? Cui illi crucifigatur. Pilatus a proposito liberandi Jesum dimotus nondum est hoc populi clamore, interrogat itaque: quodnam crimen commisit tam grave, ut subeundum ipsi tale supplicium sit? Se ullius sceleris reum deprehendisse negat. Castigatum ergo, addebat, eum virgis dimittam. Ita flagellati Christi sanguine animos feros lenire cupiens, iustae quam agnovit causae patrocinium deseruit[3]. Abscedens igitur Pilatus, in manibus militum

---

Pilatus nullo modo evitare potuit, quin iuxta privilegia imperatorum — coll. Josepho, Antiq. XIV. 10, 2. p. 703. contra Apion. II, 4. p. 471 — de Judaeis in sacris suis non turbandis, unum ex vinctis et quidem eum, quem Judaei peterent, vinculis suis solveret. Cf. de hoc argumento: J. Englert, de indulgentiae Judaeor. pasch. tempore modoque. Giess. 1731. J. C. Hottingeri, diss. de ritu dimittendi reum in festo pasch., in Thes. nov. p. 355. s. C. Langhausen, de ritu dimittendi captivos in festo paschatos Judaeorum. Regiomonti 1757. p. 3. s.

[1]) D. Lucas Ev. 23, 19. dicit, quod seditionem commiserit in urbe, s. Marcus, 15, 7. addit, quod seditionis auctor fuerit, atque ea occasione homicidium fecerit; s. Joannes insuper testatur 18, 40. eum latronem fuisse, denique s. Matthaeus ipsum prae ceteris „ἐπίσημον" vocat. Summus autem ignominiae gradus erat, quod Jesus non tantum latroni in electione postponeretur, sed et ad mortem crucis postularetur. Indignissimum populi furentis facinus s. Petrus Judaeis exprobravit. Act. 3, 14. 15. [2]) Ratus non progressuros eos eo impudentiae impietatisque, ut Barabbam reipublicae pestem, Jesu doctori magno et miraculis clarissimo, praeferrent. Quae opinio tamen eum omnino fefellit: pontifices turbam rationibus permoverunt et verborum blanditiis, ut Barabbam potius quam Jesum peterent dimitti. [3]) Flagellationis Christi tres Evangelistae mentionem faciunt. S. Matthaeus 27, 26. 27. s., cui succinit s. Marcus 15, 15. 16. s., subiungit eam condemnationi Christi, atque illam ex more romano factam fuisse innuere videtur. S. Joannes autem eandem condemnationi Christi anteponit, 19, 1. s. eamque inter media tentatae liberationis refert; quo et illa apud s. Lucam spectant. 23, 22. Haec narrationis diversitas exercet interpretes. Quidam semel, alii bis flagellatum esse statuunt. Nos cum s. Augustino, de cons. Ev. III, 9. p. 120. 121. sumimus. Pilatus eandem rem duplici fini subordinasse, primo exasperatos Judaeos cum tristi spectaculo ad misericordiam flectere, vel si hoc non succederet, et prorsus cogeretur Jesum ad crucifigendum tradere; ut hac quoque in parte mori romano satisfactum foret. Atque hanc consilii partem s. Matthaeum et Marcum, illam s. Joannem et Lucam spectasse. Ita probe cohaerent omnia. Ceterum quamvis apud Romanos positum in more fuit, ut qui crucis supplicio erant afficiendi, prius caederentur flagellis, potuit tamen et hoc

Jesum flagellis caedendum permissit: ‚et illud sacratissimum corpus pectusque Dei capax, flagella secuerunt'[1]. Postquam in Christi corpus cohors flagellis saeviit, regiam dignitatem hominis ludibrio excipientes milites pannosa purpura illum vestiunt[2]. Coronam e rhamno[3] nectebant, eam quidem capiti, arundinem vero dexterae imposuere[4]. Flexo genu regem salutaverant, sacrum Christi caput arundine percutiebant[5]. His non contenti impuri homines conspuerunt Jesum et dabant ei alapas, tanto maiori dolore, quod spinae coronae sic altius imprimerentur. Haec Pilatus fieri permittit, ut satiata iniquitas de innocentis iniuriis, ultro non saeviret. Verum pertinaci malitia propriis augmentis gliscente, in quem illusionis ius obtinuerat, exigebat et mortis.

decerni sine mortis sententia. Cf. Ciceronis in Verrem, Act. II, l. V, 62. ed. Bipont. IV, 158. Dionysii Halicarn., Ant. Rom. l. IX, ed. F. Sylburgii, p. 596. Mandatum hoc exsecutioni mandantes milites Jesum abducunt in praetorium, i. e. ipsam Pontii Pilati domum. Qui virgis caedendi erant, — quod honestius habitum, licet nec iis in civem romanum saevire per legem Porciam liceret. Digest. XLVIII. de Poenis. 19, 10. — vel loris ad brevem columnam, quae ultra femora non perrexit, nudi ligabantur. Quod et Jesu accidit. Detracta veste solito more Romanorum ligatus, barbarorum hominum, quos aliorum gemitus et miseria delectabat, furorem sustinuit. Eusebius, Eccl. Hist. IV, 15. p. 129. saevitiem in flagellandis martyribus ostendens, scribit obstupuisse omnes, qui aderant, cum illos viderent partim flagris ad intimas usque venas et arterias laniatos; adeo ut corporis membra penitus recondita et viscera ipsa conspectui paterent. Plura dabunt J. Molanus, de Historia s. s. imaginum ed. Lovan. p. 414. A. Sandini, Historia familiae sacrae ed. Lugd. p. 342.

[1]) S. Hieronymus, Comment. in Matth. 27, 26. VII, 230. Dignum est etiam, quod recitetur ignoti Poetae dystichon „In virgas, in flagra datur, rigat atria sanguis. Verba deficiunt, non patientis amor.“ [2]) S. Ambrosius, in cap. XXIII. Lucae suspicatus est, non unam vestem fuisse sed diversas „Chlamydem coccineam induitur a militibus, et purpuram; in altera designans palmas martyrum, in altera regiae potestatis insignia.“ p. 1526. [3]) Cfr. Bartholini, de cruce hypomn. II. p. 160. s. J. E. Mülleri, diss. de spinis coronae Christi, in Thes. th. p. 230. s. [4]. Haec omnia ad Jesu ludibrium exprobationemque, veluti stulte affectati regni, comparata fuisse; sed ex consilio Dei ad eius gloriam conversa, satis constat. Isti nequam milites „quaecumque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis, qui credimus sacramenta, tribuerunt“. S. Hieronymus, l. s. c. p. 231. [5]) Corona spinea duris manibus percussa in capite Salvatoris novos cruoris fontes aperuit. „Certe — scribit Tertullianus, de corona mil. 14. I, 201. — praeter figuram contumelia in promtu est . . . . et his implexa saevitia, quae tunc Domini tempora et foedaverunt et lancinaverunt.“

Judex igitur e praetorio egressus, iusso Christo se sequi, ipsum[1] Judaeis videndum praebuit[2]. Foras ergo prodit Jesus cum corona spinea atque veste purpurea indutus[3]; quem Judaeis Pilatus ostendens dicebat ‚Ecce homo'[4]. Sed illi magis invalescentes ad crucem Christum poscebant. Pilatus, qui mavult alienum esse crimen quam suum, Judaeis dixit: si eum omnino vultis crucifigi, ipsi vestro id facite periculo[5]. Judaei cum laesae maiestatis reum esse Jesum Pilato persuadere non possent, blasphemiae accusare urgebant[6]. Ubi vero statim animadverterent Pilatum minus curare crimen blasphemiae Christo intentatum, redeunt ad priorem accusationem, seditionis scilicet et affectati regni. Nec simpliciter crimen hoc repetunt, sed addunt comminationem, se hanc causam ad tribunal Caesaris delaturos[7]. Veritus Pilatus ne gratia Caesaris et officii dignitate excederet, Jesum[8]

---

1) Caesum et ridicule amictum. 2) Voluit ut cernerent, quomodo Jesum pro ludo iocoque ipsius milites habuissent. 3) Signis ridiculi non veri regis. 4) Ut eorum misericordiam moveret. Q. d. inveni hominem hunc, an is videatur, qui regem se facere voluerit Judaeorum? Sperat Pilatus se tandem feroces molliturum animos, verum humani nihil in clamore incondito omnium crucem Domino Nostro postulantium. 5) Timebat non sine causa, ne sanguinem funderet innocentem, quia Jesum insontem omnino esse erat plenissime persuasus. 6) Quae capitali supplicio afficiendum istiusmodi hominem iubet, quod filium Dei se fecerit. Inde Pilatus religioso quodam metu perculsus avet cognoscere, quid sit de hac accusatione Judaeorum, quod Jesus se ipsum filium Dei fecit? Verum cum non amore pietatis id quaereret, non immerito a Christo nullum accipit responsum. Quod ipsum aegre tulit, et Christo exprobrat, vaneque potestatem iactat se habere vel crucifigendi Jesum vel dimittendi. Hanc iactantiam humanissime castigat Christus responso: data tibi e coelo in me potestas est Pilate, tu quidem culpa non cares; sed qui tradidit me tibi — singulari numero pro plurali posito i. e. iudaici proceres — longe gravius committunt. Animum Pilati non leviter tetigit Christus hoc sermone, et ubi Jesus peccati ipsius conscientiam convicit; hinc eum maioribus viribus quam ante studuit liberare. 7) Vociferantes: Si hominem istum, qui regem se professus est, dimittis, ipso facto declaras, te amicum Caesaris non esse; cum iura ipsius non tuearis, ac pro merito non punias maiestatis laesae reum. Noverat Tiberii animum Pilatus, sciebatque quantum valeret testimonium Judaeorum malignum — coll. Tacito, Annal. III, 38. p. 112. — hinc de proposito suo motus est, ac agere iniuste aliquid mavult, quam pati. Cf. L. Fr. O. Baumgarten-Crusii, de causa J. Christi coram Judaeis acta et coram Pilato, in opusc. theol. Jen. 1836. p. 167. s. 8) Quem dimittendi consilio reliquerat in praetorio, duci iussit extra praetorium, ut Judaeorum voto faceret satis, eumque damnaret.

produxit ad populum et pro tribunali sedit[1], quod positum fuit in loco, strato pavimenti genere[2] ex sectis parvis marmorum crustis[3]. Pilatus ut testaretur, quam invito animo in Christum sententiam pronuntiaret, et Judaeorum animos leniret, videns Jesum e praetorio adduci Judaeis inquit: en regem vestrum! At illi uti nullis Pilati rationibus, ita nec hisce permoti verbis sunt. Clamorem itaque ferinum repetunt suum: tolle, tolle eum, crucifige eum! Pilatus audiens postulatum hoc iniquum, ob oculos ponere conatur atrocitatem facti: an eum, qui regem vestrum se dixit, afficiam supplicio tam immani? Sed principes sacerdotum reposuerunt, nullum sibi regem esse, quam Caesarem. Ad extrema rem devenisse intelligens Pilatus, testimonium de Jesu innocentia praebet admodum praeclarum; adpellat eum ‚iustum'[4], malluvium sibi afferri iubet, manusque populo inspectante lavat[5], additis hisce verbis: ‚innocens ego sum a sanguine Justi huius, vos videritis'. Ast ne sic quidem a scelesto proposito suo aversi deterritique Judaei sunt; nefaria voce divinae iustitiae sua ac suorum capita obligarunt[6]. Pilatus ubi audivit Judaeorum adeo horribile responsum, quod pertinacissime exoptabant, fecit, atque prolata sententia: solvi Barrabam, Jesum vero in crucem tollendum a militibus iussit[7].

---

1) A iudice enim sedente pronuntianda sententia fuit, vix aliter valitura. 2) Coll. Svetonio, in Julio. c. 46. p. 9. 3) Hinc noto Graecis vocabulo Λυθόςτρωτον dictus est. Joann. 19, 13. Hebraice גַּבְּתָא. eminentia, excelsum adpellabatur. Plura de hoc nomine reperies in A. Pfeifferi, Quinquagena Loc. Ebr. p. 933. Ikenii, in syll. diss. II, 14. p. 573. s. In provinciis tribunal praesidis ante ipsius praetorium constitutum fuit, uti id operose ostendit Bynaeus, de morte J. C. lib. III. c. 3, 10. p. 107. Cf. Not. t. s. geogr. p. LXXV. De ruderibus huius loci recenter inventis v. Rosen, Z. d. d. morgenl. Gesellsch. 1860. XIV, 605 s. Tischendorf, a. d. h. Lande. Leipz. 1862. p. 177. s. C. Hergt, Palästina. Weim. 1865. p. 333. s. 4) Qualem Jesum antea pronuntiaverat ipsius uxor. 5) Manuum lotionem Ethnicos ante sacra summa cum superstitione usurpasse passim legimus, de his enim pleni sunt omnes scriptorum vetustorum libri. Nec hunc morem in sacris tantum offerendis observarunt, sed alias etiam. Tenebantur praeiudicio quamcumque noxam aqua ablui aut elui posse; unde aliae lotiones ad expiandum, aliae ad testandam innocentiam fuerant susceptae. Cf. J. A. König, diss. de ritu lavandi manus, in Thes. th. p. 227. s. 6) Clamarunt si quid peccatum in illius morte sit, ac sanguis hic effundatur innocenter, nos periculum in nos recipimus; nobis et posteris nostris imputet iustus iudex criminum Deus. 7) Ita succubuit post tot iterata

§. 31. Crucifixio D. N. J. Christi.

Judaei simulac a Pilato clamoribus suis inconditis atque tumultuosis decretoriam extorserunt sententiam, ne ad horam quidem [1] distulerunt supplicium innocentis licet et innoxii

---

innocentiae testimonia iudicis diu repugnantis constantia. Quasi satis sit lavisse manus; vel culpa liberet, quod Judaei poenam effusi sanguinis in sua et suorum capita deposcant: prodit insontem et tanquam laesae divinae et humanae maiestatis reum, ad crucis supplicium duci permisit. Matth. 27, 1—31. Marc. 15, 1—20. Luc. 23, 66. — 24, 26. Joann, 18, 28. — 19, 17. *Pilati ingenium et indoles.* Praemissa hoc modo Historiarum serie quaeritur nunc, an Pilatus officium boni iudicis impleverit? Negamus. Veritas sententiae negativae patebit si ostenderimus, in quo peccaverit. Judicii cuiuscumque duae praecipuae partes sunt: cognitio causae eiusque diiudicatio. Cf. Thomasii, de iniusta Pilati iudicio in Thes. nov. II, 343. s. C. M. Genelli, Jesus Chr. vor seinen Richtern, in ann. Tüb. Quartalschr. 1840. p. 35. s. 46. s. Antequam vero iudex causam cognoscat, probe ipsi videndum est de fundatione iurisdictionis. Hoc respectu Pilatus inique fecit, quod cum ipse omnino iudex competens fuerit, praeter omnem necessitatem Christum ad Herodem miserit. At longe magis peccavit in causae diiudicatione. Quod *a.* Christum postquam publice de omnimoda eius innocentia testatus erat, cum sceleratissimo latrone Barabba contulerit. *b.* Quod Jesum miserrime flagellavit. Summum vero iniustitiae gradum explevit, ubi Christum contra propriam conscientiam ad mortem damnavit. Sed et ceteroquin eius indoles ac ingenium saevum, sanguinolentum, ac truculentum erat, ut testatur s. Lucas 13, 1., cui succinit Philo Judaeus legatione ad Caium p. 1384. Josephus, Antiq. XVIII. 3, 1. 4, 1. p. 875. s. p. 879. s. Eusebius, Hist. eccl. II, 7. p. 46. Constit. apost. V, 14 in P. P. ap. Cot. ed. Clerici. I, 321. Quamobrem etiam loco motus, atque Romam ut causam diceret citatus. Unde vel maxime Dei manus observanda, quae hunc saevum hominem in Christo condemnando difficilem praestitit, ut Jesu innocentia tanto fieret manifestior. Et huic Pilato, cuius etiam Tacitus, Annal. XIV, 44. II, 147. meminit, qui homo gentilis erat, Salvator noster traditus est, ut vaticinium impleretur Matth. 20, 18. 19. Denique si ea, quae in causa Christi inter Pilatum et Judaeos intercesserunt, consideramus: reperimus quomodo improbitas cum improbitate super innocentia luctata sit, usque tandem maior minori praevaluit, eamque fregit. Judaeorum malitiam bene detegit s. Augustinus, enarr. in Ps. LXIII, 4. p. 619. et s. Leo, serm. de Pass. Domini VI, 3. „Peccaverit Pilatus faciendo quod noluit, in vestram tamen conscientiam confluit, quidquid furor vester extorsit." p. 36. Quae praeter Historias sacras de Pilati circa Christum iudicio in scriptis apocryphis habentur, collegit R. Hoffmann, l. c. p. 334. et C. Tischendorf, diss. s. c. p. 7. s.

[1]) Quo ad mortem se parare commodius posset, id enim apud populos omnes observatur; atque temporibus Tiberii factum est senatus-consultum, ut poena damnatorum in decimum semper diem differretur. Cf. Taciti, Annal. III,

Jesu[1]. Damnatum Dominum arripientes milites chlamyde purpurea exuerunt, ac suis indutum vestimentis[2], in locum supplicii duxerunt[3]. Gestat igitur Salvator pro more damnatorum crucem oblongam, dorso impositam, transversae trabi alligatus. Fame autem et vigiliis totque animi corporisque vulneribus confectus, ex ipsa sententia saevissimorum comitum[4], eguit adiutore in cruce portanda. Cum enim Christum deficere sub onere crucis[5] viderent milites, Simonem quemdam Cyrenaeum[6] forte occurrentem, humeros, cruci subiicere coegerunt[7]. Jesum, doctrina sua miraculisque non modo

---

51. p. 117. Svetonii, Tiber. 75. „senatu consulto cautum, ut poena damnatorum in decimum semper diem differretur." ed. Argent. II, p. 173. Senecae, de tranquillitate animi. c. 14. ed. de Juges. Par. 1628. p. 671.

¹) Judaici proceres scilicet qui sanguinem Jesu sitierant iam dudum, e medio eum tolli volunt quam primum, ne vulgi, quo nihil incertius est, mutatis animis, liberari ipsum expetant illi, qui paulo ante clamaverant tolle, tolle, crucifige eum. ²) Quid non novi doloris ex crudi et glutinescentis vulneris frictu sub rudi vestium mutatione oritur! ³) Cum ludicro enim hoc ornatu eum nolunt educere, cum res iam serio ageretur, ac supplicio capitis mox foret plectendus. Arundinem, quam sceptri loco aeque ignominiose ipsi dederant in manum, ablatam fuisse iam ante, non obscure ex eo colligitur, quod eadem percusserint ipsius caput. Sed altum de corona spinea silentium est, hinc coniiciunt multi — inter hos olim iam Tertullianus, advers. Jud. n. 13. „Christus suis temporibus lignum humeris suis portavit, inhaerens cornibus crucis, corona spinea in capite eius circumdata." p. 325. Origenes, in Matth. comm. ser. n. 125. V, 40. 41. et alii apud J. Molanum, de Historia s. imaginum, IV, 7. p. 442. — eam in Jesu capite relictam, ut prae latronibus duobus insignis esset conspicuusque. Quod licet omnino certum non sit, tamen multum probabile est, ac cum crucis titulo convenit J. N. R. J. Per milites exacta olim supplicia non modo in castris, sed etiam provinciis, imo in ipsa urbe, a viris doctissimis dudum animadversum. Cf. Justi Lipsii, de militia Romana V, 18. ed. Op. Antv. 1637. III, 215. ⁴) Qui tardius euntibus flagrorum stimulos subiicere solebant. Cf. Lipsium, de cruce II, 5. s. p. 658. ⁵) Quam iam tulerat per urbem. ⁶) Qui e rure aut praedio suburbano ut peteret urbem, quia dies festus instabat, praeteribat. ⁷) Invitum sane quod verbo ἀγγαρεύω, angariare s. Matthaeus, 27, 32 et s. Marcus, 15, 21. indicant. Non constat utrum tota crux in Simonis Cyrenaei humeros translata fuerit; an vero cum Christo tulerit crucem retro eundo. Priorem sententiam amplexi sunt s. Hieronymus, comm. in Matth. 27, 32. p. 232. s. Leo, serm. VIII. de Pass. Dom. n. 5. p. 54. Theophylactus, in Matth. l. c. p. 174. Posteriorem habet s. Ambrosius, expos. Ev. sec. Luc. 23, 26. p. 1527. Caietanus, in quat. Ev. comm. ad Luc. 23. p. 513. Baronius, Ann. eccl. a. 34. n. 95. p. 146. Molanus, hist. imag. II, 30. p. 91. Sylveira, comm. in t. ev. VIII. 12, 10. t. V, 416. Nos quoque in hanc propendemus, ob traditionem universalis Ecclesiae in antiquissi-

Hierosolymis sed per totam Palaestinam notissimum, cum duceretur, magna multitudo populi sequebatur[1]. Sed et mulierum vicem eius dolentium[2], et inter has Maria Mater Jesu; quae tunc experta reipsa est, quam vere dictum a Simeone sit[3] ‚tuam ipsius animam pertransibit gladius'. Jesus ad mulieres plangentes conversus iubet eas[4], ne tamquam miserum ipsum flerent atque infelicem, sed potius propria sua liberorumque infortunia, quorum miseria esset duplicatura ipsis maerorem[5]. Simul cum Jesu ducebantur duo facinorosi latrones una in crucem agendi. Ubi ventum tandem ad Golgotham poenis sepositum locum[6], stabat ex itinere fessus Salvator, et erigendae crucis exspectat moras. Unde ne vires eum destituerent, iam lassum et sitientem, sed maioribus tormentis reservandum; dederunt milites Christo bibendum potum vinum cum myrrha mixtum[7]. Jesus hunc potum

---

mis picturis. Confirmatur ex verbis s. Lucae 23, 26. et Joann. 19, 17. quo loco legimus „et baiulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum". Huic respondet typus Isaaci, qui cum a patre hostia duceretur, lignum ipse sibi portavit in montem Moria. V. H. R. D. V. T. p. 58. 59. Neutiquam certe persuasum habemus Christum hanc crucem, cui nostra iuncta erant crimina, vel momento deposuisse.

[1]) Eo maior quoniam Paschatis agebatur solemne festum, ad quod celebrandum innumera Judaeorum turba, ex omnibus mundi oris convenire Hierosolymam solebat. [2]) In vulgo promiscuo, quod ad suppliciorum spectacula concurrit, pars magna saepe mulieres sunt. Sic Jesum etiam secuta mulierum ingens multitudo est. His propriae sunt lamentationes manuum, oris, et oculorum. Datur intelligi in Evangeliis complosione manuum, eiulatu, lacrimis dolorem suum has mulieres declarasse. Id factum quidem a multis ex humanae sympathiae affectu est. Ab aliis autem quod innocentem virum et miraculis illustrem, abripi ad tam atrox et ignominiosum supplicium dolerent. [3]) Luc. 2, 35. [4]) Trito apud Hebraeos dicendi genere „filiae Jerusalem" inquit. [5]) Respicit Hierosolymarum excidium sub Tito, adeo arduum, ut in maxima felicitatis parte merito collocandum foret, nullos peperisse liberos aut lactasse. [6]) Cf. Schultz, Jerusalem p. 95. s. Langen, d. letzten Lebenstage Jesu, p. 363. s. Not. t. s. geogr. p. LXXXIX. s. Damnatos ad poenam capitis luendam extra urbem plecti, non tantum apud Judaeos sed etiam Romanos, solitos l. c. a nobis ostensum est. [7]) Qualis is fuerit potus dictu videtur difficile, cum s. Matthaeo sit „ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον" 27, 34. Vulg. vinum cum felle mistum; s. Marco vero 15, 23. „οἶνον ἐσμυρνισμένον." Res tamen oppido erit manifesta, si utriusque inter se virtutem contulerimus; simulque expenderimus, quo fine propinatus fuerit iste potus. Dederunt vinum non quoddam nobile generosumque, sed dato studio ὄξος, acetum acre, acetosum, ut illud s. Evangelista Matthaeus adpellavit. Nam multis com-

sibi oblatum recusavit bibere [1]. Itaque Christum vestibus milites exuerunt, atque trabalibus clavis affixum in crucem sustulerunt. Additus est summae cruci Titulus: rex Judaeorum! Cum Jesu etiam duo latrones in crucem dati sunt, ut supplicio afficerentur extremo [2]. Haec cum fiunt, Christus quod docuit alios [3], nunc ipso facto praestat. Orat enim pro iis, a quibus actus est in crucem in haec verba: ‚Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt' [4]. Ut Jesum cruci affixum viderent, multi Judaeorum accurrerunt, et inter hos principes sacerdotum; a quibus cum Titulus iam positus supra caput legeretur, displicuit, quod in eo scribi iusserat Pilatus hebraica graeca et romana lingua ‚Jesus Nazarenus Rex Judaeorum'. Quare Hierosolymas reversi Titulum mutari petunt a Pilato; ut non communis quasi Judaeorum appareret sententia, sed argu-

---

mendatur apud Thomam Bartholinum, de cruce, hypom. II. de vino myrrhato, p. 143. ex medentium praeceptis, in lassitudinariis morbis vinum acescens debere concedi. Myrrha autem olim vinum condivit antiquitas. Fellis quoque mentionem fecit s. Matthaeus. Non crediderimus tamen verum fel, hepatis illud excrementum amarum, in potione permixtum, ducti auctoritate s. Augustini, qui de cons. Ev. III. 11, 38. p. 121. scribit: „Hoc — vinum myrrhatum s. Marci — intelligendum est Matthaeum dixisse, cum felle mixtum, fel quippe pro amaritudine posuit; myrrhatum enim vinum amarissimum est.“ Cuncta isto mortis et poenarum articulo amaro quodam sensu se ingerebant. Coll. Psalm. 68, 22. L. A. Agellii, Comm. in Ps. p. 309. s. Interpretum vero aliorum — e. c. Euthymii, ad Matth. 27, 34. I, 2. 1113. — calculo probatur sententia: a militibus ad omne scelus pronis, vinum adulteratum fuisse infuso felle atque aceto. Jam igitur cuiuscumque opinionis partibus faveamus, semper vinum acidum Christo exhibitum fuit. Juxta Prov. 31, 6. 7. natales suos debere ea consuetudo videtur mori, quo apud Judaeos olim ad supplicium ituri haustu vini reficiebantur, ut animo praesenti magis exciperent fatum. Cui ad occasum vergente iam Hebraeorum republica accessit, ut vino admiscerent quid saporiferi; quo plectendus careret sensu doloris et horrorem supplicii attenderet minus.

[1]) Gustavit, ut adimpleretur vaticinium Ps. 68, 23. Bibere autem recusavit, ne videretur animo non forti satis excipere tam tristem casum. Deinde ut nemo de ipsius verbis, quae prolaturus in cruce pendens erat, iudicare aliud quid posset, quam esse veritatis et sanae mentis verba! [2]) Non honoris sed ludibrii causa Jesus, qui affectasse regnum Judaeorum dicebatur, collocatus medius inter duos latrones fuit. Tunc evenit, quod teste divo Marco 15, 28. praedictum est Isai. 53, 12. [3]) Matth. 5, 44. [4]) Deum nomine Patris compellat quo in precibus suis aliquoties usus est; et quidem in sensu maxime proprio, cum verus esset Dei Filius. Rogat autem: remitte ipsis, qui ignorantes peccant: scilicet facilius veniam consequuntur ignorantes; omittit igitur quod accusandum in facto est, illud vero refert quod pertinet ad minuendam aliquo modo culpam.

mentum exstaret ipsius arrogantiae; quod regem se professus erat, cum revera non esset. Pilatus id quod scriptum fuit, habere se pro scripto rato respondit[1]. Tunc vestimenta, quibus indutus fuit Jesus, ea milites sumserunt sibi, ex more romano, prout spolia sontium[2]. Omnibus sic peractis custodes considentes, centurio et quiqui illic aderant, crucifixos observarunt, ne forte ab amicis detraherentur[3].

§. 32. Jesus in cruce.

Cum Jesus integer vitae licet scelerisque purus, damnatus seditionis nomine et affectati regni, inter duos latrones suffixus cruci penderet, spectaculum utique id miserabile fuit. Revera enim crucis supplicium, si infamiae magnitudo, et praesertim poenarum diuturnitas in eo attenditur, crudelissimum fuit, teterrimumque[4]. Ast eo minime commoti sunt pontifices maximi, scribae

---

1) Quidquid aliqui repugnent, potuit mutare Pilatus per leges romanas Tituli verba, sed noluit. „Ideo enim Pilatus quod scripsit scripsit, quia Dominus quod dixit dixit;" inquit s. Augustinus, in Joann. Ev. c. 19. tr. 117. n. 5. p. 798. Ita Dei Providentia moderante accidit, ut ab homine Ethnico quisnam revera habendus esset Jesus testatum acciperent Judaei, atque impietatis suae approbationem legerent. Cf. J. Langhausen, de resurrectione J. C. hostium testimoniis confirmata. Regiom. 1764. p. 5. s. 2) Credibile est ex cohorte tota quatuor solum fuisse milites, quorum opera Jesus suffixus cruci fuit. Quatuor ergo fecerunt partes pallii. De tunica longa talari tota textili — d. q. v. J. Marx, Gesch. d. h. Rockes. Trier. 1844. p. 9. s. — qualem Judaei gestarunt et aliae in Oriente gentes, cum esset inconsutilis dixerunt, ne scindamus, sed sortis arbitrio comittamus, quis illam habeat. Si scidissent et artificium perdidissent et usum; hinc ergo malunt illam unius esse, iustumque iudicant, cuiusnam futura sit experiri sorte. Hoc ipso mysterium Prophetae canentis est impletum. Ps. 21, 19. Facta haec a militibus sunt, ut huic vaticinio sua constaret fides. Cf. A. Agellii, Comm. in Ps. p. 96. 3) Quae scriptis mandata sunt a s. Matthaeo 27, 31. s. Marco 15, 20. s. Luca 23, 26. s. et Joanne 19, 16. s. 4) Ut parens ille romanae eloquentiae crucem adpellat. Ipsos in cruce Christi cruciatus quis non oculus inspicere refugit, quis non animus cum horrore de iis cogitat? Non poterat s. Joannes commotum vehementius animum Christi in crucem animam agentis passione testari, quam summo verborum compendio 19, 23. s. rem gestam comprehendens. At uberem doloris terrorisque materiam, cum solatii non minus foecunda sit; et sub aestimatione tanti meriti vel in glaciatis pectoribus focum amoris accendere possit paucis delibare audemus. Sedentem acuta cruce, distractum, ut ossa numerari possent coll. Ps. 21, 15. 18. corpus, extensusque ad antennam manus, ad cruciale

et seniores plebis; qui non modo suos pascunt oculos spectaculo tam tristi, sed et Christo illudunt, eique dictis iocularibus insultant[1]. Judaeorum exemplum sequebantur excubantes romani milites[2]. Imo auget indignitatem rei, quod latronum iam finem expectans certissimum unus, eadem probra in Christum iniecerit, quibus proscindere audierit Salvatorem. Verum alter hominem nequam obiurgabat[3]. Socio suo increpato tam severe, idem latro porro Jesum

---

pedes clavis infixis conspicimus. Incredibilis molestiae sensus est, unum tot horis sustinere corporis situm; cum vix naturalem diu sine crebra mutatione feramus, nedum tam violentum. Imo vero tot clavis per loca nervorum tendiumque plena traiectis, in isto situ sine spe omni mutationis, nisi quam mors promittit; nihil facile habet, quo acerbius fingi possit. Aorta inter illa in extremis obstacula fluxum magis ad caput et ventrem determinans, ibi pressis carotidibus rubores faciei doloresque parit capitis; hic opportuniora ad stasin et corruptelam loca occupat. Illud autem longe atrocius est aortam non omnem, quem sinister corporis sinus suggerit sanguinem suscipere; nec igitur pulmonali sanguini huc liberum aditum esse, adeoque et dexteri cordis sinum sub nixu expulsionis suae in oppletum pulmonem horrenda anxietate, quae omni dolore intolerabilior est laborare. Arteriae et venae pulmonales, coronariae, intercostales, omniaque maiora vasa circa cor, ob copiam redundantis huc sanguinis et accumulati, angores illos animi, sub incumbente peccatorum nostrorum mole natos, etiam ex causa corporis intendunt. Cf. G. G. Richter, mortem Servatoris in cruce succincte expendentem. Gott. 1751. p. 12. s.

1) Varia autem erant quae illi obiiciebant: quod cum alios a miseriis suis liberaverit ac morte, se ipsum non posset eximere a morte praesentissima. Addunt: se Christum regem Israelis esse ostendat, et fidem ei habebimus. Non modo sacerdotes, Jesu sanguinem qui sitierant iam dudum, sed Judaeorum etiam vulgus, Jesum suffixum cruci contemplatur quadam cum voluptate imo ridens. Ingens tunc fuit Hierosolymis multitudo advenarum, qui cum nihil haberent eo die, quod agerent, in via illa ambulabant otiosi; blasphemant autem hi profani homines Jesum tam externo gestu quam verbis expressis, insultant moventes caput. Ex opinione, quasi Jesus de destruendo erigendoque Templo Hierosolymitano fuisset locutus, impingunt ipsi convicium: tu qui tam magna de te praedicasti ac gloriatus es, nunc vires experire tuas, teque ipsum libera a morte. Longe enim minoris operae est potentiaeque, crucem cui haeres affixus destruere, quam Templum vastum illud aedificium ac praeclarum. Horrendam addiderunt blasphemiam: si vere ipsius Dei filius es, qualem te publice professus es ac venditasti, id comproba nunc hoc signo miraculoque, ut clavibus e manibus tuis atque pedibus excussis salvus integerque descendas de cruce. 2) Arripiunt ansam ridendi a vanitatis exprobratione, quod regem facere volens se Judaeorum, qui iugum excuteret romanum, e cruce liberare non posset se ipsum. 3) Suscipit respondendi partes, socium suum increpat interdicitque simul ne amplius pergat convitiari petulanter. Ait ad illum, licet alii adstantes

pro rege agnoscit, qui in regnum suum intraret post mortem durissimam[1]. Orat, ut cum primum illud adiret, sui non oblivisceretur. Jesus autem in mediis suis cruciatibus, misertus latronis, pro amoris officio coelestis regni promissionem impertitus est[2]. Ad crucem Domini stabant mulieres quaedam[3] neque periculo suo, neque tristitia spectaculi, neque probris absterritae; ita tamen ut intercedente militum custodia propius ad crucem accedere prohiberentur[4]. Pendebat Jesus extremis doloribus, coelum inter et terram, ut hanc cum illo conciliaret; in maledicto ligno haerens, expansis manibus, quae orantium habitum exprimerent[5]. Festinat ad mortem, nihilominus matrem suam videt in promiscua turba[6]. Quam conspiciens hisce verbis, Joannem designans, affatus

---

secure, tam crudeliter se gerant impieque, ac si omnem Dei excussissent timorem, quia qui insultant miseris contemnunt Deum; etiam ne tibi eorum imitari libet impietatem, cum eandem subeas poenam? Ita non modo socium suum sed etiam se ipsum, crucis supplicium suis sceleribus promeritum agnoscit. Nos merito plectimur, inquit, quia scelerate viximus, et mala quam plurima commisimus; sed hic purus et innocens nihil mali perpetravit.

[1]) Quod longe aberat a communi gentis Hebraeorum persuasione. [2]) S. Matthaeus 27, 44. et s. Marcus 15, 32. duobus tribuunt; quod uni proprium coll. Luc. 23, 39. fuit. Dicendum cum s. Augustino, de cons. Ev. III. 16, 53. p. 128. „Matthaeum et Marcum breviter perstringentes hunc locum pluralem numerum pro singulari posuisse.“ Ita quoque s. Lucas 23, 36. et s. Joann. 19, 28. narrant milites obtulisse Christo acetum, quod tamen coll. Matth. 27, 48. Marc. 15, 36. ab uno militum factum esse constat. Ceterum e συναφεία contextus sequitur „Paradisum“, qua voce Christus habito respectu ad illum protoplastorum — v. H. R. V. T. p. 12. — utitur, denotare ipsam beatitudinis sedem. Cum enim latro bonus Christum rogat, ut in regno suo velit sui meminisse, et Christus ei respondet, quod in Paradiso secum futurus sit; sequitur Paradisum et Regnum Christi esse ἰσοδυναμοῦσα. Cf. B. H. de Platen, diss. de verbis Christi ad latronem hodie etc. Gryphiswaldiae. 1707. p. 15. s. [3]) Luc. 23, 27. Trium mulierum peculiarem mentionem facit s. Joannes, cum plures fuerint ut infra patebit; mater Jesu, soror matris eius Maria Cleophae et Magdalena. [4]) Unde longinquo spectantes a s. Matthaeo, s. Marco et s. Luca dicuntur. Procul dubio ut mortem viderent mirabilem Domini, cuius consortio pridie adhuc sunt gavisae, remansere iuxta crucem. [5]) Tales Moysis contra Amalec pugnantis manus erant, extensae ad preces sed cum tremore, hinc ne ambigua victoria esset ab aliis sustentatae. V. H. R. D. V. T. p. 109. Expandit Salvator non trementes, hinc in illa longe maioris momenti pugna, quae salutem nostram vindicat, sine alieno auxilio victrices. Cf. Exod. 17, 11. 12. I. Tim. 2, 8. Tertullianum, adv. Marcion III, 18. p. 132. [6]) In qua tunc praecipue impletum illud fuit, quod Simeon praedixit Luc. 2, 35. L. H. N. T. p. 11.

est: ,Mulier ecce Filius tuus'; vicissim discipulum matri commendat ,ecce Mater tua', ut inter se matris filiique munera expleant[1]. Quia vero Jesus Filius Dei vivi fuerat, ideo ipsius gloriae Pater coelestis consuluit, eumque ornare voluit in deiectione hac ultima certis quibusdam notis, quae pias mentes adversus crucis scandalum fulcirent. Fiunt ergo nova multa insolita, multa supra hominem, ut constaret Jesum, non innocentem modo, sed Dei Filium esse[2]. Sol auctor ille publici luminis, qui per orbem universum lucis suae vim ac radios diffundit, tanquam proscriptus hoc facinore ac relegatus, Judaeis nihil praeter tenebras reliquit, ut funesti spectaculum sceleris obumbraret.[3] Prout coelestis Pater, qui hactenus

---

1) Compellat mulierem — v. H. N. T. p. 45. — sine nomine matris „ne materna pium cruciaret viscera nomen"; ut quidam eleganter cecinit Q. d. Mulier moriendum mihi est supplicio hoc crudelissimo, sed postquam me fueris orbata, hic futurus tibi pro me loco filii est, ac omnia filii officia tibi praestabit. Discipulo autem dilecto dixit: Joannes, matrem meam commendo tibi, ut eam pro matre tua habeas. Jesu mens a discipulo, quem diligebat, satis intellecta est, itaque ipsius matrem nulla interposita mora recepit in domum suam, ut iuxta Jesu voluntatem ultimam tamquam matrem suam observaret eam, aleretque. Credibile admodum est, quod cogitarunt multi, Josephum Mariae coniugem, mortuum iam cum haec gererentur fuisse, opesque relictas esse iis nullas, quibus Maria vidua, cui subsidio fuerat hactenus Jesus, sustentaretur atque hinc factum quod Jesus in extremis agens, curam matris suae commendarit Joanni. Cf. Ignatii a s. Francisco Carmel., Synopsin Magnalium Divi Josephi. Leodii 1684. P. III. tr. 1. p. 479. s. Porro illud quoque non est de nihilo, quod s. Joannes observat 19, 25. matrem Jesu B. M. V. aliasque mulieres sanctas apud crucem Christi adstitisse; cum interdictum esset, ne capite damnatos propingui lugerent. Salvatoris nostri benedictam matrem quidam sub cruce pingunt deliquium patientem, aut in terram corruentem. Sed picturae istae merito improbantur, sicuti et revera in Urbe amotae expunctaeque leguntur. Optime advertit s. Ambrosius, expos. evang. sec. Luc. l. X. n. 132. „Sed nec Maria minor quam matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis, ante crucem stabat et piis spectabat oculis Filii vulnera: quia exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem." p. 1532. s. Cf. e. P. Zornii, diss. de B. Maria Virgine apud crucem filii sui adstante, in opusc. p. 316. s. Stabat B. M. Virgo corpore, quae stabat corde per fidem, nullos edidit planctus aut indecentes gestus, quae non convenirent eius dignitati et gravitati. Cf. Molani, de Hist. s. imagin. IV, 8. p. 443. s. 2) Quod coram magno iudaico senatu confessus fuerat tam aperte, ut pontifex maximus ceterique blasphemiam dicerent horrendam. 3) S. Ambrosius, expos. evang. sec. Luc. X., 128. p. 1531. miraculose plane ortas ipso meridie usque horam tertiam, quo dies solet esse clarissimus, tenebras dicit; quarum an meminerint Veteres in Prolegomenis nostris disquisivimus. V. Kissling, de labore

ad omnem contumeliam filio suo illatam siluerat, per solis obscurationem ex tacente factus erat loquens. Tandem Christus plurium fere horarum silentium ingenti clamore rupit ingeminans, Eli, Eli, lammasabacthani, h. e. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me![1] Quidam vero ex iis, qui aderant, nec satis attenderant, non Deum sed Eliam prophetam[2] ab eo vocatum putarunt. Unde dixerunt ‚sinite videamus, an veniat Elias liberans eum'. In hac commoti animi conditione, qua divinum solatium et salutem nostram ardentissime sitiit:[3] sciens Jesus, completa omnia, quae in divino suo consilio decreverat Pater ipsi ante mortem et agenda et toleranda,[4] sitire se professus est, quem potum praebituri forent praevidens. Positum enim fuit illic vas aceto plenum,[5] quo spongiam militum aliquis imbuit, deinde

---

solis laborante sole iustitiae, in Thes. n. p. 364. s. Posneri, de singularibus ac mirandis quibusdam quae morte Christi in natura acciderunt, utrum natura fuerint? ib. p. 369. s. Hoc sane prodigio Jesu, cum in cruce penderet adhuc vivens, gloria Divinitasque asserta est.

1) Ad. q. v. A. Pfeifferi, Quinquag. loc. exot. et ebraic. N. T. p. 909 s. Animus non est varias hic recensere interpretationes, sed simpliciter acerbissimae huius querelae sensum atque animae Christi cum eandem effunderet conditionem investigare. Observandum est haec verba desumta esse ex Ps. 22, 2. t. o. unde etiam Judaei paulo ante Jesu illuserant. Tantopere Christus erat derelictus, ut nullum in eum solatium — sicut in martyres — descenderet. Repetita Dei allocutio affectum doloris et desiderii exhibet. „Mi Deus" exprimit fidem; quare me deseris, nota est profunde supplicantis. Nihil enim potuit Christi animam acerbius affligere, quam vel uno momento Patris sibi propitii sensu carere, et sub ingravescente peccatorum et divinae irae onere desertum sibi videri. „Ne mireris, ait s. Hieronymus Comm. in Matth. l. IV. in c. 27, 47., verborum humilitatem et querimonias derelicti, quum formam servi sciens, scandalum crucis videas". p. 236. Ita tamen animo et corpore afflictus, minime tamen dubitans de divino auxilio sed ingemiscens, exsuccus licet et testa aridior a fiducia non remisit; et extensas ad Patrem manus, quarum vincula facile rumpere poterat, immotas tot horis usque ad consummatae victoriae terminum servavit. Cf. Agellii, Comm. in Ps. p. 91. s. Hist. R. D. V. T. p. 284. s. 2) Quia verba proxime accedunt ad Eliae nomen, cuius celsitas et sancta quaedam virtus inter prophetas insigniter eluxit. 3) Fuit enim haec corporalis sitis, argumentum et emblema sitis spiritualis, ut observat scriptor anonymus pius, nec indoctus, nec inelegans „Vitis mysticae", seu tractatus de passione Domini c. XIII. inter Op. s. Bernardi. ed. Ben. Par. 1719. V, 458. 4) Ut impleretur Scriptura, quae apud regium Vatem est Ps. 68, 22. 5) Erat acetum dilutum potus militaris, dictus „posca", a potando, ut esca ab edendo, atque militibus Romanis inserviit, qui Jesum observabant et latrones.

vinctam extrema hyssopi scapo eius ori admovit[1]. Eodem tempore quo Christus acetum biberat, dixit quod consummarit cuncta, quae ad se pertinebant. At Deum autem conversus ait: ‚Pater in manus tuas commendo spiritum meum'. Statimque inclinato capite emisit spiritum. Tunc terra trepidat et frangitur; petrae durissimae scinduntur et dissiliunt; Templi velum disrumpitur in duas partes. Omnia ‚elementa turbantur, et testimonium Creatori dat creatura'.[2] Monumenta non pauca reserata sunt, atque hominum priorum, quae in iis iacuerant, corpora excitata Jerosolymas ingressa multis conspicua facta sunt.

---

[1]) Cum Jesus suis manibus, utpote fixis, non posset uti; neque adeo commode poculum admoveri ipsius ori. An coll. Matth. 27, 47. περιθεὶς καλάμῳ, et Marci 15, 36., calamus arundinem, an coll. Joann. 19, 29. ὑσσώπῳ περιθέντες, hyssopon notet quaeritur? Quia calamus non semper arundinem significet, sed pro variarum fruticum caulibus usurpatur, imo etiam pro modicis baccillis, omnino videtur idem esse calamum, quod hyssopon, i. e. baccillum ex hyssopo, quae in Judaea crescit. Cf. not. t. s. geogr. p. XLIII. Adde bicubitalem hyssopum ori admovere, sicuti et reliqua quae sequuntur, sc. crura frangere, latus aperire, nos docere crucem Christi non magnae altitudinis fuisse. [2]) S. Hieronymus, l. s. c. p. 232. Jesus u. v. qui ubi perventum est ad Golgotha vinum myrrhatum oblatum sibi non bibit; iam acetum ipsi datum in siti e spongia suxit imbibitque, ne hominibus aliquam in se meriti occasionem sub ipso exitu vitae negaret. Cf. Deyling, Obs. s. I, 35. p. 135. s. Postquam autem sumsit, indicavit consummatum id omne esse, quod peragendum ipsi in sua vita foret. Habebat scilicet Jesus ut verus Christus, certa quaedam officia, quibus in terra ante mortem, in diebus suae carnis, debebat perfungi. Ad quae respicit, cum dicit in precibus suis ardentissimis ad suum Patrem fusis: Joann. 17, 4. „opus perfeci." Cum ergo adesset iam ipsius vitae finis, nihilque quod peragendum ipsi, tolerandumve ante mortem restaret; ut inquit s. Augustinus tract. CXIX, 6. in Joannem. p. 803. „quia nihil remanserat, quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret, tanquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam et iterum sumendi eam, — Joann. 10, 18 — peractis omnibus quae ut peragerentur exspectabat, inclinato capite tradidit spiritum." Ultro posuit arbiter vitae in manus Patris vitam, ipso tempore quo agni paschales mactabantur. Non crucis illa vis erat tam cito exstinguendi. Martyrologia testantur, nonnullos — e. g. S. S. martyres Timotheum et Mauram coniugem. Cf. Martyrologium rom. 3. Maii ed. Baronii Ven. 1630. p. 216. Ib. 5. Sept. s. Victorinum ep. m. p. 439. et s. Andream 30. Nov. p. 585. V. e. Eusebii, Hist. eccl. VIII, 8. p. 300. — novem dierum intervallo in cruce vixisse. Ex Joanne qui 19, 30. verbis „cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: consummatum est"; mox subiungit „inclinato capite tradidit spiritum"; cogitari posset Jesu dictum id ultimum fuisse. Haec enim ita inter se coniungit, ac si Jesus vitam simul cum eo verbo finiisset. Sed illud „consummatum est" neutiquam effatum

§. 33. Res Christi mortem secutae.

Eadem caritate Salvator noster, qui homo hominibus evangelizavit[1]; corpore mortuus, anima, quam sibi unitam habebat, profectus est ad inferos, ut opus redemtionis absolveret[2].

Jesu ultimum fuisse ex s. Luca 23, 36. patet. Inter illud enim et quod Jesus inclinato capite tradidit spiritum, intercessit spatium aliquod temporis, quo Jesus quod praetermisit s. Joannes voce magna Deum nomine Patris, et quidem in sensu maxime proprio compellavit. Perinde ac si dixisset: Pater meam animam, quam depositurus sum, ut iterum recipiam, tuae interim curae commendo tutelaeque. De his aliisque verbis D. N. J. C. in cruce cf. G. J. Vinke, diss. de Christi e cruce pendentis vocibus. Trai. 1846.

1) Juxta testimonium S. Petri I. 3, 18—20. 4, 6. 2) Justis illis, qui in limbo detinebantur, laetum attulit nuntium efficaciae Incarnationis et Mortis eius. Praedicatio Christi in dictis locis non profuit ad obtinendam salutem vel iustitiam sanctificantem; sed nuntiabat se redemtorem ad hoc descendisse, ut eos ex carcere liberaret, atque ex inferis eductos, una secum eveheret ad sedes coelestes. Coll. Ephes. 4, 8. s. Coloss. 2, 15. Opportune respondebitur h. l. ad quaestionem eorum, qui interrogant, cur S. Petrus l. c. in specie meminerit de spiritibus eorum, qui diluvio perierunt, ac non potius in universum dixerit de omnibus in limbo conclusis. Prima ratio videtur esse, quod nunquam alias tanta multitudo ad inferos descenderit; ut merito ex parte tam notabili totum intelligatur. Altera causa est, quia viam sibi facere voluit Apostolus ad digressionem, quam mox subiungit de sacramento Baptismi, cuius insignis figura in diluvio et arca praecessit. Hi quidem — spiritus olim carne induti — increduli fuerunt praedicanti Noae; tandem tamen antequam mergerentur resipuerunt. Cf. Hist. R. D. V. T. p. 26. s. Ceterum in memoriam revocare iuvat breviter, catholicum dogma docere: Christum Dominum vere ac proprie post mortem secundum animam ad inferos descendisse, ibidemque nulla tormenta, nullum cruciatum perpessum. Legendi qui locum istum accurate tractarunt praeter: Alph. Salmeronem, disput. in ep. can. ed. Colon. XVI. disp. VI. in I Petri 3. p. 82. Joannem Lorinum, in cath. Joann. et Petri ep. comm. Lugd. 1609. p. 259. s. Nic. Serrarium, comm. in omn. ep. can. Mog. 1612. p. 31. s. Cornelium a Lapide, in comment. ad h. l. ed. Antv. 1672. p. 276. s. et G. Estium, comm. in c. 3. I Petri. p. 818. s.; praeterea: B. Pererius, comm. et disput. in Genesim t. II. ed. Lugd. 1593. p. 109. s. A. Calmetus, Comm. lit. in o. L. N. T. ed. Wirceb. IV, 570. s. C. R. Bellarminus, primi t. sec. contr. gen. de Christo. IV, 13. ed. Ingolst. p. 373. seq. Fr. Suarez, comm. ac disput. in III P. d. Thomae t. II. ed. Mog. 1616. art. IV. disp. 42. p. 432. D. G. Cornerus, Abbas Gottwicensis, in fer. pasch., s. Comm. a. de descensu ad inferos et resurr. D. N. J. C. Vien. 1629. p. 33. s. Acatholicorum hac de re opiniones exhibent: J. Aug. Dietelmaier, historia dogmatis de descensu Christi ad inferos literaria. ed. II. Altorfii. 1762. p. 166. seq. Lampe, diss. XXI. p. 512. s. Pott, epist. cath. gr. perp.

Oratio Christi, qua pro crucifigentibus rogavit, suas velociter exerit vires. Quae enim terrae motu aliisque signis indicabantur rerum commutationes, eadem in animis hominum mox perficiuntur. E more romano crucis supplicio praepositus centurio fuit. Stat ille crucifixione iam peracta prope crucem, ac Jesum cum suis militibus servat. Videns autem obscurationem solis tenebrasque ac praeterea gestus et verba Domini[1], cum militibus suis timuit valde, divinam metuens vindictam. Homo, inquit, iste filius Dei erat! Idem et ceteri professi sunt[2]. Cum autem esset[3] feria sexta, quam praeparationem sabbati dixere Judaei;[4] sabbatumque sequens solennius celebraretur, quod in illud Pascha transtulerint proceres Judaeorum: ne supplicii aspectu festi religio quid pateretur, Jesu atque latronum corpora in cruce, permanere noluerunt. Assentiente, quem adiere Pilato, latronibus, ut mors eorum festinaretur, crura confracta sunt. Christi iam mortui haustum lancea latus, ne quid in eo spiritus resideret; sanguine simul et aqua inde decurrente. Quod vidit et Joannes, qui rem

ann. illustr. Gott. 1810. vol. II, exc. III. Morus, prael. in Jacobi et Petri ep. ed. Dona. 1794. p. 150. s. J. L. König, die Lehre von Christi Höllenfahrt. Frankf. 1842. p. 79. s. Güder, Lehre von der Erscheinung Christi unter den Todten. Bern. 1853. Weiss, der petrinische Lehrbegriff. Berl. 1855. p. 216. s. A. Wiesinger, der erste Brief des Apost. Petrus. Königsb. 1856. p. 227. s. Baur, in ann. Tüb. 1846. II, 215. s. J. Ch. C. Hofmann, Schriftbeweis. II. 1, 335. s. C. A. G. de Zezschwitz, Petri ap. de C. ad inf. desc. sent. Lips. 1857. p. 15. s. Huther, Comm. ü. d. I. Br. Pet. ed. sec. Gött. 1859. p. 133. s.

1) Qui praeter morem lenta morte pereuntium in cruce, quosve ad extremum ipsa vox, nedum clamor destituit, magna voce exclamans sanctissimam animam posuit. 2) Jesum velut arbitrio suo exspirantem viderunt omnes, qui ad hoc spectaculum convenerant. Turbae pariter e Calvariae loco recedentes, pectus suum in doloris argumentum percutiebant prae consternatione; quoniam ea, quae viderunt, signa manifesta erant clarissimaque, Deum facinus aversari tam horrendum, atque Jesu innocentiae testimonium praebere luculentissimum. Haec vera esse testari potuerunt isti, sed et maxime qui omnia pro suo erga Jesum affectu spectarunt diligenter: noti, consanguinei amicique intimi. Inter hos eminebat Maria mater Jesu et s. Joannes; mulieres — Maria Magdalena, Maria Jacobi, Salome uxor Zebedaei atque Maria Cleophae. D. q. v. disq. — quae secutae fuerant Jesum a Galilaea piae, atque doctrina Christi miraculisque motae, illum ut magistrum suum venerabantur et singularibus ab eo beneficiis affectae, de bonis suis ipsi subministrabant necessaria. Narrantur haec Matth. 27, 35. s. Marc. 15, 24. s. Luc. 23, 33. s. Joann. 19, 18. s. 3) Ut visuri sumus in pec. disq. 4) Propter eximium illius cultum.

literis exaravit, ut Jesum vere mortuum esse constaret. Atque hic substitit hostilis furor, nec sepulturae decus corrupit.

Digressio, de aperto latere Domini. Exigit hic locus, ut de aqua et sanguine effluentibus aliquid dicamus. In hoc argumento diligenter versati sunt: Th. Bartholinus, de latere Christi aperto. Lugd. Bat. 1646. G. F. Vogler, Physiologia Historiae Passionis. Helmst. 1693. p. 44. s. C. Sagittarius, de lancea qua perfossum Christi latus, in Thes. th. ph. p. 381. s. J. C. Ritterus, de aqua ex Christi latere profluente, ib. p. 388. J. A. Quenstedt, de vulneribus Christi, ib. p. 394. Trillerus, de mirando lateris cordisque Christi vulnere. Vit. 1775. C. F. F. Grunerus, comm. a. m. de J. C. morte vera non simulata; acc. Ch. G. Gruneri, vindiciae mortis J. C. et H. Conringii, disc. de J. C. cruento sudore et morte repentina. Hal. 1805. p. 47. 73. 80. s. J. L. Hug., in ann. Z. f. d. G. d. Eb. Freib. III, 175. s. N. Wisemann, Zusammenhang der Ergebnisse w. Forschung m. d. g. Rel. Regensb. 1840. p. 206. s. Friedlieb, Archäol. d. Leidensgesch. p. 166. Ebrard, wiss. Krit. d. ev. Gesch. p. 561. s. Nos missis quae ad praesens institutum stricte facere non videntur, pauca de ipsa re dicemus. Subiectum quo Christum patiebatur est latus, utrum vero dexterum, vel sinistrum, vel utrumque hasta — „λόγχη", quae proprie cuspidem, et synecdochice lanceam denotat — perfoderit miles, in diversas sententias abeunt interpretes. Nam s. Joannes 19, 34. hoc non definit et nomen „πλευρᾶς" de utraque lateris parte sumi consuevit. Interim pro dextero latere plures pugnant, — e. c. s. Bernardus, in Ps. 90. serm. VII, 15. p. 163. „dextrum sibi propter me passus est latus fodi." — quam pro sinistro, atque paucissimi lanceam sinistro lateri impactam per latus dexterum transiisse autumant. Cf. Sagittarium, l. c. p. 385. Sed satius est animadvertere vulnus ubertim sanguinem et aquam fudisse e divinae misericordiae fonte, pro eluendis criminibus nostris ultimo hoc rivo manantem, atque symbolis salutis in Baptismo et Eucharistia serviturum. Quae constans Antiquitatis orthodoxae est doctrina. Cf. R. Bellarmini, de Contr. II. c. 27. de effectu Sacram. l. II. p. 294. s. An distincti fuerint hi liquores, an confusi? aeque a variis disputatum fuit. Quod „αἷμα καὶ ὕδωρ" exiisse dicatur, indicare videtur non obscure; sanguinem et aquam sic profluxisse, ut distincte potuerint dignosci. Aperto latere Christi verus sanguis veraque aqua fluxit, quod demonstrat Innocentius III., de sacro altaris mysterio IV, 29. p. 268. Naturaliter autem hoc fieri non potuit, tum quia sanguis in mortuo coagulatur, unde fluere nequit; tum quia vera aqua haec fuit, et non bilosus quidam humor. Omnes S. P. et S. E. in hoc conveniunt ad magnum mysterium significandum aquam et sanguinem ex latere Christi mortui fluxisse. Ita s. Ambrosius, qui expos. Ev. s. Luc. l. X, 135. scribit „utique post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit; ex illo autem incorrupto licet corpore, sed defuncto omnium vita manabat. Aqua enim et sanguis exivit; illa quae diluat, iste qui redimat." I, 1534. Innocentius III., l. c. p. 260. ait „quod de latere Christi duo praecipua Ecclesiae sacramenta fluxerunt, videlicet et sacramentum redemtionis in sanguine, et sacramentum regenerationis in aqua". Idem etiam clare docet S. Augustinus, in Joann. tr. 120, 2. p. 804. Quomodo autem a latere Christi sacramenta fluxerint figurative an meritorie disquirit J. da Sylveira, Comment. in text. Evang. t. V. l. 8. q. 12. p. 496. Denique non diffitemur disputari, ex qua parte laesa sanguis et aqua effluxerint? Militis hastam ad pericardium

cordis vehementi nisu penetrasse, placuit multis veterum et recentiorum interpretum. Non pauci ex membrana cor involvente, aliqui ex thoracis capacitate derivarunt. Nos equidem libenter concedimus, non adeo quaerendum esse sollicite, unde sanguis, qui cum aqua fluxisse dicitur, manarit? Ac ne nauseam pariamus prolixa commentatione, illud nisi addimus, s. Joannem tergemina assertione 19, 35. fidem fecisse: quod milites Jesu crura non fregerunt, quemadmodum ab ipsis fracta sunt crura latronum, quodque unus militum lancea sua perfodit Jesu latus, unde sanguis et aqua exivit statim. Quibus clarissime confirmavit Jesum vere in cruce mortuum esse. Remittit autem nos insuper Evangelista ad oracula prophetica Exod. 12, 46. coll. I. Cor. 5, 7. Zach. 12, 10., propter quae ut evenirent, accidit Christum traiectum per latus laticem atque cruorem agere. Sic pro servis Dominus moritur; pro sontibus Insons, pro aegroto Medicus; pro grege Pastor obit. Pro populo Rex mactatur; pro milite Ductor; proque opere ipso Opifex; proque homine ipse Deus. Exstant istae historiae apud solum et quidem u. v. testem oculatum s. Joannem 19, 32. s.

§. 34. Christus sepelitur.

Supremus mortalium honos, sepultura semper est habitus, pax et quies defunctorum, vivorum solatium[1]. Dominicam sepulturam quod attinet, dudum ipsum Isaias, duobus illustribus vaticiniis celebravit[2], eaque propter accurate expendenda erit. Inclinante die Josephus[3] ab Arimathia[4] vir opibus ac dignitate amplissimus[5], occultus Christi discipulus[6], Pilatum adiit, ut ab eo sepeliendum Jesu corpus impetraret[7]. Haeserat aliquamdiu Praeses dubius, quod tam cito obierit Christus. Quaesivit a centurione, qui custodiae praefectus erat, an ita res se haberet? a quo cum verum

---

[1]) S. Augustinus, de Civ. D. 1, 12. p. 19. [2]) 11, 10. 53, 9. [3]) Duobus Josephis Christus creditus est. Uni initio vitae, a quo nutriretur; alteri in fine a quo sepeliretur. [4]) V. not. t. s. geogr., p. LVI. [5]) Utpote decurio, βουλευτής. Synedrii assessor, qui exspectabat regnum Christi, neque cum iudaico senatu de interficiendo Domino senserat. Luc. 23, 50. [6]) Ante ob metum latebat; iam in cruce pendentis Jesu audacter se fatetur discipulum. Hic fructus Passionis est. [7]) Cur Josephus petiit a Pilato corpus Domini? Corpora damnatorum non poterant sepeliri absque licentia Praesidis, neque ullus perduellionis causa ultimo affectus supplicio — coll. Tacito, Annal. VI, 29. p. 198. Svetonio, in Octavio n. 13, p. 61. ad q. v. J. Lipsii, comm. in l. VI. Ann. Taciti ed. Antv. 1607. p. 155. Dan. Maphanasi, confut. Pilati defensi a J. Stellero. Lips. 1676. c. 24. — humo condi potuit, nisi iudicis indulgentia. Cum itaque Christus perduellionis utut immerito damnatus fuerit, de cruce et deponi et sepeliri non

esse accepisset, Josephi petito facilis indulsit[1]. Exanime plaga livore, squaloreque[2] plenum inter matris eorumve, qui cruci fideliter adstiterunt curas, ligno deduxere Josephus atque Nicodemus[3]. Corpus inunctum linteis sepulchralibus puris involverunt iidem[4]. Cum extrema fere luce parascevae sabbatum instaret, de monumento vicino prospicere debuit Josephus. Erat in horto Calvariae contiguo sepulchrum noviter et recens excisum e petra, quod nullum adhuc cadaver susceperat[5], quodque sibi familiaeque suae constituit Josephus; ad illud monumentum pio officio transtulit corpus Jesu. Ostio vero sepulchri curavit Josephus ingentem lapidem advolvi[6]. Salvator igitur in novo ponitur monumento, ne

potuit nisi concedente Pilato. In aliis crux sepulchrum erat, et cavebant custodes, ne quis corpora ad sepulturam detraheret.

1) Sanctum illud corpus Σῶμα dicitur; tam honorifice enim de funere Christi loquuntur Evangelistae, ut illius corpus mortuum numquam πτῶμα adpellent. 2) Quem tum acerbissimae necis tormenta, tum iniuriae noctis, quae necem ipsam antecessere, attulerunt. 3) Alter Christi discipulus. V. H. N. T. p. 43. Emit Nicodemus ad Jesum pollingendum centum circiter myrrhae et aloes libras. Juvabant d. Joannes atque mulieres. Interea B. V. Maria corpus in sinum suum demissum excepisse creditur. Cf. Molani, in Christum e cruce depositum observationes, Hist. s. imag. IV, 12. p. 149. s. 4) Sindonem, de qua loquuntur s. Matth. 27, 59. Marc. 15, 46. Luc. 23, 53., intelligimus lintea omnia, quae ad Christi sepulturam quoquo modo adhibita sunt. Sive quae intra sepulchri septa conclusa fuere, quae distinctius expressit s. Joannes, 19, 40; sive quo cruentum Christi corpus a cruce exceptum est, obtectumque ut ad pollincturae locum deferretur. Videtur illud praecipue significari munda syndone, qua depositum Christi corpus involvisse dicitur Josephus a tribus Evangelistis. Quae omnia ad honorem Christo exhibendum pertinent. Linteamina coll. Joann. 20, 5. 6. 7. verissimile est fuisse tria, de quibus etiam indeterminate loquitur s. Lucas. 24, 12. Sudarium, quo caput defuncti tegebatur; sindon, quae nudo corpori circum volvebatur; et institae, i. e. fasciae quibus coll. Joann. 11, 44. sindon coercebatur, et manus pedesque ligantur. De his l. J. J. Chiffletii, de linteis sepulchralibus Christi Servatoris crisis historica, in Thes. Ant. Ugolini, XXXIII, 802. s. 916. s. 5) Contra Salmasium, qui D. N. J. C. sepulchrum, cryptam fuisse in terra excavatam lapide stratam et concameratam statuit, magna argumentorum vi disputavit P. Zorn, de sepulchro Christi Servatoris ex petra exciso. Sedini. 1730. etiam B. Dorffer, exerc. de sepulchro Ch., in Ugolini Thes. XXXIII, 805. s. Th. Bolmann, exp. in turbam Servatoris. Helmst. 1713. p. 10. s. M. C. Ortlob, diss. de sepulchro Christi, in Thes. th. ph. p. 253. s. 6) Erat extra urbem ut diximus in not. t. s. geogr. p. LXXX. s., ubi etiam imaginem s. sepulchri dedimus, atque varias ad diversas, quas sepulchrum hoc sustinuit vicissitudines enarravimus.

post resurrectionem, ceteris corporibus remanentibus, resurrexisse alius fingeretur'.[1] Piae interim mulieres, quae Christum iugiter comitatae fuerant, locum sedulo notarunt, et quemadmodum positum erat eius corpus[2]. Cum Dominus Noster quiesceret in spe resurrectionis propediem eventurae, hostes eius viam ne exiret volunt praecludere. Postero die[3], adeunt Pilatum primarii sacerdotes cum Pharisaeis et exposuerunt, Jesum ubi in vivis esset iactasse, se intra triduum a mortuis resurrecturum. Suspicari se discipulos corpus illius ablaturos, famamque resurrectionis, non sine parvo iudaicae religionis discrimine sparsuros. Quare supplices fiunt apud Praesidem, ut sepulchrum custodiri iubeat. Pilatus quam facilis fuerat erga Josephum, cum mortuum sibi corpus donari petierat; tam facile etiam in preces Judaeorum descendit. Apposuere itaque milites stationarios, ut usque ad diem tertiam diurnas et nocturnas apud sepulchrum agerent excubias[4]. Neque de militari praesidio ad servandum triduo corpus dominicum contenta fuit Judaeorum sceleratorum vigilantia, addidit et

---

Adde abhinc authentiam M. Golgothae et s. sepulchri D. N. vindicasse: J. Berggren, Bibel und Josephus, über Jerusalem und das h. Grab wider Robinson und neuere Sionspilger. Lund. 1862. C. Tischendorf, a. d. h. Lande. p. 296. Langen, d. l. Lebenstage Jesu. p. 368. s. Sepp, in ann. Chilianeum. Wirceb. 1865. VII, 262. s. Nos vero etsi non corporetenus, sed spiritu saltem s. Christi sepulchrum veneraturi ingrediamur, cantu quo — referente J. Cotovico, Itinerarium Hierosolymitanum et Syriacum. Antv. 1619. p. 172. — olim iam peregrinatores dominicum monumentum salutarunt, repetito: „Ad locum iam sanctissimum; sepulchri Christi corporis; eamus totis mentibus; quaerentes Jesum laudibus."

[1]) S. Hieronymus, in Matth. 27, 60. p. 239. [2]) Reversae domum paraverunt unguenta, ut transacto sabbato venientes ungerent Jesum. [3]) Quae est post Parasceven, i. e. ipso sabbato. [4]) Romanos fuisse, non vero Judaeos custodes illos, demonstratur *a.* ex eo quod summi sacerdotes procuratorem romanum milites rogatum adierint. Matth. 27, 64. *b.* Nulla ratio cogitari potest cur s. Matthaeus 27, 65. nomen „κουστωδίαν" usurparit, nisi quia milites romani erant, quorum cohortem adpellavit suo nomine. Accedit *c.* quod custodes sepulchro Christi appositi Matth. 28, 12. „στρατιῶται" vocentur, i. e. milites. Milites alere „Judaea in formam provinciae romanae redacta" non erat concessum Judaeis; nec eius rei usquam ullum vestigium apparet. Verba Pilati „ἔχετε κουστωδίαν κ. λ." sunt concedentis et annuentis, ut suo carmine olim iam optime reddidit Juvencus, de ev. Hist. l. IV. „Et Pilatus ad haec miles permittitur inquit; servate ut vultis, corpus tellure sepultum." p. 124. Cf. C. F. Lange, de custodia s. Servatoris sepulchro apposita. Kilonii 1751. p. 22. s.

insuper sigillum, quo obsignatus est lapis, qui ostium sepulchri claudebat. Quae omnes molitiones ex consilio Dei Resurrectionis gloriae et veritati subservire debuerunt[1].

§. 35. Resurrectio D. N. J. C.

Ne oculum mentis nostrae in moriente Salvatore unice defigeremus, sed illum etiam Resurgenti reservaremus, exemplum nos monet s. Apostolorum, qui nunquam de ‚Crucifixione' dixerunt, quin mentionem ‚Resurrectionis' adiicerent[2]. Hinc ‚ἀνάστασις νεκρῶν' ad prima fidei christianae elementa refertur[3]. Et merito. Redditus D. N. J. C. in vitam non tantum vaticiniis V. T.[4] et typis[5] annuntiatus; sed et verbis Domini Nostri, imo ipsorum Christi hostium testatus est. Mysterium Resurrectionis teste Apostolo[6], ut Christi Domini veracitatem demonstrat;[7] ita et futurae nostrae resurrectionis, ac proin fidei fundamentum est atque firmamentum[8]. Enimvero cum Jesus toties se resurrec-

---

1) Certe secus obscurior fuisset Christi Resurrectio, vel saltem eius negandae maior Judaeis accessisset species, sed iam nullus eam vel mentiendi color relinquitur, cum milites depulsos, lapidem revolutum, et monumentum vacuum cernerent. Describuntur haec in quatuor Evangeliis Matth. 27, 57. s. Marc. 15, 42. s. Luc. 23, 50. s. Joann. 19, 38. s. Nos vero mittimus patientis Dei hominis historias; quod ad veritatem harum attinet lectorum inviantes ad A. C. E. de Jongh, diss. de Jesu Christo patiente ex vero ab Evangelistis informato. Traiecti ad Rhenum. 1827. 2) Cf. Act. 1, 22. 2, 24. 3, 12. s. 4, 10. 33. 10, 40. 13, 33. 17, 3. 18. 31. 26, 23. Rom. 1, 4. 5, 9. s. 8, 11. I. Cor. 6, 14. II. 13, 4. Gal. 1, 1. Ephes. 2, 6. Philipp. 3, 10. Coloss. 2, 12. I Thess. 1, 10. II Tim. 2, 8. Hebr. 13, 20. I. Petr. 1, 21. Apoc. 1, 5. 17. 18. V. G. Krehl, de momento Resurrectionis J. C. in institutione apostolica. Misenae. 1830. p. 27. s. C. L. Müller, de Resurrectione J. C. et vita eam excipiente et ascensu in coelum sententiae, quae in Eccl. chr. ad f. u. s. sexti viguer. Havn. 1836. p. 4. s. E. W. Kolthoff, Vita Jesu a Paulo Apostolo adumbrata. Hafn. 1852. p. 49. s. 3) Hebr. 6, 2. 4) E. g. Ps. 15, 10. a. q. l. H. V. T. p. 284. 5) Quo non datur illustrior Jona propheta, H. V. T. p. 353. 6) I. Cor. 15, 12. s. 7) Dominum enim suam cum viveret praedixisse Resurrectionem omnes habent Evangelistae L. e. g. Matth. 12, 39. 40. — ad q. l. c. Fr. Pauli, disp. de Jona Christum sepultum et resurgentem adumbrante. Hal. 1775. p. 5. s. — 16, 21. 17, 21. 20, 19. 26, 32. Marc. 8, 31. 9, 30. 10, 34. 14, 28. Luc. 9, 22. 11, 30. 18, 33. 24, 46. Joann. 2, 19. s. 10, 18. 14, 18. 20, 9. V. H. N. T. p. 64. 8) Apprime notatu digna sunt s. Athanasii, de incarnatione Verbi dicta n. 30. p. 72. „Quod autem immortalis corporis resurrectio a communi omnium Servatore Christo, qui vere vita est, effecta fuerit, res ipsae multo evidentius, quam verba probant, his scilicet qui sanum habent mentis oculum. Si enim

turum promiserit, suamque ex Passione in eum quasi redundantem ignobilitatem coram discipulis ea promissione depulerit; Christus et falsa docuisse, et homines turpiter delusisse convincitur, si reipsa non resurrexit [1]. Unde etiam ab omni retro antiquitate viri sagacissimi Historias Christi resurgentis dixerunt uti verissimas ita dignissimas esse, quae avide excipiantur, atque veluti plurimum salutares maximo cum solatio ab omnibus credantur. Sunt tamen proh dolor [2] omni aevo reperti, qui testi-

---

mors destructa est, eamque omnes propter Christum conculcant, multo magis ipse illam proprio corpore primus conculcavit et destruxit." Item n. 50. p. 91. „Quis alius homines ita certos de immortalitate reddidit, ut Christi crux, eiusque corporis resurrectio."

[1]) V. H. N. T. p. 72. [2]) Nimis longum foret seriem texere plenam profanorum hominum et veritatis hostium, qui in vitam e mortuis rediisse Jesum negarunt. Quod aequales Salvatoris nostri absurde commenti sunt, illud uti ex Rabbi Perizol apud J. A. Eisenmenger, entdecktes Judenthum. Königsb. 1711. I, 193. s. discimus, nullo non tempore non puduit Judaeos repetere. V. s. Justini, dial. cum Triph. n. 108. p. 367. Mittimus Celsum, Julianum, Gnosticos; quorum calumniae et phantasiae legi possunt in C. L. Mülleri, diss. de resurrectione J. C. sententiae p. 63. s. 114. s. Recentiori quoque aevo multi fidem Historiarum resurrectionis Dominicae evertere sunt annisi, quos inter agmen ducit: Ben. Spinoza, e Judaeo Atheus factus, supra maiorum suorum mendacia longe adhuc magis putida proferens. Quamvis fuerit ep. XXIII. confessus „Apostolos omnes omnino credidisse, quod Christus a mortuis resurrexerit, et ad coelum revera adscenderit." Op. ed. Paulus. Jen. 1802. II, 514. s. coll. ep. XXV. p. 519. Refutavit Spinozam P. Gerike, progr. quo mirarum sed vanarum artium in opp. hist. Resurr. C. exhibetur exemplum. Helmaestadii. 1741. p. 11. s. C. S. Georgius, de veritate resurr. Dom. ab impietatis crim. vind. Witt. 1750. p. 6. s. Sequebantur interim Spinozam Deistae angli, imprimis Th. Morgan, the Resurrection of Jesus considered. Lond. 1743.; cui praeivit Th. Woolstonus scriptor libri a discourse on the miracles of our Saviour. fasc. VI. London 1729. Omnium vero huius generis impiissimus iure habetur Reimarus, qui fragmentum scripsit, quod edidit G. E. Lessing, in Beitr. z. Gesch. d. Lit. aus d. S. d. Wolfenb. B. 1777. IV, 5. Semler, Beantw. d. Fragen ein. Ung. 1780. Eberhard, Geist des Urchrist. 1807. III, 119 s. J. F. des Côtes, die Gesch. u. L. von d. Ersch. J. n. s. T. 1809. J. v. Henneberg, Comm. ü. d. Gesch. d. Auferst. Leipz. 1826. Aperto quod aiunt marte veritatem Resurrectionis adorti sunt sic dicti philosophi et theologi philosophici aetatis nostrae: Hegel, Vorles. ü. d. Philos. d. Rel. Berl. 1840. II, 300. Rosenkranz, Encyclop. d. theol. Wiss. 1831. p. 148. D. F. Strauss, d. Leben Jesu. f. d. d. Volk, p. 601. s. Der Christus des Glaubens u. d. Jesus der Geschichte. Berl. 1865. p. 163. s. Die Halben u. d. Ganzen. ib. 1865. p. 57. s. Keim, der gesch. Christus, p. 126. s. Noack, in famoso libello Psyche. L. 1861. D. Schenkel, die Auferstehung Jesu als Geschichtsthatsache und als Heilsthatsache, in ann. allg. k. Zeitschr. Elberf. 1865. p. 289. s. Nil omiserunt ut clara Evangelistarum verba et Scriptorum Veterum testimonia iuxta superbas Criticae ἐυστοχείας

bus et documentis Resurrectionis Dominicae quavis exceptione maioribus dubia et negationes opponerent, quae de temeraria inventorum audacia, non autem de incertitudine facti, quod oppugnare contendunt, testantur; imo potius rem omni dubitatione exemtam confirmant. Verum acriter quoque illud tuiti sunt alii, quam plurimi. De Resurrectione D. N. J. C. scripserunt Apologetae prisci s. Patres et Scriptores E., homiliis et sermonibus inter se convenire Evangelistas demonstrantes: in quorum operibus non ea solum quae erant ab Evangeliorum scriptoribus relata deprehendimus; verum etiam multa alia tradita habemus, quae in Resurrectione et Ascensione aestimandis atque comprobandis gravissima sunto. Invalescente recentiori tempore adversariorum turba, aucta quoque est rei nostrae propugnatorum corona [1], qui temeritatem adversariorum pro merito castigarunt, et rei veritatem in aperta luce collocarunt. S. P. et S. E. vestigia legentes nos quoque mysterium istud, pro sua gravitate et dignitate pertractare volumus; ἐναντιοφανείας ceterasque difficultates ex ipsis Evangelistis obortas non reticebimus, sed expediemus; persuasi Libros inspiratos supra ceteros hac praerogativa eminere, quod nihil in iis reperiatur, quod fallat vel deficiat [2].

---

leges impugnarent, quo sic everso principali dogmate omnem tandem fidem labi necesse sit.

[1]) Enumerabimus denuo solum praecipuos. Deistas sibi refellendos sumsit: Th. Scherlock, the Tryal of the Witnesses of the Resurrection of Jesus. Lond. 1729. Egregius liber cui ne Woolstonus quidem laudem denegare potuit. M. Crusius, Harm. Hist. ev. de iis quae circa sepulchr. C. resurg. f. Gott. 1737. Ei. Anal. de antiq. Harm. ev. circa resurr. C. opp. et def. in Miscell. Groning. 1743. IV, 140. s. J. E. Scheibel, neue Unters. ü. d. Gesch. der Aufersteh. J. C. Bresl. 1797. S. Chandler, the Witnesses of the Resurrection of Jesus reexamined. Lond. 1743. J. H. Ress, die Auferstehungsgesch. verth. Braunsch. 1774. G. Less, die Auferstehungsgesch. n. a. v. Ev. Gött. 1779, A. Pfeiffer, nati ex sem. Dav. F. D. resurr. Lips. 1780. J. J. Griesbach, inquiritur in fontes Ev. de resurr. D., in op. ed. Gabler. Jen. 1825. II, 241. s. J. C. Velthusen, Hist. res. J. C. confirmata, in comm. IV, 77. s. C. Fr. Brescius, Apologie der Auferstehungsgesch. Lips. 1804. F. L. Gelpke, das Unhaltbare der Ansicht des L. J. n. D. Str. 1836. J. J. Doedes, de Jesu in vitam reditu. Trai. ad Rhen. 1841. p. 33. s. Burger, in ann. Zeitschr. f. Prot. u. Kirche. 1841. Ebrard, wiss. Kr. d. ev. Gesch. p. 574. Hug, Gutacht. II, 208. s. J. Evelt, de vita morte et resurrectione. Paderb. 1851. p. 55. s. Auberlen, d. göttl. Offenb. I, 28. s. H. Gebhardt, die Auferstehung Christi u. ihre neuest. Gegner. Gotha. 1864. C. A. Weidemann, die neueste Darstell. d. L. J. ib. 1864. p. 172. s. W. Beischlag, die Auferstehung Christi u. ihre neuest. Bestreit. Berl. 1865. [2]) Idque eo magis quod multis hoc tempore nihil avidius exspectent vel quaerant, quam qui ipsis „pro Junone nubes“, pro luce tenebras vendant. Nam his diebus simulac nugarum portenta quaedam traduntur, sunt qui ea credant!

Christo itaque passo, mortuo et in sepulchrum suum illato, deinde vero tertia die resuscitato habemus, quo laetemur et quod imitemur. Laetandum nobis est, quia futurae nostrae resurrectionis accipimus spem et pignus certum. Inchoata est in Christo Resurrectio, suo tempore in nobis consummanda. Radix nostra[1] vivit, non dubium vivificabuntur et rami. Jesus radix, vitis vera[2] gloriosa apparuit in Resurrectione, glorificabuntur alioquin et palmites. Multum pertinet ad ramos vita radicis, qualis radix, tales et rami. Inde s. Paulus[3]: ‚Deus . . . convivificavit nos in Christo et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus.'

§. 36. Mulieres ad sepulchrum venientes discunt ab angelo Christum resurrexisse.

Illucescente die inter septenarios prima[4], ad diluculum,[5] sub aurora[6], monumento clauso et obsignato[7] remanente, pro-

---

[1]) Apoc. 22, 16. [2]) Joann. 15, 1. [3]) Eph. 2, 4. 5. 6. [4]) Quae ex hebraismo etiam una dicebatur, seu Dominica. Id testatur s. Marcus 16, 9. „Completis enim septem diebus reditur ad primum. Finitur septimus, Dominus sepultus; reditur ad primum, Dominus resuscitatus. Domini enim resuscitatio promisit nobis aeternum diem, et consecravit nobis Dominicum diem. Qui vocatur Dominicus, ipse videtur proprie ad Dominum pertinere; quia eo die Dominus resurrexit.“ S. Augustinus, serm. 169. de verb. Ap. Phil. 3. n. 3. V, 809. [5]) Quod ad horam resurrectionis attinet, non una est interpretum omnium sententia. Quidam eam hominibus notam esse negarunt. E. g. s. Hieronymus, ad Hedibiam ep. 120, 6. „Dominus resurrexit, hora qua ipse voluit, et quae nulli mortalium cognita est.“ I, 830. Quamobrem canit Ecclesia „O nox quae sola meruit scire tempus et horam, in qua Christus ab inferis resurrexit.“ Sententia receptior — de qua diligentissime tractat Suarez, q. 53, a. 1. disp. XLVI, 2. 3. p. 489. s. — habet Christum surrexisse summo mane, seu ad diluculum. Calmetus, Comm. lit. in Matth. 28, 2. I, 508. censet quarta hora matutina; ea etiam de causa, quod Romani fideles sabbati maioris ieiunium nonnisi post auroram diei Dominicae solvebant. Favet huic opinioni S. S. Nec repugnat s. Ecclesiam in Officio sabbati magni, memorare noctem Dominicae Resurrectionis, nam eadem in die s. Paschae canit „haec dies“ etc., et Dom. in Albis „In die resurrectionis.“ Et utrumque dici recte potest, nam si ad diluculum resurrexit, utique iuxta communiorem hominum opinionem in nocte resurrexit. [6]) Propterea quia lucesceret, milites perspicue viderunt ea prodigia, quibus correpti metu mortuis similes facti sunt. Sed et alias non potuissent esse testes factae resurrectionis, sicut fuerunt apud Pharisaeos. [7]) Neque credendum est pictoribus, qui pingunt Dominum amoto lapide exire de sepulchro. Non enim eget beatum Jesu corpus via exituque tali; lapidemque ab Angelo esse remotum clare s. Matthaeus 28, 2. tradit.

pria virtute resurrexit; victor et caput spei nostrae ad vitam immortalem[1]. Tanta autem celeritate Tridui, quod praedixerat, moram contraxit Dominus; ut ad secundam diem integram, novissima primi portio, et prima tertii concurreret[2]. Eadem die Maria Magdalene, et Maria Jacobi mater, atque Salome[3], nec non ceterae mulieres religiosae, multo mane circa solis ortum, offusis adhuc tenebris iuxta condictum convenire coeperunt. Ut enim fit in recenti luctu revisendi sepulchri, a quo triduo abhinc aegre se avelli passae sunt, desiderio ardentissimo flagrarunt. Sumtis aromatibus, quae sibi feria sexta exeunte comparaverant, viam inierunt ad monumentum. Exeunt aedibus et urbe[4]. Interea cum surgunt, invicem exspectant, necessaria congregant, in via haerent dubiae inter se ob difficultatem removendi lapidis; nam de custodia sepulchro apposita nihil habuerunt compertum, siquidem etiam de hoc impedimento adeundi sepulchri sollicitae fuissent: tenebrae disperguntur, et aurora praenuntiat adventum solis. Itaque sole supra horizontem iam apparente pervenerunt primum ad monumentum[5]. At quid vident hortum ingressae? ecce lapis,

---

[1]) Anima Christi secum, ab inferis spoliatis, eduxit omnes animas mortuorum in gratia. Eccl. 24, 2. 3. 4. Ephes. 4, 8. 9. 10. Propria Divinitate sanguinem effusum una cum dotibus beatifici corporis indidit ipse, illudque informavit nocte, quae terminatur luce in aurora. Cf. A. Rocca, de sanguine a C. D. in Resurr. reass. comm. Op. ed. Rom. 1719. I, 140. s. J. Pires, Comm. in s. J. C. Evangel. sec. Matth. Mechl. 1823. I, 262. s. M. Weber, doctr. de natura corporis Christi. Hal. 1825. p. 15. s. Krabbe, Lehre von der Sünde und dem Tode. Hamb. 1836. p. 300. s. J. H. B. Lübkert, welche Kraft h. w. n. d. Schrift der Auferstehung J. beizulegen, in Ann. Stud. u. Krit. 1839. p. 935. s. Vogelsang, ü. d. verklärten Leib Jesu nach seiner Auferstehung, in Zeitschr. f. Phil. u. kath. Theol. 1832. II, 41. s. [2]) Constat solenne esse Hebraeis, tunc quando continuum tempus notare volunt, cum dierum mentione noctes coniungere, ac per „νυχθήμερον“ coll. II Cor. 11, 25. durationem, quantacumque sit, definire; deinde autem assignare. συνεκδοχικῶς toti. In qua explicatione s. Augustini, enarr. in Ps. 87, 9. III, 931. acquiescere malumus, quam cum aliis interpretibus varias tentare artes, ut ternarius dierum ac noctium numerus accurate appareat. [3]) Lucae 24, 10. adduntur: Joanna et ceterae. Coll. 8, 3. erat Joanna uxor Chusae procuratoris Herodis. Inter ceteras erat verisimiliter Susanna c. l. commemorata. S. Joannes 20, 1. solius Mariae Magdalenae meminit, scilicet tanquam ducis et praecipuae in his historiis. [4]) Neque enim omnes in una eademque domo habitasse creduntur. S. Marcus 16, 11. et s. Lucas 24, 1. certe non contradicturi s. Matthaeo 28, 1. quem legerant, sed suppleturi addiderunt consilium ungendi. [5]) Hora qua

quo sepulchrum claudebatur, revolutus aditum omnibus concedit, neque impedit quominus intrent. Antequam enim piae feminae ad monumentum pertingerent, terra ingenti concussione contremuit: idque contigit eo temporis momento, cum Angelus e coelo descendit; simulque monumenti lapidem, super quem assedit, removit. Viso Angelo territi milites quasi mortui conciderunt, deinde dilapsi protinus fugam arripuere. Cum igitur accessissent s. mulieres, viderunt sepulchrum apertum, nullum autem corpus in eo iacere; sed nonnisi sindonem, qua involutus fuerat Jesus. Maria Magdalene morae impatiens praecurrit — corpus Jesu videndi et ungendi desiderium eam attraxerat —; cernit apertum tumulum, sed ipsum non intrat, imo relictis ibi reliquis feminis statim rediit ad

---

mulieres petiere sepulchrum non una premitur difficultate. Tantum abest ut Evangelistae referentes piarum mulierum accessum ad sepulchrum tempus, quo prima vice mane egressae sunt declarent; ut potius magis implexum reddant. Cumprimis s. Marcus 16, 2. hanc ipsam apparentem antilogiam profert: „et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole.“ S. Matthaeus vero ait venisse „vespere sabbati, quae lucescit in prima sabbati“ 28, 1. Rursus, s. Lucas 24, 1. dicit „valde diluculo“; Denique s. Joannes scribit „Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent ad monumentum. 20, 1. Non obstante hac difficultate dicimus: omnes Evangelistas, cum mulieres ad sepulchrum accessisse aiunt, ad unum idemque respicere tempus: nimirum auroram diei Dominicae. Enimvero quotidie experimur illucescente die nondum omnes disiectas tenebras, sed eo amplius extenuari easdem, quanto magis oritur lux. Mulieres igitur albescente iam coelo profectae sunt Jerosolymis, ut ad sepulchrum accederent. S. Matthaeus verbis „ὀψὲ δὲ σαββάτων“ non vespertinum tempus, quod inter lucem desinentem et tenebras orientes interiacet, significare voluit. Accurata simul doctissimaque est s. Gregorii Nysseni hanc in locutionem interpretatio. „Non dixit sero Sabbati aut vespere Sabbati, ut vesperum illius diei significaret; sed sero sabbatorum, ut tardius et multum distans indicaret. Etenim aliquando nos quoque ita dicere solemus; ὀψὲ τοῦ καιροῦ παραγέγονας, id est sero vel tardius ad tempus venisti; ὀψὲ τῆς χρείας, i. e. sero ac tardius quam necessitas postulasset: non vesperam, neque tempus, quod post occasum solis est significantes, sed tardius.“ In Christi Resurr. Or. II. ed. Migne III, 531. Ea explicatione recepta s. Matthaeus ait: tarde post sabbatum; id est ea die quae lucescit in primam hebdomadis diem, sive Dominicam appropinquantem. His positis circa horam, qua profectae mulieres, nihil est pugnae inter Evangelistas. Nimirum Maria Magdalene domo egressa cum aliis mulieribus, ubi adhuc tenebrae essent aliquae, paulatim extenuatae adventu lucis — valde mane, diluculo, appropinquante die — pervenit ad monumentum, sub ortum solis. Textus originalis non habet particulam „iam“ Vulgatae; aoristus vero „ἀνατείλαντος“ propter „λίαν πρωΐ“ non orto sole, sed sub ortum solis erit reddendus.

urbem et properavit nunciare Petro et Joanni: corpus Jesu, cuius honorandi causa exierat, non fuisse inventum. Interea temporis ceterae mulieres ad sepulchrum veniunt, quod cum ingrediuntur rem penitius cogniturae, vacuum vident. Attonitae ubi, cum frustra corpus Jesu quaererent, nesciae consilii, dubiae mentibus circa sepulchrum adhuc morantur: apparent angeli candidissimis vestibus induti,[1] quorum aspectu mulieres haud exiguo timore perculsae sunt. Verum pavidas atque oculos attollere non audentes allocutus est alter angelorum atque bono animo esse iussit: Jesum in vitam rediisse, prouti ipse praedixerat; invitavitque ut propius factae inspicerent locum, ubi positus fuerat. Irent statim atque nuntium a mortuis Jesum rediisse afferrent discipulis, inprimis Petro. Imo addit, priusquam in Galilaeam reduces factae fuerint, eodem sese Jesus conferet, illic iterum colloquiis eius fruentur. Tunc mulieres, sermonum quos in Galilaea habuerat Christus memores, protinus monumento egressae, animis pavore[2] magnoque gaudio distentis, fugientibus similes redierunt; quaeque viderant cum Apostolis ceterisque discipulis communicaturae.

§. 37. Prima Christi redivivi apparitio.

Quae cum ad sepulchrum fiunt, redux inde Maria Magdalene venit ad Petrum atque Joannem, et quia angelum de Resurrectione testantem non audiverat, Christi corpus nunciavit sublatum esse; neque scire se quid de illo actum esset. Quibus auditis illi protinus festino admodum gradu ad sepulchrum simul se contulerunt. Joannes, qui iunior erat, prius ad locum perti-

---

[1]) S. Marcus iuvenem, i. e. angelum, exhibet veste longa ad talos protensa, quam στολὴν λευκήν adpellat; cum Lucas „ἐσθῆτα ἀστράπτουσαν" dicit. Alba sunt angelorum vestimenta — στολήν enim et vestimentum veteres promiscue usurpant — ut praedicent tali veste: *a.* Expiationem morte Christi factam: *b.* tesseram triumphalem; *c.* laetitiam e resurrectione Jesu resultantem. Sed etiam ἀστράπτουσαι erant stolae angelorum, i. e. fulgentes veluti indices futurae gloriae et permanentis felicitatis. Cf. S. Gregorii M., in Evangelia l. II. hom. 21. ed. Ben. I, 1527. s. J. A. Bodeni, illustr. l. Mar. 16, 5. Witteb. 1739. [2]) Tantus enim eas tremor occupaverat stuporque, ut prae metu neminem obvium alloqui ausae sint.

git; cumque se incurvasset[1], vidit posita lintea, non tamen introivit. Petrus vero Joannem proxime secutus introivit in sepulchrum, similiter Joannes Petrum imitatus. Ambo omnibus diligenter lustratis, conspexerunt fascias iacentes et sudarium, quo caput fuerat obvolutum; non quidem eodem cum fasciis loco iacens, sed diverso.[2] Tunc igitur Joannes dictis a Magdalena de corporis absentia fidem habere coepit: ita quidem, ut cum Petro rem gestam admiraretur et spem Christum revisendi per intervalla foveret; sed plena fiducia vivum credere nondum valuerit. Necdum enim perspiciebant vaticiniorum vim, quibus resurgere Christum a mortuis oportere praedictum est[3]. His Petrus et Joannes, ut rei a se visae socios monerent, Jerosolymas rediere.

Maria Magdalene, quae cum iis venerat, constitit luctui indulgens foris ad monumentum, plorans e metu et desiderio inveniendi corporis Christi. Subinde inclinato corpore per ostium sepulchri, quasi dolorem solutura, introspexit. Ecce autem duos ad utrumque monumenti extremum assedentes vidit angelos, qui mulierem interrogant, cur lacrimaris? Conqueri se respondit sublatum praeceptoris sui corpus. Interea viso angelorum motu reverentiam Christo adventanti exhibentium, conversa retrorsum cernit Jesum adstantem, sed prae maerore non agnovit. Tum illi Jesus: mulier quare fles, quemve hic quaeris? neque tamen animadvertebat Jesum apparuisse. Magdalene rata esse olitorem ait ei: Domine si forte non placuit mortuum in horto sepeliri tuo, dicito mihi, ut tollam eum sine tuo labore. Ad quae Jesus voce familiari, proprio eam nomine Maria adpellavit; ex quo illa praeceptorem suum se videre advertit. Ut solebat magistri nomine[4] adpellato, simul quasi abhinc non iterum de manibus

---

1) Ut per humilius monumenti ostium introspiceret. 2) Talem autem curam nemo sibi persuadebit adhibiturum fuisse eum, qui corpus surripuisset; nam is ne in flagrante delicto deprehenderetur, potius cum linteis illud abstulisset. 3) Cf. Ps. 15, 10. 11. Isai. 53, 10. 55, 3. Saepissime utique Christus sese resurrecturum dixerat, sed Apostoli sensum praedictionum Jesu minime assecuti sunt; quamvis a Magistro non unum mortuum ad vitam revocatum vidissent. L. H. R. D. N. T. p. 50. 62. 79. s. 4) „Rabboni“ Ῥαββουνί, vox hieros. רַבּוּנִי, pro i alternante a, Domine mi! Ceterum רַבִּי titulus est honoris apud Judaeos, idem quod nobis

Christum ammissura, accurrit ad amplectendos pedes eius. Cui Jesus blande: ne me tangito! Unio perpetua non in hac mortalitate speranda, in coelis enim primum locus erit perfecte frui amicitia. Mandavit deinde Mariae voce suavissima, ut nihil morata sese statim in viam daret, annuntiatura resurrectionem suam, ut discipulos perterritos recrearet. Quod mandatum propere exsecuta est Magdalene, sed exiguo cum successu [1].

Digressio ad Apparitionem s. mulieribus factam. De Resurrectione D. N. J. C. quam plurimae essent refutandae obiectiones adversariorum, quas de primario hoc fidei articulo movent, sed pro instituti nostri ratione gravissimas nisi dispiciemus. Solvendae prae ceteris sunt difficultates de *Angelorum Apparitionibus* et *Sermonibus*. De priori apparitione Matth. 28, 2. Angeli custodibus sepulchri facta, nullum est apud interpretes dubium. Sed de apparitionibus Angelorum, quae s. mulieribus obtigerunt, non usquequaque conveniunt. Difficultas prima oritur e d. Marco 16, 5. „introeuntes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida". Quem s. Marcus dicit „νεανίσκον", s. Matthaeus vocat „ἄγγελον"; quos s. Joannes adpellat „ἀγγέλους", s. Lucas nominat „ἄνδρας". Prouti vero Evangeliorum scriptores sese mutuo explicant: ita quoque iuvenem et viros Angelos esse, qui humana forma — quae virorum iuvenili aetate propria est — assumserunt, nullum dubium est. Imprimis quia idem ille s. Lucas 24, 23. narrat mulieres „ὀπτασίαν ἀγγέλων" habuisse. Secundo venientes mulieres in sepulchri vestibulum ingressae sunt; stabant ergo in sepulchro mulieres, non extra monumentum. Atqui extra illud sedisse Angelum narrat s. Matthaeus 28, 2. 5. Praeterea duo hi Evangelistae unum tantummodo Angelum commemorant; s. Lucas vero 24, 3. de duobus facit mentionem, itidemque s. Joannes 20, 12. Sed multo maior videtur adhucdum inter s. Matthaeum 28, 5. et s. Joannem 20, 2. discrepantia. Narrat enim s. Matthaeus M. Magdalenam aliasque s. mulieres venisse ad sepulchrum, ac revolutum lapidem invenisse, Angelum autem dixisse ad eas: „surrexit". At iuxta s. Joannem illico ad Petrum convolavit, eique ignara Dominicae Resurrectionis dixit: „tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum"; quod quidem non dixisset, si vidisset Angelum, eumque loqui audiisset! Verum probe animadvertendum est: *a.* Duo diversi fuerant angeli, alter foris sedens, alter intus confirmans dicta prioris. Ex diverso igitur numero, quem angeli in apparitione mulieribus facta habuerunt, nihil consequuntur adversarii, qui propter numeri differentiam totam rem negant. Cf. A. H. Niemeyerii, comm. de Evang. in narr. J. C. in vitam reditu dissensione. Hal. 1824. p. 5. s. In eo lapide qui ab ostio fuerat

---

magister. Ita et caecus Timaei filius Marci 10, 51. Christum vocarat. V. H. N. T. p. 81.

[1] Quod legimus Joann. 20, 1—18. V. C. M. Pfaff, diss. de verbis Christi Mariae Magdalenae dictis. Tub. 1749. J. C. Rodatz, in Zeitschr. f. luth. Theol. 1846. IV, 23. s.

revolutus, sedebat angelus a dextris, quasi ianitor et custos cryptae interioris, ubi requieverat Domini corpus. Hic dixit mulieribus „venite et videte locum, ubi positus erat Dominus“ Matth. 28, 6., conclave videlicet interius. Solam adhuc ingressae sunt cryptam exteriorem mulieres, ut observat s. Marcus 16, 5., atque patet e forma monumenti. Sepulchrum deinde eum, qui in saxo consederat etiam introiisse, innuunt ipsius verba ad mulieres. Quod vero apud s. Marcum „καθή-μενος“ dicatur, nullam movet difficultatem. *b.* Quas mollioribus sane verbis exceperat angelus, ille insidens saxo, ipsis ad intrandum invitatis, paulo durius compellant duo angeli Luc. 24, 5. „Quid quaeritis viventem cum mortuis?“ Quod discrimen Critici pugnam dicunt, affirmantes s. Matthaeum et s. Marcum plures commemorare debuisse, si uno plures Angeli adfuissent. Causam quidem cur hi duo Evangelistae unius tantum angeli memoriam iniecerint, in eo ponimus: hos Evangelistas de illo potissimum angelo sibi scribendum existimasse, cuius hac in re primae quodammodo partes fuerunt, quique cum s. mulieribus sermonem habuit. S. Lucas autem ratus eorum numerum sibi non praetereundum, duos adfuisse narrat; atque S. S. loquendi modum secutus, duobus tribuit angelis, quod ab eorum altero utriusque nomine factum aut dictum. Neque itidem repugnat s. Joannes, cum aliam apparitionem narret M. Magdalenae factam, postquam iam s. mulieribus Angeli apparuerant. 20, 12. *c.* Negandum esse putamus M. Magdalenam vidisse Angelum, cuius verbis auditis minime dicere potuisset „tulerunt Dominum“; namque saxo iam devoluto, ubi sepulchrum reclusum nec quidquam aliud vidit, ut narrat s. Joannes 20, 1. — cuius narratio egregie supplet et illustrat ea, quae ceteri referunt. — ad urbem rediit celerrime, ac Petro Joannique narravit, ea quae suspicata erat. Ut variabile est mulierum ingenium, et in similibus eventis amor et dolor omnia etiam tuta timent, M. Magdalene, quae Christi corpus vehementer cupierat invenire, idcirco vere Petro et Joanni potuit dicere: se nescire quo sublatum Christi corpus asportatum fuisset. Nam nec Angelum viderat, nec loquentem audierat; nondum enim mulieribus, qui lapidi assidebat angelus se conspiciendum praebuerat. Quibus omnibus in hanc seriem dispositis, motae difficultates evanescunt.

Apparitiones Domini e mortuis redivivi praeeunte S. Praesule Hipponensium decem numerantur. „Toties ergo eum praeter quod in terra viderant, etiam dum ferretur in coelum. Toties ergo in Evangelicis Libris commemoratus est ab hominibus visus, antequam ascendisset in coelum, in terra scilicet novies, et in aëre semel ascendens.“ De consensu Evangel. III, 83. p. 149. Quanquam multo plures evenisse, etsi ab Evangeliorum scriptoribus recensitae haud fuerint, — cum illae quas recensuerunt sufficiant ad demonstrandum Jesum Christum „qui praedestinatus est Filius Dei in virtute“. Rom. 1, 4. coll. Joann. 20, 31. — prona consequentia inferamus ex Joann. 20, 30., et praesertim ex Act. 1, 3.; quo postremo loco d. Lucas Salvatorem Nostrum per quadraginta dies a discipulis visum, atque „ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις“ vivum se „μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν“ exhibuisse testatur. Est autem multorum celeberrimorum Theologorum: B. Petri Canisii, de Maria Virgine incomparabili et Dei Genitrice sacrosancta V, 1. Comm. de Verbi Dei corrupt. II. ed. Ingolst. p. 587. Alph. Salmeron, comm. in Ev. Hist. XI. de resurr. tr. 41. p. 84. s. Joann. Osorii S. J. concion. I, 784. ed. Venet. 1598. Fr. Suarez, comm. ac disputat. in Tertiam Partem d. Thomae disp. XLIX. s. 1. p. 543. J. Pires, Comm. in s. Jes. C. Ev. I, 265. Torniellii, Annal. s. ad a.

m. 4081. n. 30. II, 397. Baronii, Annal. eccl. ad a. C. 34, 179. ed. Luc. I, 177. Maldonati, comm. in Matth. 28, 16. de Christi apparitione. p. 701. Cornelii a Lapide, comm. in Matth. 28, 10. ed. Ven. 1740. p. 402. Fr. Feuardentii, annot. in s. Irenaei adv. haer. V, 31., ed. Massuet Par. 1710. p. 204. Saliani, Annal. eccl. VI, 903. S. Barradii, comm. in Concord. VIII, 7. p. 397. Sylveira, comm. in text. ev. V. l. IX. 1, 8. p. 521. Leonardi a s. Martino, exam. scriptur. in q. Ev. p. 203. M. Wouters, Dilucid. sel. S. S. quaest. V, 431. Didaci a S. Antonio, Enchirid. Scripturist. Wirceb. 1766. III, 382. Ign. Weitenauer, S. q. Ev. s. lit. dil. explic. Aug. Vind. 1769. p. 262. Sandini, Hist. fam. s. de Chr. XVI, 7. p. 363. J. N. Paquot, in not. ad J. Molani Hist. imag. p. 465. Benedicti XIV., de Festis D. N. J. C. I, 8. p. 119.; et ipsius quem miramur J. Jahn, in diss. pessimae frugis „was that Jesus während der 40 Tage von seiner Auferstehung bis zu seiner glorreichen Auffahrt?" in op. posth. Nachträge z. s. th. W. Tüb. 1821. p. 12. — opinio ex veteri traditione deducta — Ex s. P. et S. e. imprimis ita testantur: Ambrosius, de Virginitate III, 14. „Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, et prima vidit et credidit." p. 217. S. Epiphanius, haer. LXXVI, conf. 25. p. 972. „Eundem Maria, cum in carne splendidissime resurrexisset, ac postremo discipuli omnes adorarunt." S. Gregorius Nyssenus, in Chr. resurr. or. II. p. 634. Sedulius pr., op. pasch. V, 362. p. 209. Georgius Metrop. Nicom., serm. in immac. Virg. in sepulchro ass. apud Malou, S. S. P. P. Pietas Mariana. Lov. 1847. p. 351. Bonaventura, Medit. Vitae Chr. c. 87. p. 394. Rupertus Abb. Tuit, de div. off. VII, 25. p. 830. Junge, Scriptorem anonymum tragoediae „Christus patiens" inter Op. s. Gregorii Naz., ed. Migne. IV, 301. v. 2095. s. Eadmerum cantuar. mon, de excellentia Virginis Mariae cap. 6., in calce op. S. Anselmi, ed. Ben. p. 138. et alios de quibus. Feuardentius c. l. inquit: „Mariae prius et privatim manifestum se fecisse ex Veterum traditione sequentium, post Irenaeum, saeculorum Patribus persuasissimum fuisse." — *Dominum eadem hora apparuisse primo dilectissimae Matri.* Et hoc ideo sumunt, non quod Evangelistae factum dicant, sed quod fieri decuerit. Neque tamen propterea eorum audienda est sententia, qui dicunt B. M. Virginem cum aliis mulieribus ad sepulchrum venisse. Etsi vero B. V. Mariam nemini pietate et studio erga Christum cessisse, ne dubitari quidem potest; tamen quod s. Gregorius Nyss., l. s. c. scripsit: s. Matthaeum cum alteram Mariam nominat, B. M. Virginem Christi matrem intelligere, illud nobis persuadere haud ita facile possumus. Quae enim sit illa altera Maria, ex s. Marco satis apparet, sc. uxor Cleophae, mater Jacobi M. Videmus omnes Evangelistas M. Magdalenam primo loco inter s. mulieres recensere; atque sacram utique Virginem Matrem, si cum illis venisset, Magdalenae anteposuissent. Certe autem rationi consentaneum videtur primam Christi apparitionem factam Beatissimae Matri suae. Nam α. qui praecepit honorem habendum esse parentibus Dominus, id ipsum ante omnia exsequi voluisse pie creditur. Et β. illa quae pro incomparabili amore suo plus ceteris omnibus de Filii sui Passione doluerat, et quae sola de fide et spe Resurrectionis ne minimum quidem unquam haesitaverat, merito ac iure prima omnium debuit laetari. Unde quamvis, ut Is. Casaubonus, de rebus eccl. exercitat. XVI. ad ann. Baronii. n. 118. ed. Lond. 1614. p. 683. quoque fatetur, „firmior erat ille fides, quam ut ipsi eo opus esset": tamen Christus Matri apparuisse debitam honoris et amoris significationem exhibiturus, non invenuste creditur. γ. „Quin, scribit s. Epiphanius,

haer. LXXVIII, 13. p. 1045., et aliud praeterea contemplemur. Fuit illa perpetua Christi comes, nec ab eius consortio divulsa". Ex quo B. Canisius, l. c. infert: „Mariam Christi Filii resurrectionem primam vidisse, aliis annunciasse, et in coelos ascendenti adfuisse." „Certe, inquit ille, iam iam abeuntis benedictionem religiose percepit, et in coelos ascendentem stupens aspexit." Nec refert δ. quod eius non meminerint Evangelistae; quoniam solas illas apparitiones scriptis mandare sibi proposuerant, quae factae sunt iis, qui earum testes futuri erant apud populum. Hos inter non fuit Deipara, cum matris testimonium nequeat esse efficax. Notum quoque ε. est Jesum multa alia fecisse, praeter ea, quae in commentariis Evangelistarum annotata habentur; „sed non omnia scripta sunt, ut fatetur Joannes". S. Augustinus, de cons. Ev. III. 15, 84. p. 149. Quare nulla ratione popularis pietas hic reprehendenda, aut turbanda est; sed potius cum modestia, quae catholicos doctores decet, defendenda. Neque Guilelmi Estii, Annot. in Ev. sec. Marc. 16, 9. p. 342. nobis placet diligentia, qui in hac opinione in animis fere omnium Catholicorum inhaerente, refellenda multum operae consumsit.

§. 38. Christus s. mulieribus, Petro, duobus Emaunticis discipulis, demum Apostolis videndum se praebet.

Mulieres piae foventes ardentissimum desiderium et spem videndi Dominum redivivum, alia via nuntium de rebus inexspectatis inter discipulos divulgatum eunt. Inter eundum vero ipsis[1] obvius fit Dominus, quo certiora de eius resurrectione possent nuntiare. Primum verbum quod ex ore suavissimi Jesu accipiebant erat ‚salvete' Postquam pedum amplexu eum adoraverant, blande compellat: Nihil timete, agite, nuntium afferte discipulis meis, ut in Galilaeam revertantur, illic enim me conspicient[2]. Mulieres Jerosolymas regressae, narrarunt Apostolis, quaenam ipsis contigerint, sed illi nonnisi superata certissimo experimento animi pertinacia, admisere coeleste hoc mysterium.

Haec ubi aguntur nonnulli ex militibus, quibus custodia sepulchri credita fuerat, venientes Hierosolymas retulerunt sacerdotibus terrae motum aliaque prodigia Christo resurgente facta.

---

[1]) Cum M. Magdalena quae festinando ipsas fuerat assecuta. [2]) Quodsi discipulos statim postridie eius diei tempore antelucano in Galilaeam rediisse ponimus, ubi a Judaeorum impetu tuti per quadraginta fere dies, cum negotiis suis, tum colloquiis Christi vacarent; facile animo concipitur, cur Dominus mandatum angeli Matth. 28, 6. ipse etiam mulieribus repetierit. Matth. 28, 10. coll. 26, 32.

Ad haec sacerdotes confusi a custodibus multa pecunia corruptis obtinuerunt, ut dicerent corpus Jesu ipsis dormientibus, furtim noctu a discipulis suis fuisse sublatum. Polliciti autem sunt illis si quid ipsis propterea accideret, totum negotium apud Praesidem in se suscepturos. Nullum autem stolidum magis a Judaeis dari potuit consilium; quam ut ea testarentur milites, quae ipsis dormientibus contigerant [1].

Eodem Resurrectionis Dominicae die, tertia resuscitati Salvatoris apparitio evenit Simoni Petro, ex apostolis omnium primo et soli [2]; exploraturo forte nova itione ad sepulchrum narrationis mulierum de resurgente Christo veritatem [3]. Accidit quartum, ut antequam [4] de manifestationibus, quae mulieribus ac Petro acciderunt, cognitum esset; bini ex discipulis peterent ad castellum, cui nomen erat Emmaus [5]. Cum peregrinarentur viae taedium colloquiis mutuis de tantis rebus, quae per eos dies in Urbe evenerant, levabant. Inter eundum obvius factus est illis Jesus, quamvis habitu mutato, non statim agnosci se passus. Salvator optimus accedens socium itineris se praebuit, allocutus autem illos comiter interrogavit, cum de sermonibus, quos invicem habe-

---

1) S. Justinus, dial. cum Tryph. n. 108. p. 366. narrat de Judaeis: „Non modo poenitentiam non egistis, postquam illum ex mortuis resurrexisse didicistis, sed viros delectos in universum orbem misistis, qui praedicarent impiam quandam et exlegem sectam a plano — πλάνου — quodam Jesu Galilaeo excitatam esse, et quum illum a nobis crucifixum discipuli eius noctu surripuerint ex monumento, in quo refixus e cruce depositus fuerat, decipi ab iis homines dicendo eum resurrexisse ex mortuis et in coelum adscendisse". At ut vere simul et acute argumentatur s. Augustinus, enarr. in Ps. LXII, 9. n. 15. IV, 624.: „Quid est, quod dixisti o infelix astutia? Tantumne deseris lucem consilio pietatis, et in profunda versutiae demergeris, ut hoc dicas: dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli eius et abstulerunt eum? Dormientes testes adhibes, vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormiebant, quid videre potuerunt? si nihil viderunt, quomodo testes sunt?" 2) Luc. 24, 34. I. Cor. 15, 5. In hac apparitione neganda totus errat Harduinus, in op. sel. p. 920. Etsi quidem modus et locus huius apparitionis c. l. definitus haud sit, primo die tamen contigisse et tertiam esse, patet ex Luc. 24, 34. 3) Si coniecturae indulgere licet, videtur s. Petrus binis vicibus monumentum adiisse. Primo quidem comite d. Joanne, postea vero solus. 4) S. Joanni sane seorsum conspicuus fuisse non dicitur. 5) De vico in quem tetenderunt Emmaus, Ἐμμαύς, hodie ut sumitur Kulonniah, nihil monitu dignum restat post Sepp, Jerusalem u. d. h. Land I, 52. s.

bant in via, tum de tristitia, quam in aspectu non obscure prae se ferebant. Mox elicitis animorum cogitatis, sapientissimus Magister eorum in credendo tarditatem redarguit. Facto deinde initio a Moyse reliquisque prophetis, per singulas s. Codicis partes interpretatus est illis, ea quae ad ipsum spectarent vaticinia. Ita ad locum, quo contendebant, cum perventum est, composuit gestus ac motus tanquam iturus longius. At illi vehementius urgere, et ut vespera inclinante cum ipsis maneret petiere. Cogentibus quasi discipulis[1] vicum intravit cum illis mansurus. Accumbens mensae Jesus panem accepit, dictaque oratione consueto suo more fregit et distribuit; quem cum exhiberet utrique, aperti sunt oculi eorum[2] et veluti reversi ad se ipsos cognoverunt esse Christum. Statim ac Christus agnitus est, disparuit. Stupuerunt illi et mirabantur, quod citius non agnoverint Dominum. Hinc, inquiunt, ergo tanta animi inflammatio causata in nobis e sermone in via![3] Mox gemini illi discipuli reversi Jerosolymas, totius rei certiores fecerunt Apostolos, qui rursus ipsis exposuerunt, quod revera a mortuis resurrexerit Dominus et Simoni conspiciendum se praebuerit. Verum ne his quidem statim reliqui fidem habuerunt, Apostolis adhuc una congregatis et colloquia inter se miscentibus[4], subitus stetit Jesus in medio undecim[5], et dixit Pax vobis![6] Ad quos cum repens advenisset, perterriti omnes spiritum cernere sibi videbantur. Dominus ut certissimam Resurrectionis suae fidem faceret, ostendit iis cicatrices vulnerum in manibus et pedibus, latusque sponte obtulit conspiciendum et palpandum. Quae cum egit, exprobravit Apostolis incredulitatem, atque in memoriam

---

1) Quinam duo illi „ἐξ αὐτῶν", ut s. Lucas 24, 13. et s. Marcus 16, 12. aiunt, fuerint, controvertitur. Non ex Apostolis, sed ex discipulis fuisse suadet nomen unius κλεόπας — d. q. leg. disq. Alter est anonymus. — certe viri qui non fuit Apostolus. Quidam nullo prorsus fundamento innixi alterum vel s. Lucam, vel Nathanaelem habent. 2) Quia ablatum erat impedimentum, quod obstabat agnitioni. 3) Cf. M. C. Rusmeyeri, hist. resurr. Christi. Gryphisw. 1735. p. 14. s. 4) Sero iam eius diei, primae post sabbatum, foribus domus ubi discipuli convenerant metu Judaeorum clausis. 5) Quo tum numero apostolica societas nominabatur, quamvis abesset s. Thomas. Imo I Cor. 15, 5. dicitur Christus apparuisse „τοῖς δώδεκα", etsi Juda iam exstincto, necdum electo Mathia. 6) Sensu praegnanti pax, quam Deo reconciliato Salvator impertitur. Ephes. 2, 14. Coloss. 1, 20.

revocavit, quae ante Passionem suam praedixit[1]. Mirantibus rem novam et vix prae gaudio credentibus, ut quidquid ipsorum in mentibus dubii supererat, prorsus expelleret, petiit, an non aliquid cibi superesset?[2] Oblata piscis assi et favi mellis particula accepta, in conspectu vescitur eorum. Laetati igitur sunt recognito, citra illam dubitationem, Domino. At ille exhilaratos quo magis confirmaret Apostolos; rursus pacis nomine salutat, atque ad maiora provectus inquit: Quemadmodum me Pater misit, ut vos docerem, ita et ego vos mitto, ut alios doceatis. Queis dictis simul in faciem illorum insufflavit. Flatu usus est, ut significaret: ex se procedere Spiritum sanctum. Qua re sanctum impertitus Spiritum Apostolis, eorumque successoribus, potestatem remittendi et retinendi dedit peccata cunctis hominibus, qui per baptismum sibi iungerentur[3].

§. 39. Apparitio in Urbe praesente Thoma, ad mare et in monte Galilaeae, Jacobo facta.

Quem ante Christus pro decem Apostolis ut certi essent de Resurrectione impenderat laborem, eundem incredibili caritate pro solius Thomae, qui tunc aberat, conversione impendit. Thomas ubi

---

1) Marc. 16, 14. Luc. 24, 44—48. 2) Mensa forte iam sublata erat.
3) S. P. et S. E. et omnes catholici interpretes verba Joann. 20, 23. „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt": de sacramento Poenitentiae explicant. „Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit." Habet Concilium Tridentinum, sess. XIV. c. 1. de Poenitentia. Cf. et can. III. d. P. Novum hic a Christo Domino tribunal erigitur, quo omnia hominum peccata — mortalia tanquam necessaria materia, venialia tamquam sufficiens — diiudicentur; et sic vel remittantur vel reserventur, tam quoad culpam quam quoad poenam. Et quia hoc convenienter fieri non potest sine poenitentis confessione, eadem Confessio hic a Christo instituitur, et omnibus peccatoribus iure divino indicitur. In errorem contrarium impegit J. Jahn, qui in opusc. posth. diss. VI. Nachtr. z. s. th. W. p. 304 s. negat istiusmodi confessionem fundamentum in antiquitate habere; neque a Christo imperatam esse. Cuius opinionis ab Acatholicorum scholis repetendae, vanitatem olim iam demonstravit Gregorius de Valentia, de necess. conf. p. 646. s.

Apostoli laetitia gestientes narrant, quod Dominum redivivum conspexissent;[1] negat se crediturum: nisi oculis suis id testantibus. Ac ne oculis suis quidem fidem habiturum, nisi prius attactis in manibus clavorum vestigiis, ac manu lateri Jesu admota, lanceae vulnus deprehenderet. Revera post octiduum, quando rursus domi se continerent Apostoli una cum Thoma, occlusis coenaculi foribus[2] ingressus in medio eorum adstitit Christus. Quibus salutatis ‚Pax vobis!‘, conversus ad Thomam dixit: Cum satis tibi non fuerit audiisse a tam multis, qui me viderant, ad credendum; nisi tuis sensibus cunctis certa fiat fides: manus, pedes, latus conspice, imo et tange[3]. Non potuit Thomas tam validis ictibus diutius resistere; igitur victas dans manus adoravit Christum clamando: ‚Dominus meus et Deus meus!‘[4] Perducta autem ad fidem ove hac errante, haec addidit fidelis pastor: quoniam vidisti Thoma, fidem adhibuisti: beati quidem erunt, qui cum non viderint tamen sunt credituri. Discedente Jesu[5] Apostoli memores mandati[6], confestim abierunt in Galilaeam. Triginta, et quod

---

1) Suspicatus forte quod aliquo phantasmate fuerint delusi. 2) Interpretes qui Rationalistae dicuntur, fingunt Christum ad introitum corporis occlusas fores celerrime aperuisse. Provocant ad principium Physicorum: penetrationem dimensionum esse natura corporis impossibilem. Sed isti iniurios se praebent in Deum omnipotentem, qui legibus corporum potentior est; atque ad normam physices exigunt, quae hyperphysica sunto. Multum discriminis intercedit inter corpus φυσικόν et corpus πνευματικόν, quale certe Christo resuscitato competit. Coll. I Cor. 15, 42. 43. Philipp. 3, 21. L. V. Alberti, diss. an Christus ianuis clausis discipulorum conclave intraverit. Lips. 1693. 3) Non exhorruit lateris vulnus, clavorum fixuras, ac reliqua nuperae Passionis indicia propalare; quatenus omnes disceremus, inconcussam mansisse divinae cum humana natura unionem; et Dei Filium Verbum esse et carnem. 4) Brevis quidem sed luculentissima Divinitatis D. N. J. C. confessio. 5) Quem iam vivum sciverunt. 6) Christi et Angelorum repetiti. Imprimis magnum est Rationalistis offendiculum Salvatorem, qui ante obitum discipulis visionem sui in Galilaea promisit; Matth. 26, 32. 28, 7. revera ibidem apparuisse. Varia sunt quae pro destruenda recepta et communi sententia proferunt, inprimis quod impossibile fuerit a. Apostolis; qui profecto curribus velocibus et equis non utebantur sed pedibus, intra unius diei spatium iter suum in Galilaeam emetiri. Mandatum porro b. valde vagum fuisse, quia in provincia satis ampla locum non determinavit. Illud quod attinet minime fieri potuisse, ut discipuli primo Resurrectionis die in Galilaeam abierint, et redierint nec nos negamus. Sed id pernegamus Matth. 28, 16. expositam apparitionem ipso die Resurrectionis accidisse. Nullum c. l. hac de re

excedit, dierum spatio, cum discipulis conversatus, eundem se[1] praestitit, qualem ante Passionem cognoverant[2]. Enimvero quod Salvator[3] promiserat: se velle discipulos in Galilaeam praecedere, ibique ad fidi instar pastoris, dispersas oves congregare; hoc ipsum multis amoris sui signis implevit. Ut satis firmaret pectora eorum de veritate Resurrectionis suae, non solum Apostolis saepius apparuit, cum eis collocutus est; sed et hospes et convictor fuit suavissimus. Non sibi in eo temperare poterat erga discipulos, quod mare Tiberiadis, iam ante Passionem tot miraculis clarum, iussu suo tot pisces, quot genera dicuntur ederet; cum pransi essent d. Petro[4] ad triplicem amoris eius contestationem agnos ovesque suas credidit[5], vitaeque exitum gloriosum praedixit[6]. Octava demum apparitio Christi facta est in monte Galilaeae[7]. Ad Apostolos in Galilaeam reduces undique confluxerat

---

deprehenditur vestigium. Certum autem locum assignatum fuisse patebit ex iis, quae de monte Galilaeae disputabimus. V. not. 7.

1) Licet tantae gloriae fastigio sublimem. 2) Non temere credimus vitam J. C., quae olim in deserto per quadraginta dies mirifice conservata est, eadem quoque vi post Resurrectionem fuisse conservatam. 3) Matth. 26, 32. 4) Pro quo oravit, ut confirmet in fide reliquos Coapostolos. Luc. 22, 32. 5) H. e. universam Ecclesiam. 6) Joann. 21, 1. s. 7) Matth. 28, 16. „εἰς τὸ ὄρος οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς“. Iste mons, qui sit disputatur. J. Harduinus, vir eximie doctus sed audax in coniectando, a. 1729. m. Sept. Memoriis Trevultinis inseruit articulum 94. p. 1763. ed. Par. „L'apparition du Sauveur dans la Galilée dont parlent S. Matthieu et S. Marc“; quo Galilaeam ubi Dominus apparuit, partem montis oliviferi constituit. Eandem opinionem — ante Harduinum olim a Soario ep. Coimbr. propositam. V. Fr. Quaresmii, Hist. Terrae S. elucid. Antv. 1639. IV. 9, 11. II, 319. — recentissime suam fecit R. Hoffmann, üb. d. Berg Galiläa. Lips. 1856. Haec coniectura certe caret omni probabilitate. Nam *a.* repugnat aperte verbis s. Matthaei „undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam, in montem ubi constituerat illis Jesus“. Abierunt in Galilaeam provinciam, et in montem eiusdem provinciae, quem illis indicaverat Dominus. Non ergo erat mons prope Jerusalem, siquidem in Galilaeam abierunt discipuli. *b.* Argumentum Harduini, quod repetiit Hoffmann, promissum Salvatoris apud Matth. 26, 32. 28, 10., non de alia nisi prima primi diei apparitione accipiendum esse minime stringit; imo cum ibi solennis promittatur gregis congregatio, contrarium probat. Sed ponamus *c.* sit ita, Dominum se promisisse se primo in Galilaea appariturum: an inde sequitur ergo Galilaea non est provincia, mons est olearum? Etsi d. locus in dicta provincia, quo convenire deberent nec a s. Matthaeo nec a s. Marco 16, 7. sit nominatus; ab eorum silentio ad mandatum vagum, ut isti viri volunt, non valet consequentia. Cum e.

credentium multitudo, cui plus quam quingentorum fratrum coetui Jesus sese in monte spectandum exhibuit. Quem simul ac conspexerunt, adorarunt; nonnullis tamen ex ista multitudine animis pendentibus, accessit Salvator variosque sermones cum eis instituit. Eodem tempore ad Apostolos, quos in omnem terram misit, inquit: Omnis potestas in coelo et in terra data est mihi[1]; euntes praedicate Evangelium Judaeis et ethnicis, baptizantes eos invocato et adpellato nomine Patris, Filii et Spiritus s. Quamvis visibiliter a vobis avellar, tamen invisibiliter vobiscum ero, et cum successoribus vestris, eorumque ovibus omnibus diebus. Prius mundus desinet esse, quam praesentia mea in Ecclesia[2]. Appropinquante sacro Pentecostes die Apostoli Jerosolymas petiere, ubi visus est Jacobo Apostolo[3]. Tantis igitur gestis et miraculis Salvator mundi, Resurrectionem suam conspicuam reddidit et illustrem[4].

§. 40. Ascensio ad coelum.

Quadragesimo post Resurrectionem die apparuit Christus discipulis, cum simul cibum sumerent, multaque de fide gentium futura verba faciens, praeteritam increpavit discipulorum incredu-

---

Matthaeus ubi discipulos in Galilaeam abiisse refert, locum conventui indictum satis clare indicet „τὸ ὄρος“ κ. τ. λ.; ex quo patet montem istum, qui nobis quidem ignotus est, — Thabor plures putarunt — discipulis per mandatum, quod acceperant, notissimum exstitisse. Plura aventi dabunt: H. Relandus, Palaestina. ed. Nor. 1716. I, 52. p. 248. J. Fr. Buddeus, diss. de Galilaea I, 8. Miscell. S. III, 1162. Chr. G. Eichler, diss. de Galilaea monte. Lips. 1737. p. 19. Aberle, in ann. Tüb. Quartalschr. 1857. p. 510. s.

1) Ut Dei Filio per aeternam generationem, ut homini per hypostaticam unionem. 2) Videntur nobis ea quae s. Marcus 16, 15—18. narrat, huc adiungenda. Ita olim iam Lactantius, Inst. d. IV, 20. I, 208. s. 3) D. q. s. l. Hanc apparitionem e Pauli epistola ad Cor. I. 15, 7. discimus. Nemo vero sanae mentis interpres est, quin huius testimonii vim atque auctoritatem perspectam habeat. Tulit hoc testimonium Apostolus post Christi ad coelos ascensionem conversus, qui ex ipso procul dubio Apostolo Jacobo haec acceperat. 4) Cur vero Salvator Pharisaeis ceterisque Judaeis sese non ostenderit, coll. Joann. 14, 22. s. indignitas eorum et caecitas in causa fuisse creditur; sed praeterea Dominus gloriosissimum corpus inimicorum cavillationibus et calumniis exponere, et divinam maturare vindictam plane nolebat. Resurgenti Christo, per aliquod adhuc

litatem. Jussit eos in Jerusalem manere, usque dum Spiritum sanctum acciperent, atque praeconio fidei initium darent. Postea suos eduxit ex urbe in montem Oliveti, ea via qua itur Bethaniam.[1] Ubi venere discipuli in montem Olearum[2], Christus elevatis in coelum oculis adstantes omnes benedixit. Sensim deinde sese in aëra tollens, a terra sursum ascendit[3]; prosequentibus intuitu praesentibus, quoad lucidae nubis incursu aspectibus intuentium sublatus evanuit[4]. Cum autem praesentes oculis in coelum defixis fugientem nubem, cum eam videre licuit, sequerentur, adsunt angeli, corporibus virorum assumtis, candida veste induti, hominibus[5] quos hisce verbis allocuti sunt: Viri Galilaei, quid ita coelum statis aspectantes? idem ille Jesus, qui iam sub-

tempus fides erat confirmanda testium ἀναστάσεως suae, quos sibi elegerat, ut deinde in coelum rediret.

[1]) Cf. p. 177. n. 2. J. C. Velthusen, hist. resurr. p. III. §. 17. p. 186. s. [2]) Cf. not. t. s. geogr. p. LXXXIV. [3]) Propia virtute, ut loquuntur Theologi, divina: ita docet s. Gregorius M., hom. 29, 5. in Ev. I, 1572. „Redemtor noster non curru, non angelis sublevatus legitur; quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur". Pulchre tamen Christo in coelum ascendenti appinguntur angeli, de quibus loquitur Davides Ps. 67, 18. 19. „Jure firmari potest, inquit Benedictus XIV., de festis D. N. J. C. I. 10, 48. p. 138., eodem i. e. angelico comitatu circumseptum in coelum ascendisse". [4]) Animadvertere placet Veteres docuisse Dominum nostrum per aërem et coelos evectum esse φορᾷ locali; si non νόμῳ φύσεως corporis gloriosi, tamen οἰκονομίας τρόπῳ i. e. dispensatione quadam singulari. Cf. J. G. Baieri, de raptu Christi in coelum. Jen. 1688. p. 14. s. Agunt de ascensione D. N. J. C. s. Marcus 16, 19. s. et s. Lucas brevius, in Evangelio 24, 50. s., prolixius in Actis 1, 1. s. Ad q. v. G. Fr. Seiler, diss. Jesum corpore pariter atque anima in coelum assumtum esse. Erl. 1778., in comm. Velthusen et Kuinoel. VI, 502. s. Griesbach, sylloge locorum N. T. ad ascensionem Christi in coelum spectantium, in opusc. acad. Jen. 1825. II, 471. s. [5]) Ascensionem Christi spectasse undecim Apostolos directe tradit s. Marcus 16, 19. Luc. 24, 50. Act. 1, 9. Quaeritur modo num alii tanti miraculi fuerint spectatores? Benedictus XIV., hac de re l. c. n. 47. scribit: „S. Lucas in Act. Ap. 1, 14. de iis qui ex monte Oliveti Hierosolymam redierunt et introierunt in coenaculum, postquam undecim commemoravit apostolos ait „Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et matre Jesu et fratribus eius." Si igitur undecim Apostolos coenaculum ingressos fateamur, ut aequum est, praesentes fuisse ascensioni; idem etiam dicendum videtur de mulieribus, de B. Virgine — V. p. 169. — et reliquis, de quibus s. Lucas postquam undecim numeravit Apostolos ait „hi erant omnes perseverantes in oratione." Act. 1, 14. V. e Vinc. Lud. Gotti, veritas Religionis christianae demonstrata. tr. V. c. 37. §. 4. n. 23. ed. Ven. 1750. p. 450.

latus in coelum vos linquit; talis in extremo die redibit ad iudicandum, qualem vidistis in coelum proficiscentem. Queis auditis illi Dominum Jesum venerabundi adoraverunt, et magna laetitia affecti reversi sunt Jerosolymas a monte, qui dicitur Oliveti; quod Christum[1] ad Patrem evchi vidissent[2]. Posthaec, qui Christo ad coelos evecto adstitere, ascenderunt in coenaculum; ubi commorabantur per eos dies Deum hymnis ac gratiarum actione celebrantes. Ita Dominus quidem Jesus in coelum ingressus est,

---

[1]) Ut pollicitus erat. V. p. 121. s. [2]) Ita tradit s. Lucas Act. 1, 12. „Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, sabbati habens iter." Verum idem Evangelista Ev. 24, 50. habet „Eduxit autem eos foras in Bethaniam." Magnam exinde faciunt difficultatem, quod d. Lucas perhibeat Christum suos eduxisse ad Bethaniam, quae coll. Joann. 11, 18. quindecim stadia abest a Jerosolymis; et tamen discipuli redeuntes ex monte, tantum iter sabbati habuerint emetiendum? Nulla tamen inter Actus et Evangelium est pugna. Enimvero Luc. 24, 50. pro „ἕως εἰς", antiqui codices legunt „ἕως πρὸς"; vel simpliciter πρὸς. Priscae quoque versiones „εἰς" sumunt loco „πρὸς"; altera vero ista particula „ἕως," vim habet pene eamdem. Juxta plurium sententiam est cum attica prosthesi idem, quod istud, pleonasmis frequentissime inserviens ὡς. Id quod tum ex codicum inter ὡς et ἕως tanquam voculas, mera pronuntiatione aut orthographia diversas permutatione — e. g. Luc. 2, 37. Act. 17, 14. — confirmatur; tum inde quod non solum ἕως ex hebraismo frequenter, sed etiam ὡς vel apud Atticos significet interdum πρὸς. Denique apud LXX. utraque vocula ἕως et εἰς notat profectionem ad locum versus, itionem aliquoversum qualemcumque, non quo tendatur indicat, sed qua directa sit via. Deut. 1, 40. 3, 1. Jerem. 50, 5. Bethaniam, vicum hodie el-Azirijeh, sub ipso monte Oliveti eiusque orientali declivio situm esse, animadvertit Ed. Robinson, Palästina. Halle 1841. II. 310. Distasse autem a Jerusalem sabbati iter — σαββάτου ἔχον ὁδόν — montem Oliveti sedulo annotans s. Lucas Act. 1, 12. etiam non contradicit Joanni, apud quem 11, 18. legimus Bethaniam ab Urbe distantem „ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε"; tertia milliaris geographici parte. Tribus horae quadrantibus hanc viam se emensum esse refert Robinson, l. c. De itinere quod die sabbati Hebraeis licet conficere, variae sunt diversaeque sententiae, — quae enumerantur in singularibus dissertationibus J. Frischmuth et M. Waltherus, quas recusas exhibet Thes. th. ph. II, 417. s. 424. s. Leyrer, in Herzogii R. E. XIII, 213. s. — passim octo stadia, s. mille passus, qui quadrantem milliaris germanici constituunt, amplecti affirmant. Quidquid sit s. Lucae non erat propositum proprie indicare viam, quam emensi sint discipuli, sed spatium qualecumque demum montis: „ὃ — sc. ὄρος — ἐστιν ἐγγὺς" inquit. Ut propterea nihil s. Joanni repugnet, qui cum quindecim illa stadia, pariter distantiam propinquam vocat, ἐγγὺς τῶν Ἱεροσολύμων; notam vagae descriptionis ὡς quasi addit. Praeterea vario respectu huiusmodi intervalla, varie definiri quotidianum est. Videtur tota adeo via Bethaniam versus ambulationi sabbaticae patuisse.

non triumphantis modo sed regnantis etiam specie, sedet enim ad dexteram Patris sui: ut iam superatis omnibus inimicis, summo super cuncta etiam coelestia collocatus honore, potestate et gloria nostram causam agat!

Digressio de Christi ad Dei dexteram sessione. Christus qui a Davide oriundus, in throno davidico minime sedit, imo e contrario regios honores constanter reiecit, nec ultro delatos unquam admisit; v. p. 67. assumtus in coelum sedet a dextris Dei. Marc. 16, 19. Ad penitiorem Christi ad Dei dexteram sessionis intelligentiam pertinet vaticinium Ps. 109, 1. „Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.“ Nemo alius hanc prophetiam nobis exponat, quam b. Petrus Act. 2, 32. 33. ubi de Resurrectione et Ascensione D. N. J. C. verba faciens ait: „Dextera igitur Dei exaltatus et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in coelum; dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis.“ Unde coll. Luc. 20, 4—44. p. 89. intelligitur non aliquem de Davide; sed ipsum David haec de Domino suo — κατ' οἰκείωσιν — cecinisse. V. A. Agellii, Comm. in Ps. p. 503. s. H. R. D. V. T. p. 283. s. Hoc eo tempore factum est, cum Christus a mortuis resurgens, ascendit ad coelos, et ad Dextram Patris consedit. Ceterum idem d. Evangelista Marcus 14, 62. verba Christi, quibus summo sacerdoti respondit, referens scribit: „Videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei.“ Acta Apostolorum 7, 55. tradunt s. Stephanum vidisse „gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei.“ S. Paulus ad Ephes. 1, 20. 21. inquit de Jesu: „Suscitans illum a mortuis et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum et virtutem.“ Et ad Coloss. 3, 1. „Christus est in dextera Dei sedens.“ Denique ad Hebraeos 1, 13. ut demonstret Christum longe excellentiorem Angelis, ita disputat: „Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis.“ Hinc satis patere opinamur, quid Sacra Utriusque Foederis Pagina de Christo ad dextram Dei sedente tradat. Sed cum Deus quia Spiritus est, neque sinistram neque dextram habeat, nunc paucis quomodo s e d e r e istud accipiendum sit, videamus. Καθίζω ἐκ δεξιῶν x. est metaphorica locutio, in qua interpretanda, non sunt omnia ad vivum resecanda et premenda. Dextera, sinistra honoratior et dignior — coll. Gen. 48, 13. 14. Ps. 44, 10. III Reg. 2, 19. Matth. 25, 34. — habetur; ex quo infertur, eum qui in dextera parte positus sit, illustriorem ceteris locum occupare. Neque propterea ut quispiam ad alicuius dexteram sedens, priorem obtinere locum vere dici possit; opus est ut alius sedeat ad sinistram. Nec proinde sequitur, quodsi Christus sedet ad dexteram Patris, Pater sedeat ad sinistram, nam dextera vel sinistra in Deo non dicitur localiter. „Qui enim fieri possit, ait s. Joannes Damascenus, de fide orth. IV, 2. p. 253., ut qui circumscriptionis est expers loco definitam dexteram habeat? Quocirca per Paternae dextrae vocabulum significamus Divinitatis honorem et gloriam, in qua cum Dei Filius, tanquam Deus Patrique consubstantialis ante saecula esset, ad extremum caro factus corporeo quoque modo considet, in eandem nimirum gloriam adscita ipsius carne.“ Sedet igitur Christus, — ut docet s. Thomas, III. q. 58. art. 2. ed. Bon. 1858. X, 1191. 2. — et ut est Deus, et ut est homo; aliter tamen

ut Deus, aliter ut homo. In quantum Deus quia hoc est „simul cum Patre habere gloriam divinitatis, et beatitudinem et iudiciariam potestatem"; „non per aliquam assumtionem, sed aeternam originem." In quantum homo — dicit s. Thomas, art. 3. p. 1195. — secundum gratiam habitualem, quae abundantior est in Christo prae omnibus creaturis, in tantum quod ipsa natura humana in Christo est beatior ceteris creaturis, et super omnes alias creaturas habens regiam et iudiciariam potestatem." Cf. ei. angelici Doct. comm., in ep. ad Hebr. 1, 3. ed. Neap. 1850. VI, 7. Hoc est itaque interprete s. Petro sedere ad dextram Patris: sublatum esse Christum ad summum honoris apicem, ita ut omnia sub eius imperio sint. De eo igitur dominatu intelligendum, quod ille qua homo est, in humilitatis proemium accepit. Hinc Ariani et Eunomiani a vero plurimum aberrarunt, qui e sessione Filii ad dextram Patris, submissiorem gradum esse Verbi dixerunt. Unde in symbolo haec omnia tribuuntur Christo secundum humanam naturam, quam Filius Dei sibi unitam in gloriae Patris dextera collocavit; sicut etiam in festo Ascensionis D. N. J. C. profitetur Ecclesia. Quod ipsum cecinit etiam Sedulius, Pasch. carm. V. ed. Lugd. p. 213. „Dextram subiit Patris mundumque gubernat." Christum interim ad Patris dexteram sedentem fungi Mediatoris officio docet s. Paulus, in ep. ad Hebr. 4, 14. 7, 24. 10, 11. Haec est perpetua et constans S. S. Patrum tam Graecorum quam Latinorum sententia, quorum testimonia collecta exhibet L. Thomassinus, dogmat. theol. de incarnatione Verbi I. 10, 12. 13. ed. Ven. 1730. p. 1644. s. et D. Petavius, de incarn. XII, 15. s. V, 81. s. Quomodo in S. S. sessio Christi describatur uberius docent: Noesselt, diss. de Christo homine regnante, in opusc. II, XIV. p. 355. s. atque Chr. Fr. Fritzsche, comm. de Jesu Chr. ad Dei dextram sedente. Hal. 1843. p. 5. s. 15. s.

Agnita brevitas et celeritas cursus, quem Salvator divinissimus a baptismo ad mortem peregit, multum habet utilitatis. Ea brevitas et celeritas coll. Luc. 4, 43. Joann. 4, 34. s. ipsum plane decuit: eademque facit, ut discipuli, ubi titubarunt, excusari debeant; et Dei virtus excellenti dein eorum profectu, tanto magis celebranda veniat.

DODECAS
DISQUISITIONUM THEOLOGICARUM
QUAE AD
HISTORIAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
PERTINENT.

-- —

Monitum.

Ut voto et desiderio plurium eruditissimorum virorum satisfaceremus Historias D. N. J. C. Deo nobis propitio emensi, Dodecaden Disquisitionum theologicarum, quae res in Historiis Christi enarratas spectant e scriniis nostris publicae luci exposuimus. Temporum quibus vivimus ea est conditio, ut in severioribus disciplinis apparatum ampliorem omnigenarum disquisitionum requirat; ita quidem ut aegre ferat eas divulgari comitatu isto destitutas. Ex his cum Chronologiam attinentia iam in Prolegomenis suppeditaremus: alias quasdam ad intelligentiam vindiciasque Historiarum Jesu Christi utiles, imo dicam necessarias, hoc loco Appendicis instar exhibere operae pretium esse duximus. Ne vero vel fides, vel auctoritas, istis disquisitionibus deesset, passim S. Scripturae effata, s. Patrum et Scriptorum e., atque non raro aliorum quoque praestantium interpretum sententias apposuimus. Haec instituti nostri ratio est.

I.

Harmonia Genealogiae Christi ex duobus Evangeliis.

Ex quo committi literis Evangeliorum res coeperunt, nemo fere omnium interpretum N. T. non in examen vocavit geminas, quas habemus de Christo genealogias. Atque fuit sane gravissima ratio consilii istius. Agitur enimvero de re inquisitione digna, cognitu utili, postremo eiusmodi, quam divina sapientia scribi voluit ad Evangelii fidem asserendam. Attamen impeditissimus maximeque anceps hic locus est; ita

perplexus adhuc hodie, ut ubi omnia a doctissimis hominibus vel ultimae vel citimae vetustatis, vel Maiorum et Parentum aetate, vel hoc ipso nostro tempore florentibus, copiosissime hac de re scripta perlegerimus, comparaverimus, obscura isthic esse pleraque reperimus.

Si summatim praecipuos qui hucusque de Genealogia Christi scripserunt, enumerare velimus hi fere sunto: P. Possinus e S. J., in Diallactico theogenealogico; sive de Genealogia J. C. Dei ac D. N. lib. sing. add. Symbol. in Matth. t. p. Tolosae 1646. p. 389. s. Possini disputationes J. Bessonus S. J., in Cant. Cant. lucubr. nov. ad 1, 13. Tolosae 1646. latius deduxit exposuitque; in synopsim autem redegit J. B. Cancellotus, in apparatu ad Annales Marianos. Rom. 1661. Idem fecit Petrus de Marca, A. E. Par. in diss., de stemmate Christi, vulgata a Baluzio in fronte opusculorum eius. Par. 1681. p. 1. s. Hagiographi, quibus a Bollando nomen, concinnatore Daniele Papebrochio ad diem 19. Martii III, 9. s., resectis multis curiosissimis quaestionibus, quas eruditissime tractat P. Possinus, exercitationem theogenealogicam „de Christi parentumque eius et consanguineorum atque affinium stemmate“ — repetitam in Propylaeo ad acta S. Maii. Antv. 1742. com. c. h. ad Catal. Pontif. p. 7. s. — ediderunt in qua ubique laudant Possinum auctorem. Eisdem observationes opposuit Ignatius a s. Francisco, in synopsi Magnalium d. Josephi p. I. tr. II, 3. p. 39., qui et nonnulla contulit ad Evangelium εὐγενεάλογον reddendum. Papebrochium defendit J. Stiltingus, Dissert. de fratribus Domini, praef. Act. sanct. Sept. Ant. 1757. VI, 1—3. Ad idem negotium operam suam retulerunt: Fr. Spanhemius, Dubia Evangelica. Gen. 1658. I, 1. s. B. Stolberg, de Genealogia Christi ab Ev. Matth. et Luc. conscr. Vit. 1662. J. P. Grunenberg, de Matthaei fide geneal. Rost. 1701. J. M. Lang, de genealogia Christi ex patribus sec. carnem. Nor. 1703. J. Koch, de utraq. geneal. Chr. s. Matth. et Luc. Hann. 1730. J. H. Hottinger, diss. de Geneal. Chr., in thes. n. II, 73. s. J. Harduinus e S. J., in Chronologia V. T. ad A. U. C. 750., Opusc. sel. p. 619. s. Tillemont, in Mem. pour servir a l' H. E. I, 477. not. pr. ad vitam s. Josephi. A. Calmetus, diss. de conciliatione Genealog. J. C., in Diss. N. T. p. 130. s. B. Lamy, in Harm. q. Ev. I, 6. 7. p. 21. s. Pererudita etiam de his dissertatio legitur in opere M. Basile A. E. Panormitani adv. exerc. J. H. Serry, de Christo eiusque m. accurante J. Basile S. J., ed. Lugd. 1767. p. 474. Fr. Ant. Zaccaria, nella raccolta di dissertazioni di Storia Eccl. Rom. 1792. T. I, 215 s. diss. V. Del Raccoglitore sulla doppia Genealogia di Cristo. Ut omittamus quae Didacus a. s. Antonio Carmel., in enchir. script. Wirc. 1766. III, 22. et M. Wouters, in Dilucid. sel. S. S. q. V, 3. p. 27. s. strictim monuerunt; plura diligentiori examine digna dedit J. L. Hug, Einl. in die Schr. d. N. T. II, 266. s. Gut-

achten I, 74. s. P. Schleyer, über die von Matthäus und Lukas mitgetheilten Genealogien J. C., in ann. Tüb. Quartalschr. 1836. p. 403. s. 539. s. C. Wieseler, die Geschlechtstafeln J. b. M. u. L., in ann. Stud. u. Krit. 1840. f. II. Fr. Delitzsch, ü. d. l. Geschlechtsreg. J.C., in eph. Z. f. luth. Theol. 1850. f. IV. Ebrard, wiss. Kr. der ev. Gesch. II, 5. p. 188. Neque praetermittere volumus M. J. Routh, annot. in Africani ep. ad Aristid. in Reliq. s. ed. alt. II, 329. s. A. Elvenich, disq. de Genealogia J. C. D. N. s. l. et a. Friedlieb, Gesch. des Lebens J. C. p. 94. s. Pr. F. X. Patritii S. J., de Evangeliis III, IX. diss. de genere J. C. p. 33. s. J. N. Sepp, d. Leben J. Christi, ed. II. Reg. 1854. II. 1, 113. s. G. Schegg, Ev. n. Lucas. Münch. 1861. I, 187. s. A. Bisping, Erkl. d. Ev. n. Matthäus. Münst. 1864. p. 36. s. Fr. Imm. Tafel, d. Leben Jesu n. d. B. d. Evang. Basel 1865, p. 2. s.

Siquis in tota S. S. difficultatibus plurimis obseptus est locus, certe is est de Genealogia Christi. Nec quod duos habemus Evangelistas scriptores, auctarium facilitatis est, sed ambiguitatis occasio: siquidem ita in isto argumento versati sunt s. Matthaeus, 1, 1—17. et s. Lucas, 3, 23—28., ut in maxima operis parte suas affirmationes in speciem contrarias dare voluisse videantur. Imo ne secum quidem illorum unusquisque satis convenire cernitur; cum uterque J. C. Genealogiam edere professus, seriem denique totam in Josephum redigit; nihilo sane magis ad Christi genus, quam vitricum ad privigni pertinentem. Denique alia, eaque non pauca, cum disertis testimoniis s. Librorum V. T. palam pugnare videntur. Quamobrem istis Genealogiis multi christianae professionis hostes, tam veteres quam recentiores, etiam abusi sunt ad fidem S. Literarum convellendam. Sed et viri veritatis amantes de συνφωνίᾳ et ἀσυνφωνίᾳ s. Matthaei et s. Lucae haerent dubii. Etsi autem in istis γενεαλογίαις conciliandis cardo nostrae Salutis minime vertatur, neque fides periclitetur; tamen propter eos, qui dicunt Genealogias Christi salva auctoritate Evangeliorum reiici posse, praesenti digressione theogenealogica, inspectis attente vestigiis priscorum monimentorum, momentisque rationum accurate perpensis, quae ad speciem ἐναντιοφανῆ, imo ἀντίφατικὰ esse videntur, conciliare tentabimus.

Ut ne quis iure dubitet, Genealogias Christi, quas s. Matthaeus et s. Lucas descripserunt ambas vere dici, et non arte aliqua factas observamus: *a.* Servandarum Genealogiarum, i. e. progenitorum enumerationibus, si quae orbis gens, Hebraei sedulo studebant. Apud hanc enim gentem plurima eaque maximi momenti iura tribubus atque familiis inhaerebant; — l. H. V. T. p. 149. s. 164. s. — itaque Israelitis vel infimo loco, humillimaque conditione natis plurimum referebat, accurate scire

indubitatisque argumentis posse probare, qua tribu, qua familia, quisque natus esset, huiusque rei notitiam ad posteros transmittere. Ut sic tam ipse, quam filii iura iis annexa possent tueri. Qui hoc negligebant sibi vel suis maximum detrimentum inferebant; Cfr. II. Esdr. 2, 62. Josephi Fl., contra Apion. I, 7. II, 440. 441. de vita, 1. ib. p. 1. Si haec de Hebraeis in universum valent, apud Davidides accedebat, Messiam secundum vaticinia Dei — l. H. V. T. p. 216. s. p. 462 — ex ipsorum stirpe nasci debuisse. Quae quidem promissio tam evidens fuit, ut extorqueretur ex ore utut blasphemo Pharisaeorum. Coll. Matth. 22, 42. s. Idem fatentur Talmudici magistri cod. Sanhedrin c. 6. ad sect. pr. V. Joann. Braunii, diss. de sanct. Pont. max., in Ugolini Thes. Antiq. XII, 185. Agnoscamus igitur oportet regiam Davidis sobolem summo studio genealogias suas servare consuevisse, quas ne unquam adulterari contingeret, sedulo tabulis publicis descriptas ad posteros transmisere. Quare auctore Eusebio legimus: Symeonem Cleopae filium eodem supplicii genere, quod Dominus pertulit, vitam clausisse, quod ex stirpe Davidis oriundus esset. Hist. Eccl. III, 32. p. 103. 104. Idem Eusebius, l. c. c. 19. p. 89. verbis Hegesippi testatur: Domitianum omnes qui a Davidis genere originem suam ducerent interfici iussisse. Jam vero qua tandem ratione Domitiano Caesari in mentem venire potuisset, omnes Davidis posteros trucidare, si eo tempore non amplius reperiri potuissent. Revera autem inventos esse, inde patet, quod iuxta eundem Hegesippum, apud Eusebium l. l. c. 20. p. 89. 90. quidam ex cognatione Christi incurrerint periculum capitis; quia ex regia Davidis stirpe prognati essent, quamvis audita vilitate hominum eos aspernatus Domitianus, nihil adversus ipsos asperius decrevit, sed liberos abire iussit. Unde sequitur, absurdum plane esse hodie post novemdecim saecula de veritate s. Genealogiarum vel dubitare; quae ultra controversiam a synchronis, ab omnibus proxime, et continua fere serie sequentibus aetatibus, admissae fuere. Jam autem porro *b.* duplex genealogiarum describendarum ratio a Judaeis adhibita est. Alteram Julius Africanus, ep. ad Aristidem, — in Routh, Reliq. s. II, 234 — ‚ἐξαριθμούμενος‘ dixit, quam s. Matthaeus adhibuit; alteram quam s. Lucas ‚κατ᾽ ἀνάλυσιν‘ p. 235., gradatim ascendendo perduxit a filiis ad patres. Priore quae recte κατὰ σύνθεσιν adpellaretur, initio facto ab eo cuius genus enarratur, per omnes προγόνους ad primum familiae caput recurritur; posteriore a statore stirpis per seriem ἀπογόνων ad unum aliquem pluresve ex his descenditur. Sacri Scriptores utramque rationem secuti sunt; ut ubertim docet I. Paralip. 1—8. coll. Gen. 10, 1—32. 36, 1—19.; et I. Esdr. 7, 1. II,

11, 4. s., item I. Paralip. 6, 18. s. t. o. Haec annotasse non abs re erat, ut praecipue fundus disquisitioni nostrae substernatur, atque controversae Genealogiarum circumstantiae eo facilius explicari possint. *c.* Causa et finis descriptae a s. Matthaeo Genealogiae fuit: ut praeter cetera testimonia, etiam inde certius constaret, hunc Jesum esse verum Messiam. Quia hac ratione originem suam secundum carnem ex illa stirpe duxisse demonstrabatur, quam vaticinia V. T. ad hoc antea designarunt. Atque ita ad nostrae etiam in Christum fidei confirmationem descriptio huius genealogiae servit. S. Paulus enim ad Romanos 1, 2. scribit: in A. F. est ,ἐπαγγελία' promittens Christum; in N. F. est ,εὐαγγέλιον' annuntians Christum. Sanctus vero Lucas longius quam s. Matthaeus progreditur. Ostensurus non novam esse doctrinam Evangelii de Redemtione per Christum, sed ab initio mundi statim post lapsum certo Dei verbo notatam — H. V. T. p. 15. 16. —, ascendit non tantum usque ad Adamum; ut doceat ipsos protoparentes cum fidelibus suis liberis hac promissione servatos: sed addit ,τοῦ 'Αδάμ τοῦ Θεοῦ'. Queis ostendit primum Adamum, ut loquitur s. Paulus ad Rom. 5, 13. s., et secundum Adamum coll. I Cor. 15, 45. conferri debere. Hocque gradu attollit animos Evangelista ad credendam Reparationem salutis, quae per Christum, in quo divina natura ,τοῦ λόγου' sibi univit humanam, demum facta est.

Secunda, quae sequitur ex prima, quaestio illa nobilis est: quomodo s. Matthaeus conveniat cum s. Luca in texenda Geneologia Christi? E collatione duplicis huius Genealogiae mox patet, geminas ex eodem Davide per *Salomonem* alteram Matth. 1, 6. 7., alteram vero per *Nathanem* Luc. 3, 31. coll. II Reg. 12, 25. I Par. 3, 5. familias; in Salathiele et Zorobabele Matth. 12, 13. 14. Luc. 3, 27. coll. I Par. 3, 17. 19. coniunctas, coivisse iterum in Jesu filio B. Mariae V. et patruele Joseph. Ita quidem: ut unus Christus flos esset, sive germen Jesse coll. Isai. 11, 1. 10, Rom. 15, 12., filius Davidis et Salomonis, et promissorum quae utrique facta sunt haeres. Ubi vero eorundem Evangelistarum series generationum expansa penitius inspicitur, plura sunt quae negotium faciunt. *α.* Cur s. Matthaeus genealogiam in tres τεσσαραδέκαδας — ut adpellavit s. Hieronymus, comm. in Matth. l. I. p. 11. — distribuerit; atque *β.* quare idem inducta triplici tessaradecade, secundo in intervallo tres generationes Joramum inter et Oziam omiserit; item Joakimum Josiae filium, Jechoniae patrem; et tertio in intervallo — quod secundo prolixius apud s. Lucam duas supra viginti generationes complectitur — tredecim dumtaxat generationes induxerit? Unde fit, ut a s. Matthaeo non plures quam viginti sex a Davide ad Josephum generationes intermediae enumerentur; a s. autem

Luca quadraginta et una. Sed his accedit γ. intricatissimus scrupulus, quod Josepho sponso B. M. V. duo videantur patres adscribi: Jacobus Matth. 1, 16. et Heli Luc. 3, 23. Non negandum neque dissimulandum quaestionis huius secundae et intricatae solutionem haud facilem esse. Nolumus 1. recensere mysteria quatuordenarii numeri atque allegorias a plerisque S. P. et S. E. subtilissime tractatas, quas ex variis qui passim exstant Evangeliorum s. XVI. XVII. et XVIII. interpretibus peti volumus. Nos unam summam et primam ei fuisse consilii huius rationem arbitramur: *veritatem.* Itaque non e proprio decreto s. Matthaeus catalogum a se expansum certi definitione numeri obsignavit, sed cum se accinxisset ad Genealogiam Christi describendam, prout ea in tabulis haeredes enumerantibus, religiosa pietate custodiebatur; bona fide ac simplici animo paratus in scriptione sua repraesentare, quidquid ibi demum reperisset. Cum igitur summa cura usus rem peregisset animadvertit; totam summam in quadraginta et duorum capitum numerum excrevisse. Tum collatis Historiis V. T. patuit, insignes in conditione populi hebraici mutationes in confiniis Tessaradecadum harum Generationum incidisse. Primam sub Patriarchis et Judicibus; alteram sub Regibus; tertiam sub Ducibus et Sacerdotibus. Unde personarum multitudinem per ipsos rerum eventus tres in partes distribuit. Et haec quidem nobis sufficiunt; alias causas concinnas et verisimiles, libenter θεωρικωτέροις inquirendas reliquimus.

Verum transeundum est continuo ad alterum dubium. Quaerunt enim primo causam ob quam tres reges Ochoziam, Joasum et Amasiam praetermiserit s. Matthaeus? Hos ab Evangelista sciente et prudente omissos esse indubitate constat; cum nefas sit ambigere, quin omnes Historiarum V. T. partes scribenti Evangelium Apostolo exploratissimae fuerint. Plerique interpretes munere suo se functos esse putant, cum dicunt: oblivione mulctatos tres istos reges, quod prae ceteris peccatores fuerint. Et sane Ochozias valde vituperatur IV Reg. 8, 26. s.; Joas quoque depravatus est, II Par. 24, 23. s.; nec Amasias ad extremum usque pius permansit. II Par. 25, 14. s. Satis attamen constat nullum istorum, omnium regum Juda pessimum fuisse, aut in impietate comparandum cum Achazo, Manasse et Ammone. Cf. H. V. T. p. 381. s. 415. s. Nihilominus isti omnes in Genealogia Salvatoris locum tuentur apud s. Matthaeum, prae quibus tres, de quibus agimus, boni pene ac laudabiles videri poterant. Neque existimamus cum aliis causam huius, quod miramur silentii, fuisse mysterium numeri quatuordenarii, quod anxie secutus Evangelista, tres istos qui redundabant reiecerit. Etenim potestne Hagiographus veritatem postponere alicui concinnitati? deinde cur non obvios quosque e serie Regum,

sed otiose conquisitos e media turba selegit; et quodnam tandem considerationis tantae mysterium est. Quaestione superiore de origine, deque auctoritate Genealogiarum discussa, facilis ad hoc dubium datur responsum: S. Matthaeum, qui Hebraeis scribens se traditionum peritum de industria ostendit, tres istos reges tacuisse; quia a s. tabulis genealogicis aberant. *De omissione vero Joakimi* in secunda Tessaradecade, quod restat dubium, communis fere opinio interpretum veterum recentiorumque habet: omnino desiderari personae unius mentionem apud s. Matthaeum, quae contra eius mentem casu aliquo exciderit. Unde Josiam inter et Jechoniam inserendam, si primaevam autographi lectionem restituere velimus. Plurium instar v. P. Schegg, Ev. n. Matth. I, 39. 418. Sed re attentius perspecta sumimus, nihil videri apud s. Matthaeum hoc loco desiderari. Scripsisse dicimus Evangelistam plane prout hodie legitur. Addimus denique Vulgatam nostram, quod s. Scriptor hebraice scripserat, non discrepante Textu originali, cum fide repraesentare transferendo: ‚*Josias genuit Jechoniam et fratres eius in transmigratione Babylonis.*‘ Matth. 1, 12. Hanc sententiam sequentibus firmamus rationibus. a. Conspirante similitudine Editionum et Versionum, quarum nulla prorsus reperitur; quae aliter haberet. Id vero signum esse manifestum ab ipso s. Scriptore profecti textus, concedant necesse est aequi omnes. Etenim quam mordicus Critici Luc. 3, 37. Cainanum retineant, satis notum est; utut q. v. non semper ibi comparuerit. Altera ratio b. petitur ex discordi varietate contra sentientium interpretum, constantiae lectionis receptae e diametro respondente. Cum porro c. s. Matthaeus tam diligentem rationem inierit numerorum, non potuit fidem professionis suae, qua tres se tessaradecades expandisse affirmavit in plane arbitraria, ac nonnisi fortuita, lectori nusquam de ea re monito, in mentem ventura unius nominis suppletione defixisse. Vana igitur opinio est s. Evangelistam posuisse in autographo suo mentionem alicuius alterius ab iis distincti, qui nunc ibi exstant, sive is Joakimus, sive Jechonias prior vocetur. Denique d. partitio illa saepe laudata in tres tessaradecades, si quis docilem advertat animum, controversiam hanc totam decidit. Palmarium hoc argumentum est, adversus quod aegre aliquid excipere possunt aliter opinantes. Sapienter et provide Evangelista u. s. v. terminos Tessaradecadum defixerat. Prima divisio ab Abrahamo usque ad Davidem, ut loquuntur, inclusive patet. Id clamat res ipsa, quoniam nisi Davides in summam primi intervalli conferatur; non iam ea Tessaradecas, sed triadecas fuerit. Secundi porro intervalli terminus ponitur transmigratio Babylonis. Generatio intra huius transmigrationis tempus inclusa decima et quarta, in secunda classe recensitarum una necessario est habenda. Ea autem compu-

tatur Jechoniae, qui proinde numerum exactum decimum et quartum, secundi ordinis claudit. Cum vero s. Matthaeus eodem modo de Christo loquatur atque de Davide; Christus ex Evangelistae instituto ad tertium plane censum pertinet. Nec de hoc esse poterit dubium, si animadverterimus non generationes activas, sed passivas i. e. personas ipsas a s. Matthaeo numeratas esse. Joakimus ergo eadem de causa silentio praeteritus ab Evangelista, ex qua tres reges supra memorati; sc. quod a tabulis publicis abesset. Ast expedienda restat difficultas: si quemadmodum sumsimus tertia series a Salathiele initium habet, quomodo tuetur nomen suum, duodecim dumtaxat Christi progenitores recensens; quibus ipsum ad extremum decimum tertium adiungit; an non ita d. Matthaeus consilio defuisset suo? Revera neque hac obiectione evertitur ordo abs nobis propositus. Deipara enim una est ex quatuordecim illis ultima s. Matthaei serie computatis; id plane voluit vindicavitque s. Evangelista verbis ,de qua natus est Jesus.' 1, 16. Christi ex mera femina geniti, nihil viro ulli debens ortus, non potuit non in numerum progenitorum imputari; siquidem ex vero recensendus erat. Instant ultro adversarii, unde habet s. Matthaeus 1, 13. ,Zorobabel genuit Abiud'; et v. 12. ,Salathiel genuit Zorobabel.' Hoc videri erroneum. Enimvero I Par. 3, 19. legitur ,de *Phadaia* orti sunt Zorobabel et Semei. Zorobabel genuit *Mosollam, Hananiam, et Salomith* sororem eorum.' Zorobabel ergo parente Phadaia natus genuit eos, quos recenset dictus locus, Abiudis autem nulla fit mentio. Respondemus Zorobabelem in l. Paralipomenon commemoratum, qui genuit Mosollam et Hannaniam, non esse eundem, de quo loquitur s. Matthaeus, qui genuit Abiud. Cf. Patritium, III. diss. IX, 16. p. 77. 78. Pergunt obiicere. Salathiel, qui genuit Zorobabelem, filium Jechoniae dici apud s. Matthaeum 1, 12.; iuxta s. Lucam vero 3, 27. filium Neri exstitisse. Unum eundemque apud utrumque Evangelistam recenseri agnoscimus; propterea opinamur Salathielem fuisse filium *carnalem* Jechoniae, legalem vero τοῦ Neri. Verum adhuc interrogant: cur dicatur in eadem tabella 1, 11. Josias pridem mortuus Jechoniam nepotem et fratres in transmigratione Babylonis genuisse? Ad hanc quaestionem respondemus: Hoc non sic accipiendum, quasi illi post transmigrationem geniti sint. Nam Jechonias abductus est captivus, et ideo antea genitus fuerat. Evangelista scripsit ,ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος' 1, 11.; quod circa — ἐπὶ cum latitudine aliqua plura comprehendit tempora — *vel sub transmigrationis aetatem* nati sint. Neque incommodum est I Par. 3, 15. 16. legi. ,Filii autem Josiae fuerunt Johannan, Joakim, Sedecias, Sellum. De Joakim natus est Jechonias et Sedecias'; ex quo constat Joakimum fuisse patrem naturalem Jechoniae.

Certe Josias Jechoniam non physice et immediate genuit; sed aeque certum est verbum „γεννάω", cui respondet Hebraeorum יָלַד, in S. S. haud raro latiori significatione sumi; coll. Isai. 39, 7. praeterea etiam nepotes in divinis paginis appellari solent υἱοί. Idem valet de postremis vocibus ‚καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ'; nimirum fratres hi Jechoniae fuerunt eodem modo, quo ipse Jechonias Josiae filius. Natura hic minus attenditur, quam usus loquendi, in quo omnes respectu Josiae pares, filii eius, et singulari sensu inter se fratres dici potuerunt. Cf. IV Reg. 24, 15. 17. coll. Jer. 37, 1. Jam igitur ad s. Lucam redeamus.

Non ultima huius illustris disceptationis controversia versatur in detegendo, cur illo s. Matthaei catalogo longe maior apud s. Lucam exstaret generationum numerus? Si coniecturam experiri fas est, suspicari haud sine veri specie liceat; inde ortam illam discrepantiam, quod Hebraeis valde tritum fuerat in Genealogiis non omnia et singulatim exhibere capita. Idque eo minus offensionis habere poterat, quod avi etiam atque proavi apud Hebraeos patres vocarentur. Talium omissionum exempla cernuntur: Ruth. 4, 20. coll. Num. 2, 3. Matth. 1, 8. coll. II. Par. 26, 1. Interim d. Lucas non solum plura quam s. Matthaeus; sed etiam diversa nomina Jesu Maiorum catalogo suo inseruit. Deinde ubi s. Matthaeus dicit 1, 16. ‚Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus'; Lucas contra 3, 23. inquit ‚Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit — τοῦ — Heli, qui fuit Mathat.' Si igitur Christus iuxta s. Matthaeum genitus est patre Jacobo, qua ratione de eo recte dici potest ‚τοῦ 'Ηλί? Et hic est unus e praecipuis arietibus, quibus adversarii non solum Genealogias, sed et Evangelia S. Matthaei et S. Lucae impetierunt. Responsum ad hanc quaestionem omnes fatigavit S. S. interpretes; reperiuntur hodie quoque, qui eam nondum solutam existimant. Nos varias et diversas in commentariis aliisque id genus scriptis dispersas sententias non recolligemus; sed eam quae melioribus nititur rationibus elegimus, et quod ad eam fulciendam occurrit proferemus. Cum in utraque Genealogia ubi diversitas nominum incipit, ibi etiam manifeste diversitas personarum incipiat; consecutive qui apud s. Matthaeum dicitur genuisse Josephum Jacobus, ab Heli apud s. Lucam, cuius filius dicitur Josephus distinguendus est. Opinio maxime recepta ad conciliationem utriusque Evangelistae est: quod s. Josephus duos habuerit patres, unum *naturalem sc. Jacobum*, de quo Matth. 1, 16.: alterum *legalem sc. Heli*, per quem Lucas ipsius usque ad ipsum Deum reduxit originem. Cfr. Deut 25, 5. H. R. D. V. T. p. 169. Placuit haec sententia S. Augustino, qui de cons. Ev. II. 3, 7. scripsit: ‚Sic genuit

eum non ut homo esset, sed ut filius esset.' p. 30. Juxta hanc Heli a Luca vocaretur pater τοῦ Joseph, non naturalis sed civilis, quod socer esset Josephi, pater B. M. V. Itaque s. *Matthaeus d. Josephi* parentes referret; s. *Lucas vero B. Mariae.* Jesus putabatur filius Joseph, qui tamen fuit Heli. Si enim pater Jesu in terris assignandus erat, cum non habuerit parentem, a quo immediate genitus sit — qualem putabant Judaei Josephum —; ad avum seu patrem matris eius procedendum erat, qui fuit Heli. Revera plures et gravissimae rationes intercedunt, ob quas probanda nobis videtur haec opinio. Nam a. lege Numerorum 27, 1. s. cautum erat, ne puellae haeredes viros ex alienis tribubus ducerent. Vetus est autem in Ecclesia traditio B. M. V. parentum suorum unicam, ac proinde avitae facultatis haeredem fuisse, eiusque nuptias Josephum agnatum ipsius, sanctione legis praecipientis sibi quaerere coactum. Ita Julius Africanus, ep. ad. Arist. ed. Routh. p. 234. Eusebius, quaest. ev. ad Stephanum I, 7. ed. Migne. Op. IV, 887. s. Hilarius, comm. in Matth. 1, 1. p. 2. s. Ambrosius, expos. Ev. sec. Lucam III, 4. p. 1315. s. Joannes Chrysostomus, in Matth. hom. III, 4. p. 25. s. S. Epiphanius, in Ancoratu n. 60. II, 64. ,Ἰωσὴφ ἔλαβε κατὰ κλῆρον τὴν ἁγίαν παρθένον Μαρίαμ.' s. Hieronymus, Comm. in Matth. I, 3. p. 12. ,ex una tribu fuisse Joseph et Mariam: unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam, et quod simul censetur in Bethleem, ut de una videlicet stirpe generati.' S. Cyrillus Alex., contra Julian. l. VIII. ed. Migne IX, 900. S. Joannes Damascenus, de fide orthod. IV, 14. p. 274. Idem b. colligitur ex d. Lucae 2, 1—5., quo loco narratur s. Josephum Bethlehemum profectum ,ἀπογράψασθαι σὺν Μαριὰμ', ut cum Maria in census tabulas referretur. Ergo Maria fuit θυγατὴρ ἐπίκληρος. His ita constitutis, quid impedit; quominus Josephus, origine quidem filius Jacobi, postquam haeredem filiam Heli accepit, dici possit τοῦ Heli. Firmat id familiaris Divinorum Voluminum mos, quo generi et nurus, nepotes et neptes appellantur: *filii et filiae.* Qua in re nihil hic violentum sive verba, sive sensum respiciamus. Jam ex eo quod s. Lucas in Genealogia sua usque ad ipsum Deum ascendat, manifeste, ut vidimus, patet s. Lucam in expandenda tabula genealogica aliud consilium sequi quam s. Matthaeum. Voluit eos recensere Christi parentes, qui non putarentur, sed vere essent. Cum autem Jesus secundum naturam humanam ἀπάτωρ Heb. 7, 3. foret, ad avum, seu proximum eius patrem, i. e. ad Heli, utpote patrem B. M. V. transeundum erat. Antiquissima enim et extra prudens dubium, posita traditio — l. Acta Sanctorum Bollandi, ad. 20. Martii III, 77. s. — habet B. Mariam patre s. Joachimo, matre vero s. Anna progenitam. At exploratum est coll. Judith 4, 11. coll. 15, 9. Heliachim, sive per apocopen

Heli, et Joachim apud Hebraeos synonyma esse. Cf. Simonis, Onomasticon V. T. p. 514. Arnoldi, Comm. z. Ev. Matth. p. 58. Unde et Judaei — in Talmude Hierosolymitano, Chagigah fol. 774. apud Lightfootum, hor. h. ad Luc. 3, 26. p. 750. — vocarunt filiam Heli. Quod autem Elisabeth, quae Luc. 1, 5. e stirpe Aaronis sata dicitur v. 36., cognata B. M. V. fuerit, sententiae nostrae Mariam Davididen propugnanti non officit. Poterat B. M. V. sobrinam Elisabetham habere; quod aliquis e stirpe B. M. V. filiam aliquam sacerdotis et ex familia quidem Elisabethae duxerit. Nihil ea in re arduum, siquidem coniugia *puellis non haeredibus* libera permittebantur. Cf. II. Par. 22, 11. Sic igitur Jesus cum per B. M. V. et Heli via naturali descenderit a Nathane et Davide, legitimus est Davidi filius. Cumque utraque Salomonis et Nathanis linea in Salathiele et Zorobabele coaluerit in Christum, quacumque ex parte spectetur, ius omne ad solium Davidis in illum derivatum est. Tandem oggerunt: mulierum Genealogias a S. S. texi non solere. Concedamus ita esse, an B. Mariae V., et aliarum eadem ratio est? Non poterant non Evangelistae scribere Genealogiam B. M. V., cum describendos Christi natales susciperent: quoniam genus Christi cognosci, genere Mariae non prius cognito, non potuit; cum illa principium unicum originis eiusdem fuerit. Ex quo sequitur nullam genealogicam seriem ad Christum unquam pervenire potuisse, quae prius per B. M. V. non transiisset. Incubuit proinde summa ex officio necessitas Evangeliorum scriptoribus Mariae genealogiam texere, veluti unicae Matris ac μηξοπάτορος Christi; cum hoc consectarium fuerit imo pars, ut loquuntur, essentialis suscepti operis. Nec iustior excusatio fuerit, quae obtenditur ab exemplo veterum mulierum; quam si partum virginis prodere supersedisset s. Lucas eo obtentu, quia eius rei exempla nulla Lex aut Prophetae, nec totum quantum exstaret, sacrarum Scripturarum haberent.

Ultima tandem restat *quaestio de nomine Cainani iunioris, quod inter Abrahami Maiores Arphaxadum et Salem infixum exhibent codices d. Lucae 3, 35.;* cum tamen eius in Geneseos aut Paralipomenon libris, tam iuxta Textum originalem, quam iuxta Vulgatam, nec vola nec vestigium reperiatur. Exercet haec quaestio hodie quoque, ut videre est ex recentissimis commentariis qui cuique ad manum sunt, eruditos. Arduus sane, atque quorundam iudicio plane inexplicabilis nodus. Solutiones interpretum ad duas classes revocari possunt. Quidam α. putant hunc Cainan omnino interiiciendum esse, eique aeque ac aliis dandos esse annos triginta, antequam genuit Sale, et consequenter hos triginta annos computui chronologico esse adiiciendos. Cum β. omnium confessione, et universali Codicum consensione constet Cainan in textu originali deesse, affirmant alii, inter Lucam et Moysen

concordiam aliter iniri non posse, quam si Cainanum non γνήσιον sed ὑποβολιμαῖον esse fateamur. Ut copiose et eleganter demonstrarunt: Cornelius a Lapide e S. J., ad c. 11. Gen. v. 12. Comm. p. 145. B. Pererius, comm. et disp. in Gen. ed. Lugd. 1693. l. XVI. disp. 11. II, 536. 8. F. Possinus, Diallactico Theogen. I c. 2—9. p. 395. s. Fr. Spanhemius, dub. ev. I, 138. s. P. de Marca, de stemm. Chr. p. 43. s. C. Andrian S. J., Dissert. Select. hist. chronolog. biblicae. Viennae. 1753. dissert. IX. p. 171. s. Arbitrantur Cainanum non solum in versionem graecam V. T., sed et in Evangelium s. Lucae irrepsisse; adeoque utroque loco expungendum esse: quia si translatio ab originali dissentit, ei potius linguae credendum est, unde in aliam per interpretationem facta est translatio. Et vero id ab illis non temere dici multa persuadent. 1. Quod non habeat Cainanum textus Samaritanus, cuius pene unius consensus cum hebraico sufficere posset contra LXX. Non habent Romana Biblia graeca LXX. correcta, prout nempe Sixti V. iussu et cura Cardinalis Caraffae Romae prodiere. Desiderari etiam „τοῦ καϊνάν“ in Versione Pentateuchi Vulgata, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, Persica et Armeniaca. Addunt 2. ad confirmationem suae opinionis auctoritatem Veterum. Ita Philo, de posteritate Caini, Mang. I, 259. et Josephus, Antiq. I. 6., 5. I, 26., quos graecam versionem in aliis sequi palam est, huius Cainan non meminerunt, licet eorum tempore, et iam antea in graecis Bibliis lectus fuisse videatur. Eusebius, qui optime inter veram et falsam recensionem discrimen nosse poterat, cum in priore Chronici sui libro Patriarcharum annos e triplici textu hebraeo, graeco et samaritano enumeravit, in nullo tamen eorum Cainanum interposuit. Verum et ante Eusebium Julius Africanus omisso Cainano, Arphaxadum centesimo tricesimo quinto aetatis anno Salem genuisse tradit. Accedit 3. multorum s. P. et S. e. suffragium, qui magno consensu docent a Noe usque ad Abrahamum decem generationes interfluxisse. Totidem recenset Origenes, Comm. in Evang. Joannis t. XX. 3. ed. Lom. II, 198. Julius Africanus, in Chronico IX. apud Routh, Reliq. s. II, 244. Nec aliter S. Epiphanius, haer. 55, 6. I, 473. clare testatus: ‚Arphaxad anno CXXXV. genuit Sale.‘ Eodem pertinet quod idem s. Pater, lib. de pond. et mens. n. 22. II, 179. observet numerari ab Adamo ad Jacobum duo et viginti capita; essent enim viginti tria, si Cainan insereretur. S. Hieronymus itidem l. quaest. hebr. in Genes. p. 322. ubi collatis graecis et hebraicis originalibus, sicubi differunt sedulo notat, scribit simpliciter Arphaxad genuisse Salem. His rationibus adducti Bochartus, Phaleg, p. 90. Calmetus, comm. in Genes. p. 168. D. Petavius, Ration. Tempor. II. l. II. c. l. p. 55. Natalis Alex., in sec. Mundi aet. dis. q. H. V. T.

p. 148. Marchinius, de div. S. S. Biblior. ed. Mign. p. 102. Usserius, diss. de Cainane Arphaxadi filio eiusque temporibus, subnexa syntagmati de graeca LXX. interpretum versione. Lond. 1655. p. 177. s. Buddeus, H. E. V. T. I, 169. J. D. Michaelis, de chronologia Moysis ante diluvium p. 153, et alii affirmarunt: *ut nihil unquam tale s. Lucam scripsisse, sed ex versione LXX. Cainani nomen adiectum; aut s. Lucam Evangelio Cainanum non ex propria sua sententia, verum e communi illa, et apud Hellenistas pervulgata inseruisse.* Evangelista, qui Salvatoris Maiores tam veros, quam vulgo sic habitos recensendos sibi proposuit; etiam Cainanum inter eos nominare poterat; quod a Hellenistis non alia quam graeca, idque communi illa V. T. interpretatione usis, Cainan inter Maiores Abrahae numeraretur. Atque id a more S. Scripturarum alienum non esse docet S. Hieronymus, advers. Helvid. n. 4. p. 209. Profecto huic postremae opinioni suffragatur Concilium Tridentinum, cuius hac in quaestione quoque haud contemnenda auctoritas; quod in sessione IV. de Can. Script. omnes Sacros Libros, quorum ibidem catalogum facit ,*cum omnibus partibus suis*' sub anathematis poena recipi iubet; unde sequi videtur irrefragabile esse d. Lucae 3, 36. testimonium. Enimvero eadem universalis Synodus non modo omnes Sacros Libros, sed et omnes eorumdem partes recipere iussit: cum vero Cainani nomen in S. Lucae Evangelio ibidem reperiatur, id errore irrepsisse, dicere nefas esse videtur. Solutio ista ob id igitur inprimis probanda, quia integritatem S. Codicis adstruit. Hanc sequi malumus, quam codices S. Lucae, qui meminere Cainani a descriptoribus interpolatos comminisci.

II.

De Fratribus et Sororibus Domini.

Explicatis quae ad Genealogiam Jesu Christi pertinent, qui fratres Domini, quae sorores? paucis nunc videamus. Sane si quis quaerat, quot essent, facile erit respondere ex Matth. 13, 55. et Mar. 6, 3.; ubi nominatim recensentur quatuor eius fratres ,*Jacobus, Josephus*, — ,Ἰωσῆς' t. o.. sed literae φ. et ς. in nominibus propriis facile permutantur. — *Judas et Simon*', memoranturque ,ἀδελφαὶ', quarum tamen numerus nominaque reticentur. Veruntamen cuiusnam isti fuerint filii, et cur fratres Domini: Luc. 8, 20. Joann. 2, 12. 7, 5. Act. 1, 14. Gal. 1, 19. I Cor. 9, 5. dicantur, non omnium eadem fuit sententia. Nam ut omittamus priscos et neotericos haereticos blasphemos, qui B. Mariae Matris Dei virginitatem impugnarunt; atque Deiparam tantummodo usque ad Christi partum fuisse Virginem, deinceps autem de Josepho alios concepisse et peperisse filios, qui fratres Domini sunt adpellati calumniabantur: — Refutati sunt a

S. Epiphanio, haer. 78. p. i. p. 1035. s.; penitus confecti a s. Hieronymo, adv. Helv. II, 205. — cuius tamen perpetuam Virginitatem ab Ecclesia declaratam — in Concilio Romano a. 390. et Mediolanensi e. a. apud Mansi, S. Conc. coll. n. III, 687. 9. coll. ep. P. Syricii ib. p. 663., nec non C. Lateranensi I. a. 649. sec. V, 3. t. X, 1151. — Catholici omnes credunt atque uno ore fatentur; unde et ἀεὶ παρθένον, ἀεὶ παῖδά adpellant. V. professionem fidei apud s. Epiphanium, Ancorat. n. 121. p. 123. Quare solenni Ecclesiae ritu iam olim receptum cernimus, ut publice cantetur: ‚Beata es Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem; genuisti, qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo!' Hinc illud priscum carmen habet: ‚Radix Jesse iam floruit, et virga fructum edidit; Foecunda partum protulit, et Virgo Mater permanet.' Idem canunt plures alii hymni antiquissimi, quibus Ecclesia sibi gratulatur de Mariae perpetua Virginitate, velut de monili pretiosissimo. Fuerunt qui fratres Domini dictos velint Josephi filios, quos ex alia priori uxore suscepisset; post cuius obitum desponsasset sibi B. M. V. Sed reipsa cadit haec opinio, quam penitus subvertit observatio verissima s. Hieronymi, l. c. n. 19. p. 227.: ‚Tu dicis Mariam Virginem non permansisse; ego mihi plus vendico, etiam ipsum Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam uxorem eum habuisse non scribitur; Mariae autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus: relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.' Ut adeo non mirum videri debeat ceteros, qui post s. Hieronymum vixerunt, Latinos P. P. et S. E. huic sententiae valedixisse, adeo ut B. C. Damianus, opusc. XVII. de coelibatu Clericorum c. 3. ed. Const. Caietani. Par. 1663. III, 166. suorum temporum scriptor nobilissimus ad Nicolaum II. R. P. magna fiducia dicat ‚Ecclesiae fides est, ut virgo fuerit et is, qui simulatus est pater.... ut non modo de virgineo utero nasceretur — Redemptor — sed etiam a Nutricio Virgine tractaretur.' Jam vero de his fratribus Domini disputans s. Hieronymus adversus eundem spurcissimum haereticum n. 11. p. 220. scribit: ‚Quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici; natura, gente, cognatione, affectu.' Itaque a. Jacobus, Josephus, Simon et Juda ab Evangelistis fratres dicuntur non *natura*, quod fuerint eadem matre Maria, vel eodem patre Josepho u. v. geniti. Sed et b. non adpellantur fratres, quia solum fuerint *ex eadem gente*. ‚Absurdum est, ut pauci ex Judaeis vocati sint fratres, quum omnes qui ibi erant hac lege Judaei, fratres potuerint appellari; scribit s. Hieronymus, l. c. n. 15. p. 222. Neque etiam c. *affectu*, spiritualiter vocantur fratres Domini; cum sic omnes Apostoli fuerint eius fratres. Restat ergo ut fuerint d. *ex cognatione*

aut propinquitate sanguinis, *etsi non fratres*, vulgo tamen fratres dicti; quemadmodum Abraham et Loth, Jacob et Laban. Nimirum quia erant consobrini Domini, sive ex Cleophe Josephi fratre geniti; — v. Tab. gen. sec. Emmium, in P. Lambecii, Prodromo Hist. lit. Lips. 1710. p. 233. — vel quod magis remur, ex sorore B. M. V. Maria Cleophae procreati. Certissimum namque est collatis locis, quos annotat S. Hieronymus, l. c. n. 14. p. 221., huiusmodi consanguineos more Hebraeorum fratres communiter in S. S. nuncupari consuevisse.

Ut vero μεθοδικῶς res tota discutiatur, hoc primum quaerendum, quinam fuerint fratribus Domini parentes? Ordimur a generali quadam observatione. Usitata est in Scripturis divinis consuetudo, ut nomini proprio filii, nomen etiam proprium patris subiungatur. Ita s. Jacobus dicitur Jacobus Zebedaei Matth. 4, 21., ita Simon Petrus dicitur Simon Joannis; Joann. 21, 17. ex quo more S. Scripturae inferimus; quod qui iuxta vulgi morem coll. Matth. 13, 55. ab Evangelistis vocantur fratres Domini; qui et per nomina sua propria enumerantur: Jacobus, Joseph, Simon et Judas, non alium habuerint patrem, quam eum, cuius esse affirmantur. Cum ergo, ut ad singulos veniamus, Jacobus qui Matth. 13, 55. et Marc. 6, 3. inter fratres Domini recensetur; idem Cleophae esse statuatur, parentem Cleopham habuisse necessarium est. In huius rei confirmationem ad Evangelium s. Matthaei 27, 56. provocamus, ubi narratur ad mortem Christi in monte Calvariae ‚erant mulieres . . . inter quas erat . . . et Maria Jacobi et Joseph mater.' Quaerimus nunc cuiusnam haec uxor fuit mater Jacobi et Joseph? Id ex s. Joanne discimus: ‚stabant', ait ille 19, 25., ‚iuxta crucem mater eius, et soror matris eius, Maria Cleophae.' Ergo Jacobus frater Domini erat Cleophae filius; nam idem est locus et tempus apud s. Joannem, de quo s. Matthaeus loquitur. Qui autem Jacobum fratrem Domini, ac Jacobum Alphaei, unum atque eundem hominem esse sumunt: Alphaei filium faciunt renitente contextu. Nam posterior cum Matth. 10, 3. Marc. 3, 18. Luc. 6, 15. Act. 1, 13. Jacobus Alphaei dicatur, ipsum utique alio patre quam Alphaeo genitum, non est credendum. Sententia G. Henschenii S. J., quam nos acta Jacobi expositari tuebimur, tres Jacobi enimvero sunt distinguendi: Jacobus Zebedaei s. Joannis frater; Jacobus Alphaei e duodenario Apostolorum numero; atque Jacobus Jerosolymorum episcopus cognomento Justus ac frater Domini. Cf. i. Acta S. S. Maii I. 18. s. nec non F. A. Zachariae, dissert. in qua Henschenii de tribus Jacobis sententia vindicatur, in ed. Op. Dion. Petavii, de theol. Dogmat. VI, 89. s. Neque aliter s. Joannes Chrysostomus, in cap. I. ep. ad. Gal. comm. n. 11. ‚Vide quanto cum honore et hunc nominavit. Non enim simpliciter dixit

Jacobum, sed magnificum illud elogium addidit *fratrem Domini*, usque adeo liber erat ab omni livore. Etenim si tantum indicare voluisset eum, de quo loqueretur, poterat alia nota declarare, si dixisset, Jacobum Cleophae, quod cognomen posuit Evangelista.‘ Op. X, 678. Favet etiam huic interpretationi magnus Hieronymus, de viris illustribus c. 2. scribens ‚Jacobus qui appellatur frater Domini, cognomento Justus, ut nonnulli existimant, Joseph ex alia uxore, ut mihi autem videtur, Mariae sororis Matris Domini, cuius Joannes in libro suo meminit.‘ Ed. Bibliothecae eccl. Fabricii. Hamb. 1718. p. 23. Hinc etiam Theodoretus, interpr. ep. ad. Gal. 1, 18. affirmat: ‚Vocabatur quidem frater Domini, sed non erat natura. Nec vero fuit Josephi filius, ut quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed Cleophae filius erat Domini consobrinus; τοῦ δὲ κυρίου ἀνεψιός.‘ III. a, 366. Hactenus de s. Jacobo. Fratres quod spectat reliquos: Joseph qui dictis locis enumeratur, idem Matth. 27, 56. et Marc. 15, 50. dicitur cum praefato Jacobo filius Mariae, quae fuit soror B. M. V., atque una ex illis mulieribus quae sequebantur Dominum a longe aspicientes Jesum crucifixum. Tandem Judas, qui ex quatuor fratribus recensitis unus est; et Simon — sive Simeon, idem enim nomen est utrumque, illud per κρᾶσιν figuram graecis usitatissimam enunciatum. — a Juda Thaddaeo et Simone Chananaeo Apostolis omnino distinguendi sunt. Horum patrem Cleopham, eumque s. Josephi sponsi Deiparae fratrem fuisse e testimoniis Veterum probatum ivit Bollandus, ad 18. Februarii, de s. Simeone ep. Hieros. in A. S. S. T. III, 54.; auctorem allegans ex Eusebio Hegesippum, qui H. E. III, 20. prodit ‚nepotes Judae illius, qui secundum carnem frater Christi vocabatur‘ ad Traiani imperium superfuisse, post testimonium quod sub Domitiano Christi fidei dederunt. p. 90. Porro eiusdem scriptoris monimentum laudat Eusebius, H. E. III, 11. p. 89. in haec verba: ‚Omnes itaque uno consensu Simeonem filium Cleophae, illius cuius in Evangeliis fit mentio, episcopali — Hierosolymarum — sede dignum iudicaverunt. Creditur autem Simeon — quem Hegesippus et Eusebius undecim annis Christo natu maiorem testantur — patruelis fuisse Salvatoris. Nam Cleopham fratrem esse Josephi testatur idem Hegesippus.‘ Unde hinc colligunt Cleopham duas duxisse uxores, et primam quidem anonymam, ex qua genuit Simeonem Jerosolymorum episcopum et Judam, canonicae unius epistolae scriptorem, qui se praefatur Jesu C. servum, fratrem Jacobi sc. adelphothei. Ex altera vero Maria, Deiparae e matertera sorore, i. e. consobrina, tulisse liberos Jacobum et Josephum; ἀντονομαστικῶς prae aliis ex eodem patre genitis *adelphotheos dictos*; idque speciali aliquo iure, quod acceperint a Matre Deiparae, u. v. consobrina. Cf. G. Henschenii, de s. Maria Cleophae, ad diem 9. Aprilis.

I, 811. s. D. Papebrochii, diss. coniect. de s. Juda Ap. ad 18. Junii. III, 803. Illud etiam obiter notamus Josephum nostrum perperam confundi cum s. Joseph, qui et Barsabas et Justus dicitur Act. 1, 23.; ut merito docuit Petrus Boschius, ad 20. Julii. n. 6. V, 23. Sane hisce satis commode et sine confusione personarum praestitutis, haud aegre comprehendetur; quomodo post electionem duodecim Apostolorum — in quibus Jacobus Alphaei, Jacobus Zebedaei, Judas Thaddaeus et Simon Cananaeus erunt — illi qui fratres Domini vocantur, quamvis cum Christo olim iam praesentes in nuptiis Canae, cum eodemque et matre B. M. V. Capharnaum regressi, Joann. 2, 12. anno adhuc praedicationis secundo increduli ‚exierunt tenere eum dicentes, quoniam in furorem versus est.‘ Marc. 3, 21. V. H. N. T. p. 64. s. Quin imo iam anno tertio currente et instante festo scenopegiae, Joann. 7, 5. nondum credebant in eum. Qui tamen omnes Jesum clam subsecuturum praegressi Hierosolymas, visis miraculis et auditis praedicationibus denique credidisse videntur. Joann. 7, 10. V. H. N. T. p. 73. s. Disquisitioni huic finem imponentes opportunum censemus apponere verba s. Joannis Chrysostomi, in Joann. hom. 48, 2. p. 284.: ‚Tu vero Christi virtutem considera. Ex his enim qui talia dicebant, primus fuit Jerosolymorum episcopus Jacobus. Dicitur et Judas mirabilis fuisse. Atqui in Cana aderant, cum aquam in vinum convertit; sed nihil adhuc lucrati sunt. Unde ergo illis tanta incredulitas? Ex mala voluntate et ex invidia: nam cognatis, qui conspicui sunt, solent etiam cognati non ita conspicui invidere.‘ Cf. etiam Theodoreti, interpr. in Ps. 67, 28. Op. I. b, 1670.

Quod vero de sororibus additur Marc. 6, 3. ‚καὶ οὐκ εἰσὶν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ ὧδε πρὸς ἡμᾶς‘; non potest intelligi de aliis Jesu Christo proprioribus, quam de filiabus Cleophae, quotquot sane illarum fuerint. Et harum quidem nomina in Scriptura sacra non sunt expressa; annotata autem indubie habentur in libro vitae!

Haec habuimus ‚de Fratribus et sororibus Domini‘ dicenda; fusius ea omnia explicata reperiuntur apud V. P. Canisium, de Maria Virgine Deipara I, 9. s. p. 65. s. II, 13. p. 207. s. Tillemont, Mem. not. sur s. Jude p. 652. seq. A. H. Blom, de τοῖς ἀδελφοῖς *et* ταῖς ἀδελφαῖς τοῦ κυρίου. *Lugd. Batav. 1839. Kuhn, die Brüder Jesu und Jacobus Alphäi, in ann. f. Theol. u. chr. Ph. Francf. 1834. p. 3. s. Wieseler, über die Brüder des Herrn, in Ann. Stud. u. Krit. 1842. 71. s. Fr. Windischmann, Erkl. d. Br. an d. Gal. Mainz. 1843. p. 32. s. M. F. Rampf, der Br. Judae. Sulzb. 1854. p. 7. s. Sepp, d. Leben J. C. III, 193. s. Bisping, Ev. n. Matthäus, p. 309. s.*

III.

De Jesu Christi nominibus in Novo Testamento obviis.

Omne quidquid est in rerum natura nomine indigere, cum nomen sit rei nota — uti describitur a Romanorum eloquentissimo —; ideoque nomine opus esse, quoties homini de alio quopiam est facienda mentio, omnes facile concedunt. In ipso mundi nascentis exordio nomina a Deo quibusdam rebus sunt imposita; Gen. 1, 5. 8. 10. indeque primus homo qui accepit nomen Adam, cum brutis omnibus suum imposuit nomen; tum etiam uxori, quam ipsi formaverat Deus. Gen. 2, 19. 20. 23. Protoparentes filiis suis etiam atque filiabus nomina dederunt; permansitque hoc institutum apud omnes gentes, ut unicuique hominum suum nomen fuerit inditum. Erant autem priscis temporibus nomina imposita, quae vel praeteritarum rerum μνημόσυνα essent, vel futurarum praenuntia, et quidem non raro magnum quid et eximium significant. Cf. Hist. R. V. T. p. X. 66. 78. 97. 395. Ex his omnibus sequitur Dominum Nostrum Jesum Christum quoque non fortuito quibusdam nominibus ornatum esse; sed pro utraque qua pollebat naturae virtute; pro rebus ab ipso gerendis vel gestis adpellatum fuisse. Quod ipsum autem argumentum dignissimum est, ut penitiori indagine clarissime demonstretur.

Ἰησοῦς, יֵשׁוּעַ

Ut ab illo incipiamus, quod sexcentis iam ante natalem annis praedictum fuit: ‚Jesus' nomen proprium ei impositum est; non quidem fortuito aut hominum iudicio, sed Dei consilio atque praecepto. Angelus enim Mariae matri eius Virgini non modo filium annuntiavit; verum etiam nomen indicavit, quo adpellandus esset: ‚Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Jesum.' Luc. 1, 31. L. H. N. T. p. 7. Idem postea b. Josepho Virginis Mariae Sponso praecepit; ut eo nomine puerum adpellaret. Simul etiam eius adpellationis rationem reddidit: ‚Vocabis, inquit, nomen eius Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.' Matth. 1, 21. Convenit etymologia, extra omne enim dubium positum est nomen ‚Ἰησοῦ' idem esse cum nomine יְהוֹשֻׁעַ Domini salus; composito ex יָשַׁע et יְהוָֹה. Nam qui a Moyse vocatus est Num. 13, 17. Josue, a Nehemia 8, 17. vocatur יֵשׁוּעַ, quod rursus ex antiquo Arameorum more contractum est in יֵשׁוּ. Secuti sunt hanc soni facilitatem Judaei, qui graeca lingua utebantur ac scripserunt Ἰησοῦ, circumflexa ultima. Attamen quia terminatio istiusmodi casuum variationem non pateretur, facilioris constructionis gratia, duo casus formati sunt in graecum morem, rectus addito

ς; et quartus addito ν. Veram scriptionem nominis Jesu esse יֵשׁוּעַ, arguit tum exacta convenientia cum Ἰησοῦς, ubi omnia congruunt; nisi quod pro sibilo crassiori שׁ, pro indole Hellenismi substitutus subtilior, — quod et in Samuel, Salomon factum videmus — et pro littera ע graece non commutabili, surrogata sit terminatio οῦς. Ita occurrit hoc nomen in V. T. in inscriptione Ecclesiastici Polygl. Lond. VI, 39. — frustra obstrepente J. H. a Seelen, de Jesu in Jesu Siracide f. q. Lub. 1724. —; in Versione syriaca N. T. Matth. 1, 16. in iisd. V, 6.; in Evangelio hebraico a Seb. Münstero, J. B. Jona, Romae 1688. impresso; et in titulo s. Crucis Romae asservato. Cf. Honorati Niqueti S. J., tit. s. Crucis hist. I, 14. p. 101. Quam comodissime vero יֵשׁוּעַ, vel correspondens gr. σωτήρ, per vocem latinam ‚Salvator' exprimitur; quod nomen utut non sit Ciceronianum, sufficit quod sit Christianum. L. J. Lami, de eruditione Apostolorum lib. sing. Flor. 1766. p. 101. s. Quemadmodum enim in Sacro Codice multis aliis nomina legimus imposita, quibus de rebus ab ipsis vel gestis vel gerendis, aliisque proprietatibus pulchre admonemur; ita etiam ab insigni, venerando et admirando Opere Redemtionis et Salvationis Christus ‚Salvator' κατ' ἐξοχήν meruit vocari. Et licet nomen Jesus, iam ante notum esset; res tamen nomine hoc significata, in Christo Domino primum exhibita fuit, qui vere nominis huius mensuram explevit. Ut adeo errent, qui nomen Jesus a graeca origine — ἰάομαι — arcessunt; quibusve nomen Ἰησοῦς vi etymi idem est, quod ἰατρὸς medicus. Est autem nomen Ἰησοῦς plane suave et illustre quid, inest ei notio: ipsum quem Deus per coelestem nuntium vocari iussit Ἰησοῦν, revera futurum Salvatorem omnium; a Deo ad id missum, ut liberaret eos a peccatis. Hunc in modum s. s. Patres nomen Jesu explicant. Ex. gr. scriptor vetustissimus s. Justinus M., apol. I, 33. p. 86. s. Cyprianus, testimon. II, 7. 9. p. 38. 40. s. Cyrillus Hier., cat. X, 12. p. 142. s. Hieronymus, comm. in Matth. 1, 21. p. 14. ‚Jesus ebraico sermone Salvator dicitur. Etymologiam ergo nominis eius Evangelista signavit.' L. ei. Comm. in Ezech. 45, 18. s. p. 571. s. Augustinus, de Trin. XIII, 10, 14. p. 937. ‚Qui est hebraice Jesus, graece σωτήρ, nostra autem locutione Salvator.' s. Bernardus, in circumcisione D. serm. II, 3. p. 140. Ut a proprio nomine ad cognomina transeamus, primum occurrit quod s. Evangelista Matthaeus 1, 16. coniungit: ‚Jesus qui vocatur Christus':

Χριστός, מָשִׁיחַ

‚Μεσσίας' apud Hebraeos idem est, quod apud Latinos ‚Unctus' nam deducitur a r. מָשַׁח, unxit etiam in cognatis Aramaea, Arabe et Samaritana. Hinc Judaei graece loquentes id ipsum interpretati sunt χριστὸν, quomodo

etiam LXX. τό מָשִׁיחַ constanter transtulere. Exempla dabit Schleusner, nov. Thes. V, 541. Unde Suidas ,χριστὸς ὁ κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν δὲ ὁ ἐν ἐλαίῳ κεχρισμένος.' Lex. s. v. Χριστὸς, ed. God. Bernhardy. Hal. 1853. II, 1673. 4. 6. Hoc etymon iam priscus scriptor Lactantius, inst. div. IV, 7. p. 179. et optime s. Augustinus, in Joann. Ev. c. 4, 25. tract. XV, 27. p. 416. signavit. ,Messias autem Unctus est; unctus graece Christus est; hebraice Messias est; unde et punice, messe dicitur unge. Cognatae quippe sunt linguae istae et vicinae, hebraica, punica et syra.' Dicitur vero Salvator Noster in saecula benedictus Christus — quem sub Messiae i. e. Christi nomine Dan. 9, 23. universa Judaeorum gens exspectabat — ratione muneris sui sacerdotalis et regii. Factum inde est ut Jesus κατ' ἐξοχὴν non modo nuncuparetur Jesus Christus; sed etiam Christus simpliciter: idque contra Judaeorum perfidiam, qui Christum h. e. Messiam quendam exspectantes, Jesum illum Christum sive Messiam esse pernegabant. Epitheton hoc vetustissimo inaugurandi ritu regum et sacerdotum A. F. Filio Dei incarnato accommodatum; cum Jesum tanquam Regem et Pontificem tamdiu desideratum advenisse dicit: tum naturam indicat non unam simplicem, sed divinam atque humanam in eadem persona et hypostasi coniunctam. Enimvero Christi adpellatio, neque soli Deo Verbo, neque soli homini tanquam Verbo disiuncto; sed Verbo incarnato, sive Verbo secundum assumtam hominis naturam attribuitur. Monuere hoc olim iam d. Cyrillus Alex., de recta fide ad reg. n. 12. Op. IX, 1219. aliique s. Patres. Quod vero unctionem attinet — quo vocabulo gratiam et sanctitatem adumbrari, res est nota per sese — hanc in homine Christo Divinitatem ipsam fuisse, ex Veterum testimoniis probavit A. Agellius, Comm. in Ps. 44, 7. p. 205. s. Complures vero unctionem Christi, ipsum affirmant Spiritum Sanctum, quo unctus est teste s. Petro. Act. 10, 38. Qua auctoritate freti hanc per Spiritum Sanctum Christi hominis unctionem, inhabitationem eiusdem Spiritus in ipso, et quidem plenissimam, ac possessionem interdum vocant. Et id quidem ideo affirmant, quia operatio illa, qua Dei Filius humanam sibi naturam adiunxit, etsi personis reipsa tribus sit communis; nihilominus Spiritui sancto proprie solet accommodari: unde et conceptus et natus de Spiritu Sancto dicitur. Cum igitur susceptione Divinitatis, quae est naturalis sanctitas, homo Christus sanctificatus sit; merito eidem auctori Spiritus unctio, i. e. gratia et sanctitas humanae naturae tribuitur, qui eam formasse in utero Virginis et cum Verbo in eandem personam iunxisse creditur. Unctionem enim humanae convenire naturae communis antiquorum est sensus. Hinc clara fiunt Angeli verba noctu ad pastores perterritos delati Luc. 2, 11.; hinc patet Simeonis responsum quod accepit.

Luc. 2, 26. Hinc est quod e Joanne Baptista Sacerdotes et Levitae Joann. 1, 20. quaerunt; hinc Andreae, Joann. 1, 41. mulieris Samaritanae verba, 4, 25., atque illud haud rarum interrogationis genus: ‚εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστός.‘ Matth. 26, 63. Pro Messia sive Christo Jesum etiam habuerunt non modo Apostoli, quorum fidem s. Petrus professus est; Joann. 6, 70. sed ipsum quoque Judaeorum vulgus; Act. 2, 36. illumque sic adpellarunt non hi tantum, qui ipsum summo studio et amore prosequebantur, verum ii quoque qui ab illo fuerunt aversi: velut Pilatus, Matth. 27, 17. 22. impii quoque satellites. ib. 26, 28. Ubi autem Jesus totum Messiae opus absolvit, ac discipuli, quis Christus esset, e Jesu intellexerint, vox Χριστός abiecta adpellativi nominis vi, in propriam quod dicunt abiit. Ita positum sexcenties occurrit articulo aut omisso aut addito, cum Ἰησοῦς et κύριος vario modo coniunctum. Ethnicis etiam eodem nomine innotuit, et sic quidem ut vix cognito Jesu nomine, cognomen illud transierit in nominis proprii usum. V. C. Taciti, Annal. XV, 441. p. 146. 147. Aelii Lampridii, Alex. Sever. c. 29. 43. ed. Hist. Aug. Franc. II, 214. 218.

Βασιλεύς τ. I., κύριος, προφήτης, ὁ υἱὸς Δαυίδ, παῖς.

Alterum epitheton ‚Rex Judaeorum, Rex Israel‘, ex iisdem fere locis derivatum, priori tanquam synonymum adiectum est. Matth. 27, 37. 42. Marc. 15, 32. Luc. 23, 37. 39. Quem Magi modo natum ut regem adorarunt, et ipse Jesus sitne revera Israelitarum rex, interroganti Procuratori se esse ingenue affirmavit. Messiam regem futurum, tot oraculis praedictum est in V. T., ut nihil notius sit et pervulgatum magis. Cf. Hist. R. D. V. T. p. 462. Hoc ipsius regnum, non caducum et temporarium; sed diversum a regnis aliis, sc. aeternum, et nulli interitui obnoxium describitur ab Angelo. Luc. 1, 33. — A. q. v. s. Augustini, in Joann. Ev. c. 19. tract. 117, 5. p. 798. — Tertium ‚Dominus‘, cum emphasi neque id immerito. Ipse enim est absolute et proprie Dominus. Coll. Ps. 94, 7. 109, 1. Hoc nomine annuntiatur ab Angelo pastoribus: ‚quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.‘ Luc. 2, 11. coll. Apoc. 19, 16. Nominis huius verissimam quidem interpretationem eximie s. Paulus proposuit; cui passim in epistolis ‚Domini‘ nomine, Christus significatur. Rom. 14, 6. s. Videlicet qui sit omnium nostrum Dominus, nosque servos suos fecerit iure Redemtionis. Quamvis vero Jesus Christus sit Dominus omnium; peculiari tamen ratione est Dominus bonorum et fidelium. Coll. Apoc. 22, 3. 4. I Cor. 11, 31. Ephes. 1, 22. 4, 17. Quartum ‚Propheta‘ videlicet Magnus Ille Moysi consimilis, loco clarissimo Deut. 18, 15—18. — de quo v. H. R. V. T. p. 126. — praedictus, prophetis omnibus prae-

stantior, Matth. 11, 9. Luc. 7, 26. Hebr. 1, 1. 2. auctor duxque prophetarum. Revera Jesus a populo habitus propheta fuit. Coll. Matth. 21, 10. Quintum ‚Filius David.' Davididem fore Messiam plurima vaticinia tradidere; quod quia loco superiore docuimus p. 189., non est necessarium pluribus verbis exponere. Hoc quidem Judaei ita pro certo habuerunt, ut prorsus solenni hac peculiari Messiae periphrasi uti assueverint. Matth. 20, 30. 15, 22. Marc. 11, 10. Luc. 1, 30. Cognomen παῖς, quod Hebraeo עֶבֶד, servus, respondet — v. H. R. D. V. T. p. 396. — apud s. Matthaeum 12, 18, ex Jesaia 42, 1. usurpatur. Recurrit aliquoties in orationibus s. Petri Act. 3, 13. 4, 30.; ad indicandum Jesum esse verum Messiam. Oecumenius, comm. in Acta Ap. ed. Morelli. Par. 1630. p. 28. humile esse putat nomen. Christo quamvis Filio, servum quod deceret aliquid convenit, ut mortem usque Patri ceu Domino obtemperaret; et quem Deus sibi fidelissimum maximeque familiarem ministrum assumsit, eundem et glorificavit. Ceterum nomen ‚παιδὸς' non modo puerum et famulum; sed et filium significat. Et ita de glorificatione Christi, in quo Divinitas et Humanitas coniuncta, bene intelligitur. Cf. J. Bade, bibl. theol. Abhandlung über die Gottheit J. C. im A. T. Paderb. 1860. p. 23.

Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

Sextum et praeclarissimum est ‚Filii Dei.' Hoc nomen exponit Luc. 1, 32. 35. Mariae Angelus coelestis, cum Virgini Josepho nondum nuptae ipsam Filii Dei matrem fore denunciat. Dicit illud per divinam efficaciam eventurum esse, quod rursus ex ipso Jesu ortu insignique Genitoris Dei virtute repetit. Quia sancta proles Dei Filius sit futurus, paternam quasi homini gignendo vim suam Deus exhibebit. Hoc eximium adventui Christi praemissum praeconium et res Christo gerendas, et ortum supernaturalem declarat; atque adeo Nominis istius historicam notionem cum ontologica coniunctam explicat. Nunc vero demonstrandum illud est: Christum Dominum sic in S. S. nominari praedicarique Dei Filium; ut hunc titulum peculiari ac propria notione, non indefinita illa communique cum angelis et hominibus — Job. 1, 6. Exod. 4, 22. Ps. 81, 6. I Joann. 3, 1. — obtinere debeat. Quod ex eo primum certissime constat, quia solus ex omnibus ‚verus Dei Filius' dicitur. Joann. 5, 20. Itaque Filii nomen ὁμοούσιον indicat esse Patri Verbum; h. e. natura eadem et Divinitate praeditum, adeoque sempiternum et aequale, non autem creatum et factum. Non enim alia est hominibus insita notio, ac Patris et Filii subiecta vocibus; ut qui praeiudicatam dogmaticam opinionem non afferat, ne aliter quidem de nominibus Patris et Filii cogitare

queat, ut praeclare monuit magnus Athanasius, Or. III. c. Arian. 1. s. p. 550. Sane Pater ille communi hominum sensu nominatur, qui ex sua substantia filium gignit, qui e patris substantia eique consubstantialis nascitur. Enimvero nomen ipsum ‚Dei' sic Filio Scripturae sacrae vindicant, ut eadem firmitate et adiunctorum praerogativa, dignitateque de ipso ac de Patre dicatur. Patet id e Patris testimonio, quod iterato de coelis personuit; Matth. 3, 17. 17, 5. tum ex iis quae Filius de se affirmavit: Matth. 11, 27. Joann. 3, 16. 8, 19. 27. 36. coll. 9, 35. s. tum s. Petrus; Matth. 16, 16. Martha; Joann. 11, 27. s. Joannes Apostolus; 20, 31. I. 4, 15. s. Paulus. Rom. 8, 32. Talem vim inesse adpellationi illi Filii Dei, quam Christus sibi sumebat, ut non creatura, sed Deus verus et aequalis Deo Patri censeretur, Verbum Dei vere ac natura Deus et in omnibus aequalis Genitori suo, Judaei ipsi cognoverunt. Coll. Joann. 5, 18. 19, 7. Unde Filium negat, qui ipsum creaturam esse dicit; non minus quam Patrem tollit e medio, qui Creatorem negat. Qui Jesum verum et proprium Dei Filium esse negant incurrunt in illam s. Joannis sententiam I. 2, 22. 23: ‚Hic est antichristus, qui negat Patrem et Filium. Omnis qui negat Filium nec Patrem habet, qui confitetur Filium, et Patrem habet.' Sed nec ille s. Pauli locus ad Rom. 1, 4. ‚Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri'; in quo et adversarii Divinitatis D. N. J. C. firmissimum se habere praesidium mentiuntur, aliquid ad oppugnandum hunc fidei articulum valet. Praedestinatio cum — ut eruditissime disputat D. Petavius, theol. Dogm. de incarn. XI. 15, 1. V, 37. — sit propositum et consilium Dei futurum aliquid decernentis in aeterna sua providentia, duobus modis intelligitur. A. Absolute sine comparatione duarum rerum, quarum altera est is, qui destinari dicitur, altera est id quod ordinatur; sed simpliciter designatur id, quod aliquando Deus fieri decrevit. Deinde B. cum habitudine quadam rei unius ad aliam. Totidem modis Christi praedestinatio potest accipi. Nam et simpliciter dici potest, Deum praedestinasse ac decrevisse opus illud eximium ac singulare moliri: nempe Christum mittere qui in eadem persona et Deus esset et homo. Comparatione facta vocem ‚ὁρισθέντος' sic usurpare licet: Deum praedestinasse hominem ad intimam illam et arctissimam cum Deo coniunctionem, sive hominem humanamve naturam ad hoc destinasse, ut eadem esset cum Deo persona. Quocirca locus ille παραφραστικῶς sic explicari potest: Filium qui secundum carnem, hoc est secundum divinam et praestantiorem naturam, ex destinatione dispositioneque divina Filius est Dei. Habent igitur ista verba Apostoli quidquid clament adversarii, comparationem tantum utrius-

que naturae in Christo. Cf. J. Bade, bibl. theol. Abhandlung ü. d. Gottheit Jesu Chr. im N. T. Paderb. 1861. p. 34. s. Nomen septimum ‚Filius hominis' quo se Dominus Noster toties adpellavit, quodque ex illustri apud Danielem 7, 13. 14. vaticinio — quem locum Ecclesiae Patres et Scriptores e. g. s. Justinus M., dialogo cum Tryph. n. 76, p. 261. s. Irenaeus, contra haer. IV. 20, 11. p. 630. Tertullianus, adv. Marcion. IV, 39. p. 245. s. Hieronymus, comm. in Dan. 7, 13. p. 670. Theodoretus, interpret. in Dan. 7, 13. p. 1200. s. atque etiam tam veteres quam recentiores Judaeorum interpretes, ut prolixe ostendit A. Bynaeus, de natali J. C. II. 2, 13. p. 496. s. uno consensu de Messia accipiunt — ortum, posteaque a Jesu assumtum esse, una paene sententia viri docti defendunt. Octogies fere vel quinquies et quinquagies, locis demtis parallelis, Jesum se ‚Filium hominis' dicentem reperimus. Id procul omni dubio non est factum nisi ob causam gravem atque singularem. Verum in ea assignanda, neque olim fuit, neque hodie est una omnium opinio commentatorum. Ea admodum trita est et plurimis probata sententia Salvatorem cum hominem se vellet dicere ‚υἱὸν ἀνθρώπου' Hebraeorum more ‚בֶּן אָדָם' adpellasse se ipsum. Quod in animo habuerunt Eusebius, Eccl. Hist. I, 2. p. 10. s. Gregorius Naz., orat. XXX. th. IV. de Filio. n. 21. p. 130. s. Joannes Chrysostomus, in Joann. hom. XXI, 1. p. 120. s. Augustinus, de cons. Evang. II, 1. ‚Christus secundum carnem filius hominis est, quod etiam se ipse saepissime appellat, commendans nobis, quod misericorditer dignatus sit esse pro nobis' p. 27. Humanitatem Christi hac voce comprobari naturamque ei tribui nostrae parem, non est profecto, cur id non lubentissime largiamur. Qui enim homo vere non fuerit, nec tota naturali indole omnibus aequalis; ille de industria inde quod non esset, nomen petere non poterat. Attamen ubi Christus ‚Filium hominis' tam saepe emphatice se ipsum esse dicit, hoc nostras omnium cogitationes in altiorem hac de re meditationem provehat necesse est. Quemadmodum nimirum nihil magis generale est, quam hominis filium i. e. unum ex genere humano aliquem dici; — hoc ad omnes hac in terra natos, ergo et ad Christum virginali licet partu per Spiritum sanctum conceptum, atque e Maria editum pertinet — ita nihil igitur in eo nomine insigne est, sicubi nostrum alicui imponitur. Eximium autem quoddam magnumque ut aliquando declaret, necesse est illi aliquid inhaereat; quod ad praedicata nomine illo quidem non significata respicit. Si Christus nullis gravioribus, iisque extra communes hominum facultates positis dotibus, eminebat; neque tali cum verborum pondere, ‚τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου' se adpellare poterat. Ubi Christus ut verus et proprius ‚Filius Dei' in hunc mundum advenit; haec causa erat: cur ab eo ductum, quod

,hominis Filius' exstitisset, gereret nomen. Et sane huic uni, quod humani nominis nos non poeniteat debemus; quippe qui cum summam ipsius dignitatem ex alio fonte petierit, alterum quoque reliquis cummune et vulgare, sibi quidem ut rem singularem assumserit. Cf. s. Hippolyti, de antichristo n. 26. ed. Fabr. I, 14. Sed ut copiosius Danielis locum 7, 13. 14. ex quo nomen Filii hominis ortum esse diximus, adhuc illustremus addere licet: tempore quo tota gens iudaica Salvatorem patribus olim promissum Messiae adpellatione exspectavit; idque vocabulum inter tot alia, quibus Christum prophetae insigniunt, factum esset vulgatissimum; eodem Jesus ex ipsius Danielis vaticinio, in quo sibi aptavit nomen בַּר אֱנָשׁ — d. q. v. n. Prolegom. — per excellentiam ,Filii hominis.' Hoc quidem ideo, ut Judaeos avocaret a cogitationibus illis inanibus, quibus μετὰ πολλῆς φαντασίας Messiam gloria et victoriis potentem Regem venturum fingebant: ostenderetque, se venisse, uti decebat humilem et ignobilem, sicque intraturum incoeleste regnum suum et aeternum. Confirmari potest ista interpretatio observatione, quod Jesus qui se saepissime ,Filium hominis' vocavit ante mortem, ea adpellatione postquam ab inferis resurrexit, usus sit nunquam. Contra cum a nemine ante mortem suam dirissimam υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου esset dictus; ita nominatus est a protomartyre s. Stephano Act. 7, 56., postquam ascendit ad coelos atque ad dextram Dei Patris sederet.

Λόγος.

Nominis huius octavi gravis admodum et significantis expositiones variae quaesitae fuerunt, nonnullae quidem quam maxime perversae. Procacibus ingeniis hic occasio facta est in Evangelium quartum debacchandi; sed et infirmis argumentis γνήσιον illud esse d. Joannis opus pernegandi. Quale vero momentum habeat instituto eius examine patebit. Vocabulum ,λόγος' pluribus inter Latinos et nominibus et sensibus exprimitur. ,Nam — docente s. Hieronymo, ep. 53. ad Paulinum n. 4. p. 273. — et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscuiusque rei, per quam sunt singula, quae subsistunt.' Sed de variis vocis huius significationibus tam sacris, quam prophanis scriptoribus usitatissimis, quasve latina copia nequit assequi, tractare iure supersedemus; foret enim Iliada canere post Homerum, qua in re simpliciter provocamus ad Lexica graeca e. g. C. A. Wahlii, clav. phil. Libr. V. T. Lips. 1853. p. 315., et ad commentariorum in s. Joannis Evangelium scriptores. Ex omnibus vero nominis illius interpretationibus ea maxime proprie et recepta est, ut sit λόγος verbum, sive sermo, quod utrumque in usu est Veterum Latinorum. Hoc quidem Tertulliani, adv. Hermog. n. 20. IV, 17. Novatiani, sive alterius scriptoris, de Trinitate

c. 3. inter op. Tertull. ed. Col. p. 743. s. Cypriani, Testim. II, 3. p. 34. Lactantii, instit. div. IV, 8. p. 181. s. Paulini, Nat. s. Fel. VI, 26. ed. Col. p. 239. Rustici diac., c. Acephalos in Bibl. A. Gallandii XII, 41. et aliorum. Sed longe frequentior est usuque tritior ‚Verbi'; atque ad personam divinam eiusque Generationem declarandam aptior. Non enim temere, ac sine gravi aliqua causa — cum ‚λόγος' alioquin sermonem potius, quam Verbum significet — tamen cum de Filio agatur a S. S. P. P. hoc saepius quam illud usurpatur. Id quidem tum ex antiquis temporibus, cum post Nicaenam synodum; ubi s. s. Trinitatis mysterium in Ecclesia clarius intelligi praedicarique coepit. Prolixis si nobis esse concederetur, non abs re foret argumentum nostrum in duo partiri capita; quorum prius ageret de duplici Verbo interiore et prolatitio; posterius autem curiosius paulo vocem λόγου, et rationes, ob quas filius Dei illa ab Evangelista Joanne adpellabatur, contemplaretur. Licet enim planissimum sit, et cuique textum Joann. 1, 1—14. modo leviter inspicienti obvium, s. Apostolum pericopa ista loqui de Jesu Christo; reperti tamen sunt et reperiuntur homines increduli, qui contra solem dicere illaque etiam quae palpabilia sunt, in dubium vocare nihil pensi habuerunt. Enimvero opinionibus praeposteris inhaerentes textum d. Joannis ita detorserunt; ut si illos audiamus, s. Joannes haec scribens neutiquam videretur de Jesu Domino ac magistro suo cogitasse, tantum abest, ut de eo scripsisse censendus sit. Ita cumprimis prologo Joanneo ex industria sua abusi sunt Socinus uterque, in Bibliotheca fratrum Polonorum, f. S. explic. pr. p. pr. cap. Joann. Rac. 1618. C. C. Sandius, interpr. par. aff. diss. de Verbo Cosmop. 1669. p. 259. J. Clericus ex Arminianis, pr. XVIII. commata. Ev. Joann. par. et animadv. illustr. Amst. 1695. S. un. Theol. chr. sec. Unitar. Claudiop. 1787. p. 175. S. F. N. Morus, recit. in ev. Joann. Lips. 1796. p. 13. s. Kuinoel, prol. in Ev. Joann. p. 88. J. S. Semler, paraphr. in Ev. Joann. Hal. 1786. Süsskind, ü. d. neuer. Ansicht. d. St. Jo. 1, 1—14., in Magaz. f. Dogm. u. Mor. 1803. X, 1. S. Storr, Zweck d. Ev. Gesch. 1809. Ballenstädt, Philo und Johannes. Braunschw. 1802. Gött. 1812. E. G. Bengel, Obs. de λόγῳ. Part. I Tub. 1824. in opusc. ac p. 409. Christmann, ü. Trad. u. Schr. Logos. u. Kabbala. Reutl. 1825. Bäumlein, V. ü. d. B. d. joh. Logos a. d. Religionssyst. d. Or. Tüb. 1828. s. G. Scheffer, de usu Philonis in interpretatione N. T. Marb. 1831. p. 48. s. A. Fr. Gfrörer, das Heiligthum u. d. Wahrheit. Stuttg. 1838. p. 335. Dähne, gesch. Darstell. der jüd. alex. Religionsph. Hal. 1834. s. I, 202. s. Lange, Stud. u. Krit. 1830. p. 672. Daub, ib. 1833. p. 355. s. C. Fromman, der joh. Lehrbegriff. Leip. 1839. p. 137. s. S. Lutz, bibl. Dogm. p. 391. s. Hoffmann, Schriftbeweis I, 102. s. F. C.

Baur, Vorles. ü. Neutest. Theologie. Leips. 1864. p. 351. Quod itaque in hac περιστάσει pro instituti nostri ratione praestandum est, id ad duo capita revocatur. α. S. Joannem Christi Divinitatem vindicaturum ‚λόγου' voce de Jesu u. d. ὑποστατικῶς usum esse. β. Λόγον Philonis et λόγον s. Joannis plurimum a se invicem distare; et sub verborum similitudine dissimillimum latere sensum. Quod cum agimus, nemo a nobis exspectet, nos de Filii Deitate ex professo verba facturos; quod iustae molis volumini sufficeret. Nostri vero erit ex verborum phrasiumque natura demonstrare: nullum peraeque nomen aptius vel ad personae proprietatem directe, vel ad ipsam divinam substantiam et οὐσίαν oblique significandam a s. Joanne selectum esse, quam ‚Verbum' sive ‚λόγος.' Primum locus classicus procedat in medium, a quo Apostolus Domini Nostri s. Historias est exorsus. ‚In principio, inquit, erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est.' Hocce commate nobis plura ponderanda Theologus κ. ε. proposuit. Ait ‚in principio' i. e. ante omnia retro saecula; ante omnia quaecumque vel exstitere postea, vel fingi animo et cogitando concipi possunt. Dicit ‚erat' in quo verbi substantivi ἦν infinitam notionem constanter urgent S. S. Patres: S. Athanasius, omnibus fere in libris, quos contra Arianos scripsit. S. Gregorius Nyss., contra Eunom. l. III. II. p. 532. S. Gregorius Naz., or. 29. theol. III, 17. II, 95. S. Joannes Chrysostomus, in Joann. hom. III, 3. p. 20. S. Augustinus, serm. CXIX. de verbis Ev. s. Joann. n. 2. p. 591. S. Cyrillus Alex., in Joann. evang. I, 3. p. 39. Iidem porro veritatis doctores atque magistri illud observant, non scripsisse s. Joannem ‚factum est'; sed ‚erat.' Nam ut s. Basilius, de spir. s. c. VI. scribit p. 11. ‚neque ex hac voce *erat*, cogitatio exitum reperire potest, neque principium imaginatio transcendere. Quantumvis enim cogitatione curras ad anteriora, ex voce erat, exitum non reperis. Et quantumvis institeris videre, quae sint ultra Filium, non poteris tamen superare principium. Itaque pium est iuxta hanc rationem Filium simul cum Patre intelligere.' Reliquis eiusdem versus vocibus non minus expresse, summam Deitatem s. Joannes ‚Verbo' tribuit, ubi eodem halitu, quo Patrem Deum adpellaverat; Verbum quoque Deum nominat, eique illico alia tum attributa tum opera vere divina — ‚omnia per ipsum facta sunt' — vindicat. Operi Creationis aliud non minus divinum iungitur nempe opus Redemtionis, cuius causa λόγος, ut lux et auctor vitae spiritualis datorque ἐξουσίας, verbis emphaticis describitur v. 4. 9. 12. Praeter prologum Evangelii quarti alia quoque S. S. N. T. loca occurrunt, quae de λόγῳ divino et hypostatico agunt. Ita λόγον

personalem invenimus I Joann. 1, 1. s., et evidentissime ib. 5. 7. Apoc. 19, 13. Ergo s. Joannes et Verbi ὑπόστασιν et divinitatem cumque Patre consubstantialitatem — ὁμοουσιότητα — affirmat, quod inde patet: Quia a. totus pericopae 1, 1—14. contextus ita fert; b. Verbum ὁ Θεός esse dicatur, c. distinctus ab alio qui item Deus dicitur; d. caro factum esse narratur; et e. in toto Evangelio s. Joannis λόγος ea egisse legatur, quae Verbo ἀνυποστάτῳ non conveniunt. Atque haec quod ad primum quaestionis caput satis sunto. Aliud est: unde quave occasione hoc nomen didicerit Joannes; cui explicatam notionem subiiceret. Didicit quemadmodum res et doctrinas omnes, quas scriptis consignatas nobis reliquit, ab ipsomet Christo et Spiritu sancto. Nihil commune τῷ λόγῳ Joannis et τῷ λόγῳ Neoplatonicorum ac Philonis. Quod ipsum sequentibus probare pergimus argumentis. Certum est 1. d. Joannem, qui Act. 4, 13. ἰδιώτης et ἀγράμματος, i. e. idiota et illiteratus declaratur, Platonicorum dogmatum, quae saltem ex Philonis lectione hausisset, rudem omnino et inscium fuisse. Evangelista Galilaeus erat ex ignobili et admodum obscuro oppido oriundus, nulla tinctus fuit graecae literaturae notitia; inde est summa eius in dicendo simplicitas et scribendi genus nullis verborum ampullis aut Platonicorum flosculis tumens. Deinde 2. repugnat Philonis aetas. — D. q. v. J. Bartollocii, Biblioth. rabb. l. IV. s. v. Philo p. 345. Brucker, Hist. cr. Phil. II, 797. Tillemont, Hist. des. emper. I, 630. s. G. Lumper, Hist. th. cr. S. S. P. P. I, 475. J. A. Fabricii, Bibl. gr. ed. Harless. IV, 722. Dähne, in Ersch. et Gruber Allgem. Encycl. ed. Maier. III. s. p. XXIII. 1847. p. 436. Beer, Gesch. Lehren u. Meinungen aller jüd. Secten. Brünn. 1822. I. p. 97. s. J. G. Müller, in Herzogs R. E. XI, 579. — Obstat 3. altissimum ea de re apud Veteres, qui philosophiam platonicam nimiis extulerunt laudibus, silentium. Nunquam alicui demonstrare licuit Philonis scripta Apostolo cognita aut lecta fuisse, nedum ut eius verba accepisse. Sed 4. ut unde profluxerat, redeat oratio; quid inter Philonem et Joannem intercedat discrepantiae videamus. In locis quibus de natura ‚θείου λόγου‘ disputat Philo ita disputat: ‚ὁ θεῖος λόγος‘ — coll. l. de somniis II. Oper. ed. Th. Mangey. Lond. 1742. I, 683. — est natura non corporea, sed a Deo diversa; quanquam contermima, sed eadem Deo tamen minor. Est a Deo prognata et a Deo pendens, quae cum earum rerum, quae ‚τὰ ἀκόλουθα καὶ μετὰ θεόν.‘ Philo vocare solet, principatum obtineat; inter Deum, utpote mentem animumque rerum universitatis ‚τὸν τῶν ὅλων νοῦν‘, et mundum medium quendam locum occupet, perinde ut in hominis ‚τοῦ βραχέος κόσμου‘ natura individua λόγος inter νοῦν et αἴσθησιν interpositus est. Cf. de Platonismo Philonis Judaei diss. J. A. Fabricii, recus. in opusc. Hamb. 1738. p.

799. s. J. B. Carpzovii, s. exercitat. in s. Pauli. ep. ad Hebraeos ex Philone, prolegom. Helmstadt 1750. De λόγῳ Philonis non Johanneo. ib. 1749. Dorner, die Lehre v. d. Person C. I, 23. s. F. A. Staudenmaier, die Lehre von der Idee u. v. göttl. Logos. Giessen 1840. p. 361. s. H. Denzinger, de Philonis Philosophia. Herbipoli. 1840. p. 142. J. G. Müller, Philos. Buch von der Weltschöpfung. Berl. 1841. Grossmann, de Philonis op. continua serie. 1841. 2. Quaestion. Philon. I. II. de λόγῳ Philonis. 1829. Ei. de Pharisaeismo Judaeorum alexandrino. Lips. 1846. 7. C. G. Niedner, de subsistentia τῷ θείῳ λόγῳ apud Philonem tributa quaestio. L. I. II. 1848. 9. J. Bucher, philonische Studien. Tüb. 1848. p. 19. s. H. Laemmer, Clementis Al. de λόγῳ doctrina Lips. 1855. p. 14. s. — S. Joannes clarissime docuit 1, 1. ‚θεὸς ἦν ὁ λόγος‘, non tenuiore humilioreve sensu quam proxime antecedens ‚πρὸς τὸν θεόν‘ coll. 1, 6. 12. 13. 3, 2. 21. 13, 3. 16, 27. 30. Philoni contra ‚ὁ θεῖος λόγος‘ etiam quidem Deus est, sed ἐν καταχρήσει, ut ipse ad Gen. 31, 13. LXX. i. q. a Deo mitt. somm. I, 655. dixit; quo sensu etiam multo inferior τῷ λόγῳ virtus divina ποιητικὴ sive χαριστικὴ item θεοῦ nomen traxit, de profug. I, 560. Ubi autem nomen Dei ita usurpatur, etiam τοῦ δευτέρου θεοῦ adpellatio, quam λόγῳ divino adscribit Philo, in fragm. II, 625. magni faciendum esse non videtur. Coll. leg. allegor. I, 128. Quibus accedit, quod ὁ θεῖος λόγος Philoni non unicus sui generis — ut perhibetur Joann. 1, 14. — sed plurimorum princeps sit. V. l. q. a D. m. somn. I, 640. Porro quod rationem τῷ λόγῳ cum mundo intercedentem attinet; Joannis et Philonis λόγος nimium quantum disiunguntur. Philo mundum πάνθειον arbitratur, l. de conf. ling. I, 25. coll. leg. allegor. I, 52. Duplex interim Philoni ὁ κόσμος est: ὁ νοητός et ὁ αἰσθητός. Jam λόγος Philonis, coll. de mundi opif. I, 5. de prof. p. 562., non est natura a mundo secreta; sed per omnia in mundo αἰσθητῷ, qui ad imaginem τοῦ νοητοῦ κόσμου expressus est, diffusus et permeans, atque disiuncta continens. Philonianus λόγος non ut Joanneus, qui caro factus est; hypostasis, sed potius prosopopaea est, et abstracti quid repraesentans, quod Deum attinet eius vim, quae inter cogitandum cogendumque mundum ex aeterno τῷ ὄντι velut affulserit. De somn. I, 632. Verbum Philonis non est persona, neque coaequalem Patri naturam denotat. Denique quodsi λόγου Joannei cum Philoniano praedicata conferimus; id quod maximi momenti est: Redemtoris promissi omnique aevo a Judaeis exspectati officium, in hoc deesse observabimus. Dicitur quidem λόγος a Philone ἱκέτης, παράκλητος, imo ἀρεσκείας κεφαλὴ καὶ τέλος. Verum haec omnia doctrinae Platonicae et Stoicae ex Philonis mente accommodanda sunt, et ne personalitatem quidem λόγου inducunt. Enarratis iam his singulis doctrinae capitibus tantum Philonianum inter et

Joanneum τὸν λόγον discrimen intercedit; ut si Apostolus placita philosophi illius iudaei noverit, in omnes partes θετικῶς eas impugnavisse, nedum libro suo excepisse censendus est. At nominis regerunt manet aequalitas. Sed etiam ista accuratius investigata evanescit. Scilicet vel neglecta gravi hac discrepantia, quod s. Joanni simpliciter ὁ λόγος; Philoni contra ὁ λόγος θεοῦ, ὁ θεῖος λόγος adpellatur: id praeterea neminem Philonis paulo gnarum fugiet τῷ θείῳ λόγῳ penes ipsum, ut plurimum ‚rationis' vel ‚intellectus' significationem subesse. Coll. l. de profug. I, 556. de conf. ling. I, 427. de Mose l. III. II, 155. Porro non dubium est, quin principalis sensus ‚τοῦ θείου λόγου' apud Philonem Judaeum sit ‚rationis Dei.' Igitur et re ‚et nomine a Philoniano τῷ θείῳ λόγῳ Joanneus ὁ λόγος differt. Re, ut qui ἐν ἀρχῇ, i. e. ex aeterno, ‚πρὸς τὸν θεὸν' — et quidem ab eo distinctus, sed non Divinitate, quia Deus erat idem Verbum, apud illum Deum, quem Judaei solum agnoverunt — θεός fuit, per quem unum omnia ac singula facta sunt; nomine, utpote cuius significatio Verbum est; id quod collatis Evangelii nostri locis non potest in dubium vocari. Quemadmodum ergo τοῦ λόγου Joannis et Philonis aequationem usque eo, ut nihil amplius supersit, nostra e Theologia exterminandam esse censemus; sic etiam diserte negamus Joannem λόγου vocabulum ex Paraphrasibus Chaldaicis sumsisse. Placuit haec opinio J. J. Lange, diss. de paraphr. usu insigni antiiud. in doctrina de persona Christi, speciatim de v. מימרא seu λόγῳ. Hal. Magd. §. 2. s. Winer, de Onkeloso, p. 44. s. de par. Jonathanis, p. 25. s. Reinke, exeg. crit. in Jes. 52, 13. s. p. 423. s. Sam. Luzatto, Philoxen. Vind. 1830. p. 13. Hoelemann, de Evang. Joann. introitu. Lips. 1855. p. 13. Sed quamvis insignia quaedam loca in Targum exstare videantur, ubi מֵימְרָא דַיְיָ Chaldaeis interpretibus et ipsum Deum significet, et a Deo cuius est מימר distinguatur; nec nos inficiemur in A. T. de μεσίτῃ divino θεολογούμενα sufficienter doceri, — H. A. T. p. 220. s. p. 550. s. — permoveri tamen non possumus, ut credamus s. Joannem sive nomen sive rem a Targumistis, penes quos vera doctrina de Messia Dei Filio et spirituali eius regno dudum corrupta erat et explosa, mutuasse. Longe altior impuris istis rivulis et certior fons Apostolo patuit, fuisse et esse divinam illam πρὸς τὸν θεὸν naturam ὑποστατικήν. Enimvero de τοῦ λόγου adventu in carnem, quo audiendum, palpandum, videndum se praebuit; multo uberiores pellucidioresque scaturigines Theologo emicuerunt, quam interpretum V. T. opiniones, ratiocinationes et conclusiones. L. Ü. d. Unterschied d. Logos Idee d. J. Philo v. d. Logos der Offenbarung n. d. h. Ap. u. Ev. Johannes, in Z. f. Phil. u. kath. Theol. Cobl. 1838. VII. 4, 90. s. V. e. Theile, Christus und Philo, in Wineri, n. Kr. Journal. 1829. p. 385. s.

Plura de sanctissimis nominibus Domini Nostri Jesu Christi persequi non est necesse; illud solum ad extremum addimus: omnia ferme cognomina quae Verbo Dei Incarnato tribuuntur in sacris Paginis, quorum alia Divinam eius substantiam, alia assumtam hominis naturam, alia ex utroque complexam personam respiciunt, in unum redegisse s. Pontificem Damasum, carm. VI. de cognom. Salv. apud Gallandium, in Biblioth. Vet. Patr. VI, 346. his versibus:

‚Spes, Via, Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen;
Judex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacerdos:
Messias, Sabaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator;
Virga, Columna, Manus, Petra, Filius, Emmanuelque;
Vinea, Pastor, Ovis, Pax, Radix, Vitis, Oliva;
Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator;
Verbum, Homo, Rete, Lapis, Domus: omnia Christus Jesus.‘

Nomen et cognomina varia S. Salvatoris gnaviter et de opera examinarunt: J. Baumgarten, Bet. d. Nam. Jesu. Hal. 1736. A. Bigoni, de Christo reparatore. Wirceb. 1847. III, 21. s. Böhme, V. d. Geheimn. d. Menschensohns zu enth. Neustadt. 1829. J. Bucher, Beiträge z. Logologie d. Ev. Johannes, in Z. f. d. ges. kath. Theol. Wien 1852. III, 171. s. IV, 323. s. 1854. VI, 371. s. W. C. J. Chrysander, de vera forma atque emphasi Nom. Jesu. Rint. 1751. S. Deyling, Obs. s. I, 33. ‚unde filius Dei a Joanne ὁ λόγος denominatus sit.‘ p. 128. s. Ebrard, das Ev. Joann. p. 30. seq. Ch. Fritzsche, de nomine Jesu. Frib. 1715. G. Gass, de utroque J. C. nomine in N. T. o. Dei filii et hominis. Vratisl. 1840. J. M. Gasser, progr. de nom. Jesu. Hal. 1750. E. W. Hengstenberg, d. Ev. d. heil. Johann. I. p. 6. s. C. A. Heumann, cur filius Dei se perfrequenter appellarit filium hominis. Gott. 1740, in Sylloge Diss. I. 4, 884. s. Kling, in ann. Stud. u. Krit. 1836. p. 137. D. H. Koepken, de nomine Jesu. Helmst. 1701. Lampe, de locis N. T. quae de λόγῳ ὑποστάτικῳ agere videntur; de personalitate τοῦ λογου, de λόγου deitate, de origine nominis λόγος, in diss. ph. th. Amst. 1737. diss. VI. IX. X. p. 118. s. 196. s. 245. s. 369. s. Lamy, diss. de significatione vocis λόγος, quam Joannes exordiens Evangelium suum usurpat, praefixa Harm. Ev. l. II. p. 60. s. Lücke, Comm. ü. d. Sch. d. Ev. Joann. I, 249. s. 630. s. A. Maier, Comm. ü. d. Ev. Joann. I, 115. s. E. Malacrida, de Christo λόγῳ. Bremae. 1717. W. Meyer, Comm. ü. d. E. Joann. p. 44. s. H. Olshausen, de notione τοῦ λόγου, in opusc. th. Berol. 1834. p. 123. s. A. Pfeiffer, exercitat. n. de nomine Jesu, add. ed. q. Dub. vex. p. 1154. s. J. Sauberti, de voce λόγος, in Thes. th. ph. I, 347. H. Scholten, de adpellatione τ. υ. τ. ἀ., qua Jesus se

Messiam esse professus est. Trai. ad Rh. 1809. C. S. Schurtzfleisch, de voce λόγος, *in Thes. th. ph. p. 363. s. C. Vitringa, Obs. sacr. V, 10. de occasione et scopo Prologi Joann. Ap. II, 133. s. Waltheri, contra Clericum de* λόγῳ *filio Dei. Stargardiae 1720. Winer, de sensu vocum* κύριος *et* ὁ κύριος. *Erl. 1828. Witsii, exerc.* π. τ. λόγου, *in Miscell. S. ed. Herb. 1712. II. 88. s.*

IV.

De forma corporis Christi.

Multis sane in utramque partem scriptis lucubrationibus disputatum est ,de forma et venustate Jesu Christi.' Scripserunt super ea: A. Calmet, diss. de forma J. C. eleganti, nec ne? diss. A. T. II, 267. Rigaltius, in Observ. ad Tertullianum, p. 45. s. Vavassor, de forma C. Par. 1649. J. Reiske, exercit. de imag. J. C. Jen. 1672. J. Fecht, de forma J. C., in Noct. chr. Durl. 1677. exercit. X. p. 359. B. a Sanden, de pulchritudine C. Regiomonti. 1711. J. H. Amat. de Graveson, tr. de vita myst. et a. J. C. I, 26. Sandini, Hist. fam. s. de C. c. IX. p. 324. J. H. Serry, exerc. 48., de humana oris corporisque forma C. D. p. 165. J. Lami, de eruditione apostolorum. Florent. 1766. p. 114. s. n. p. 921. n. Bornag, J. d. schönste u. d. Menschenkindern. Bresl. 1711. Ein. Gedank. ü. d. leibl. Gestalt Jesu. ib. 1717. Jablonski, de orig. imagin. in Op. ed. te Water. III, 377. s. J. B. Carpzov, de oris et corporis J. C. forma. Helmst. 1777. J. Laurentius Berti, de Theol. discipl. l. XXVI, 5. ed. Pedeponti. 1749. IV, 74. Fr. Münter, Sinnbilder u. Kunstvorstell. d. A. Altona. 1825. II, 12. s. IV. 2, 3. s. Engelmann, k. Darstell. d. Gestalt in welcher J. Christus a. d. Erde wandelte. Leipz. 1834.

Cum Sacrorum Evangeliorum divini Scriptores in id unum omnes intenti fuerint, ut vivam Christi animi virtutumque imaginem exhiberent, eandemque mentibus nostris altius insererent; nihil fere de corporis ipsius forma staturaque nobis tradiderunt. Hinc orta quibusdam — praeter pictores, quibus audere quidlibet semper licuit — scriptoribus posteriori aetate fingendi licentia, qui tanquam Christum attente ac de proximo intuiti fuissent, singula oris lineamenta, membrorumque compositionem delinearunt; nihilque quod ad eam rem pertineret omiserunt. Qua Christicolae omnes erga S. S. Jesu Christi humanitatem tenemur observantia, non sine modesta quadam circumspectione sermonem haud inutilem de illa nos habere patitur. Utrumque sane novimus, sive parum sive aequo maiora dicantur, aeque in ea re iniuriosum esse: speramus tamen adeo nos calamum in officio detenturos, ut nihil extra praescriptas a religione metas excurrat. Solam in Christo humanam naturam spectabimus, eius corpus cum ceteris

mortalibus vel secus, comparabimus; semper tamen illum ex hominum vulgo segregantes, utpote qui humanam illius naturam cum Divinitate hypostatice iungi optime noverimus. Quodsi velut expanso velo divinam illius naturam brevi mora non intuemur; id plane eo consilio agimus, quo certiorem obtutum in eius Humanitatem, remoto Divinitatis fulgore, figamus.

Quid sit id quod pulchritudinem constituit, licet inter omnes non satis constet passim tamen iuxta s. Thomae Aquinatis, in Ps. 44. Op. XIII, 56. probabiliorem sententiam, sumitur consistere in proportione, membrorum et colorum. Jam circa quaestionem de pulchritudine ac specie corporis Christi observare nonnulla praevie oportebit. Ubi adhuc superessent traditione confirmata monimenta, veluti statuae et imagines e vivo ut perhibetur factae, — V. p. 50. n. 7. — gemmae, numismata — quorum tamen nihil minus est, quam asserta vetustas. V. Fröhlich, Ann. comp. Regum Syriae. Vien. 1744. p. 92. tab. XIX. — aliaque id genus, Veteres S. S. Patres et Scriptores nimirum: s. Justinus M., dial. cum Tryph. n. 14. p. 53. n. 88. p. 311. Clemens Alex., Paedagog. III, 1. p. 251. Origenes, c. Celsum VI, 75. XIX, 425. Tertullianus, adv. Jud. n. 14. p. 327. s. Cyprianus, l. II. test. XIII. p. 42. s. Augustinus, serm. XCV. de verbis Evang. Marci 8. n. 4. p. 508. 509. s. Cyrillus Al., Glaphyror. in Exod. I, 4. ed. Migne II, 395. pluresque subsequi Christum fuisse specie non excellenter liberali, vultuque non insigniter eleganti arbitrati sunt. Ideoque S. Scripturae V. T. oracula, illud maxime Ps. 44, 3. — ad quod v. Agellii, Comm. in Ps. p. 202. — ad Divinitatem potius, quam ad humanitatem retulerunt. Enimvero plus illis ad admirandam et commendandam Divinitatem Jesu Christi faciebat; quod vilis ille et contemtus homo, nihil habens adminiculi sive ex generis dignitate, sive ex formae industria, scientiae fama et gratia: tamen in tantum nihilo secius valuerit, ut immensam sibi hominum copiam devinxerit, totumque demum universum tam prodigiosa reformatione converterit. Sic igitur Veteres illi de specie Christi senserunt, rati id non in Christi contumeliam, sed in divinae potius religionis argumentum cedere. Reperiuntur interim etiam, qui pro eleganti Jesu specie externa pugnarunt. Ita s. Joannes Chrysostomus, in Matth. hom. XXVII, 2. p. 328. s. Hieronymus, comment. in Matth. 9, 9. p. 50. s. Bernardus, in festo O. O. S. S. serm. I, 4. II. b, 3. Nicephorus Callisti, Eccl. Hist. I, 40. p. 86., quin tamen ideo laudatis paulo antea S. S. Patribus et Scriptoribus repugnare censendi sunt. Fulgor enim ille, maiestas et gratia, quam in Christi facie reluxisse dicunt, nihil cum nativa oris pulchritudine, de qua nobis sermo est, commune habet. Oppositas sen-

tentias quarum utraque sine fidei dispendio teneretur, in unam conciliaremus, modo illa admittatur, quae nobis plurimum placet, opinio Michaelis Medinae, Hispani, in synodo Tridentina Theologi, l. II, 7. christ. paraenes. s. de recta in Deum fide. Ven. 1564. p. 67. ‚Christum‘ inquit ille ‚eam temperamenti rationem sortitum, quae sapientibus et studiosis hominibus maxime convenit.‘ Est certe quaedam in hominibus venustas, mollior plane et lascivior, quam quae Jesum Christum deceret. Hanc ab eo prorsus ablegamus, quippe quae repugnat illis quae de Domino in S. Scriptura traduntur. Si quis vero in alteram partem contendat, nihil fuisse in Jesu Christo, nisi foedum et deforme; hanc illius picturam tanquam blasphemam et Humanitati Filii Dei iniuriosam, toto renisu abiicimus. Numquam enim persuaderemur aut Humanitatem Filii Dei foeditatem decuisse; aut eam constituto a Jesu Christo consilio, de vocandis ad se hominibus respondisse. Medium igitur quid statuamus. Visus est Christus in mundo tanquam mortalium aliquis iustam hominum staturam attingens, — cur enim alioquin Zacchaeus spectandi illius gratia, cum prae turba non posset, sycomorum ascenderet. Coll. Luc. 19, 3. 4. — nihilque habens supra vel infra venustatem vulgarem, quam in corpore humano ac virili esse oportebat; ex aspectu enim iudicans Maria Joann. 20, 15. hortorum cultorem illum esse censuit. Color erat ei, ut facile credimus, fuscus instar Judaeorum Palaestinae. Ut autem nulli dubitamus Christum patriam sermone et ore, ut erat, Galilaeam retulisse; ita quoque in vultu promtum aliquid habuisse ad gratiam et amorem compositum profitemur. ‚Non est ergo, ut verbis utamur Doctoris angelici l. c., intelligendum quod Christus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus; quia hoc non decuisset eum, sed illam pulchritudinem corporalem habuit summe, quae pertinebat ad statum et reverentiam et gratiositatem in aspectu.‘ Jesus Christus matrem habuit Virginem, frugi aeque modestam ac puram, cuius vultum serenum nulla peccati originalis, a qua immunis erat, labes turbare poterat. Ad haec in eius conceptione, ortu, educatione nihil desideratum est eorum, quae conciliandae speciei inserviunt, defueruntque omnia, quae obesse possunt. Excessus cibi et potus in ipso nullus, nihil in phantasia absonum; verbo in Christo nihil aderat, quod ad vitam sobriam innocentemque faciendam reliquum fuisset. Si insolito vultus nitore occultae Divinitatis specimen semper exhibuisset: in tantamne prorupissent audaciam Judaei, Romanique, ut manus in illum iterato iniicerent? De huiusmodi splendore ne verbum quidem ullibi in Evangelio; nihil de ea re produnt prisci S. Patres et Scriptores E., quibus neque studium deerat, neque facultas noscendi, quae Jesu Christo forma esset. Huic opinioni non adversantur eorum illi, qui

Christi pulchritudinem ad Divinitatem referebant; modo verba ipsorum et mens serio in examen revocetur. Explicaturi Isaiae de Messia passuro prophetiam, loca 52, 14. 53, 3. accommodant ad tempus Passionis; cum scilicet Jesus probris, ictibus, sputis et foedato vultu, triste sui spectaculum intuentibus praebebat. Ubi vero vaticinium Psalmi 44, 3. ‚Speciosus forma prae filiis hominum' interpretantur; de pulchritudine Christi, quae ex Divinitate et morum sanctitate petitur, loquuntur. Quomodocumque res sese habuerat, illud sat superque habemus evictum: in Christo aptissimam omnium partium corporis dispositionem fuisse.

V.

De instituto vitae externae et lingua Christi.

De vitae externae in victu, vestitu, rebusque aliis ad corporis necessitatem pertinentibus, in genere idem quod de forma Domini Nostri diximus, statuere nos convenit: scilicet mediocritatem Christum tenuisse; ut nihil aut certe parum a communi hominum instituto deflecteret. Ac de cibo quidem et potu communem fuisse pro gentis more inde patet, quod Christus apologiam sui convictus instituturus affirmet: Matth. 11, 18. 19. ‚venit Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt daemonium habet: venit filius hominis manducans et bibens et dicunt ecce homo vorax et potator vini.' Unde colligitur consuetis Judaeorum cibis Dominum usum, qui tam saepe alioquin communem cum illis mensam habuit. Quod utique e ratione publici ministerii fuisse, docent s. Irenaeus, l. q. adv. haer. XXXI, 2. p. 663. s. Joannes Chrysostomus, in Matth. hom. XXXVII, 3. p. 418. 419.; uberius vero s. Augustinus, contra Faustum XVI, 31. VIII, 303. s. Thomas Aq., Summ. III. q. 40. a. 2. ‚utrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit.' X, 838. Ut victus, ita et vestitus Christi vulgaris fuit; nec pretiosus valde, nec vilis omnino. Pretiosus enim molles decet; et qui mollibus vestiuntur, ut ait ipse Salvator Matth. 11, 8., ‚in domibus regum sunt.' Vilis autem non movisset militum, qui eum crucifixerunt, cupiditatem, ut eius vestes sorte partirentur inter se, quod omnes narrarunt Evangelistae. Ex iisdem perinde liquet Christum, ut integre ac decenter vestiretur, vestem habuisse non unam et simplicem; sed variam: intimam videlicet et extimam. Numero plurali ‚τὰ ἱμάτια' utitur d. Joannes 13, 4. et 19, 23. Praeter interulam, gestabat tunicam et pallium. Communiter pallium ita gerebatur apud Veteres, ut duae extremitates ab utroque latere retrorsum reiicerentur, et in humeris fibula strictae continerentur. Ex istis vestimentis celeberrima semper est habita

tunica inconsutilis, cuius distincte meminit s. Joannes, l. c.; quae post interulam corpori proxime adhaerebat, totumque tegebat. De hac ,traditione Patrum accepimus — ait Euthymius, Comm. in Evang. Matth. 27, 35. ed. Matthäi I. b, 116. — tunicam opus fuisse Dei Matris, a superioribus partibus contextam, velut sunt apud nos capitis aut pedum hyemalia operimenta.' De Tunica hac Christi ab interpretibus, qua veteribus, qua recentioribus variae propositae sunt sententiae. V. J. Casauboni, exerc. XVI, 117. ad Ann. Eccl. Baron. p. 628. Fr. A. Heinichen, excurs. X. ad Eusebii H. E. VII, 18. ed. Lips. 1828. III, 401. s. Nobis maxime se commendat J. Braunii sententia — quam proposuit in opere, Vestitus sacerdotum Hebraeorum. Lugd. Bat. 1680. I, 16. p. 342. — Tunicam fuisse manicatam, ex lana; tunicarum linearum sacerdotalium instar. Arte, contexta qua tibialia, tunicae nocturnae, chirothecae et id genus infinita alia, ex uno filo binis praelongis ferris aut acubus, ad normam vestimenti nectuntur. Opus fuisse manuum gloriosae Virginis, scribit Casaubonus, l. c. p. 631. facile credimus. Aliter visum s. Joanni Chrysostomo, in Joann. hom. LXXXV, 2. ,Quia enim in Palaestina duos consuentes pannos, sic vestimenta texunt, ut significet Joannes talem fuisse tunicam dicit, desuper contexta.' p. 505. Divus Thomas Aq. opusc. XIX. c. 8. contra impugnantes Religionem, ed. A. Redetti. Bergom. 1741. p. 278. scribit: ,Videtur quod erat facta tali opere, sicut panni consuuntur acu cum auro et serico.' Nunc religiose Treviris asservatur et colitur, ut demonstrat J. Marx, Geschichte des h. Rockes in der Domkirche zu Trier. Trev. 1844. p. 9. s. De calceamentis perinde eademque ratione statuerimus, iis scilicet usum Christum Dominum. Etenim ἀνυποδησία inter Hebraeos non erat vulgaris, quare nec Jesus incessit discalceatus, coll. Matth. 3, 11. Nam a consuetudine et quidem vetusta discessisse Jesum, nullo argumento demonstrabitur; cum in vestitu singulare observavit nusquam. Frustra etiam dicitur, quod calceorum usum interdixerit suis, sandalia — quae plantas pedum simpliciter muniunt, ne gradiendo offendantur — enim concessa Apostolis s. Marcus 6, 9. docet; atque ea s. Petrum gestasse ex Act. 12, 8. discimus. Cf. A. Bynaei, de calceis Hebraeorum Dordr. 1695. p. 12. 13. 91. 234. Christum denique pauperem fuisse dubio caret, non tamen adeo pauperem, ut aliquid proprii cum Apostolis non haberet. Hoc aperte indicavit s. Joannes 13, 29. coll. 12, 6., e quo loco sic infert s. Augustinus, de mendacio 15, 29. ,videmus et ipsum Dominum habuisse locula, quo ea, quae dabantur, mittebantur.' VI, 437. Adde S. Gregorii Theologi, Orat. XIV. de pauperum amore n. 39. edit. c. I, 900. verba: ,Quin me quoque movet Christi crumena, quae nos ad pauperes alendos exhortatur.' Egenus

erat Christus secundum assumtam humanitatem, in qua nec domos, nec agros, nec ulla bona temporalia possidere voluit; attamen talis pauper fuit, qui nunquam mendicaret, numquam ostiatim cibos quaereret. Mendicationem a Jesu iam amoliebatur Origenes, contra Celsum I, 65. XVIII, 121.

De lingua Christi, utrum syriaca i. e. aramaea, quam vocant, fuerit vernacula, an graeca? res est de qua multum disputatur. Pro aramaea docte partes egerunt: J. Frischmuth, diss. de gemitu Eli etc. in Thes. th. ph. II, 251. R. Simon, Hist. cr. du Texte du N. T. Rotterd. 1689. p. 56. s. Lami, de erud. Ap. p. 1091. s. G. De Rossi, della lingua propria di Christo. Parm. 1772. Fabricy, Titres primitifs de la Revelation. Rom. 1772. I, 116. s. Pfannkuche, ü. d. palästin. Landessprache i. d. Zeitalter Christi, in ann. Eichornii Allgem. Bibl. VIII, 365. s. Anonymus, in ann. Tüb. Quart. 1822. p. 668. s. J. D. Michaelis, Einl. in die göttl. Schr. d. N. B. Gött. 1777. II, 810. J. Wichelhaus, de N. T. vers. syr. ant. Hal. 1850. p. 29. s. F. Bleek, Einl. i. d. A. T. Berl. 1860. p. 50. Eiusd. i. d. N. T. ib. 1862. p. 53. s. Patritius, de Evangel. I. 1, 5. p. 17. seq. Pro tuendo Hellenismo consurrexerunt: J. Vossius angl. ecl. Can., de Oraculis Sybillinis. Oxon. 1860. p. 88. s. D. Diodati, de Christo graece loquente exercitatio, qua ostenditur, hellenisticam linguam Judaeis nativam ac vernaculam fuisse. Neap. 1767. A. Arigler, Herm. bibl. gen. Vienn. 1813. p. 74. L. Weckauff, de lingua gr. J. C. atque Apost. aetate Judaeis vernacula. Antv. 1783. In. Ansaldi, in l. Multitudo maxima eorum, qui prioribus Eccl. chr. saeculis Christ. rel. professi sunt. 1765. c. 15.; ut sileamus de Cl. F. Salmasii, comm. de Hellenistica. Lugd. Batav. 1643. et aliorum operibus, quae collecta exhibent J. Rhenferdus, in syntagm. diss. ph. th. de stylo N. T. Leov. 1701. atque T. H. van den Honert, Synt. diss. de Stylo N. T. graeco. Amstel. 1707. Anonym. script. funus linguae hellenisticae. Lugd. Bat. 1603. p. 198. s. Ernesti, n. th. Biblioth. I. 3, 269. s. Huc idem referuntur J. L. Hug, Einl. II, 30. s. A. J. Binterim, Epistola catholica interlinearis de lingua originali. N. T. Düsseld. 1820. §. 8. p. 206. s. Ei. Propempticum ad probl. crit. S. S. N. T. in quo idiomate edita fuerit. Mog. 1822. p. 32. s. Maltby, the original, Grek of the N. T. asserted and vindicated. Lond. 1825. aliique. C. N. Wiseman, in hor. syr. exc. de lingua Christi et Apost. p. 75. putat ‚Judaeis utramque linguam fuisse familiarem.' Idem habet H. G. Paulus, Verosimilia de Jud. Palaest. Jesu etiam et Apost. non aramaea sola sed graeca quoque locutis. 1803. J. Harduinus vero Comm. in N. T. Amst. 1741. eruditissimus sed novitatis studio distractus, inaudita et vere παραδόξῳ opinione omnes N. T. hagiographos latine scripsisse pertendit. Harduinum secutus est Marcell.

Molckenbuhr, die Bibel des N. T. übers. von C. van Ess gerüget nebst Zugabe ob das N. T. urspr. in lateinischer oder griechischer Sprache geschrieben sei. Paderb. 1818.

Ne vero in silvam ligna portare videamur, ea leviter tantum recensebimus, quae iam ab istis viris notata et trita possint ostendere linguam Christi fuisse aramaeam. Et sane singulare et maximum inter omnes aramaeae linguae elogium est, quod ore Salvatoris sacrata sit. Neque id res coniecturae, valuit enim Jesu aetate lingua aramaea in vita communi plebi maxime consueta et vulgaris. Ita α. habemus in Urbe locorum haec aramaea nomina: Bethesda, Golgotha, Gabbatha, Akeldama. β. Ex ipsius Jesu ore citantur verba aramaea, veluti Matth. 5, 22. ῥακά, רֵיקָא, ib. 6, 24. et Luc. 16, 9. 13. μαμωνᾶς, מָמוֹנָא; ib. 16, 17. βὰρ Ἰωνᾶ, בַּר יוֹנָה; Marc. 5, 41. ταλιθὰ κοῦμι, טְלִיתָא קוּמִי; ib. 7, 34. ἐφφαθὰ אֶתְפַּתַּח; ib. 7, 11. κορβᾶν, קָרְבָּן; 14, 36. ἀββᾶ, אַבָּא; Joann. 1, 43. κηφᾶς, כֵּיפָא; et quod evidentissimum Matth. 27, 46. ἠλί ἠλί λημὰ σαβαχθανί, אֵלִי אֵלִי לְמָא שְׁבַקְתַּנִי, το σαβαγθανί verbum sane non hebraeum sed aramaeum est, nam in idiomate hebraeo Ps. 22, 2. legitur עֲזַבְתָּנִי, quod cum a Domino nostro usurpatum etiam s. Marcus Evangelista testatur 15, 34.; Christum aramaeo sermone usum eo ipso clarissime patet. Deinde Jacobus et Joannes filii Zebedaei vocantur βοανεργές, Marc. 3, 17. V. p. 53. Aliorum insuper nominum e. g. βαρθολομαῖος, Βαρτίμαιος coll. Marc. 10, 46. — apud quem Evangelistam plurima leguntur verba aramaea — בַּר טִמְאַי, recensum ob chartarum angustias adiicere vetamur. Linguam aramaeam fuisse aetate Apostolorum vernaculam γ. evincitur testimoniis e commentariis Josephi Flavii petitis. Josephus, qui in gratiam gentis suae libros, quos Romanis graece transtulit, lingua aramaea coll. prooem. l. de bello. II, 47. exaravit, in decursu Archaeologiae multa praestat documenta, quae copiosum nobis exhibent argumentandi campum pro vernacula aramaea. Ita Antiq. II. 1, 1. p. 66. in expositione cur Esavus Edomi cognomentum traxit, ait Ἀδωμα אֲדוּמָא γὰρ ἑβραῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσι. Ibidem descripturus III, 7, 1. p. 138. qualia fuerint vestimenta sacra sacerdotibus „quos οὓς Χαναίας כָּהֲנַיָּא καλοῦσι"; atque 10, 6. p. 179. narrat Hebraeos Pentecosten appellare Ἀσαρθὰ, עֲצַרְתָּא. Tandem 7, 2. p. 140. zonam i. e. balteum sacerdotum delineaturus scribit „Μουσῆς μὲν οὖν ἀβανὴθ אַבְנֵט αὐτὴν καλοῦμεν, ἡμεῖς δὲ παρὰ Βαβυλωνίων μεμαθηκότες ἐμίαν — הֶמְיָן, quae vox etiam apud Onkelosum Exod. 28, 8. Bibl. polygl. Lond. I, 345. aliisque in locis pro respondente hebraica reperitur — αὐτὴν καλοῦμεν.' Comparationem igitur instituit linguae suo tempore vernaculae cum antiqua hebraica. In genere si u. v. pro suis aramaea scripsit lingua, ergo hi aramaico loquebantur idiomate. Quare reiiciendi, qui affirmarunt graecam

linguam Christo propriam et familiarem fuisse. Concedendum interim erit, praeter aramaeam, etiam linguam graecam in communi vitae consuetudine fuisse familiarem; quae scribendo maxime legendoque, in commercio et foro adhiberetur. Jam enim Syrorum aetate ita invaluisse videtur, ut pueri et mulieres cum Graecis colloquium habere potuerint. II Mach. 7, 9. 11. 16. 18. 30. Tempore vero Christi cernimus romanum praesidem non cum doctioribus inter Judaeos, sed cum populo quoque colloquentem et in his ab eo intellectum. Videmus Judaeos locis et personis nomina aramaea dantes, eorundem tamen nominum interpretationem graecam ita iunxisse, ut non minus hoc quam aramaeo nomine dignoscerentur. Cephas simul dictus est Petrus, Thomas Didymus, similiter aula praesidis aeque lithostrotos adpellabatur ac Gabbatha; ut alia missa faciamus, nomen Messiae cessit Christo. Ut igitur rem concludamus haec aetate Christi in Palaestina linguarum conditio fuit: in vulgari inter se invicem necessitudine Judaei, maxime ii qui ruri degebant vel tenaciores erant patrii moris loquebantur aramaice; quare aramaicam utpote Judaeis eo tempore familiarem Evangelistae linguam hebraicam dicunt; Joann. 19, 20. Act. 21, 40. ubi vero cum exteris versandum erat, usu venit graeca, quam eruditi a magistris, vulgus consuetudine percipiebat. In sacris conventibus Lex legebatur hebraice, aderant tamen in synagogis, qui eam interpretarentur. Psalmi hebraice canebantur, unde puerorum Hosanna. Denique Judaeorum auribus linguam aramaeam sanctius quid sonuisse inde patet, quod s. Paulus cum quocumque posset popularium animos flectere vellet, patrio i. e. u. v. aramaeo sermone ad concionem diceret.

VI.

De δαιμονιζομένοις.

Quaestio celeberrima et famosa an daemoniaci, qui in Novo Testamento ‚οἱ δαιμονιζόμενοι, ἔχοντες δαιμόνια, ἐλαυνόμενοι ὑπὸ τοῦ δαίμονος, ἄνθρωποι ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, ἔχοντες πνεῦμα ἀκάθαρτον, ἢ πονερὸν et καταδυνασευόμενοι‘ dicuntur Matth. 4, 24. 8, 28. Luc. 8, 29. Marc. 1, 23. Act. 8, 7. Luc. 7, 21. Act. 10. 38.: quosve Christus et Apostoli sanarunt, a daemone vere fuerint obsessi atque vexati? An vero eiusmodi daemoniacorum phaenomena epilepsiae maniacae, catalepsi ecstaticae, melancholiae hypochondriacae, morbo comitiali, insaniae vel alio corporis aut animi morbo rationis sensuumque usum impedienti debeant adscribi?

Inde ab exitu saeculi elapsi interpretum imprimis Acatholicorum plurimi — Gruner, de daemoniacis. Jen. 1775. Farmar, Versuch ü. d. Dämo-

nisch. Brem. 1776. Semlerus, comm. de daemoniacis, quorum in N. T. fit mentio ed. q. Hal. 1779. Timmermanus, diatr. ant. med. de daemoniacis Evangeliorum. Rintelii 1786. Cäsar, Bedenken von den Besessenen. Münch. 1790. Kirchner, Dämonologie der Hebräer. Erl. 1798. Winzer, de daemonologia in s. N. T. libris proposita. comm. I. II. Viteb. 1812. 1813. Kuinoel, Ev. Matth. p. 106. s. Fritzsche, Evang. Matth. comm. 192. s. L. de Wette, K. Erkl. d. Ev. Matth. ed. q. H. Messner. Leipz. 1857. p. 70. Nanz, die Besessenen im N. T. Reutling. 1840. et recentiores fere omnes. V. Strauss, Leben J. f. d. d. V. p. 446. — audaciter tradunt: energumenos tempore Christi Apostolorumque sanatos, fuisse homines morbo abreptitio laborantes, quorum corpora e Judaeorum opinione daemones ingressi erant; et ita obsessa tenebant, ut non solum malis ea vexarent, sed etiam animum sede sua emoverent eiusque locum ipsi occuparent. Unde obsessos e daemonum sibi inhabitantium mente et conscientia loqui sumebant, ad quorum sanationem requiri putabant daemonis ex eorum corpore eiectionem. E numero Catholicorum ad interpretum Acatholicorum sententias de satana, angelis, malis et daemoniacis accessit J. Jahn, bibl. Archäologie. Wien 1796. II. 2, 400. s.; qui diss. was lehrt die Bibel vom Teufel, von d. gefall. Engeln, v. d. Dämonen, Nachtr. z. s. th. W. p. 66. s. proposuit ,Qui δαιμόνια audiunt' ab angelis malis prorsus distinguendi sunt. Significari dicit his vocibus animos hominum improborum, qui vita defuncti sunt, a corporibus separatos; eorumque efficacia in Libris N. T. ita describitur, ut nunquam homines ad peccata sollicitare, sed corpora hominum in terra viventium morbis variis affligere dicantur. Jahnii commentum ex ipsis Acatholicorum castris explosit H. A. Schott, sent. rec. def. de iis naturis, quae in L. N. T. δαιμόνες audiunt, ab angelis lapsis et satana prorsus distinguendis examinatur. Jen. 1821.

Contra hoc inventum, quod verba clarissima Evangeliorum depravat, et ad arbitrium velut abtorto collo trahit: veros fuisse Energumenos Historiae Evangeliorum simplicitas evincit; confirmant Ecclesiae Patres et Scriptores; tuentur Catholici interpretes; imo omnes unanimiter fatentur Christiani. Nos communem Ecclesiae fidem secuti probabimus idoneis argumentis δαιμονιζομένους a Salvatore sanatos, a diabolo seu spiritu malo vere fuisse obsessos. Nam α. Evangeliorum quidem auctoritas id fateri cogit. Cum principium in omni disputatione et re nomen sit, ut habet vetus illud ,πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρώτως ἐξετάξειν τὰ ὀνόματα'; nobis etiam incumbet, ut pauca de verbo ,δαιμονίζομαι' praemittamus. 'Δαιμονισθείς', est daemonis vi agitari, ferri ac moveri; perinde ac Prophetae extra se rapti dicebantur ,φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου.' Coll. II. Petr. 1, 21. Quam actionem, ne de vexatione qualicumque externa intelligamus, τῶν

δαιμονιζομένων gesta, dicta et violenta per passiones obstant. Explicatur enimvero δαιμονίζεσθαι per ἔχειν δαιμόνια Luc. 8, 27. Joann. 7, 20.; i. e. a daemonio occupari et illud intra se habere. Hoc sensu occurrunt modi loquendi: ἐλαύνεσθαι ὑπὸ τοῦ δαίμονος Luc. 8, 29.; ῥίπτεσθαι, Luc. 4, 35. et ῥήγνυσθαι; atque συσπαράττεσθαι Luc. 9, 42. Quin et daemonia in hominem ingredi dicuntur. Luc. 8, 30. Vicissim de daemoniis a Salvatore et Apostolis legimus τὸν σατανᾶν ἐκβάλλειν, τὰ δαιμόνια ἐκβάλλειν. Matth. 9, 33. 12, 24. s. Luc. 8, 33. s. Nec obiter tantum vel ambigue narratae sunt in Evangeliis daemoniorum eiectiones; neque tamquam aliquid commune et nullius momenti; sed ita de illis agitur veluti de apertissimis missionis ac Divinitatis Jesu Christi argumentis. Documentum illud exhibet Jesus, quo homines persuadeantur, non alium exspectandum esse annunciatum vaticiniis V. T. liberatorem. Luc. 7, 20. 11, 17. Spem facit Apostolis futurum, ut pellendorum daemonum, invocato ipsius nomine, virtute donentur; Marc. 16, 17. septuaginta illi discipuli, functi legationis suae munere laeti referebant, malos spiritus imperio suo se habuisse morigeros. Luc. 10, 17. ‚Δαιμόνια' vero in S. S. significare malos spiritus multis exemplis doceri posset. E. g. Matth. 9, 34. 12, 24. 26. 25, 41. Luc. 10, 17. s. Jac. 2, 19. II Pet. 2, 4. Apoc. 16, 13. 14. 18, 2. Quid multis Act. 10, 38. nomen τοῦ ‚δαιμονίου' explicatur per vocem ‚διαβόλου.' Neque veterum Philosophorum scholae hanc nominis ‚δαιμονίου' significationem fastidiebant. Cf. P. D. Huetii, ep. Abrinc. Alnetanas Quaestiones, de concordia rationis et fidei. Par. 1693. II, 4. p. 126. s. J. G. Rabeneri, diss. de daemonibus. Lips. 1707. p. §. 18. p. 15. s. Obiiciunt quidem ridendo adversarii: curnam tempore Christi tot fuerint in Palaestina daemoniaci? Respondemus praeter id quod in secreta Dei consilia referendum est; voluit inde Christus, qui ad destruendum diaboli imperium iam venerat, palam facere ex una parte tyrannidem diaboli, ex altera sui ipsius potentiam, bonitatemque daemones expellendo. Vaticinium quippe de capite serpentino per Messiam conculcando Gen. 3, 15. adimplendum, et opera diaboli dissolvenda erant. I Joann. 3, 8. Quod Christus non solum moriendo et resurgendo; sed etiam daemones eiiciendo effecit. Matth. 12, 28. Luc. 11, 20. Ne vero Energumenorum tormenta a quocumque demum morbi genere repetamus, obstat ipsa multitudo daemoniorum, quae in uno homine habitasse leguntur. Cf. Luc. 8, 2. coll. Marc. 16, 9. Luc. 8, 30. 11, 24. 26. Obstant porro opera Energumenorum. Ita inusitatum illud robur, quod in homine Gadareno tantum fuit, ut nullis vinculis, nec a maxima hominum multitudine potuerit constringi. Matth. 8, 28. 17, 14. Marc. 5, 3. 5. Act. 19, 16. Huc pertinet deinde daemoniorum eiectorum con-

fessio sanctissimi nominis Jesu, Salvatoris adoratio et agnitio pro vero Dei Filio, promtaque obedientia Christo praestita. Tandem absolutum Jesu Christi, diabolicae potestatis destructoris imperium, in illa daemoniacorum curatione. Cf. Matth. 8, 29. Marc. 1, 24. Luc. 4, 34. Marc. 5, 6. 7. 3, 11. 12. coll. Phil. 2, 10. Addere placet et iuvat, daemonia ex homine Gadareno eiecta, post supplicationem demum veniamque a Domino datam, in vicinum bis mille porcorum gregem irruisse, cumque in mare praecipitem egisse. Matth. 8, 32. Quod qua ratione a morbo hominis rabido provenire potuerit, non intelligitur. Accedit nullum Codicis Divini locum excitari posse, in quo δαιμόνιον notet morbum hominis mere naturalem. Imo in Evangeliis daemoniorum eiectio et morborum sanatio frequenter sibi opponuntur. Cf. Matth. 10, 8. Marc. 6, 13. Luc. 13, 32. Quae cum ita sint, concedendum omnino est: daemoniacos vere a daemone obsessos fuisse. Quod enim oggerunt: Christum et Evangelistas ex usu loquendi Hebraeorum, qui nomine daemonis triste quidpiam contingens intelligebant; et morbos aliquos malis angelis adscribebant, ideoque eos qui morbis laborarunt ‚daemoniacos' adpellasse, de nihilo est. Ita interpretari Sacram Scripturam in sensum minime pronum et inauditum, illam detorquere est. Qua arte pyrrhonismus induceretur atque effrena in sententiis licentia. Enimvero hac eadem interpretatione augustissima Religionis mysteria in classem rerum maxime communium et pedestrium redigerentur.

Illud etiam reputandum est: Christum et Evangelistas sic de Energumenis locutos esse; ut angelos malos, qui eos invadebant aperte supposuerint rationales personas, et nominibus propriis distinctas. Jesus daemoniacos ita sanavit, ut daemonia ab iis discedere iuberet; quo declaravit causam morbi esse daemonem; sicut sanando socrum Petri imperans febri ut dimitteret illam, febrim morbum eius fuisse dixit. Ex opposito sanans lunaticos, quorum morbus lunae influxui a vulgo tribuebatur, non imperavit lunae, ut ab eis discederet; quia sic sententiam erroneam et superstitiosam confirmasset. Huic autem indicio fidem vindicat, quod scilicet Jesus si in Energumenis non eiecisset daemonem, sed morbum mere naturalem curasset; usurpando falsas formulas loquendi vulgares, errorem, qui superstitionem maxime proveheret, patratis etiam miraculis confirmasset et promovisset. Quod de Jesu Deo-Homine vel cogitare impium est. Haec erat b. vetustissima Ecclesiae de daemoniacis a Christo sanatis sententia. Quoties s. s. Patres et Scriptores E. antiquissimi daemonia a se et christianis in universum eiecta esse praedicant apud Judaeos et gentiles. Legatur: s. Justinus M. Apol. I, 14. p. 34. I, 40. p. 97. dial. n. 85. p. 293. Origenes, in Matth. comm. ser. n. 110. ed. Lomm. V, 7. Tertullianus, apolog. n. 23. p. 93. n. 32. p. 103.

Minutius Felix, in Octavio n. 26. 27. p. 36. Clemens Alex., Strom. l. VI. ed. Ven. p. 754. Eusebius Caes., Praep. evang. IV, 22. 23. ed. Heinichen Lips. 1842. I, 120. s. in Hieroclem. c. 4. ed. G. Olearii. Lips. 1709. p. 431. s. Joannes Chrysostomus, in orat. ad Stagyrium ascetam a daemonio vexatum. Op. I, 154. s. Augustinus, de Civit. Dei IX, 2. 3. p. 347. s. aliique. Provocant iidem Ecclesiae Patres adversarios, ut daemoniacos coram fideli constituant; non enim sustinent exorcistarum praesentiam daemones. Ipsis adeo fatentibus Christianorum obtrectatoribus, tam alte mentibus omnium ea sederat persuasio, ut vel Judaeorum exorcistae nomen Jesu Christi pellendis daemonibus usurparent. Marc. 9, 37. Act. 19, 14, s. Aperta eius rei persuasio demonstratur c. adiurationibus et exorcismis in libris ritualibus. Potestatem daemones expellendi Jesus Christus concessit Ecclesiae. Si veras non esse obsessiones putaret Ecclesia, nunquam adhiberet exorcismos; falli autem illam in ritibus suis sacris quis dicat? Si quis affirmat, persuaderi utique posse Ecclesiam esse energumenos, quamvis revera nulli sunt; ast suam hanc sententiam numquam fidelibus suis tenendam proponere; hic certe alio ducitur spiritu quam illo, quo fideles catholici aguntur. Obedientes enim Ecclesiae filii hanc sibi proponi censent necessitatem credendi, quod matrem Ecclesiam credere noverunt. Ex quo rursus magis magisque sententiae nostrae veritas confirmatur.

Scripturarum nixi testimoniis et exemplis, nostra et antenatorum memoria, pro existentia daemoniacorum vindicatis a detorsione Sacris Paginis disputarunt: M. Leydeker, diss. hist. theol. contra Beckeri mundum fascinatum. Ultrai. 1692. Jos. Marck, textual. exercit. ad L. selecta loca V. et N. T. Amstel. 1694. p. 257. s. A. Calmet, diss. de daemonibus corpora obsidentibus, III, 230. s. J. D. Rabener, de daemonibus diss. Lips. 1707. S. Deyling, Obs. s. ad Matth. 4, 24. II, 28. p. 283. s. Hermann, de δαιμονιζομένοις. Vit. 1743. Zeibich, Beweis, dass die Besessenen nicht natürliche Kranke gewesen. Schleitz. 1776. G. C. Storr, in opusc. acad. Tüb. 1796. I, 53. s. F. L. Stolberg, ein Wort über die Besessenen. in d. Gesch. d. Rel. J. C. t. V. Beil. III. p. 542. s. C. E. Eschenbach, scr. med. bibl. Rostoch. 1779. p. 41. s. F. Ackermann, Archaelogiae biblicae p. 225. s. J. F. Meyer, Bibeldeutungen. Frankf. 1812. s. Stud. u. Krit. 1834. p. 911. s. Anonymus, über Besessenseyn. Heilbr. 1833. O. Krabbe, Vorles. ü. d. Leben Jesu. Hamb. 1839. p. 216. F. H. Olshausen, bibl. Comm. I, 290. s. J. C. K. Hoffmann, der Schriftbeweis. I, 393. s. Delitzsch. Syst. d. bibl. Psychologie. Leipz. 1856. p. 249. Arnoldi, Ev. d. Matth. IV, 24. p. 138. Bisping, Erkl. d. Ev. n. Matth. p. 196. s. Ebrard, in Herzogs R. E. III, p. 240. s. Esse igitur revera obsessos asserta est S. S. Patrum, Scriptorum

veterum et recentiorum sententia; tantis testibus quis repugnet? Ceterum hac de re plura adhucdum habentur in s. Thomae, Summa III. q. 43, 2. X, 890. s. q. 44, 1. p. 906. Alia erudite collecta legi possunt apud Benedictum XIV, de Serv. Dei Beatif. et Canoniz. l. IV. p. I, 29. ed. c. IV, 392. J. Görres, d. chr. Mystik. Regensb. 1842. IV. a 1—412. J. H. Janssens, Hermeneutica sacra. ed. Taurin. 1858. p. 272. s. ad quos lectorem b. remittimus.

VII.

De Baptismo Apostolorum.

Quamvis haec quaestio non omnino necessitate absoluta tractari debeat, utpote quae ad institutiones de sacramentis spectet; tamen eam occasione data hic solvimus, ut lectoribus nostris utiles evadamus. Et quidem Apostolos, ante institutionem S. Eucharistiae, Christi baptismum recepisse; iis argumentis persuademur, quae e Veteribus Ecclesiae Patribus et Scriptoribus repetuntur, atque testimoniis Instrumentorum N. T. fulciuntur. Ut α. ab effatis Maiorum incipiamus, impraesentiarum sequentia occurrunt: Tertulliani—qui agmen ducit in libro de baptismo n. 12. p. 41.—,Et nunc illis, ut potero, respondebo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Joannis baptismum inierant, et dominicum desiderabant, quatenus unum baptismum definierat ipse Dominus dicens Petro perfundi nolenti: qui semel lavit non habet necesse rursum, Joann. 13, 6. quod utique non tincto non omnino dixisset. Et haec est probatio exserta adversus illos, qui adimunt Apostolis etiam Joannis baptismum, ut destruant aquae sacramentum.' Sequitur s. Hilarius, in Matth. 20, n. 4, IV, 147. ubi verba ,qui secuti estis me in regeneratione'; de lavacro baptismi exponit. Accedit s. Ambrosius, in Luc. 18, 20. p. 1491. Hic autem pro certo ponit Apostolos a Christo baptizatos esse: ,Laverat eos Jesus, lavacrum aliud non quaerebant. Uno enim Christus baptismate omnia solvit baptismata.' Eam sententiam autem luculentissime omnium confirmat S. Augustinus, ep. 265. Seleucianae, quae scripsit Novatianum dicere: Petrum non fuisse baptizatum. II, 897. n. 5. ,Tunc ergo quando ab Jerosolymis exiit cum discipulis suis in Judaeam terram: et illic morabatur cum eis, baptizabat non per semetipsum, sed per discipulos suos Joann. 4, 1. quos intelligimus iam fuisse baptizatos.' Quo loco et probabiliter n. 3. colligit ,Postquam Dominus in Ecclesia sua baptismum dedit, et apertissime dixit, si quis non fuerit renatus Joann. 3, 5. iam non debemus quaerere, quando quisque fuerit baptizatus; sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum coelorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus.' Indubie baptizabat Christus per discipulos

baptismo a se instituto, non autem ut quidam volunt, baptismo Joannis. Nusquam enim legitur rebaptizatos illos, quos discipuli Christi baptizaverunt ante passionem, cum tamen denuo baptizatos legamus eos, quos Joannes B. baptizaverat. Coll. Act. 19, 5. De qua re prosequitur idem S. Pater. n. 5. ‚Neque enim ministerium baptizandi defugeret — edition. al. deficit — ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret; qui non defugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes, et petenti Petro, ut non tantum pedes, verum etiam manus et caput ei lavaret respondit, qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus; ubi intelligitur, quod iam Petrus fuerit baptizatus.‘ Denique in hunc modum concludit n. 3. p. 896. ‚Unde recte dici potest, quia cum Petrus negavit Dominum, nondum fuerant Apostoli baptizati, non tamen aqua, sed Spiritu Sancto. Act., 1. 5. Si autem dicimus aqua non fuisse baptizatos, metuendum est, ne graviter in eis erremus.‘ Ad obiectionem nihil de baptizatis Apostolis scriptum reperiri s. Augustinus ita respondit: ‚Sed non omnia quae facta sunt, etiam scripta inveniuntur, verum tamen facta esse ex ceteris documentis probantur. Scriptum est quando baptizatus sit Apostolus Paulus, et scriptum non est quando baptizati sint alii Apostoli, verum tamen et ipsos baptizatos intelligere debemus.‘ p. 897. S. Eucherius Lugdunensis, de quaest. V. T. in Gen. interr. op. ed. Bibl. M. Col. V. I, 756. ‚Nam et aliquanta quae non scribuntur, quomodo de ceteris intelligantur, ostenditur. Sicut et Apostoli baptizati intelligendi sunt, cum baptizatos eos non penitus manifestet apertior Scripturarum significantia.‘ Idem testatur Euthymius Zig., comm. in Johann. 3, 6. III, 94.

Cum divo Augustino faciunt: Angelus Scholae, S. III. q. XXXVIII. Art. 6. ad sec. X, 804. R. Bellarminus, Controv. t. s. de baptism. I, 23. p. 129. Th. Erhard, Comm. in Bibl. s. Vulg. August. Vindel. 1735. II, 199. F. Suarez, Comm. sive disp. in tert. part. d. Thomae ed. Mog. 1619. III, disp. XIX, s. I. p. 200. Joann. da Sylveira, Comment. in Acta Apostolorum. Ven. 1728. in c. 1. q. 10. s. p. 7. s. Maldonatus, in Joann. 13, 7. p. 1716. 7. Cornelius a Lapide, Comm. in Joann. 13, 10. ed. Aug. Vind. 1747. II, 449. His iungendi sunt Leonardus a S. Martino, Exam. script. in 9. Ev. Gandavi 1764. p. 298. A. Sandini, Historia Apostolica. Patavii. 1731. p. 6. s. atque C. Baronius, ad a. 31. nr. 40. I, 77. 78. qui etiam ordinem baptismi enarrat. Citat quandam Evodii — certe alterius, quam Evodii illius qui post d. Petrum Antiochenam rexit Ecclesiam. v. Eusebii H. E. III, 22. p. 91. — epistolam omnibus Veteribus ignotam ‚Lux‘ inscriptam apud Nicephorum Callisti, Eccl. Hist. II, 3. ed. Frontonis Ducaei I, 134. ‚Porro divinus Evodius qui et ipse Apostolorum successor fuit in

commentariis suis, praecipue autem in epistola quam lumen ‚φῶς‘ inscripsit, haec quoque posuit. Christus, inquiens, manibus ipse suis Petrum tantum baptizavit. Petrus porro Andream et filios Zebedaei. Ii deinceps reliquos Apostolos.‘ Idem Annalium eccles. scriptor addit alium locum e l. V. Hypotyposeon, i. e. dispositionum Clementis iam pridem amissarum, quem servavit Joannes Moschus, notus cognomine εὐκρατὰς, et corrupte everatus, eviratus; sub Tiberio et Mauritio 578—602. Monachus Jerosolymitanus et novae laurae S. Sabae, qui post itinera varia scripsit ‚λεμωνάριον‘, ‚νέος παράδεισος,‘ Pratum spirituale. V. Fabricii, Bibl. gr. ed. Harles. Hamb. 1795. IV, 808. Habet autem ita: ‚Quid ergo? Quia scriptum de Apostolis non est, quod baptizati sint, idcirco non intrant in regnum Dei? Alii rursus e contra inferebant, dicentes: Ita sane illi baptizati sunt, sicut et Clemens Stromateus, meminit in quinto Hypotyposeon, apostolicum enim illud dictum exponens, quo dicitur, gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizavi. Christus inquit dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Jacobum et Joannem, illi autem reliquos.‘ Reperiuntur haec in l. de vitis Patrum L. X. auctore Joanne Moscho c. 176. ed. H. Rosweydi Antverpiae 1628. p. 915. Desunt apud Cotelerium, Eccl. Gr. Monum. Par. 1681. II, 433. Hoc ipsum tandem legitur etiam in fragmento Hippolyti Thebani, quod e cod. mss. edidit P. Lambecius, Comm. de Bibl. C. III, 447.; et in alio apud eundem p. 52. fragmento historico de s. XII. Ap. Dei G. bapt. ex S. Sophronii Patr. Hier. commentariis sive hypomnematibus desumto. Istis tamen multum recentibus testibus, non possumus magnam in solvenda quaestione nostra adscribere auctoritatem ex eo; quia a. si ita esset Tertullianus vel aliquis alter veterum, id cognitum habuisset. b. s. Augustinus hoc factum opposuisset Novatiano illi, ad quem refellendum epistolam Seleucianae scripserat roganti: Petrum fuissene baptizatum? Constat c. inter eruditos Clementem apocryphis nonnunquam uti, quorum nulla est fides.

Neque tamen β. sententia baptizatos fuisse Apostolos baptismo Christi omnino destituitur testimoniis S. S. N. F. Quod Apostoli ante Passionem Domini baptizati fuerint, optima coniectura S. Augustinus, de anima et eius origine III, 9. n. 12. X, 379. item tract. 56. in Joann. n. 4. III. b. p. 656. 7. dicit ex Ev. Joann. 13, 10. Digna vero sunt Praesulis Hipponensis verba, quae per integrum contextum laudentur. ‚Quid fratres mei quid putatis? Nisi quia homo in sancto quidem baptismo totus abluitur, non praeter pedes sed totus omnino. Verumtamen cum in rebus humanis vivitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, et sic afficimur, ut si dixerimus; quia peccatum non habemus, nos

ipsos decipiamus et veritas in nobis non sit... Si enim confitemur peccata nostra, sicut scriptum est I Joann. 1, 8. 9. profecto ille qui lavit pedes discipulorum suorum, fidelis est et iustus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate, id est usque ad pedes quibus conversamur in terra.' Nobis quidem S. Pater hac expositione verum huius loci mysterium videtur enucleasse. Cum dicit hac pedum lotione sacramentum poenitentiae significari; qui velut secundus quidam baptismus est', quia nostris quodammodo lacrimis iterum baptizamur. Idem sequitur ex omnibus illis locis, quibus institutio S. S. Eucharistiae refertur. Non est congruum sumere, Christum dedisse Eucharistiam Apostolis nondum baptizatis. Enimvero coll. I. Cor. 11, 29. nemo capax est Eucharistiae nisi baptizatus. Quemadmodum nemo sane ad esum agni paschalis admittebatur, nisi qui circumcisionem antea susceperat; ita ad Eucharistiam non erat admittendus, nisi qui prius baptismum suscepit. Baptismus ut communis tenet sententia iuxta d. Thomam, Summ. III, 66. art. 2. XI, 121. s. ,institutus fuit a Christo ante suam mortem' Joann. 3, 3.; post resurrectionem Matth. 28, 19. magis explicatus et declaratus; in die Pentecostes a s. Petro promulgatus. Act. 2, 38. Atque eadem ratione dicere etiam possumus, non esse credibile ordinasse Dominum Apostolos Sacerdotes Novi Testamenti, dedisseque eis potestatem conficiendi corpus suum, quam in nocte coenae dedisse s. v. p. 104. s., nisi iam fuerint baptizati. Et eodem recidit argumentum, quod inde construitur Christum post resurrectionem suam Apostolis Spiritum Sanctum et potestatem remittendi peccata dedisse; cum tamen Historiis Evangeliorum minime consentaneum sit, quod tunc eos baptizaverit. Erant igitur antea baptizati; quia haec sacramenta supponunt characterem baptismalem. Neque dici potest Christum in hoc dispensasse, et ordinem invertisse; inprimis cum per se videatur incongruum, prius Apostolos fuisse sacerdotes, quam baptizatos. Accedit praeceptum de necessitate baptismi. Jesus cum Nicodemo Judaeorum principe verba faciens Joann. 3, 5. tam aperte pronuntiavit, neminem salvandum sine baptismo, ut non sit dubitandum, quin illi omnes baptismum Christi receperint, quos post illa verba pronuntiata vixisse et Ecclesiae aggregatos esse constat, etiam si id nusquam scriptum sit. Alioquin negabimus etiam Romanos, Galatas, Philippenses, Timotheum, Titum, Philemonem et alios ad quos s. Paulus scribit baptizatos; quia nusquam legimus quando et a quibus baptizati fuerint. Idem denique Dominus mittens Apostolos suos in universum mundum docere et baptizare, addit terribilem hanc vocem Marc. 16, 16. ,Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.' Apostoli idcirco statim ac per doctrinam

aliquos Christo peperissent eos baptizabant; ut constat ex Act. 2, 41. 8, 37. 38. 16, 33. Certe s. Petrus I. 3, 21. non magis nos sine baptismo iudicat salvos, quam olim extra arcam Noe poterat quisquam esse superstes. Addere licet, secus Apostolos repudiasse mandatum generale suscipiendi baptismum a Christo institutum. Coll. Luc. 7, 30. Unde concludimus: quod Apostoli ante passionem Domini baptizati fuerint vero sacramento baptismi Christi. Ad extremum eruditionis gratia addimus B. Canisii, de Maria Deipara V. I, 9. p. 72. circa baptismum Reginae sine Labe originali conceptae mentem in haec verba: ‚Si baptismum accepit, ut credere sane par est, virtutem eius Sacramenti non minimam sensit; ac licet a peccato non mundaretur, pura utique iam pridem et immaculata, tamen auctior illi gratia contigit, crevitque maiore in modum sanctimonia, quod sacro Baptismi charactere, quem vocant, mens eius pulcherrime insignaretur.‘

VIII.

De Maria Magdalena in Evangeliis.

Christum in conviviis accumbentem unctum fuisse testantur Evangelistae: Matth. 26, 6. s. Marc. 14, 8. s. Luc. 7, 37. s. Joann. 12, 3. s. Controversum autem ab olim fuit: Utrum una fuerit mulier, an plures quae Domini pedes laverunt unxeruntque? Controversia haec, quam et nos modo agitandam suscipimus, tres illas feminas in Evangeliis respicit nimirum: Mariam Magdalenam, Mariam sororem Marthae, et feminam illam prius peccatricem postea poenitentem, quae in aedibus Simonis Pharisaei Christi pedes lăvit. Luc. 7, 37.

In ipso disquisitionis huius limine dicendum est, hanc de quaestionum implicitarum numero habendam esse; utpote de qua a tribus inde saeculis inter perspicacissimos interpretes disceptatum sit, et porro etiam inter viros eruditissimos acris maneat concertatio; varie olim proposita, varie conclusa, necdum decisa, neque argumentis pure historicis verosimillime unquam satis dirimenda. Theologos, ut putabat, erroris quo cum plebe errarent, primus monere voluit Jacobus Faber Stapulensis, qui socio Jodoco Clichtoveo — ep. dedic. ad. T. Molinum praef. tractatui J. F. S. Disceptationes duae de Maria Magdalena, triduo Christi resurgentis, et ex tribus una Maria Par. 1518. Item de tribus et unica Magdalena discept. sec. Par. 1519. J. Clichtovei, Prof. Theol. Par. discep. de Maria Magdalena contra Marcum Grandivallem Par. 1519. — demonstrandum suscepit, tria illa nomina tres designare distinctas personas. Fabri thesim facultas theologica Parisina censura notavit die 19. Novembris 1521. V. Saintjore, Bibl. cr. II, 19. p. 286.; defen-

derunt G. Estius, oratione habita Duaci die 21. Julii 1609. Or. XIV. ed. Ven. p. 35. s. Anonymus — Louvet? — libro ea de re vulgato, munito approbatione fac. theol. Paris. 1636. J. Launoyus, de commentitio Lazari et Maximini, Magdalenae et Marthae in Provinciam appulsu. Paris 1660. Julius Bulengerus S. J., diatriba tert. ad J. Casaub. Exercit. adv. Baron. Lugd. 1617. p. 15. Mauconduit, pour distinguer S. Mad. de Marie soeur de Lazare, Par. 1685. Anquetin, sur S. Mar. Magd. Par. 1699. Simon, Bibl. crit. II, 284. Tillemont, Memoir II, 28. s. not. 471. Pro pluribus certant etiam: Casaubonus, exerc. XIV, 11. p. 330. G. J. Vossius, Harm. Ev. I. 3, 7. p. 25. Gerhardus, Harm. c. 143. II, 32. s. S. Deylingius, Obs. S. III, XXXI. p. 227. A. Bynaeus, de morte J. C. I, 177. s. III, 387. Calmet, diss. in tr. M. art. 3. p. 188. s. J. N. Sepp, das Leben J. C. ed. c. III, 329. s. Bisping, Erkl. d. Ev. n. Marcus u. Lucas. Münst. 1864. p. 251. Unam eademque fuisse personam adversus Fabrum asseruit illustris Joannes Fisher, Roffensis in Anglia episcopus iussu Henrici VIII. securi percussus, pro una Magd. c. Fabr. St. l. III. c. Cochlaeum pro ead. l. I. Par. 1519. exarato praeclaro volumine. — Cf. A. M. Gratiani a Burgo, de casibus viror. illustr. Par. 1680. p. 194. — Fishero suffragatus est B. Sorio, O. S. D. apoleget. pro unica Magdal. Caesaraug. 1521. M. de Grandval Can. r. ,Apologia pro unica Magd. eiusd. tut. Par. 1518. Idem probavit C. Baronius, ad. a. Chr. 32. n. 19.' p. 96. s. P. D. Huetius, in Observ. et Not. ad Origen. Comm. II. ed. Col. 1685. p. 43. s. C. Jansenius, ep. Ipr. in Comm. ad Luc. 7, 37. p. 350. Maldonatus, Comm. in Matth. 26, 7. p. 547. s. Hanc demum sententiam erudite tuendam susceperunt: Natalis Alexander, mantissa ad diss. XVII. saec. I. p. 188. s. B. Lamy, Reflexions cont. la diss. — d' Ancquetin — sur S. Madelaine Par. 1699., tum in alt. diss. Rothom. 1700., et in append. ad Comm. in Harm. Ev. p. 636. s. P. Mauduit, C. Or. Analyse sur l' Evangile. Par. 1695. II, 480. J. P. Pezron Cist., Hist. Ev. Par. 1696. II, 337. Trevet, diss. sur Mar. Mad. Par. 1713. Omnium vero doctissime multis rationibus pro unitate personae pugnavit J. B. Sollerus, S. J. Hagiologus in Act. S. S. Jul. 22. ed. Venet. V, 187. s.

Qui contendunt tres feminas: Mariam Magdalenam, Mariam sororem Lazari et Mariam peccatricem, re esse diversas mulieres, argumentis non diffitemur, satis plausibilibus illam de unica Magdalena sententiam evertere conantur. Ast recte perpensis omnibus patet ea omnia quae proferunt, quantumvis speciosa et solida, tamen ex Evangeliis, ex firmo plurimorum s. Patrum et Scriptorum E. consensu, atque ex indubitata Ecclesiae traditione dissolvi. Remota ad tempus omni auctoritate, quam S. Scripturae, rationes et quae pro unica Magdalena suppetunt argu-

menta expendemus. Unica eademque mulier Evangeliis magis consona reperitur ex congruentiis seu conformitatibus. a. Ab ipsis s. Lucae historiis, unde potissima suboritur difficultas sumemus exordium. Is enim solus est, qui sub tribus diversis, ut ita dicamus, nominibus de Maria Magdalena, de Maria sorore Marthae, et de Peccatrice locutus est; quarum secunda apud solum Joannem nota est: sic ut dicendum sit, s. Matthaeo et s. Marco ignotam fuisse, nisi sub Magdalenae nomine intelligatur. Sanctum Lucam itaque audiamus; qui 7, 36—50. feminae illius peccatricis conversionem refert. Idem porro 8, 2. alteram exhibet — a septem daemoniis liberatam coll. Marc. 16, 9. — eamque virtutis exercitio et bonis operibus sedulo intentam sistit; Christum assidue sequendo, cui de facultatibus suis necessaria ministrat. Demum 10, 38. 39. apud eundem d. Lucam prodit alia paulo perfectior mulier, tantum non ad unionem vitae contemplativae evecta. An hic tres intuemur, an unam? Fateamur candide: si Lucas Mariam Magdalenam non nominasset 8, 2.; et si sororem Marthae 10, 39. anonymam reliquisset; ecquidem suspicio mox incideret, non tres istic mulieres, sed unam indigitari. At enim nisi vehementer fallimur, est sane quod suadeat his in locis: peccatricis animae sensim ad Deum ascendentis progressum describi. Quae Evangelistae pertexunt ad Mariam Magdalenam et Marthae sororem spectantia; haud difficulter intelligimus consecutionem esse vitae peccatricis ipsius; quae expiatis in domo Pharisaei peccatorum sordibus, ita mores commutaverit in melius; ut toto iam reliquo vitae decursu constantissime exerceret, quod primo isto conversionis die intrepide coeperat. Eadem semper observatur factorum connexio. Cernimus ipsam liberatorem suum continuo sequentem, eique indivulse adhaerentem; et de bonis suis fidelissime ministrantem. Videmus ubique mulierem aliis ferventiorem, ut inter ipsas prima nominetur. Christo Jerosolymam properanti praecurrit, ut dilectissimum magistrum hospitio Bethaniae excipiat. Mox secus pedes, ut consuetum facile, ad audiendum verbum eadem assidet, Luc. 10, 39. relicta sorori tum inserviendi cura. Ecquis sibi persuaserit Mariam illam Marthae sororem Christo antea incognitam, imo potius non familiarem fuisse, quae hospite vix ingresso ad pedes assederit, verbaque Domini veluti sibi notissimi audierit? Ubi et quando tam intima cognitio accessit?

Prosequamur intueri Mariam in morte fratris sui. Advenit Christus Lazaro iam mortuo; ad vitam Lazarus revocatus est; secutaque singularissima istius amoris argumenta, quae eandem mulierem ubique agentem et loquentem, tot indiciis demonstrant, ut non possit esse non eadem. En videamus verba Evangelistae Joannis 11, 1. 2. 5., quibus distincte Maria

describitur. Expendamus characteres, proprietates et conformitates singulatim. Et hic Mariam Marthae sororem agnoscimus, peccatricem, sed et poenitentem, amantem et gratam ‚quae unxit Dominum unguento.' Atqui nulla, ut monuit s. Augustinus, de cons. Ev. II, 79. III. b. 97., mulier Dominum unguento unxit, et pedes capillis extersit antequam Lazarus infirmaretur, excepta sola peccatrice Luc. 7, 37.; ergo coll. Matth. 26, 7. Joann. 12, 3. Maria soror Lazari, peccatrix illa est. Non inanes sunt hae coniecturae, possumus enim manifeste demonstrare e s. Joanne Mariam sororem Marthae ipsam esse peccatricem. Harum sororum mentionem facit hic Evangelista u. v. c. 11. ubi dicit v. 3. ‚miserunt ergo sorores eius ad eum.' Unde nam fingi potest tanta inter mulieres istas et Salvatorem coniunctio? ‚Domine ecce quem amas' dicunt ad Christum. Si modo ad Evangelium d. Lucae attendimus, intelligitur Jesum ad castellum illud Bethaniense semel tantum divertisse. Miserunt tamen ad eum; quid magis obvium quam cogitare non aliunde oriri istam familiaritatem, quam ex eo quod Maria fidelis Christi administra, ei in Galilaea adhaesit. Attendamus quaeso teneras preces supplices. ‚Domine quem amas'; et mutuam Christi amicitiam: ‚Lazarus amicus noster dormit.' Mariam Magdalenam et Bethanicam eandem esse mulierem, quam et peccatricem agnoscimus 11, 32., ubi more suo ad pedes Domini ruentem conspicimus, quam primum Bethaniae appropinquare cognovit. Ad pedes Domini non cecidit Martha sed Maria — quae iis assueverat, ex quo domum Pharisaei ingressa ad sanctissimos pedes salutem invenerat — iam pari modo fratris vitam exoratura. Ubique Mariam urget caritas, ubique tenerrimi amoris praebet argumenta; ‚cui dimissa sunt peccata multa quoniam dilexit multum.' Eadem in conviviis; eadem in penetralibus; eadem ad fratris sepulchrum; eadem ad Domini monumentum; quem fidelissime sequitur ad passionem usque et crucem; quem vel mortuum nequit deserere, non passa se a monumento avelli, donec redivivum conspiceret, et ad pedes eius denuo se provolveret. Idem quod nunc ex Joanne ostensum est, clare eruitur ex verbis, quae s. Evangeliorum scriptores Matth. 26, 6. s. Marc. 14, 3. s. coll. Joann. 11, 2. 12, 3. a Christo Domino pronuntiata narrant in coena apud Simonem leprosum facta: cum Judas obmurmuraret, Christus vero inconsultam obtrectationem corriperet; mulieris pium in se officium mire commendans, addito quidem singularissimo vaticinio. Matth. 26, 13. Quod clarius insinuat s. Marcus 14, 6., neque silet s. Joannes; 12, 7. sed omnino supplet. Describitur mulier Christo addictissima, Salvatori assueta, mulier amatum Jesum nec in vita nec in morte desertura, quae modis omnibus corpus eius ungere satagit, quod ipsi Christus concedere voluit, ut praeve-

niret ungere corpus ad sepulchrum. Quod cum obmurmurantes discipuli — saltem Judas — carperent; merito eos redarguit, vetare velle mulierem, bonum opus in se operari. Volvamus haec et revolvamus, vel inviti compellemur, ut hic eandem agnoscamus mulierem et sepulturam praevenientem, et sepulturam omni conatu curare intendentem. Reipsa enim unxisset Dominum in sepulchro, nisi ille iam exisset e monumento. Atqui sepulturam curare intendens ipsa est Magdalena; ergo et praevenientem Magdalenam esse fatebimur. Imo vero mane teste iterum s. Joanne Evangelista 20, 1. 18. properat ad monumentum Maria Magdalena. Regreditur, perstat foris, introspicit ad monumentum; vidit Angelos sed non acquiescit, imo amoris igne succensa Dominum suum quaerere pergit, unde factum, ut eum tunc sola videre contingeret. Compellat amantem Dominus; Maria dilectum continuo agnoscit ex voce. Quis neget hanc esse sororem Lazari, Christi — a quo nunquam scimus aliam mulierem praeter ipsam et sororem Martham nomine adpellatam — amicitia illustrem. Ut adeo non possit non eadem esse in virtute progressa Maria: ad pedes, crucem, monumentum plorans, ad visionem Angelorum, ad pedes sponsi apparentis convolans, tota redamantis Domini amore colliquescens, ut Ipsa de qua Christus testatus sit: ‚Quoniam dilexit multum.‘

Certum habemus si s. Lucas de Magdalena, aut de sorore Marthae sermonem instituisset, antequam de peccatricis mulieris conversione locutus fuisset; si apud alios Evangelistas, quidquam occurreret, quod Lucae narrationem interturbaret; distinctioni locum dandum esse. Verum hoc ipsum, quod in Evangeliis diversas esse personas nulla persuadeat distinctio sive nominis, quod idem est; sive circumstantiarum, quae uni tribui possunt; admonet nos M. Magdalenam sororem Lazari et Marthae non aliam esse mulierem a peccatrice. Non latet nos, quod adversarii obiiciunt. 1. Cognomen ‚Magdalene‘ indicare Galilaeam fuisse eius patriam; quia Magdala castellum et oppidum ad lacum Tiberiadis erat. Quod si ita, tunc alia censeri debet quam soror Lazari, quae erat e Bethania, vico Judaeae? Quasi vero Bethaniae ita affixam quis cogitare debeat, ut numquam in Galilaeam migrare potuerit? E Galilaea Christum secutam fatemur Magdalenam; Galilaeam fuisse negamus. Fortasse viro alicui indigenae ibi assuescere coepit; ibidem conversa potuit Christum sequi, donec Jesus in Bethaniam ab ea invitatus venerit. Qui multiplicant Magdalenas inquiunt 2. non esse verosimile Dominum Nostrum cum peccatrice, omnibus nota, quae recens valedixisset malae vitae; voluisse contrahere necessitudinem. Ita sane fama eius mala Christus respersus fuisset? Cum ergo scandali similis ab omni pagina S. Historiarum absit

exprobratio, concludunt: mulierem peccatricem aliam esse ab hospita Christi. Quod de scandalo dicitur, in Christum non cadit, qui venit peccatores salvos facere; poenitentem adeo nobilem, et generosam et conversione sua illustriorem redditam, non magis a se repellere debuit, quam Samaritanam adulteram, Apostolum publicanum. Jesus qui alibi publicanos et meretrices praecessuros ait in regnum Dei, de nulla re minus quam de scandalo Pharisaeorum sollicitus fuit. Addere possemus Mariam conversam, illa integritate fuisse, et tam casto aspectu; ut ne minima quidem impudentiae suspicio ei in mentem unquam venire potuerit. Instat porro 3. Estius eo dilemmate: Utrum Magdalena a daemoniis obsessa curata sit ante remissionem peccatorum, an vero post ipsam? Quodsi prius dicit, cur non desiit esse peccatrix? Si post, cur remissis iam peccatis a daemonio fuit vexata? Responsum habeat: Curatam dici posse cum aliis energumenis, vel forte seorsim, aliquanto tempore priusquam peccatorum pondere — quae causa forte obsessionis fuerant — eximeretur. Magdalena a daemoniis liberata, sui animi morbum considerans, publicam poenitentiam exhibuit; audireque meruit ‚dimissa sibi esse peccata multa, quoniam dilexit multum.' Urget porro Estius daemoniis liberatam fuisse Magdalenam; Lazari sororem non item. Nos attendentes seriem Historiarum, Mariam non peccatis solum, ut Luc. 7, 47, 48. narratur, sed et daemoniis liberari potuisse reponimus. Pergunt alii oggerere 4. s. Lucam post narrationem de femina unctrice subiicere mentionem Magdalenae, addendo ei notam ab eiectis daemoniis et non ab unctione. Ad quae dicimus merito quidem, longe magis enim mirum est, daemoniis ipsam fuisse liberatam; quam Christum unxisse. Jesu Christi cuius historias scribit s. Lucas, virtuti divinae testificandae aptius illud visum est, Salvatorem divinissimum daemonia eiecisse, quam in se unctionem admisisse. Quod vero dubitant: eademne fuerit mulier a s. Luca 7, 38. memorata et a s. Joanne 11, 2. laudata de nihilo est. Torquent illud ‚ἡ ἀλείψασα', atque coll. Luc. 6, 16. intelligunt de futura unctione; quae postea facta est in coena, ubi accubuit Lazarus. S. Joannem anticipatione usum, eam unctionem insinuare, quae postmodum ut refert ipse 12, 3. facta est Bethaniae in domo Simonis leprosi. Qui s. Joannis Evangelium studiosius evolverit, observabit non esse solitum ei in historiarum serie praeteritum pro futuro substituere. Videamus rem in exemplis. Ita Evangelista s. Joannes Christum inducit loquentem 6, 71. 72. ‚Nonne ego duodecim elegi; et ex vobis unus diabolus est.' Addit deinde: ‚Dicebat autem Judam Simonis Iscarioten; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.' Ubi de Juda igitur agit non scribit ‚qui tradidit'; sed admonet ‚hic enim erat traditurus eum ‚οὗτος γὰρ ἤμελλεν αὐτὸν παρα-

ἐλθόντα.' Utitur p. a. II. a. Neque fugiat, quod observat J. Th. Beelen, gramm. graec. N. T. Lov. 1857. p. 365., iam ipsum ,μέλλειν' notionem futuri habere. Cum idem Evangelista mox quando de Nicodemo, et de se, rem olim gestam agit 7, 50. accurate dicat ,qui venit ad ipsum nocte' ,ὁ ἐλθών.' Coll. 19, 39. De se autem locutus 21, 20. ait: ,qui recubuit in coena super pectus Jesu ,ἀνέπεσεν.' Aor. 2. indi. pro praet. plusquam perf. Adeo diligenter, servatis omnino temporum differentiis res narrat d. Joannes; tametsi multis annis post res gestas scripserit. Quodsi ad locum nostrum 11, 2. coll. 12, 3. respicimus, confiteamur oportet prolepsi qualicumque opus non fuisse; ut c. 11. mulieris factum praeindicaret, quod c. 12. sequenti immediate de integro erat descripturus. Cum Evangelistae, et inter hos s. Joannes, nominant Judam, si de proditore agant, ne intelligeretur Thaddaeus, Jacobi frater, addunt ὁ καὶ παραδοὺς αὐτόν, qui et tradidit eum: procul dubio d. Joannes, ne soror Lazari confunderetur cum muliere peccatrice, subiunxisset statim non eam esse, quae antea unxerat pedes Domini. Neque intelligitur cur verba 11, 2. ,Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento' inseruisset; nisi docere aliquid voluisset, quo mulier ista veluti nota quadam peculiari tamquam sibi priva et propria distingueretur ab aliis depingereturque. Ea nimirum cui soli singularem praerogativam asserere intendebat, quod ipsi prae ceteris quibusque feminis datum esset: Christum Salvatorem ungere; id quod de nulla prorsus alia in S. Scripturis usquam traditum est. Quin imo s. Joannes, ut pluribus locis ab eo factum compertissimum est, supplet id quod Evangelista Lucas, apud quem solum ea unctio nota est, indicare praetermiserat; cum iam distincte describit Mariam Magdalenam, ut Christi unctricem, quae alias ignota foret.

Quamquam argumenta, quibus pugnavimus vim invictam non haberent, tamen cum b. unam longe lateque per Orbem diffusa Ecclesia praedicat, sufficeret ut statuatur haec ipsa mulier peccatrix, eademque Maria soror Lazari Magdalena cognominata. Operae pretium est videre hanc sententiam ab antiquissimis temporibus ortum habere. Unam constituunt: Tertullianus, de pudicitia n. 11. p. 153. Clemens Al., paedagog. II, 8. p. 205. Origenes, in Matth. t. XII. ad 16, 1. s. ed. Huetii I, 269. S. Ambrosius, Expos. Ev. sec. Luc. VI, 14. p. 1387. Eidem sententiae suffragantur s. Hieronymus, ad Marcell. ep. LIX, 4. p. 329. ad Pammach. praef. in Osee p. 21. S. Augustinus, ut s. notavimus. S. Cyrillus Alex., in Joann. 11, 1. VII, 38. His adiungendi sunt S. Petrus Chrysologus, serm. XCIII. de Conversione Magdal. p. 144. s. Chrodobertus Ep. Turonensis, in not. Quesnel p. ep. 83. s. Leonis ed. Lugd. II, 489. a. 1700. Ven.

Beda, in Luc. Ev. III, 28. ad c. 7. p. 301. in Martyrologio ad XI. Cal. Aug. Op. III, 321. F. Alcuinus, comm. in Joann. c. 12. l. V, 28. ed. Frobenii. Ratisb. 1777. I. b, 579. s. B. Petrus Damiani, Epist. I, 12. ad Desider. ed. C. Caietani. Lugd. 1663. p. 36. S. Bernardus, in Assumt. B. V. M. serm. III. ed. Mabillonii. Par. 1729. p. 1006. s. Dom. p. Pent. VI, serm. III. p. 948. Nicolaus Claravallensis, serm. in fest. B. M. Magdalenae, ib. II, 734. s. S. Thomas Aq., Summ. I. q. 21, 4. I, 396. S. Bonaventura, compend. theol. ver. de gratiarum sanctificatione V, 19. Op. ed. Lugd. VII, 758. Rupertus, in Matth. XXVI. de glor. et hon. Filii hom. l. X. II, 96. s. Nicolaus Liranus, Bibl. s. cum glossa ad Matth. 26. V, 420. Universi hi scriptores unitatis Patronos se esse profitentur, etsi non eadem omnes ratione. Eandem sententiam confirmant etiam Graeci in Menologio apud Baronium, in not. ad Martyrologium Rom. ad d. 22. Julii, p. 354. Benedictus XIV., de festis D. N. J. C. I. 4, 24. ed. Bass. p. 34. ib. 6, 57. p. 56. Ut adeo quidam perperam comminiscantur doctissimum iuxta et sanctissimum Gregorium Magnum primum ipsum et solum: unitatem mulierum in scriptos commentarios Hom. in Matth. 25. et 33., deinde in Officia Ecclesiastica intrusisse. I, 1544. s. 1592. s. Tetrici et certe morosi fuerimus, si plura cumulemus argumenta.

IX.

Ultima Christi coena quo die fuerit, et an vere paschalis?

Praemonemus ne quis metuat lectorum, saturus iam disputatione de Paschate Christi, aures antiqua lite repetita implendas. Non refutabimus Calmeti, de novissimo Paschate, diss. N. T. III, 32. s. aliorumque — e. g. F. C. Movers, über das Passamahl und den Todestag des Herrn, in ann. Z. f. Phil. u. K. Theol. f. 8. Köln. 1833. p. 86. s. — opinionem, qua censent: Christum hoc anno extremo Legale Pascha non comedisse: eaque quae a Christo dicuntur, de Eucharistiae mysterio esse intelligenda. Nec item illorum hypothesin convellemus, qui — Martin, die letzte Paschafeier des Herrn in ihrer Beziehung zur mosaisch gesetzlichen, in ann. Kath. Zeitsch. für Wiss. u. Kunst. III, 1. Köln. 1846. p. 60. F. H. A. Serno, der Tag des letzten Passamahles J. C. Berlin 1859. p. 33. s. — volunt Christum pridie mortis et indulgentia quadam in morem pro Galilaeis inducta, statutum Paschae diem praevertisse. Quod suscipimus demonstrandum in eo versatur: divinissimum ‚Salvatorem Pascha ad omnem Legis apicem celebrasse.'

Agnum paschalem a Christo manducatum esse tueri necesse est. Quamvis enim scriptum non sit claris verbis, Apostolos qui missi sunt a

Domino parare Pascha, victimam agni paschalis sibi comparasse: Textus tamen et ratio narrationis cogit lectores credere, eos a recepta consuetudine minime descivisse. Accedit, quod diserte s. Evangeliorum scriptores dicant Christum cum discipulis manducasse Pascha; Marc. 14, 12. et illud quidem quod necesse erat occidi. Luc. 22, 7. Queis in locis Pascha proprio ac nativo suo sensu accipi iubet Christi dictum Luc. 22, 15.: ‚Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.' Tam ludere enim profecto de Scripturis divinis ille merito videatur, ipsumque τὸ ῥητὸν convellere, qui Paschae vocabulo putet aliud quid designari, extra illud quod Apostoli parasse ipsius Domini iussu Matth. 26, 19. perhibentur; — hoc est extra agnum paschalem — quam qui alium ibi potum — extra vinum de vite — cogitet, cum utrumque ad coenam paschalem pertinuisse moneamur Luc. 22, 16. 18. Ad. q. v. Gemar. Hierosol. tr. Pes. c. VII., in Blasii Ugolini, Thes. Antiq. XVII, 848. 9. Eiusd. diss., de ritibus in coena Domini ex Antiq. Pasch. illustr. ib. p. 1128. s. Christum supremum atque legitimum celebrasse Pascha habet sensus Romanae Ecclesiae, quae canit in hymno notissimo: ‚noctis recolitur coena novissima, qua Christus creditur agnum et azyma, dedisse fratribus' et mox: ‚Post agnum typicum corpus dominicum datum discipulis.' Imo eadem mens est Ecclesiae Universae in Concilio Tridentino XXII, 1. de Christo docentis: ‚Celebrato veteri pascha .. novum instituit.' Unde et hoc consequitur: Christum non alio consilio ante mortem hoc officio fungi voluisse, quam ut vetere expleto Paschate, novum simul conderet instituta Eucharistia. Quae supra enarratis Historiis Coenae Novissimae ex s. Matthaeo, s. Marco et s. Luca attulimus p. 98. s. demonstrationis vices sustinere possent; nisi d. Joannes quaedam scripsisset, quae illis apparenter contraria esse videntur. Cardo enim totius difficultatis in eo vertitur: quod e s. Evangeliorum Scriptoribus tres priores: prima die azymorum, atque adeo ipso die Paschatis, cuius a vespera utique more Judaeorum initium est, Christum Dominum corporis et sanguinis sui sacramentum condidisse narrant, eodemque die in crucem fuisse sublatum. S. Joannes autem, non ipso die Paschae, sed pridie gestum utrumque referre videatur: cum alterum ante diem festum Paschae, alterum in Parasceve Paschae commemoret. Inest enim vocabulo Parasceves vis ac potestas adverbii ‚pridie', et quae apud nos vulgo ‚Vigiliae' tribuitur. Praesertim cum eo die mane Judaei non introierint in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut comederent vespere Pascha. Joann. 18, 28. Vetus et magnis contendentium studiis agitata controversia est, praesertim cum vel nefas sit suspicari, parum inter se Evangelistas consentire. Cf. G. W. Theile, ü. d.

letzte Mahlzeit Jesu, in Wineri n. Krit. Journal. Sulzb. 1824. p. 153. s. ib. 1826. p. 139. s. Hengstenberg, ev. Kirchenz. 1838. p. 777. s. Cum autem natura sua quaestio haec philologica aut historica potius sit, quam mere theologica et dogmatica: ac proinde diversas opinantium sententias salva pietate possit admittere; evenit tamen propter consequentias, quae ex eius solutione eliciuntur, ut problema philologicum natura mutata evaserit quaestio de Lyturgia propter panem, qui ad confectionem corporis mystici adhibetur. Quamobrem summi interest eiusmodi decisionem reperire, quae nodum sic solvat, ut omnia s. Scripturae loca secundum nativum et proprium sensum concordent, sed et congruant cum ritibus Judaeorum. Operae igitur pretium fuerit, diligentius scrutari gesta in Paschate Christi.

Prae ceteris explanandum suscipere debemus: quinam tandem fuerit ‚primus dies azymorum' apud s. s. Matthaeum, Marcum et Lucam, in quo necesse erat occidi Pascha; quove misit Jesus s. Petrum et s. Joannem parare Pascha? Primus azymorum dies, agni paschalis immolatione sacer, est ipsissimus decimus quintus mensis primi anni sacri ab antecedente vespera. Nam qui in Veteri Testamento primus dies azymorum dicitur Lev. 23, 5. 6. Num. 28, 16.; idem in N. T. sic cognominari debuit. Et vero septem dies azymorum celebrabantur Exod. 12, 18. a vespera diei XIV. m. Nisan ad vesperam usque XXI. e. m. Eodem itaque intellectu necesse est apud Evangelii Scriptores eam vocem accipi, quo est a Moyse prolata; idque pro certo et minime controverso viri omnes sacris imbuti literis habent. Itaque si etiam Josephus, Antiq. II. 10, 5. p. 177. per abusum primam illam diem azymorum, diem quidem praeparatoriam, Pascha adpellaret; credi oporteret Apostolos sub Christo magistro, cum Moyse potius, quam cum recentiori Judaeo Josepho in loquendo et scribendo conspirasse. Diem XV. mensis Nisan, qui primus dies azymorum, anno Christi vitae supremo Judaeorum exstiterat, non fuisse Hierosolymis festum ac solennem, nec esse potuisse; praesertim si superstitiosa fere festorum observatio Hebraeorum eo tempore pensitetur, patebit ex sequentibus rerum momentis. Certum est paschali solennitate primum solum et ultimum diem fuisse festum. Coll. Lev. 23, 5. s. Ast diem qua Christus cruci affixus est, s. Joannes illam praecessisse designat; alteram vero ab hac nempe sabbatum citra controversiam festum dicit. 19, 14. 31. Nihil iuvat Marc. 15, 42. Luc. 23, 54. quibus in locis τὸ Parasceve ad sabbatum refertur; ut sumatur Parascevem sabbati, eandem et Pascha sive primum diem azymorum fuisse. Vocabulum παρασκευή est relativum, et necessario id respicit cui adiungitur; quare sicut apud s. Marcum et s. Lucam ad sabbatum, ita apud s. Joannem ad Pascha refertur. Duplex

enim erat praeparatio פסחא et sabbati et Paschatis, atque hanc aperte indicat s. Joannes. 13, 29. Falsissimum enim et ab aliis ex Hebraeorum scriptis refutatum est — v. Movers, l. c. p. 65. s. — primae diei azymorum ceterorumque festorum Parasceven nullam fuisse. Est et illud quidem recte observatum, Evangelistam, si Parasceven sabbati incidentem in diem Paschae intellexisset, non fuisse scripturum ‚παρασκευὴ τοῦ πάσχα‘; sed vero παρασκευὴ ἐν τῷ πάσχα. Ubi et illud non praetereundum s. Joannem narrare, appetivisse sabbatum inprimis solenne: ‚erat enim magnus ille dies sabbati.‘ 19, 31. Hic unius Paschae propugnatores ‚ἡμέραν μεγάλην‘ dictum volunt, quia in hebdomadem paschalem incurrit. Sed in quo unquam Evangelista sabbatum hoc, sabbatum Paschae dicitur? Cum ista interpretatione nexus et ratio, qua verba 19, 31. coniunguntur pugnat; τὸ magnus referri debet ad diem, minime vero ad sabbatum. Consentit vero sibi ubique s. Joannes, nam sicut diem, qua occisus est Salvator Parasceven Paschae adpellat; ita sequentem Pascha Judaeorum. Praeterea quid Apostolis venit in mentem suspicari teste Joanne 13, 29. quando Christus Judae proditori dixit ‚quod facis fac citius‘, iis verbis iussisse Dominum: ut ea, quae opus erant ad festum, emeret, si iam dies ille festus advenerat; qui si iam iniisset, nihilo magis quam sabbato, emere eo die aliquid per legem liceret? Insuper diem Parasceves eam fuisse cur toties inculcatur, nisi ut significetur illam diem XV. eius conditionis fuisse, ut simul esset dies ἐργασίμη negotiosa non festa et solennis. Quare etiam adeo festinanter sententia capitis in Dominum lata est primo ipso die azymorum? Quia simul erat Parasceve Paschae; Joann. 19, 14. I. e. quoniam dies ille non festus, sed pridie diei festi fuit, quo festo die si iudicium de reo constitueretur, tumultus fieret in populo. Matth. 26, 5. Si adiuncta perpendimus, huius consilii non alia est causa, quam metus, ne populus celebratione iudiciorum, baiulatione crucis, mulierum concomitantium fletu offenderetur. Deinde quomodo duumviris Josepho ac Nicodemo licuit sindonem et aromata emere prima die azymorum; quorsum deponere de cruce Dominicum corpus ac sepelire maturarunt omni festinatione? propter parasceven Judaeorum, qui dies profestus fuit, destinatus operibus obeundis. Verebantur enimvero ne initio festi et sabbato ingruente, isto fungi officio, ac iusta facere prohiberentur. Joann. 19, 42, Marc. 15, 42. Luc. 23, 54. Omittimus quae ea nocte, et sub auroram, adeoque coepto iam festo, servi sacerdotum, adeoque Judaei egerint. Substitutum etiam et vi compulsum esse hominem Cyrenaeum, Simonem nomine, tacemus. An hoc cum Paschae sanctitate componi potest? Haec omnia sane vetita erant sabbato. Nihil enim diversi habebat vacatio a laboribus die festo a feriis

diei septimae, i. e. sabbati. Denique ,Judaei quoniam Parasceve erat, Joann. 19, 31. ut non remanerent corpora sabbato, erat enim magnus ille dies sabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura.' Non potuit ergo dies ille solennis fuisse; siquidem Parasceve Paschae et Sabbati fuit; i. e. praeparatio non solum ciborum, sed et aliarum rerum, quae opus erant ad diem festum. Joann. 13, 29. Nam sua praesertim sabbato parasceve παρασκευὴ, vel προσάββατον, servari debuit; ut in eum diem epulae pararentur, ceteraeque operae serviles fierent, quas praestari sabbato nefas esset. Manere itaque illud necesse est: primum diem azymorum tunc Hierosolymis diem fuisse negotiosum, qui Parasceve Paschae fuit; siquidem qui Judaeis est Parasceve pervigilium, praeparatio; ,Paschae' dies festus Paschae esse non potest.

His itaque praemonitis, ut ad scopum proprius iam collineemus, controversia illa: num Christus a Dei praecepto de tempore Paschatis discesserit? eruditorum iudicium atque ingenia mirifice exercuit. Nobis responsio negativa videtur verisimilior; discessisse autem a Judaeorum ritu affirmamus, qui eo anno Paschatis festum in sequentem XVI. transtulere. Translationem feriarum sequebatur adpellatio publica, unde s. Joannis 18, 28. 19, 14. locutiones explicabuntur. Apud Synopticos autem Matth. 26, 17. ,ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων' Marc. 14, 12. ,ἡ πρώτη ἡμέρα τῶν ἀζύμων' Luc. 22, 7. ,ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων' intelligitur dies quarta ac decima Nisan. Huius iam translationis argumentum reperitur in celebrata ab ipsis Talmudistis, atque etiamnum a Judaeis usurpata regula ,ידו'; quam qui suae senserunt explicationi adversari interpretes: neotericam, sero receptam et longe a Christi saeculo invectam fuisse, sed sine teste pertendunt. Qua de re audiatur Rupertus Abbas monasterii Tuitiensis l. X. in Matth. 12. scribens: ,Inter traditiones plurimas, quas senes Judaeorum superstatuerunt traditionibus Dei, istud quoque statuerant, ut si diem ante sabbatum, quam sextam feriam dicimus contigeret esse XV. mensis, non celebrarent solemnitates, sed differentur in sequentem diem sabbati; difficile et incommodum esse dicentes duo sabbata continuare.' Op. II, 95. Ne igitur teste Ruperto, cogerentur duobus diebus ab opere servili abstinere; quod eis difficile erat ob rigorem de observando sabbato, solennia transtulerunt. Usum differendae Neomeniae Nisan ob Pascha a feria sexta in sabbatum Judaei adstruxisse videntur ex libro Lev. 23, 10. 11., quo loco praecipitur: ut altero — hoc in casu sabbato — die, i. e. postridie diei festi Paschae sacerdoti manipulus spicarum offeratur. Cum Lex ad literam, ut dicunt, observanda sit; ubi festum altero consequente sabbato proxime excipitur; sive cum posterus dies a die festo proprie sab-

batum est, profecto consilium ceperunt ut prior solennitas, quae in feriam sextam incurreret, in sabbatum differretur. Idque ideo quod messem oblationemve manipuli sabbato fieri nefas esset. Alioquin ipso sabbato viri rusticani non solum in agro meterent, opusque servile praestarent, quod sabbato perficere, quantumcumque religiosum opus videretur, non licuit, solis sacerdotibus teste Christo demtis Matth. 12, 5. ‚Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt.' Coll. Num. 28, 9. Sed hoc in templo utique, non in urbe vel agro. Accedit Judaeis etiam vetitum fuisse iter suscipere longius, quam iter sabbati; Act. 1, 12. quod mille passibus ex receptissima traditione continetur. Quo igitur anno contingeret Pascha feria VI., eo anno Neomeniam non a iugo sed a φάσει putata, defigi oportuit Jerosolymis, et sic uno die Pascha removeri. Hoc illud nimirum placitum est, quod habet antiqua traditio Judaeorum: Ne festa duo continua sunto! Quod ipsum animadvertens s. Lucas Evangelista, s. Marci locutionem 14, 12. ‚primo die azymorum quando Pascha immolabant ‚ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον', prudenter declarat 22, 7. ‚venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα.' His verbis s. Lucas scribas et Pharisaeos oblique notat, qui praetermissa Lege maiorumque praescripto ‚ἐν ᾗ οὐκ ἔδει' mactarunt pascha. Adiuvat interpretationem hanc nostram testimonium s. Epiphanii, qui haer. 51. Alogorum n. 27. p. 449. θόρυβον ac dissensionem in obeunda celebritate paschali tunc intervenisse testatur. Cf. Petavii, animadv. II, 184. s. Unde rursus non male infertur, quod non solum ipse Jesus ‚quippe Legis observantissimus' v. p. 61., quam non solvere venerat sed adimplere; Matth. 5, 17. sed et alii recte sentientes exeunte feria quinta, ineunte feria sexta, diverso a ceteris die celebrarint. Ex quo etiam factum sit, ut Apostoli apud illum hospitem omnia repererint necessaria. Matth. 26, 18. Marc. 14, 15. Alii vero Judaei decreto suorum antistitum obsecuti Pascha transferebant. Nec Simon Cyrenaeus ab agro veniens pascha ederat; sed urbem petiit ut illud manducaret. Hanc festi Paschatis translationem tempore Christi observatam s. Lucas docere videtur: Act. 12, 1. ‚Misit', narrat, ‚Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judaeis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo.' Ex quo discimus: Jam inierant dies azymorum, cum Petrum Herodes apprehendit; nondum tamen Pascha, h. e. nondum dies festus Paschae, qui dies festus sequebatur mactationem agni paschalis a Judaeis factam.

Eximie certe congruit ratio temporum, maximamque lucem affert cum verbis Lucae, tum huic nostrae explicationi. Nam quo haec demum anno contigerunt? Anno p. C. 43. At erat annus ille, quo Petrus Christi vicarius detentus est, aeque ‚Badu‘ ac annus, quo ipse Christus ab eodem Herode spretus est. Quare ut anno Christi σταυρωσίμῳ, sic isto 43. pariter, quod hic aperte a s. Luca traditur, Judaei Pascha habuerunt ad normam ‚בד״ו.‘ Cf. Grätz, Geschichte des Judenthums. Berl. 1853. IV, 389. Aberle, ü. d. Tag d. l. Abendmahls, in ann. Tüb. Quartalschr. 1863. p. 547. Sed ad argumentum nostrum revertamur. Voluit Herodes post Pascha, h. e. non statim postridie azymorum, sed die perendino: non in die festo, sed post diem festum Paschae in Petrum animadvertere. In Sacris enim Literis vox Paschae nil aliud sonat: praeter mactationem agni, vel diem ei cohaerentem. Septem continuos dies azymorum — ne quis forte hos dies designari a s. Luca temere suspicetur — ne semel quidem significat. Dies septem sunt azymorum; Pascha diei unius celebritas fuit, coll. Luca. 22, 1. ‚ἤγγιζε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων ἡ λεγομένη πάσχα.‘ Kalendaria ipsa Judaeorum hodierna solum diem primum azymorum festum vocant Pascha. Unde promtum est colligere, eodem plane modo declarari a s. s. Matthaeo, Marco, Luca annum Christi σταυρώσιμον ‚Badu‘ fuisse; quo istum annum 43. aer. Chr. in Actis a s. Luca. Sed et illud non abs re intueamur, s. Petro supplicium destinatum non fuisse die festo. Quae huius protelationis probabilis causa? Necdum de Petro tunc, ut de Christo dicebatur: Joann. 12, 19. ‚ecce mundus totus post eum abit.‘ Pauci erant asseclae, caede Jacobi tam parum offensi, ut observaret potius rex, se non modicam gratiam collegisse. Act. 12, 3. Judaeis occisioni Petri adeo faventibus, profecto nihil tumultus pertimescendum, differt tamen Herodes post pascha. Ideo ne quam caede sanctissimorum virorum apud suos conciliaret benevolentiam, eam festi, quo nefas iudicium capitis exercere, funestatione perderet.

Quod igitur ut rem concludamus hoc anno Christi supremo Pascha Judaei e feria sexta in sabbatum procrastinarunt, ex religiosa sabbati observatione factum est. Quod vero Christus Dominus, tametsi fuerit e tribu Juda et de semine David, maluit nihilominus cum discipulis duodecim discumbere vespere facto pridie mortis et Paschatis, id considerate fecit. Haud dubie iuxta praescriptum Legis Num. 9, 12., cuius erat observantissimus. Nullibi enim habetur licuisse Pascha praevenire. Si igitur hoc praevenisset Christus, fuisset adversarius Legis, ideoque reprehensibilis. Cum Legi, quam non solvere venerat, sed adimplere, obtemperare voluit Salvator; eam ob causam ad commendandam eius obedientiam

commemoratur Luc. 22, 1.: quid egerit, ubi venit dies azymorum. Si Christus non observavit Legem; quare in ultima coena u. v. omnia fiunt, quae in rituali iudaico exstant, quare omnia simillima sunt. Quae si placent, absque vi verbis illata, ne minimae inter Sacros Scriptores pugnae verborum vel ἐναντιολογίας suspicio supererit; sed nativo maximeque genuino sensu verba S. S. ubique accipiuntur, et plana atque expedita sunt omnia. Qua vel una dote reliquis anteponenda videtur haec explicatio. Conferamus ad extremum in unum omnia. Quod si res eo modo gestae sunt, quem ponimus, tunc vero, quod omitti non debet, plane contigit: ut Christus Dominus et Eucharistiae et Passionis suae typos re ipsa compleret, uno illo eodemque die, quo Hierosolymis utriusque mysterii figurae peragebantur. Eucharistiam enim instituit qua hora agnus e Lege edendus foret. Idem pro nostra omnium salute occisus, quo Judaea et Jerusalem agnum mactaret; et eadem hora qua verus agnus de cruce deponebatur, Judaei agnum suum mactarent, qui quidem tunc coepit inutiliter mactari, cum suo Jesus finem omni sacrificio Legis ea vespera fecisset. Ipsi Judaei in suis scriptis tradunt: Jesum occisum esse ‚ערב שבת וערב פסח‘ i. e. vespera sabbati eademque Paschatis. V. A. Bengel, Ord. temp. Chron. Ev. c. 5. p. 265.

Ista quidem explicatione omnibus praeivit Paulus a S. Maria † 1435. vir doctissimus, qui et genere Judaeus erat et levitico sanguine descendens; Carthaginiensis primo deinde Burgensis in Hispania Episcopus, in Additionibus ad N. Lyrani Biblia Sacra cum glossa ordin. ed. Antv. 1617. V, 442. add. in cap. 26. Matth. Sententia Pauli Burgensis semper habuit sectatores, viros longe praestantissimos. E quibus sunt: Paulus Mittelburgensis † 1484. Episcopus Forosemproniensis, Joannes Lucidus, Onuphrius Panvinius, Joannes Hentenius, Jansenius Episcopus Gandaviensis; Estius, ann. p. 388. 9. Maldonatus, comm. in Matth. c. 26. de Paschae tempore p. 542. Petavius, Rationarii Temporum P. II. IV, 4. p. 152. Harduinus S. J., de supremo Christi Paschate, in Op. sel. p. 371. s. Tillemont, Mem. Not. S. N. S. J. C. n. XXVI. p. 444. Khell, Eclog. Obs. in N. T. l. II, 140. Allioli, die religiösen Alterhümer des Volkes Israel, p. 203. s. Praedictam consuetudinem de transferendo Paschate probat inter Acatholicos interpretes Hugo Grotius, qui in Matth. c. XXVI, 17. p. 245. scribit „Ea causa propter quam a Judaeis dies festus transferri solebat adeo mihi iusta videtur, ut Legis interpretatio potius, quam mutatio sit censenda.“ Cum Grotio sentiunt viri ex Acatholicis neque pauciores neque doctrina inferiores: Sebast. Münsterus, Bucerus, Joannes Stoeflerus, Beza, H. Butingus, Jos. Scaliger, Sethus Calvisius, Ed. Liveleus; Isaacus Casaubonus, exercitatione XVI. ad C. Baronii Prolegomena in annales et primam eorum partem. Londini 1614. Numer. 13.

14. p. 467. s. 469. s. Chemnicius, Gerhardus, Hunnius, G. J. Vossius, L. Capellus, W. Langius, J. H. Heidegger, Marck, Bengel, Calovius, Philippi.

Interim Em. C. Baronius, — Annal, ad a. 34. n. 29. s. ed. Luc. II, 126. s. coll. n. 26. p. 125.; quem sequuntur Lamy, Reflexions sur le nouveau systeme du r. p. Hardouin. Par. 1693., item opusc. Reponse a la lettre de Tillemont. ib. 1694., J. Ciampini, de perpetuo azymorum usu in Ecclesia latina. Romae 1688. p. 20. s. aliique recentiores, quos inter et J. Wichelhaus, Versuch eines ausführlichen Kommentars zu der Geschichte des Leidens J. C. Halle 1855. p. 202. s.; — hanc doctrinam de translatione festi Paschatis magna vi oppugnat, non suis tamen sed Fr. Toleti † 1596. Hispani S. J., armis, qui paucis annis ante Baronium hoc argumentum suo in commentario d. Lucae et Joannis Rom. 1588. et 1680. copiosissime tractavit et accuratissime. Expendamus succincte quam valida sint tela, quibus isti viri sententiam laudatam oppugnant. Initio disputationis, ait Baronius, doctrinam de translatione feriarum ex lacunis recentiorum Hebraeorum esse petitam; quod omnino parum circumspecte ab eo dictum. Viri in his rebus summi — quos antea recensuimus — clarissime demonstrarunt doctrinam de translatione feriarum, quae in Hebraeorum Kalendario ingeniosis canonibus explicatur, saltem quod ad Pascha spectat, non esse Judaeorum recentium inventum, ut vult Baronius, sed rem antiquissimam et usu cognitam etiam ante adventum D. N. J. C. in terram. Itaque quod quidam has leges Badu similesque sero receptas fuisse pertendunt — Frischmuth, diss. de eo an Servator eodem die cum Judaeis agnum paschalem comederit? in Thes. th. ph. II, 189. s. — anno 358. post Christum per Nasi Hillelem — Cf. J. Meyeri, de temp. s. et festis diebus Hebraeorum. I. 11, 9. in Ugolini, Thes. Antiq. I, 359. — sive ut alii volunt sexto primum post Christum saeculo introductas; ita respondere licebit: ut vetustam quidem regulam de transferendo Paschate dicamus, festorum reliquorum non item. Quam rem confecerunt J. Scaliger, de emend. T. l. VI. p. 567. et Saubertus, diss. de ultimo paschate C., in Thes. th. ph. I, 196.: plurimis in medium productis testimoniis e penetralibus librorum Talmudicorum, super interpretatione verborum Moysis בֵּין הָעַרְבָּיִם Exod. 12, 6. Sed iam audiamus argumentum, quod palmarium imo ineluctabile adpellari solet, quo aliter sentientes suam opinionem defendunt.

Cum negare non possint, Judaeos ea die veritos praetorium intrare: cuius pridie Christus agnum paschalem cum suis comederat, quaque ipse in cruce mortuus est: atque ex hoc consequi videant, religionem illos hanc incessisse, ne ab immolatione agni sub vesperam, mortuo iam Salvatore, suscipienda praepedirentur, duplex ipsis oritur difficultas. Vel dicere

oportet Christum Legale pascha non celebrasse; aut sumere Jesum diem legitimam praeoccupasse. Ut illas difficultates evadant respondent: ‚τὸ πάσχα‘ non modo ex usu S. Scripturae ipsum agnum paschalem significare; sed etiam victimas alias, quibus per septiduum illud vesci licuit iis, qui se non contaminassent aliqua re in Lege prohibita. Unde לפסח, non agnos modo, sed boves et pecudes dedisse leguntur Judaei II Par. 30, 15. s. coll. 35, 13. s. Cumprimis vero provocant ad Deut. 16, 2. ‚immolabisque פֶּסַח, phase Domino Deo tuo de ovibus et de צֹאן וּבָקָר. Quod ita accipiunt, ut vox פֶּסַח ipsis quodcumque sacrificium per septem illos dies festos offerri solitum notet. Hanc viam ingressi sunt Baronius l. s. c., recentissime Patritius, l. III. diss. 50, 28. p. 506. et Langen, d. l. Lebenstage Jesu, p. 115. pluresque alii, quos recensuere Bynaeus, de morte J. C. III, 1. p. 7. s. Wichelhaus, l. c. p. 206. s. F. Guerike, Vers. e Vereinig. ü. d. l. Mahlzeit Jesu, in Wineri n. K. Journ. 1825. p. 256. s. Ast parum iuvant huc oves et boves producti, quos numquam Judaei ‚Pascha‘ adpellarunt. — V. Gesenii, Thes. p. 1115. —; sed חגיגה, sive hostias ad festi laetitiam augendam deputatas. Unde accurata disquisitione digna quaestio est, utrum religio illa Judaeorum, qua praetorii limen cavebant, sacrorum horum ciborum usum tantum, an agnum paschalem spectaverit? Negamus Judaeos ad istas hostias respexisse, imo vel respicere potuisse; quod sequentibus efficiemus argumentis. a. Certissimum quidem existimamus metus, cuius meminit d. Joannes ‚et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha‘ obiectum non fuisse arbitrarium aliquid; sed eiusmodi, ad quod Lege divina adstringebantur. An enim alias Praeses Romanus, isque Judaeis parum benevole affectus, eo populi Orbis domini dignitatem demisisset, ut tumultuantium petitioni et praetenso piaculo mox acquiescens, ad illos non semel, sed iterum et quartum exivisset, quos tribunal sequi oportuisset. Aliis enim diebus praetorium intrasse Judaeos monstrat ipsa haec exceptio, quam proinde Evangelista commemoratione necessariam indicabat. b. Si ex arbitrio Judaeorum pependisset comedere, vel non comedere sacras illas dapes; an non coll. Act. 23, 21. perlibenter sacro hoc epulo abstinentes turmatim in praetorium se infudissent; modo nihil per offensum forsan praesidem sua ex parte omitteretur, quominus Salvator opprimeretur? Quis non videt c. hic Legem aliquam positivam intercessisse, quae et Judaeorum accessum cohibuit, et praesidis dignitatem ut extra praetorium accusatores audiret, inclinavit. Producenda vero iam est talis ratio, quae illos ad comedendum pascha severe cogeret. Nam d. Lege illa Deut. 16, 2. etiam a Josepho, Antiq. III. 10, 5. p. 177. laudata, nihil agitur; nec iuvat שלמים II. Par. 25, 13. advocare; repugnantia enim

profert, qui Legem Deuteronomii ad has hostias applicuerit: e cuiusvis hae pendebant arbitrio prouti ex l. c. 25, 8. evidenter patet, ubi habetur ,sponte quod voverant obtulerunt‘; omittere igitur poterant. Unde lex nulla erat comedendi חגיגה; atque quod sequitur: Judaei ultro carnibus ex sacrificiis salutaribus carere maluissent. — Suppetias advocatur Deut. 16, 3. unde certissimum praeceptum de comedendo חגיגה sibi invenisse videntur. Sed parum commode. Ac Deuteronomii quidem locus ita accipiendus est: prohibetur ne panis fermentatus ,עליו חמץ‘ cum illo, i. e. פֶּסַח de quo v. 2. mentio, per septem dies comedatur. Nequit פסח h. l. pro agno vespere asso accipi; utpote ad quem manducandum tot assumendi erant, quot ad consumtionem necessarii. Sed hinc perperam inferunt carnes ex victimis significari, quae per septenos dies azymorum in Templo mactabantur. Enimvero vidimus α. nullum esse S. Scripturae locum, in quo voce פֶּסַח notarentur sacrificia praeter agnum paschalem immolata; ut sit idem sacrificare Pascha, quod ex victimis salutaribus manducare. Cf. Movers, l. c. p. 70. s. Quin potius Pascha ceteris a sacrificiis manifeste discernitur. E. g. Par. 30, 15. 35, 16. 17. Accedit β. eas victimas ex arbitrio offerentium pependisse. Quomodo haec circumstantia conciliabitur cum obligatione tam gravi, ut Judaei praetorium propterea subire detrectaverint. Fingamus γ. adfuisse de edendo ,חגיגה‘ ex traditione saltem Pharisaeorum aliquod praeceptum, labem quandam contaminationis aspergi ex ingressu domus non recutitorum: maior sane haec non erat, quam quae ex contactu lecti gonorrhaea laborantis viri, aut straguli mulieris menses patientis contrahebatur. Quaecumque autem ista immunditia aestimabatur, eodem die coll. Lev. 15, 5. 22. expiari poterat. Nihil ergo impediebat, quominus etiam Judaei eo adhuc die חגיגה fruerentur; atque ita incredibilis fit illa Pilati indulgentia. Joann. 19, 21. 22. — e. Propugnatores istius sententiae inaudita quadam loquendi ratione dictum volunt illud ,φαγεῖν τὸ πάσχα, pro φαγῶν ἐκ θυσιῶν τοῦ πάσχα, sive ἐκ τοῦ πάσχα.‘ Verum quis est, qui admittendam hanc loquendi formam putet. Poterat de agno paschali dici, φαγεῖν τὸ πάσχα; quia totus in coena comedebatur; sed πάσχα in significatione victimarum paschalium, quarum, uti notum est, pars tantum absumebatur, non cum accusativo, sed genitivo vel cum praepositione ἀπὸ aut ἐκ erat construendum. Quocirca nihil est quod adversus tam evidentem s. Joannis auctoritatem possit excipi. Hunc in modum f. explicata a nobis ac defensa sententia, multo quam altera probabilior apparet, cum praesertim tam disertum expressumque sit eiusdem Evangelistae testimonium 13, 1. Loco isto s. Joannes coll. p. 100. id aperte citra ambages notat: Christum ,πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα‘, ante diem festum Paschae, epulo suo paschali

defunctum. Discubuerat Christus cum duodecim teste Joanne pridie festi, quare nec nox qua Salvator captus est, nec matutinae quibus passus est horae, nec pomeridianae aliquae ,ἑορταὶ τοῦ πάσχα' erant. Alia adhucdum testimonia vel argumenta praeterimus, sunt enim ista praecipua. Plura qui scire volet, adeat praeclarissimas C. Ikenii, dissertationes, de tempore celebratae a Servatore ultimae coenae paschalis, in Syllabo diss. ed. H. Schacht. Traiect. Batav. 1770. II, 337—471. et de Coena J. C. vere paschali, ib. 472. s.

Haec si rite a nobis demonstrata sunt, necessario sequitur panem in quo Venerabile Sacramentum corporis sui instituit Christus non fermentatum, h. e. azymum fuisse. Eum morem observavit et observat Ecclesia Latina ob insigniorem Dominici exempli commemorationem; Graecae visum est, se hac in parte non obligari; quia Jesus ex occasione tantum festi azyma adhibuisset. Utraque consuetudo ceterum iuxta decretum Concilii Florentini — ,Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unum quemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis, sive orientalis consuetudine.' Apud Hard. IX, 986. — legitima est. Unde intelligitur inter eos, qui diverso pane utuntur, non esse hac de re lites serendas. Qua de re amplius loqui, non est huius disquisitionis; legantur quae praeter Ciampinium supra allegatum, habent: Sirmondus S. J., de azymo, in Op. var. ed. Ven. 1728. IV, 351. D. J. Mabillon, diss. de pane eucharistico et fermentato, in Ouvrag. posth. ed. V. Thuillier. Par. 1724. I, 101. s. C. Bona, rer. lyturg. I, 23. ed. Antv. 1739. p. 262. s. M. Lequien, diss. Damascenicae. d. VI. de azymis. Op. S. Joann. Dam. I, 71. s.

X.

Observationes super agonia Christi in horto.

Christus Dominus, quod lueret iram Dei in homines accensam, quorum peccata in ipso Filio suo Pater ulciscebatur, ob gravissimam luctam perfusus est sudore sanguineo. Non tenuis sudor fuit in ἀγωνίᾳ illa; sed ,ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος', sicut grumi sanguinis. Sanguis Christi liquidior, qui teste s. Luca stillabat, cum terram attingeret ab aere noctis frigidissima condensabatur in trombos. Nobilissima haec de sudore Christi sanguineo verba ampliorem sibi considerationem vindicant. Nobis vero ex instituti ratione prolixioribus esse nunc non licet; ideoque quaedam tantum lemmata dogmatica et critica illis, quae p. 124. disputavimus subiicere placet. Propter illas ,ἀσθενείας' de quibus d. Lucas 22, 28. et s. Paulus Hebr. 4, 15. 5, 7. loquuntur, non erat in Christo humana imbecillitas vel indecens pusillanimitas, quam blaspheme carpit Celsus, apud Originem

,κατὰ κέλσου' II, 25. XVIII, 180. ib. VII, 55. XX, 86. Cf. exhort. ad martyr. n. 29. ib. p. 271. Sed et christianis scriptoribus quibusdam Passio animae Christi in horto, et petitio de transitione calicis, crux fuit; imo in scandalum cessit, ac si utrumque Christo indignum esset. Quamobrem illam Passionis partem vel extenuarunt falsis interpretamentis, quia veriti sunt Jesu tribuere argumenta tam insignia humanae infirmitatis; vel eam plane e textu eliminare conati sunt. Sane in celeberrimis codicibus A. B. duo haec commata capitis 22, 43. et 44. i. e. verba ὤφθη usque ἐπὶ τὴν γῆν, non reperiuntur. In aliis quoque Lucae exemplaribus desiderantur, rursus in aliis obelis, uncis, punctis, vel asteriscis notantur. E. g. in codice Sinaitico ed. C. Tischendorf, Lips. 1865. p. 208. Jam tempore S. Hilarii ,in graecis et in latinis exemplaribus compluribus vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguinis, nil scriptum' reperiebatur. De Trinitate X, 41. I, 403. S. Epiphanius autem testatur: ,sed et ploravit, ut in Evangelii Lucae exemplaribus non correctis legitur .... At Catholici timore quodam inducti vocem illam sustulerunt, neque finem illius et quod validissimum est intellexerunt.' V. Ancoratus, n. 31. II, 36. coll. haer. LXIX. Arian. n. 59. I, 785. Hunc locum olim expunxerunt etiam Pelagiani. L. s. Hieronymi, dial. c. Pel. n. 17. II, 760. Sed nemo non videt longe verisimilius esse haec verba a quibusdam erasa fuisse, quam adiecta. Eo magis quod iam ut genuina agnita fuerint saeculo a Christo nato altero. Videatur s. Justini, dial. cum Tryphone. n. 103. p. 355. Theodoreti, interp. in Ps. 15. I, 692. Ps. 108. ib. 1387. Demonstr. per syll. IV, 271. Haer. fab. comp. V, 13. ib 429. Theophylacti, in Luc. comm. p. 521. Euthymii, ad Matth. 26, 37. s. I. 2, 1038. s. II, 644. Evangelistaria plurima habent; legunt codices: D. F. G. H. K. L. M. Q. U. X.; Versiones Itala, Coptica, Vulgata et aliae. Syri a Photio, Armeni a Nicone aliisque hunc locum delevisse arguuntur. Attamen tantum abest, ut ea pericopa Evangelii d. Lucae vel extenuanda vel eliminanda existat; ut potius maximi nobis sit momenti, atque in summum cedat solatium; siquidem omne illud, quod Christus in horto gessit pertulitque et satisfactorium et meritorium est. Quare etiam Maiores Nostri, hanc Dominicae Passionis partem, quotidiana et perpetua dignam memoria iudicarunt; ut publicae Ecclesiae preces testantur, in quibus per angorem et sudorem Christi sanguineum, misericordia Dei imploratur. Controvertitur interim quidnam hac oratione Christus postularit? Respondent Theologi: Christum pro se orasse Patrem, ut acerbissimam mortem averteret, si possibile esset. Obiiciunt ad haec alii: nonne cernebat Dominus totum humanum genus periturum, si transiret calix? Cur ergo petiit, ut

transiret. Dicimus Christum non petiisse hoc voluntate, ut aiunt, absoluta, sed conditionata. Petiit ut mortem Pater averteret, sub conditione et obedientia. Nam secundum cursum naturae rebus consideratis, nulla ratio erat cur mortem deberet expetere; sed secundum rationem superiorem, Passionem vehementer exoptabat; utpote Deo gratissimam, et totius gratiae hominum gloriaeque fontem. Cf. Petri Hurtadi de Mendoza, disp. 77. s. 5. p. 534. Orabat Dominus, ut liberaretur a vehementi illa moestitia, qua anima eius angebatur usque ad sanguinis sudorem, ut cum gaudio mortem posset pati; quod sibi non fuisse côncessum, in cruce ostendit illis verbis ,Deus meus ut quid dereliquisti me?' Matth. 27, 46. Non fuit haec oratio sensualitatis Christi, i. e. appetitus sensitivi; hic enim appetitus orare non potest, ut docet d. Thomas, Sum. III. q. 21. art. 2. X, 452. 3., quia non potest sensibilia transcendere et in Deum ascendere. Dici tamen potest oratio haec Christi sensualitatis, quia ratio huius proponebat, quod erat in sensualitate, i. e. appetitu sensitivo. Duplex porro iuxta eundem Doctorem Angelicum, l. c. q. 18. ar. 5. p. 416. erat in Christo secundum naturam humanam voluntas, nimirum sensualitatis et rationalis. Rursus voluntas rationalis vel consideratur per modum naturae, vel per modum rationis. Voluntas ut natura fugit ea, quae naturae sunt contraria: ut mortem, cruciatus et similia. Voluntas autem per modum rationis, etiam illa potest complecti, quae naturae adversantur; ut crucem, tormenta et huiusmodi. Verba Christi ,non sicut ego volo' intelligenda sunt de voluntate sensualitatis, et de voluntate rationali, considerata per modum naturae. Etenim appetitus sensitivus et voluntas rationalis considerata per modum naturae mortem et cruciatus horrebat; at eadem voluntas rationalis per modum rationis spectata tam mortem quam tormenta omnia libentissime complectebatur. Quamobrem verba Christi sic erunt explicanda: Voluntas sensualitatis et voluntas ut natura, calicem transire volunt; at non sic fiat, sed fiat quod tu vis Pater sanctissime, fiat voluntas tua, quae eadem est ac mea. Sunt haec verba Christi voluntatis rationalis consideratae per modum rationis, quae Passionem magna cupiditate excipiebat. His positis non putamus ullum occasionem exinde sumturum esse vel Christi fortitudinem, vel sanctitatem, vel sapientiam incusandi; si modo sequentia ad animum revocet. Non dubitabit α. de Fortitudine et constantia, ac si illa minor Martyrum fuerit, qui saepe ovantes voraces insilierunt flammas, atque laetitia veluti ebrii inter maxima tormenta exspirarunt. Ingens enim inter passiones Christi et Martyrum differentia est. Martyres enim: a. pro causa bona patiebantur, Christus autem causam peccatorum assumserat.

Martyres b. mortem ut exarmatum hostem aspicere poterant; Christo autem cum morte res erat, quatenus venenato Legis aculeo armata fuit. Martyres c. Spiritum s. amorem Dei in corda illorum effundentem experiebantur; verum Christus u. v. ne guttam quidem consolationis experiebatur. Nec etiam praeiudicium β. facit eius agonia oratioque Sanctitati ac Pietati; nam neque in tristitia, neque in petitione fuit excessus aut defectus. Virtutem in medio consistere, atque τὸ vitiosum vel excessum vel defectum arguere, iam ethnicis dicebatur. Sed nihil hic est, quod Christum a via Sanctitatis recessisse arguat. Non excessus in tristitia, quia non erat ἀπάθης, nec esse oportebat; siquidem Passio eius veri nominis esse debuit. Igitur sensibilis fuit Christus, atque eo magis sensibilis, quo magis peccati acerbitas et demeritum atque iustitiae rigor una cum Redemtionis pretio constabat. Sed nec in defectu patientiae vel obedientiae aliquid perperam accidit. Non in patientia, quia illa non stolida ἀπάθεια est; sed rationalis apprehensio mali cum sensu ingrato. Non in obedientia, non enim petiit contraria Deo aut sibi ipsi, imo quae petiit cum suae voluntatis abnegatione et omnimoda sub voluntatem Patris sui subiectione petiit. Sed neque hoc repugnat γ. Christi Sapientiae vel Prudentiae, ipsum aliquid petiisse, quod ne quidem possibile esse satis sciret. Nam arcana Dei voluntas, orationem pro mitigatione vel ablatione impendentium malorum non tollit, sed limitat; ut nonnisi eam cum conditione si fieri possit, i. e. si Deo placitum sit petere debeamus. Talis vero petitio tam cum sapientia quam cum pietate consistere potest. *Cf. s. Hilarium, de Trinitate,* X, 9. s. p. 383. s. 36. s. p. 399. *J. A. Quenstedt, diss. de deprecatione calicis, in Th. th. ph. II, 204. s. M. ab Engelhardt, de tentatione Christi comment. Dorp. 1858. p. 45. s. Bisping, Erkl. der Ev. n. Mark. u. Luk. p. 433. Langen, die l. Lebenstage Jesu p. 209. s.*

XI.

In crucem D. N. J. C. animadversiones.

Ut lignum crucis, in quo ‚pretium pependit saeculi' Dominus Noster Jesus plurima veneratione, ita et id omne quod ad illud Passionis Dominicae instrumentum attinet, sermone diligenti decet prosequi; quibus cognitis clariora erunt, quae Evangelistae nobis in Historiis suis enarrant. Supplicium crucis Judaeis ante Christi nati tempora non omnino ignotum — ut certis evicit argumentis P. Morbius, diss. de Christi supplicio ad Matth. 27, 35., in Thes. th. ph. p. 234. — inusitatum attamen erat poenae genus, Cicero in Verrem act. II. l. V, 64. ‚crudelissimum teterrimumque' 66. ‚servitutis

extremum summumque, dicit; Ed. Bip. IV, 160. 3. additque verbis satis dignis tam nefariam rem adpellari nullo modo posse. Id quod Crux ipsa, in qua horrenda et lenta tamen tormenta vitae filum abrumpunt, forma eius, et adfigendi modus et alia docent. Crux aut simplex fuit, ex uno ligno, aut compacta, quae manu facta idque e duplici ligno. Huius species triplex: decussata, in qua duo ligna directa inter se obliquantur; commissa quam uno ore omnes cum litera T componunt, ubi ligno erecto brevius alterum superne committitur, denique immissa, ubi ligno erecto transversum alterum iniungitur atque immittitur, sed sic ut ipsum secet. In qua earum crucum Ille mortuus, qui morte sua nobis vita factus est, ingerunt oculis Scripturae pariter et picturae priscae. Ad priores spectant loca S. Irenaei, adv. haer. II. 24, 4. ed. Stieren p. 370. A. q. v. n. Feuardentii, ad h. l. ed. Ben. Par. II, 806. s. Justini, dial. cum Tryph. n. 91. p. 316. 318. coll. n. 111. p. 372. Tertulliani, adv. Marcion. III, 18. p. 133. M. Minutii Felicis, in Octavio c. 29. p. 41. Quippe scriptorum eius aevi, quo hoc supplicii genus adhuc frequens erat testimonia, sine dubio iis, quae auctores post abolitam crucis poenam perhibent, adeoque et s. Gregorio ep. Turon., de Gloria martyrum I, 5. 6. ed. Ruinart. Par. 1699. p. 725. s. merito praeferuntur. Secundum igitur illos constitit e tribus lignis, quorum primum quod cruciale vocant, erecta statione in terram defigebatur; alterum antennae nomen et speciem gerebat, cui extensis brachiis manus adpendi affigique solebant; tertium sedile, equuleus, erat in medio crucili prominens, et corpus, ne ruptis vel laxatis pedum manuumve tendinibus rueret, sustentans.

Scabelli vel suppedanei, quod J. Gretserus, de s. Cruce I, 24. ed. Op. Ratisb. 1734. tom. I, 35. et alii substituunt, apud Veteres nec mentio fit, nec usus probari potest. Quibus addimus eandem ac s. Irenaei, s. Justini, Tertulliani et Minutii Felicis l. c.; etiam s. Gregorii Nysseni, in Christi resurr. or. I. III, 624. Sedulii presbyt., carm. l. V. ed. Lugd. p. 202. s. Hieronymi, comm. in Osee 12, 9. VI, 131. s. Augustini, ep. 55. ad inquisit. Januarii. c. 14. II, 137. in Ps. 103. enn. serm. I, 14. IV, 140. S. Paulini Nol., ep. XI. ad Sever. in Bibl. Vet. Patr. Colon. V. 1, 167. s. S. Isidori Hisp. ep., quaest. in Vet. Test. in l. Jud. V, 8. V, 384. coll. s. Gregorio, Moral. XXX. in cap. 39. b. Job. 24, 74. I, 990. s. Joanne Damasceno, de fide orth. IV, 11. p. 265. de cruce Domini mentem fuisse; quam defendunt etiam Joann. Molanus, Hist. s. imagin. III, 27. p. 283. ed. J. N. Paquot, Suppl. ad IV, 4. p. 424. s. doctissimus Praesul Abrincensis, demonstr. ev. prop. IX, 127, 4. p. 524. s. Eandem admittit J. H. Serry, exercit. de Christo LIV, 6. p. 197.; nec respuit Benedictus XIV, de festis D. N. J. C. I. 7, 85. p. 88.; probat J. H. Fried-

lieb, Archälogie der Leidensgesch. p. 134. atque Langen, d. l. Lebenst. J. p. 310. s. Pictores quoque et sculptores a forma ista non recedunt. In priscis lapidibus, quibus merito fides, quadrilaterum conspicitur lignum crucis. In nummis, quorum typos dedit J. Lipsius, de cruce III, 16. p. 676., quoque plurifariam ita apparet. Quadratam formam exhibent imagines S. S. Patrum — apud eumdem Lipsium, I, 9. p. 650. 651. —, quibus non sine foecunditate quadam ingenii eam describunt. Nec nostro iudicio, ambigi profecto potest in tam veteri Christianorum sensu. De crucis forma ea, quae dicta sunt, cum necessaria viderentur, praeteriri a nobis haud poterant. Nunc de eius materia locuturi, veremur maxime ne curiosa magis quam utilia sectari videamur, cum nihil certi hac in parte definiri possit Veterum quorundam suffragium. Sunt qui quatuor ligni species in salutari cruce sumunt: cedrum, palmam, cypressum atque olivam. At nullo teste sententia ista profertur. Si quis in re obscura coniecturae est locus, ad eos propius accederemus, qui crucem Salvatoris ex unico ligno et quidem quercu fuisse, sunt opinati. Tum quia viri fide digni, quibus penitius intueri licuit, quae nunc exstant S. Crucis reliquias, huius ligni speciem referre testantur; tum quia arbor illa crebra et frequens in Palaestina olim fuerit, ac nunc quoque sit; crucesque ex obvio quoque et promto ligno constructas fuisse verisimillimum videatur.

Illud maioris momenti est an Salvator cruci affixus sit ante, an post erectionem? Uterque modus olim obtinuit. V. Acta s. M. Pionii soc., apud Bollandum, c. 5. n. 21. Febr. I, 46. Classicos lege apud Lipsium, de cruce II, 7. p. 659. Interim posterior frequentius adhibebatur. Unde familiares illae apud Romanos loquendi rationes: agere, ferre, tollere, dare, excurrere, salire in crucem; quae certe erectam antea crucem innuunt, quam in illam agatur reus. Iisdem phrasibus usi quoque sunt S. P. et S. E. de Christo crucifixo loquentes. E. g. s. Joann. Chrysostomus, homil. XXVI. in Joann. n. 2. p. 155. s. Ambrosius, exposit. Ev. sec. Luc. X, 107. 8. p. 1527. s. Hilarius, de Trin. X, 48. p. 410. s. Augustinus, in Joann. Ev. c. 1. tract. III, 3. p. 305. S. Petrus Chrysologus, serm. 144. de annunc. p. 206. Adde Prudentium, περὶ στεφάνων. X, 641. p. 212. Erectio itaque crucis confixionem antecedebat. Significat id Christus ipse Joann. 12, 32.; et Judaei ad Pilatum clamantes Luc. 23, 18. Joann. 19, 15. Castigandus igitur est hoc in capite pictorum error, qui Jesum in cruce humi iacente affixum pingunt.

Solvenda venit etiam quaestio de Christi in cruce corpore praecincto. Crucifixum Jesum dorso versus Jerusalem et Orientem, facie

respicientem ad occidentem, dextera ad aquilonem, sinistra ad meridiem; diligenter annotarunt Sedulius, carm. V. p. 202. v. Beda, in Lucae Ev. c. 23. p. 437. s Joannes Damascenus, de fide orthodoxa IV, 12. p. 266. ‚Dominus cum in Cruce penderet, verso ad occasum vultu erat; eaque de causa ita adoramus, ut in eum oculos intendamus.' Nudum etiam crucifixum esse Jesum, quales nascimur, ex antiquis et recentioribus Scriptoribus in Passionem Domini commentaturi plures tradunt. Christum nudum omnino de cruce pependisse, ac ne illas quidem partes velatum, quas in nobis naturalis pudor obtegi postulat; seu quod Adamo innocenti simillimus nihil haberet in toto corpore quod puderet, seu quod ad passiones eius gravitatem pertineret, ut hoc etiam oneraretur opprobrio, docent J. Molanus, Historia S. S. imag. III, 43. p. 418. s. H. Serry exercit. XV, 4. p. 199. Benedictus XIV, de S. D. Beatif. c. u. n. 17. p. 383. 4. de festis D. N. J. C. I. 7, 88. p. 90. Nudus certe in crucem agitur Dominus, coll. Matth. 27, 35. Marc. 15, 24. quod factum est de more Romanorum. Sed quaeritur an tectis aliquo velo secretioribus partibus corporis? S. Bonaventura, med. Vitae Christi c. 78. VI, 388. hac de re tradit: ‚Spoliatur etiam et nudus est nunc coram tota multitudine ... Nunc primo mater conspicit filium suum, sic captum, et aptatum dolore mortis affligi. Tristatur etiam supra modum et cum rubore, quod videt eum totaliter nudum: nam et ei nec femoralia dimiserunt. Accelerat ergo et approximat filio, amplexatur et cingit eum capitis sui velo.' Scriptor quidam anonymus inter op. S. Anselmi, dial. de passione Christi c. 10. ed. Gerberon. 491. sic habet: ‚Maria. Audi Anselme ... nudaverunt Jesum unicum filium meum totaliter vestibus suis, et ego exanimis facta fui, tamen velamen capitis mei accipiens circumligavi lumbis suis.' Haec sententia nobis probabilis videtur ideo quia a. S. P. et S. E. de nuditate loquuntur paulo latius accepta; qua quisque nudus dicitur, modo sit extimis indumentis exutus: etiamsi utcumque sit circa lumbos contectus, cum praesertim succentoria non censeantur in veste. cf. I. Reg. 19, 24. II. 6, 20. Isai. 20, 3. Joann. 21, 7. Act. 19, 16. L. Dionysium Alex., ap. Eusebium H. E. VI, 40. p. 236. Idem patet b. inde quod secretorum nuditas post Adae lapsum, quandam indecentiam honestati repugnantem prae se fert, non ergo admitti debet in Christo omnis honestatis et pudicitiae speculo. Jesus in cuius erat voluntate, quod pateretur; igitur coram castissima Matre, aliisque sanctis mulieribus non credendus est invelatus voluisse apparere. Non desunt porro c. viri Antiquitatum periti: Alphonsus Tostatus, Paradoxorum V, 42. ed. Col. 1613. p. 139. Salmeron, Comm. in ev. Hist.

X, 35. p. 294. J. Gretserus, de s. cruce I, 22. p. 34. Menochius, de republica Hebraeorum. VIII, 2. p. 739. Sylveira, comm. in text. ev. T. V. l. VIII, 5. p. 425. 26. S. Barradius, Comm. in conc. VII, 12. p. 342. Langen, l. c. p. 305.; qui animadvertunt, neminem reperiri, qui dicere ausus est: nullum unquam vel vestitum vel tegmine quopiam circa partes secretiores opertum penes Romanos in crucem actum esse? Vestigium huius veli exstat in vetere nummo aureo graecanico apud Lipsium, in not. ad l. II. de cruce. p. 682. d. Aquisgrani summa veneratione colitur linteum asservatum, quo Christus in tegendis coopertus fuit. Cf. H. C. Floss, geschichtliche Nachrichten ü. d. Aachener Heiligthümer. Bonn. 1858. p. 322. s. Jam vero credibile non est tot annorum centuriis fidelium de hoc linteo existimationem a vero aberrasse. Denique probant id laudati scriptores e. ex revelatione b. Brigittae, de vita et pass. J. C. c. 16. ed. Heuser. Col. 1851 p. 160. Similia habentur in A. Catharinae Emmerich, das bittere Leiden unsers Herrn J. C. Sulzb. 1837. p. 259. Quamvis bene attendi debeat, ad illud quod de his s. mulierum revelationibus D. Papebrochius, S. J. e coetu Bollandiano, in exam. praeambul. Sebastiani a S. Paulo art. XX. n. 1. recte monuit: ,in talibus nihil esse praesidii, ad quaestiones pure historicas seu sacrae illae, seu profanae sint, dirimendas; proinde nihil ipsis sanctis detrahi, cum talium veritas citra illum ad ipsas respectum, vocatur in controversiam, aliunde probanda vel infirmanda.' Acta Sanctorum Bollandiana vindicata. Antv. 1755. p. 609. Cum itaque neque testimonia Veterum, neque crucifigendi consuetudo omnimodam absque ullo velo nuditatem evincant, pictoribus minime succensemus: qui Christum renes linteo contectum effingunt.

Sequitur disceptatio de clavorum affixione. Cruciarios aliquando funibus tantum adstrictos in cruce pependisse, probarunt Lipsius, de cruce II, 8. p. 660. et J. Gretserus, d. e. I, 19. p. 28.; plerumque tamen clavis fiebat crucifixio. Ita quoque cum Christo Domino actum est. Unde S. Thomas resurrectioni dominicae assensum nondum accomodans dicebat: ,nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, non credam.' Joann. 20, 25. Id negavit E. G. Paulus et D. Strauss, quorum argumenta subtiliter examinavit atque eximie refutavit J. L. Hug, Zeitschr. f. d. G. d. Erzb. Freib. III, 168. s. V, 102. s.; quibus addenda sunt etiam quae docuit Friedlieb, Arch. d. Leidengesch. p. 144. s. et Langen, l. c. p. 313. s. Porro quod ad clavos attinet, passim habentur multae veteres imagines Jesu crucifixi quatuor clavis. Cf. St. Borgia, de Cruce Vaticana comm.

Rom. 1779. p. 43. Eiusd., de Cruce Veliterna comm. Rom. 1780. p. 133. Meminerunt et prisci scriptores nonnulli quatuor clavorum. Cum duo pedes non possint commode ligno affigi uno clavo, probabili sumitur coniectura Salvatorem nostrum quatuor clavis crucifixum esse. Ex Historiarum enarratoribus, qui inventam a s. Helena Christi D. crucem recitant, plerique quatuor simul clavos, quibus Salvator affixus est, inventos retulere. Cf. Theodoreti, Eccles. Hist. I, 18. p. 48. Cassiodori, H. E. Tripartitae. II, 18. p. 215. Nicephori Callisti, E. H. VIII, 29. p. 397. Theophanis, Chronographiam, in ed. Script. hist. byz. Ven. 1729. VI, 17. Per occasionem clavorum. J. C. ex quibus plures quam quatuor in diversis Ecclesiis veneramur, putarunt Acatholici posse se cultum superstitiosum Ecclesiae Catholicae exprobrare. Concedimus plures clavos quam quatuor monstrari, sed id non prohibet quominus cultus ipsis exhibitus antiquitati consentaneus sit. Multiplicatio namque clavorum D. N. J. C. oriri potest a. quia praeter quatuor corpus sacratissimum figentes, alii transversam crucis partem atque titulum affigebant. Deinde b. fideles ut pietati suae satisfacerent alios verisimiles elaborarunt, quos post contactum illorum, qui in Passione revera adhibiti sunt, diligenter coluerunt. Cuius veteris consuetudinis praesto nobis est exemplum insigne S. Caroli Borromaei, qui geminas s. Clavi Mediolanensis imagines eiusdem contactu consecravit; mox dono misit Philippo II. Hispaniarum regi alteram, alteram Annae Ayamontiae Insubriae moderatoris uxori. L. B. Oltrochii, de vita et gestis S. Caroli B. Mediol. 1751. p. 346. Nonnunquam etiam accidit, ut Deus ad servorum suorum pietatem remunerandam, mira facta patraverit ope imaginum istarum quae Passionis suae instrumenta referebant. V. i. Honorati a S. Maria, animadv. in reg. et usum Critices. III. l. 5. V, 5. p. 147. 148. Benedictum XIV., de fest. l. c. n. 87. p. 89.

Illud denique animadvertendum, penes Romanos morem exstitisse morituro carnificis manu, praeferre titulum, quem sive reus, sive miles, sive quispiam alius gerebat. Cf. Suetonii, Caligulam n. 32. ed. Bip. p. 197. Domitianum, n. 10. p. 363. Eusebii, H. E. V, 1. p. 162. Hinc colligimus morituro Salvatori titulum praeivisse, quem milites postea affixere cruci. Nihil enim dubitamus in Jesu crucifixione peracta omnia a consuetudine receptiori. In tabella lignea exsculpi excavarique solebat titulus, et ita cum Christo actum. Pilatus quam tulit sententiam in Christum, dictavit tabulae exarandam; ac prima specie scribi debuisse videtur; ipse dixit: rex sum Judaeorum. Quem sane titulum a Pilato scriptum volebant Judaei. Intercessit vero Numinis consilium Pilati mentem dirigentis, scribique

mandavit: Jesus Nazarenus rex Judaeorum. Joann. 19, 19. Quo sane titulo et Judaei ignominia afficerentur, qui de se regem bene meritum in crucem egerant, et Christus vel in ipso infelici ligno triumpharet titulo insignitus, qui regiam morientis maiestatem ostendebat. Cf. Fr. Balduini, comm. ad edicta vet. Princip. Roman. de Christianis Lips. 1727. p. 36. s. Titulus porro scriptus erat hebraice, graece, latine; quia nemo ex ingenti Jerosolymis tum versantium multitudine fuit, qui non unam trium istarum linguarum nosceret. Supremum locum obtinuit hebraica scriptio teste oculato s. Joanne 19, 20. ‚ἦν γεγραμμένον Ἑβραϊστὶ, Ἑλληνιστὶ, Ῥωμαϊστί.' Santes Pagninus — apud Nicquetum, l. c. p. 101. — testatur in titulo hebraico Romae scriptum esse Jesuah; Nazarenus autem Nozeri per צ non per ז. Verum in titulo Crucis qui hodie Romae cernitur exesae sunt omnes literae hebraicae ita, ut nihil omnino discerni possit. Acceptato igitur Pagnini testimonio sonuisset: ‚ישוע הנוצר מלך היהודים.' Forte convenientius linguae aramaeae coll. p. 217. ita exaratus fuisse creditur titulus: מלך יהודא ישוע נצרי; vel etiam sic: ישוע נצריא מלכא דיהודיא. Ita iuxta Prudentium, in Apotheosi v. 383. p. 282. ‚Fronte crucis, titulus fit triplex triplice lingua. Agnoscat Judaea legens, et Graecia norit, et venerata Deum percenseat aurea Roma.' Utrum autem is super crucem eius, an in supremo ipso ligno fixus fuerit incertum est. Priorem sententiam sumit s. Ambrosius, Luc. X, 112. p. 1528. *Totum hoc argumentum prolixe et erudite tractavit: J. M. Caraccioli, de titulo Crucis Neap. 1643. J. Wesselius, de titulo Crucis Domini, in diss. s. Leid. ad sel. V. et N. T. loca, p. 558. H. Nicquetus, Titulus s. Crucis. Antv. 1670. qui p. 156. s. partem quae Romae in Basilica s. Crucis i. Jer. conspicienda praebetur fuse describit. Drach, l' inscription hébraique du titre de la sainte croix. Rom. 1831.; ad quos lectorem plura scire aventem inviamus. His addere poterit C. Salmasii et alior. de cruce ep. Lugd. Bat. 1646. H. Kippingii, de cruce et cruciariis. Brem. 1671. J. Lydii, de triumpho Jesu Christi in cruce. ed. Mascamp. Trai. a. Rh. 1701. Opusc. Pass. Cruc. Dom. ex antiq. et phil. illustr. fasc. I. II. Dusseld. 1730. Chr. L. Schlichter, de cruce exercit. hist. antiq. Halae. 1733. Ch. Wildfogel, de Venerabili signo crucis Schediasma. Jen. 1733. Leandri de Corrieris, de Sessorianis praec. Passionis D. N. J. C. reliquiis. Rom. 1830.*

XII.

De hora crucifixionis ἐναντιοφωνείας conciliatio.

Aderat tandem tempus, quo Christus in meridie amoris sui inclinarat se in instrumentum — dicamus crudelitatis humanae, an pietatis divinae? — Crucem. Post diuturnam coeli terraeque exspectationem

hora illa felicissima, omnium maxima atque sacratissima, in qua primum ac summum omnium mysteriorum ab orbe condito peractum est, advenit. Hora placabilis Domini, quam s. Joannes ad crucem adstans, annotandam sibi duxit. Christum a Pilato fuisse iudicatum 19, 14. dicit ‚hora quasi sexta.' Quanquam ratione eius maior sit difficultas, quod s. Marcus 15, 25. affirmat ‚erat autem hora tertia et crucifixerunt eum'. Quin et a se ipso dissidere perhibetur S. Marcus, quandoquidem v. 33. tenebras passionis comites sextae demum horae assignat: ‚Et facta hora sexta, tenebrae factae sunt.' Ut id concilietur cum S. Luca, 23, 44. qui Christi crucifixionem ‚fere hora sexta' refert; et s. Joanne, qui l. l. dicit illa ipsa ‚hora quasi sexta' Pilatum consedisse in tribunali ad promulgandam sententiam, accurate Evangeliorum narrationes expendere iuvabit. Non semel monuimus: neminem Evangelistarum Historias vitae et mortis Domini Nostri Jesu Christi integras complexum esse; sed omnes debere una componi, ut integras illas habeamus. Quare etiam opus est ita eorum relationes inter se componere ut concordent, et instar diversorum sonorum harmoniam efficiant omnibus numeris absolutam. Itaque Passionis Historias in quatuor partes distinguendas esse existimavimus. Prima initium a pontificibus et proceribus Judaeorum coeuntibus comprehendit; de hac parte nulla est chronologica difficultas. Concilio hoc decretum ut Christus Pilato sisteretur, quod factum hora tertia. Huius horae tertiae solus Marcus meminit, qui ut supra observavimus p. 132. diligenter incubuit ad illius iudicii primoprimi descriptionem. Quapropter cum ad eius exsecutionem transeundum foret, suae narrationis seriem subito interrumpit; ne processus iuridici ante abs se 15, 1—15 s. relati tempus ignoraretur. Subiecit igitur ‚erat autem hora tertia'; nempe cum iuridicus ille processus agi coepit. Tum demum designata hora accusationis Judaeorum, et sententiae Pilati, abruptam narrationis seriem redintegrat additque: ‚et crucifixerunt eum et erat titulus causae' etc. 15, 25. 26. s. Denique omnia, quae ad crucifixionem pertinebant ordinatim refert; donec absolutas penitus crucifixionis historias in hunc modum claudit: ‚et facta hora sexta, tenebrae factae sunt.' 15, 33. Quemadmodum partem, quae ad iudicium Caiphae pertinebat, clauserat horae tertiae designatione; ita et quae ad exsecutionem iudicii Pilati spectant finit, horae annotatione. Non diffitemur iam aliquam Marc. 15, 23. 24. esse crucifixionis factam mentionem, ne series narrationis iudicium cum exsecutione continentis hiulca foret. Sed quis ignorat ob eandem rationem in S. S. saepe res multas praeponi, aut postponi. Cf. e. c. Gen. 1, 27. et 2, 21. s. 11, 30. 31. Unde ex hac sola distinctione sententiae et exsecutionis pendet

totius narrationis veritas. Vidit id olim iam S. Augustinus, de consensu Evang. III. 13, 50. p. 127. sagaciter monens ,quod Marcus tertiam horam recoluerit, eamque maxime ad Judaeorum condemnationem in Domini crucifixione commemorare voluerit.' Notandum teste Cicerone, ep. ad Curium VII, 30. ed. Bip. VII, 241. horam diei tertiam — quae nonae nostrae respondet — fuisse iudiciorum romanorum ordinariam; et ideo canit Martialis, epigr. IV, 8. ,Exercet raucos tertia causidicos.' Quamobrem narrante d. Marco iudicium, quo Filius Dei oppressus est tertia coeptum, per quartam quintamque continuatum fuit. Sane accusationes Judaeorum, ductio Christi ad Pilatum, et diversa Pilati conamina pro liberatione Domini, vix duarum horarum amplitudine comprehendi potuerunt. Sextam horam crucifixioni esse assignandam docet s. Matthaeus 27, 45.; quod s. Marcus et s. Lucas 23, 44. suffragio suo probant.

Verum enimvero videtur semper adhuc reclamare s. Joannes 19, 14. narrans, quod Pilatus hora quasi sexta dixerit Judaeis: ,ecce rex vester.' Postea ipsis adhuc repugnantibus Christum tentaverit a morte liberare. Nondum itaque damnatus, nondum traditus lictoribus; et multo magis hora sexta nondum cruci affigebatur. Sed totam hanc difficultatem solvit particula ,ὡσεὶ' quasi; habet enim ab utroque latere non exiguam latitudinem, ita ut horam integram potest complecti. Jam olim optime docuit Aulus Gellius, Noctium Atticarum VII, 21. ,Duo tempora cum inter se opposita sunt, atque ita cohaerentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur; non refert, utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis locus ipse confinis demonstretur.' ed. Bipont. 1784. I, 297. In hunc modum s. Lucas potuit dicere, fuisse ,ὡσεὶ ὥρα ἕκτη' ubi Jesu in cruce pendente tenebrae factae sunt; licet hora illa in septimam statim transitura esset. Ex altera parte licuit s. Joanni observare, quod fuerit hora ,ὡσεὶ ἕκτη'; cum imminebat illa hora, et quinta paulo post desitura erat. Cf. Luc. 9, 28. Matth. 17, 2. Marc. 9, 1. Itaque instante hora sexta Jesus condemnatus, eadem completa crucifixus est. Sed fortasse horae spatium videbitur brevius, quam ut sufficere valeat ad iter a praetorio ad Golgotha? Hoc poterit videri iis, qui non considerant praecipitem furoris Judaeorum impetum. Isti namque licet Jesum fatiscentem sub durae crucis pondere laeti cernerent; ne tamen vel hac ratione paucis momentis retardaretur eius mors, Simeonem Cyrenaeum praeterm orem coegerunt, illam ferre quo citius ad illam properaret. Hora nona denique Jesus Christus spiritum emisit, ut Evangelistae unanimiter testantur. Matth. 27, 46. Marc. 15, 34. Luc. 23, 44. Quod ab interpretibus bene multis, de horis diei duodecim in quatuor quadrantes distributis, ad s. Marcum cum d. Joanne conciliandum adfertur, incertum est.

Longiores hic forte fuimus, quam par erat, sed dignum quoque argumentum illis, quibus religio est manum in Evangeliorum narrationes inferre; ad quod curatius examinandum legatur: St. Morini, diss. de horis salvificae passionis J. C. D. N. Lugd. Bat. 1687. p. 74. seq., quae prae ceteris nobis arrisit. Aliae solutiones — inter quas notissima eorum, qui praeter communem diei divisionem, alteram quoque penes Judaeos distributionem exstitisse contendunt — habentur apud A. Masium, annot. ad. Ev. sec. Marc. 15., in Suppl. Crit. Sacr. II. ed. Franc. 1701. p. 1778. J. Thaddaeum, Conciliatiorium Biblicum. Amstel. 1648. p. 201. Ant. Bynaeum, de morte J. C. III. 4, 37. p. 178. S. Deylingum, Obs. s. I, 31. p. 119. S. Sam. Regherum, diss. de crucif. Jesu Tit. et hora crucif., in Thes. th. p. 245. s. Fr. Woergerum, ib. conc. Mar. cum Jo. sup. hor. qua cruc. p. 277. G. G. Zeltnerum, de horologio Joannis in Thes. nov. p. 552. s. Idem de horologio Pilati, ib. p. 564. s. J. C. Wolfium, in cur. phil. et crit. in Ev. Jo. p. 696. s. Wouters, diluc. in Conc. Ev. c. 28. q. V. p. 398. M. Ch. Keilium, de hora qua Christus cruci affixus sit. Lips. 1798. J. Brunati, diss. h. cr. de hora crucifixionis Jesu Christi. Brixiae. 1822. Rettig, exeg. Analect. in Ann. Stud. u. Krit. 1830. 1. Hug, in ann. Zeitschr. f. d. Geistl. d. Erzb. Freib. 1831. p. 91. s. Tholuck, Glaubwürdigkeit d. ev. G. p. 304. s. Wieseler, chron. Synops. p. 416. Lücke, Joann. p. 755. s. F. X. Patritium, de Evang. l. II. n. 195. ann. p. 434. Comm. in Joann. p. 218. Langen, l. c. p. 331. s.

Finit Dodecas Disquisitionum theologicarum quibus illustriores quaestiones ex Historiis Domini Nostri Jesu Christi exponuntur.

COMMENTATIO

DE FONTIBUS

EX QUIBUS HISTORIAE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COGNOSCUNTUR.

§. 41. Praeloquium.

Prima Historiarum Novi Testamenti periodo enarravimus facta et dicta Domini Nostri Jesu Christi; ipsaque monimentorum verba unde illa hauserimus, satis copiose adscripsimus. Jam Deo bene propitio Historiis emensis, commentandum restat, de fontibus ex quibus Historiae D. N. J. C. cognoscuntur. Inter cuncta vero monimenta huc facientia eminent sacrosancti Libri quatuor Evangelistarum, qui Divinissimi Salvatoris dicta, fata factaque referebant. Latissimus patet campus, in quo utiliter excurrere, et summa cum voluptate diutissime quasi spatiari possumus. Certatim et dedita opera praeter s. P. et S. e. in Evangelia commentati sunt ex nostris: Santes Pagninus, Isagoge ad s. Literas. Luc. 1536. Sixtus Senensis, Bibliotheca sancta ex praecipuis cath. eccl. auct. coll. Ven. 1566. R. Simon, Hist. crit. du Texte du N. T. Rotterd. 1689. L. E. du Pin, Prolégomènes sur la Bible. Amsterd. 1701. lat. don. Par. 1692. Alph. Salmeron S. J., Comm. in Evang. Colon. 1612. Antonius a Matre Dei, Praeludia isagogica. Mog. 1670. Claudius Frassen, Disquisitiones biblicae IV. l. comprehensae. Par. ed. II. 1711. Calmetus, in prolegom. Comm. lit. N. T. passim J. Martianay, traité de la vérité et connaissance des Livres de la S. Écriture. Par. 1689. 1699. Natalis Alexander. Hist. Eccl. ed. Par. 1730. III, 26. s. Joannes de la Haye, Bibl. max. Par. 1660. vol. XIII. B. Lamy, Appar. ad Comm. in Harm. evang. Par. 1699. H. Goldhagen S. J., Introd. in S. S. N. T. Mogunt. 1786. Seemiller, institut. ad interpret. S. S. Aug. Vind. 1779. J. N. Schaefer, institutiones Scripturisticae. Moguntiae. I. 1790. II. 1791. Gr. Mayer, Authentie und Öconomie der göttl. Schr. des N. B. Vindob. 1793. Dereser, s. s. nom. de Ratheim, notiones generales Herm. s. N. T. Bonn. 1786. H. Bezange, Introd. in S. q. Evang. crit. herm. hist. Ven. 1775. D. Tobenz, Comm. in S. S. N. T. Vindob. 1804. I. prol. A. Sandbichler, bes. Einl. in die Büch. d. N. B. Salzburg. 1718. III. v. L. Veith S. J., Scriptura Sacra contra incredulos propugnata, in Migne S. S. Cursu compl. 1841. IV, 635. J. L. Hug, Einl. in die Schr. d. N. T, Stuttg. ed. 3. 1826. ed. 4. 1846. Gerhauser, Einl. in die Schr. des

A. u. N. B. Campid. 1829. B. Feilmoser, Einl. in die Büch. d. n. Bund. ed. 2. Tüb. 1830. C. Unterkirchner, Introd. in Biblia N. F. Oenip. 1835. Aloysius M. Ungarellius, prael. de N. T. Rom. 1837. Glaire, Abrégé d' Introduct. aux Livres de l' Ancien et du Nouveau Test. Tournai 1847. p. 347. s. J. M. Ant. Scholz, Einleit. in die S. d. A. u. N. B. Cöln. 1845. I. D. B. Haneberg, Vers. einer Gesch. d. bibl. Offenb. Reg. 1852. p. 649. s. F. X. Reithmayr, Einl. in d. Sch. d. N. B. Freib. 1852. p. 11. s. F. X. Patritius, de Evangeliis l. I. qui est εἰσαγωγικός Frib. 1852. A. Maier, Einl. in die Schriften d. N. T. Freib. 1852. S. Márkfi O. S. B., Introd. in S. L. N. T. Budae 1857. II, 2. s. A. Messmer, Gesch. der Offenb. Freib. 1857. II, 7. s. Id., Introd. in L. N. T. Oenip. 1858. J. N. Pollák, Hist. Rev. bibl. Pest. 1859. II, 110. s. Aberle, in ann. Tüb. Quartalschr. 1859. p. 567. s. ib. 1861. p. 27. s. J. J. a Döllinger, Christenthum u. Kirche in der Zeit der Grundlegung. Reg. 1860. p. 131. s. G. J. B. Güntner, Introd. in S. N. T. libros Prag. 1863. p. 161. A. J. Naméche, de origine Evangeliorum deque eorum historica auctoritate. Lovanii. 1865.

In eundem finem scripsere e coetu Acatholicorum: J. H. Heidegger, Enchiridion biblicum. Jen. 1723. p. 450. s. J. G. Pritius, Introd. in lectionem N. T., auxit C. G. Hofmann. Lips. 1764. p. 154. J. W. Rumpaeus, comm. crit. ad libros N. T. ed. II. Lips. 1757. F. C. Harless, Introduct. in Hist. linguae graecae. Altenb. ed. II. 1785. II, 120. s. J. Millius, prolegom. in N. T. ed. Amstel. A. Küster. 1710. J. Wetstenius, proleg. in N. T. not. adi. Semler Hal. 1764. C. F. Schmid, Hist. Antiq. et vind. Canonis Lips. 1775. l. II. p. 427. H. G. Halfeld, comm. de origine quat. Ev. et de eorum can. auctoritate. Gött. 1794. J. D. Michaelis, Einl. in die göttl. Schr. d. N. B. ed. III. Gött. 1777. II, 769. s. A. Haenlein, Einl. in die Schr. d. N. T. Erl. 1802. — 9. C. Th. Kuinoel, de S. Libr. N. T., in A. Fabricii Biblioth. gr. ed. nov. Hamb. 1795. IV, 755. s. J. C. L. Gieseler, hist. krit. Vers. ü. d. Entsteh. d. Evang. Leipz. 1818. L. Bertholdt, h. k. Einl. in die Sch. d. N. T. Erl. 1813. III, 1091. s. H. A. Schott, Isag. h. cr. in libr. N. T. Jen. 1830. p. 7. s. 26. s. C. A. Credner, Einl. in d. N. T. Halle 1836. I. 1, 53. s. Id., Beiträge zur Einl. in die bibl. Schr. Halle 1838. H. Olshausen, die Echtheit der vier kanon. Evang. Königsb. 1823. H. E. F. Guerike, Beitr. zur K. Krit. Einl. Halle. 1828. I. Id. Gesammtgesch. d. N. T. od. Neutest. Isagogik. Lips. ed. II. 1854. p. 106. s. H. W. J. Thiersch, Versuch zur Wiederherstellung des historischen Standpunctes für die Kritik der neutest. Schrift. Erl. 1845. Id. Einige Worte ü. d. Echtheit der neutest. Schr. ib. 1846. Id. Die Kirche in apost. Zeitalter Franc. 1852. J. H. A. Ebrard, wissensch. Kritik der evang. Gesch. ed. II. Erl. 1850. pag. 762. s. Ch. G. Neudeker, Lehrb. d. h. kr. Einl. in d. N. Test. Leipz. 1840. p. 23. s. E. Reuss, die Geschichte der h. Schriften N. T. Braunschw. ed. IV. 1864. S. P. Tregelles, the original language of S. Mathews gospel. L. 1850. Ei. Historic evidence of the authorship and transmission of the new Testament. 1852. O. R. Hertwig, Tabellen z. Einl. in's N. T. ed. II. Berl. 1855. p. 11. W. M. L. de Wette, Lehrbuch d. h. k. Einl. in die kan. B. d. N. T. ed. VI. Berl. 1860. p. 142. s. Fr. Bleek, Einl. in d. N. T. Berlin. 1862.; aliique varii generis, qui huc pertinent suisque locis advocabuntur in subsidium. Similem itaque his commentationem suscepturi facile damus, nos neque nova neque curiosa prolaturos esse; non ignari a viris eruditis laude nostra superioribus materiam illam dudum illustratam fuisse. Speramus tamen non supervacaneum neque ἀσύμβολον fore laborem nostrum, quo huc attinentia collegimus, disposuimus, vindicavimus.

§. 42. Evangelii ἔτυμον et natura.

Cum rerum a Christo gestarum fons primus ac praecipuus sint ‚Sancta Evangelia'; de iis imprimis sermonem vertere oportebit. Quod ut pro dignitate fiat, ante omnia in ipsam vocis ‚Evangelium' genesim inquirendum erit. Est autem vox ‚εὐαγγέλιον', origine graeca derivata ab εὖ bene et ἀγγέλλω nuncio, idem ac bonum nuncium; latinitate dudum donata [1]. Laeti nuntii notionem, quae ex etymo iam sequitur, abunde confirmat usus vocis per Christum et Apostolos [2]. Merito autem Evangelii significatio docente d. Augustino [3] restricta est, ut nomen εὐαγγέλιον, laetissimum nuntium adventus Messiae per ἀντονομασίαν designaret, ususque in Ecclesia communiter receptus obtineret, laetum de Jesu Christo praeconium adpellare ‚εὐαγγέλιον.' Sic [4] ut per metonymiam Evangelium κατ' ἐξοχὴν accipiatur pro narratione de factis, dictis et fatis D. N. J. C. literis, consignata; quae habito respectu ad eos a quibus Salvator exspectabatur bonum, felix et summis votis expetitum nuntium est. Sed etiam comparate si cum reliquis Novi Testamenti Libris adventum Christi non dissimulantibus ecquidem, dictorum tamen actionum et passionum Jesu historias ex ordine et consecutione non recensentibus, Libri s. Evangeliorum conferantur; nulli S. S. parti ‚τοῦ Εὐαγγελίου' nomen magis convenit. Quia in iisdem Christi, qui est summum bonum, Salvator et a morte liberator, vita aeterna et medium ad illam perveniendi praeconium manifeste nuntiatur; quo nuntio faustum magis esse non possit.

---

1) Alexandrini quidem interpretes voce „εὐαγγέλιον"; atque quae eodem redit εὐαγγελίζω vertunt hebraicum nomen בְּשׂוֹרָה et verbum בִּשֵּׂר, laetum nuntium attulit. V. Gesenii, Thes. p. 248. M. van Staveren, disquis. theol. de Evangelii natura. Groning. 1839. p. 4. s. 2) Luc. 1, 13—20. 2, 10—12.; Matth. 4, 17. 23. 9, 35. 11, 5. Luc. 4, 43.; Matth. 26, 13. Marc. 1, 14. 3, 14. 16, 15. s. Act. 8, 4. 5. 10, 36. 21, 8.; I Petr. 1, 12. 4, 6.; I Thess. 3, 6. 7. Rom. 10, 15. 16. Gal. 1, 6—9. 11—13. Phil. 1, 18. I Cor. 9, 12—15. 15, 1. 2. II Tim. 1, 8. 10. Apoc. 14, 6. 3) Contra Faustum II, 2. p. 185. 4) Certum interim est titulum Evangelii his historiis non ab ipsis Hagiographis, sed serius adscriptum, et quidem ex Marci 1, 1. adscitum. Sed prima iam aetate id factum, ita enim vetustissimi interpretes iam hos libros insignivere. Sub finem saeculi secundi certe ex inscriptione Evangeliorum adversus Marcionem argumentabatur Tertullianus. Ad hos titulos similiter respexerunt Anonymus auctor Canonis apud Muratorium, s. Irenaeus atque Clemens Alexandrinus. Cum autem per hos titulos externa quasi authentiae apponeretur nota, sicque publicum de genuinitate redderetur testimonium; titulos apponendi ius spectabat ad Ecclesiam, quae erat „στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας" a divino suo Statore instituta. Cf. V. B. Diotavelli, diss. de tit. Ev. s. Joann. Rom. 1844. p. 11. s.

Personae Evangelium i. e. historias de Christi vita, doctrina, morte, resurrectione, indeque partae hominibus salutis ex inspiratione divina scribentes κ. ε. ,Evangelistae' vocantur [1]. Multos quidem conatos fuisse evangelicas texere historias s. Lucas refert [2]; sed afflante Spiritu Sancto nonnisi quatuor ad scribendum mentem adpulerunt [3]. Et quidem ad id muneris a Deo vocati sunt: s. Matthaeus et s. Joannes testes oculati; et duo alii s. Marcus et s. Lucas, qui non quidem erant de comitatu Domini; attamen a testibus oculatis didicerant, quae tradiderunt. Par interim singulis adhibenda fides, eademque tribuenda auctoritas. Evangeliorum historias, non ore ad os [4], sed scripto nobis traditas fuisse, divinae singulariter Providentiae acceptum referimus. Scribendi vero Evangelii opportunitatem, summamque utilitatem; aut etiam si homines spectemus, aliquam necessitatem, non ex absoluta Dei intentione aut expresso Christi mandato profectam adstruimus. Christus sane discessurus a suis non scribendi, sed praedicandi munus iisdem imposuit [5]. Quare et anni plures elapsi sunt a Christi in coelum ascensu, donec quisquam Historiis eiusdem conscribendis manum admoveret. Causae propter quas Evangelistae res Domini scripto tradiderunt, communiter assignantur sequentes. Prima a. ut in Ecclesiis, quas praedicando obirent, nec viva semper voce docere possent, certum doctrinae suae monimentum exstaret. Altera b. quia multorum recens ad Christum traductorum fidelium votis precibusque satisfacere volebant. Accedit tertia c. intendebant scriptione, proinde et lectione Evangeliorum fidem, spem, caritatem, solatium animis Christi sequacium instillare. Quamvis autem quatuor sint scriptores, qui quidquid de vita et doctrina Jesu Christi tenemus uno ore attestantur et iuxta Evangelistarum numerum quatuor dicantur Evangelia, cum tamen idem omnibus sit scopus Christi videlicet: quod Lex et Prophetae futurum praenuntiaverunt, hoc redditum atque completum demonstrare [6]; merito omnia quatuor nobis unum Evangelium esse dixerimus.

Talis cum sit tantaque Evangelii origo, quanta et dignitate et maiestate excellat, nemo non videt. Vim Evangelio tribuunt Hagiographi

---

[1]) Etenim ὁ εὐαγγελιστής nomen habet significationes plures, et potius in se praeconem quam scriptorem denotat; qui magis proprie εὐαγγελιογράφος dicendus esset. V. Bezange, l. c. IV, 18. p. 51. [2]) Evang. 1, 1. [3]) Cur quatuor et non plures vel pauciores fuerint, quaeri facilius quam responderi potest. Uno quidem plures esse debuisse, non sine causa sumitur; quod in duorum aut trium testium ore omnis veritas consistit. Deut. 19, 15. Matth. 18, 16. [4]) Ut, quidem ante Legem Moysis contigerat. [5]) Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. Act. 10, 42. [6]) S. Augustinus, de cons. Evangel. I. 1, 1. p. 2.

et quidem divinam [1], quae est ad salutem [2]. Evangelii igitur ea est virtus, ut credentibus sit pignus salutis, unde εὐαγγέλιον adpellatur: ,λόγος τῆς ζωῆς [3] atque τῆς σωτηρίας' [4]. Quod ergo tot tantisque titulis eximiis in ipsis Sacris Literis extollitur, non potest non omnium in se animos rapere, cunctosque ad venerationem tantae excellentiae inducere [5]. Quae quoniam ita se habent operae pretium erit diligenter de singulis S. Evangeliorum scriptoribus: quod ad personam, locum, tempus, occasionem, consilium attinet, videre.

---

[1]) I Cor. 1, 18. 24. [2]) Rom. 1, 16. Phil. 1, 27. 28. dicitur ἔνδειξις, indicium, demonstratio exitii infidelibus, credentibus salutis; idque esse a Deo. Qui Jesu „λόγον" audit, recipit et in corde conservat, habet vitam aeternam. Joann. 5, 24. 20, 31. Haec est ἐπαγγελία, quam Deus nobis promisit, et haec est μαρτυρία, quod vita aeterna nos donavit. I Joann. 2, 25. 5, 11. Neque homines singuli Evangelii medio servantur; sed per id totum genus humanum salvum evadit. Ephes. 2, 12—18. [3]) Act. 5, 20. [4]) I Pet. 1, 10. [5]) In cuius rei confirmationem libet eruditionis causa delibare: *quantus sanctis Dei Evangeliis omni tempore fuerit honor exhibitus.* Priscus certe id usus habet ad solennem Evangelii lectionem extollere vocem, accendere cereos, thura adolere. V. s. Hieronymi, contra Vigilant. II, 394. Mos vero assurgendi Evangelio lecto in tota Ecclesia est pariter longe antiquissimus. De hoc assurgendi et standi more utpote generali testantur libri Rituum Graeci et Latini, Concilia aliaque monimenta. Cf. Constitut. Apost. II, 57. ed. Cotel. I, 265. Anastasii I. P. decr., apud Hard. Coll. Conc. I, 973. Philostorgii, Hist. Eccl. III, 5. p. 478. ed. Valesii, s. Isidori, ep. I, 136. p. 271. Sozomeni, Hist. eccl. VII, 19. p. 735. aliorumque bene multorum testimonia, quae collecta dabit Eus. Renaudotius, Liturg. orient. coll. Par. 1716. I, 138. 210. s. II, 9. 600. Jac. Goar, ad Euchologion sive Rituale Graecorum ed. Ven. 1730. ed. 2. p. 54. 108. C. J. Bona, Rerum lit. II, 7. ed. Amst. 1723. p. 327. Evangeliorum Codices literis descripti aureis et argenteis, ornati gemmis, in throno collocabantur. L. s. Cyrilli Al., apologet. ad Theodos. imp. IX, 471. Sancta denique Dei Evangelia in supplicationibus publicis gestata; in processionibus solennibus praelata; lecta a Regibus palam deposita tantisper regia veste ac persona; de collo appensa, veneratione, deosculatione et obsignatione reverita; ordinandorum capitibus imposita; illis ostensis inimicitiae depositae, denique ut nihil praeteream, per ea iuratum et innocentiae fides facta. Cf. s. Joann. Chrysostomi, in Matth. hom. LXXII, 2. p. 703. S. Hieronymi, ad Matth. 23, 5. VII, 184. Socratis, Hist. eccl. VII, 13. p. 351. Capitularis Aquisgranensis VII. in ed. P. de Chiniach. Par. 1780. I, 384. Canon. Isaaci Ep. Lingon. XI, 3. ib. p. 1277. Nicephori Gregorae, Hist. Byzant. XII, 5. ed. Ven. 1729. p. 295. R. Simon, Nouv. observ. sur le texte et les vers. du N. T. Par. 1695. p. 121. Jos. Ciampiani, Vet. monum. musiv. I, 16. J. A. Schmidii, trig. diss. h. th. de cultu Evangeliorum Jen. 1692. Pagii, crit. Ann. Eccl. Baronii ad a. 825. n. 23. ed. Luc. XIV, 86. Em. Gonzalez Tellez, Comm. in Decretal. ed. Lugd. 1673. II, 159. ad II, 7. c. fin. Sufficere haec arbitramur ad demonstrandum quantum sacrosanctis Evangeliis omni tempore detulerit reverentiam, quanta illa dignitate praefulgeant, quanto idcirco et a nobis deinceps sint honore excipienda.

§. 43. Persona s. Matthaei Apostoli.

Primus omnium Evangelio scribendo manum admovit S. Matthaeus[1], qui et Levi[2]; patrem habuit Alphaeum[3], patriam Galilaeam, nationem Judaicam. Antequam a Christo ad ministerium evangelicum vocatus esset, publicorum vectigalium exactionem in telonio exercebat prope civitatem Capharnaum ad mare Tiberiadis. Cum hoc suo munere fungeretur, vocatus a Christo; relictis omnibus surgens secutus est eum; factusque est ab hac inde vocatione — quam solam cum secuto convivio S. Evangelia enarrant — non modo nobilis Christi discipulus eiusdemque doctrinae auditor diligens, operumque spectator industrius: sed et unus ex duodecim Apostolis Filii Dei Salvatoris Nostri; imo et Evangelista. Quomodo autem d. Matthaeus post magistri sui in coelos ascensionem praeter Judaeos[4] in citeriori Aethiopia, quae vicinior est Aegypto, non solum Christum praedicaverit, verum etiam martyrio coronatus[5] fuerit, veteres tradunt scriptores[6].

---

1) Ματθαῖος, confer. מַתַּי nomen quod significat donum Domini. Ita olim iam s. Isidorus, Etymolog. VII, 9. III, 287. Arabs Kirstenii, vitae Evangelistarum quatuor ex a. c. mss. Caes. Vindob. Breslae. 1608. p. in titulo προλεγομένων interpretatur electus almustafi. 2) Hoc erat eius cognomen, ut ex Luc. 5, 27. coll. Matth. 9, 9. manifeste sequitur. Cf. p. 45. Cotelerii, not. 9. ad Const. ap. VIII, 22. ed. Clerici. I, 413. Duos enim diversos Christi discipulos cum neotericis confingere velle, non est necesse. L. praeter alios Frisch, comm. de Matthaeo cum Levi non confundendo. Lips. 1746. Hos refutavit etiam Khell, Eclog. Obs. I, 9. p. 43. 3) Coll. Marc. 2, 14. ad. q. l. v. Stiltingum, de s. Matthaeo Ap. et Evang., in Act. S. S. Sept. VI, 200. s. Luc. 5, 27. adpellative „publicanus" dicitur. Fuit nempe Matth. 9, 9. sedens in telonio, sive telonarius, τελώνης apud Suidam, Thes. II, 1067. Suicerum Thes. Eccl. II, 1266. s., qui erat species publicani; a publicanis enim telonarii in legibus Romanorum distinguuntur. Erat autem publicanorum genus, nam hocce nomine nunc potiori uti liceat, ob fraudes et imposturas Judaeis aeque ac Romanis valde exosum. Cumprimis autem Judaei odio publicanos plusquam hostili prosequebantur, utpote qui libertatem semper anhelantes magistratui alieno vectigalia sine summa animi molestia pendere vix poterant, praesertim si accederet exactorum iniquitas, qua in vita publicanorum nihil erat frequentius. Ceterum plura de publicanis erudite congesta l. ap. Bezange, Intr. p. 67. s. F. G. Gregorium, de temperamentis script. N. T., in Thes. nov. II, 34. s. 4) Ut vetustissima habent monimenta ab Hagiographis ad diem 21. Sept. excitata, l. s. c. p. 206. s. 5) In urbe quadam Naddaber. 6) L. Eusebii, H. E. III, 24. p. 95. Quo interim genere mortis clarificaverit Deum, et ubi? minus certe narrant. Lapidibus obrutum Beschberi, habet Arabs Kirstenii p. 30. Atque haec de persona s. Matthaei sufficiant; plura dabit eruditissimus Stilting, in Act. S. S. Boll. l. s. l.

ordinis minus accuratum observatorem fuisse videri posset; sed attenta lectione patet Evangelistam totum Librum suum in certa membra dispertitum esse, quorum commissuras ex verbis agnoscimus, quibus scriptor in universum dicens, singularum rerum descriptionem vel finiit vel exorditur. Quae si, ut certo nobis persuasum habemus, vera sunt: partes Evangelii secundum Matthaeum quinque distinguere licebit[1]. In prima parte[2] scriptor abs se narrata de ortu, infantia, baptismo, ieiunio atque auspiciis muneris docendi J. C. concludit annotatione[3]: Jesum ubi circa circum in synagogis doceret, et quovis morbo aegrotis mederetur, populo undique affluente famaque in dies crescente totam Galilaeam peragrasse. Simili modo partis secundae[4] finem indicatum videmus[5]; eadem fere ratione[6] pars tertia[7] ad exitum perducitur. Pars quarta[8] ita terminatur, ut simul Evangelista ad extremam transeat narrationem; atque ea quae gesta sunt a Domino, antequam Hierosolymas triumphali ritu ingrederetur[9], secernantur ab iis, quae Jesus postea verbis, factis, passione, morte et resurrectione peregit. Haec autem parte quinta[10] pertractantur.

§. 46. Quem ob finem scriptum sit Evangelium s. Matthaei.

Quid s. Matthaeus cum Evangelium suum exararet, praecipue in animo haberet, id ipsum ex verbis, quibus inscribitur ‚Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ Δαυίδ‘ satis elucere iam Veteres monuere[11]. Quanquam enim quae hoc Libro habentur, latius quam inscriptio, pateant; tamen quale fuerit scriptoris consilium, ex iis quibus liber incipit verbis: ‚Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham‘ colligitur. Nam sine ulla controversia certum est, scriptorem in id unum animum intendisse: ut ostendat

---

[1]) Argumentum totum singulorum Evangeliorum recensere superfluum duximus cum ex historiis nostris Jesu Christi in promtu sit. [2]) Quae C. I—IV. absolvitur. [3]) 4, 23—28. [4]) C. V—IX. [5]) 9, 35—38. [6]) 14, 35. 36. [7]) C. X—XIV. [8]) 19, 1. 2. C. XV—XVIII. [9]) 20, 17. s. [10]) C. XXI—XXVIII. [11]) Cf. s. Irenaei, fragm. XXIX. p. 842.

Messiam in tota s. Scripturarum V. T. serie toties promissum, iam tum advenisse; et hunc esse revera Jesum gente Davidica, et proinde Abrahamica natum, qui dicitur Christus[1]. Fervebat eo tempore, quo s. Matthaeus ad scriptionem Evangelii divinitus excitatus est, odium Judaeorum in dies magis contra rem Christianam et Ecclesiae. Veram illam, Dei hanc esse negarunt; idque argumentis e V. T. petitis. Apologeticam igitur et polemicam, quam dicunt, formam, non mere historicam Apostolorum praedicatio Evangelii inter Christianos Judaeos induerit necesse est. Eundem autem ad finem Evangelium s. Matthaei concinnatum e textura eius facile apparet. Igitur s. Matthaeus D. N. J. C. Historias orsus mox ad eam, quae secundum humanam naturam est, Christi generationem ex prosapia regia Davidis enarrandam adiecit animum; et reliqua in infantia, praeconio ac morte gesta ita describit, ut ex adductis opportune vaticiniis[2] expositisque plurimis miraculis comprobaret: Jesum esse Christum. Et sane cum praecipue s. Matthaeus ad Judaeos scripsisset, non poterat illorum magis et evidentius ad Jesum fidem cogere, quam si ostenderet, illum qui verus esse Christus iam palam praedicabatur, esse Messiam Patribus promissum. Eapropter merito huic Evangelistae ‚facies hominis' tributa veluti insigne sive symbolum; quia prae reliquis s. Evangeliorum scriptoribus humanitatem Christi describere adgressus est[3].

---

[1]) Omnes inde a primis iam temporibus hoc scriptores viderunt. Ut nonnullos horum temporum afferramus. V. C. A. Credner, Einl. I. 1, 60. s. Köstlin, der Ursprung und die Composition der Synopt. Ev. Stuttg. 1853. p. 6. s. Ad. Maier, Unt. ü. d. Zw. p. 4. s., quae diss. reperitur etiam in Zeitsch. f. Th. Freib. 1847. XVIII, 5. Baur, Krit. Unt. ü. d. Kan. Evang. ihren Char. Ursp. Tüb. 1847. Plitt, de compos. Evang. synoptic. Bonn. 1860. [2]) Etenim viginti horum vaticiniorum proferuntur V. Matth. 1, 23. 2, 6. 15. 18. 23. 3, 3. 4, 16. 8, 17. 11, 5. 10. 12, 18. 13, 35. 21, 5. 16. 42. 22, 44. 26, 31. 27, 9. 35. 43. 46. Rarius id fit apud reliquos Evangelistas, quinquies inquam apud s. Marcum, octies apud s. Lucam, undecies autem apud s. Joannem. Imo quae S. S. testimonia apud s. Marcum et s. Lucam laudantur, demto uno alterove — e. g. Marc. 1, 2. 3. 15, 28. Luc. 3, 4. 5. 6. —, non ab ipsis sed ab aliis advocantur. Neque illud observatione indignum: studio s. Matthaeum quaedam narrare, ut demonstraret πλήρωμα cuiusdam prophetiae. V. 1, 18—23. 2, 13—15. 23. 4, 12—16. 12, 15—21. 21, 15. 16. 27, 3—10. [3]) Cf. s. Hieronymi, super Matth. ad Eusebium praef. p. 6. scribentis verba: „Haec igitur quatuor Evangelia multo

§. 47. Evangelium d. Matthaei vernaculo Haebraeorum sermone exaratum.

Quodsi etiam deessent Veterum hac de re testimonia iam e consilio, quo Jesum esse Christum sibi demonstrandum sumsit s. Matthaeus, coniicere possemus ipsum Hebraeis hebraice, i. e. vernaculo tunc temporis in Palaestina sermone aramaeo scripsisse. In hoc egregie consentit tota Antiquitas; cuius sententiam quindecim saeculorum auctoritate confirmatam D. Erasmus Rotterodamus[1] primo in dubium vocavit; quem alii non pauci[2] idem opinantes secuti sunt[3]. Testibus vero haec causa decidenda est et idoneis argumentis. Jam vero a. Traditio Veterum dubitare non permittit s. Matthaei Evangelium aramaeo sermone Palaestinis tunc vernaculo literis mandatum fuisse. Ex arbitrio autem statuitur s. Patrum atque Scriptorum e. sententiam de Evangelio s. Matthaei hebraice scripto inde esse ortam, quod illud Nazaraeorum Evangelium cum Originali textu confudissent. Nemo enim

---

ante praedicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur: Et in medio sicut similitudo quatuor animalium: et vultus eorum facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilae. Prima hominis facies Matthaeum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere." Egregia sane visio illa Ezechielis primum, deinde quoque s. Joannis usurpata oculis, totius primitivae Ecclesiae consensione communi Evangelistis ad illorum insignia notanda eleganter est applicata. „Qui ante nos, ait s. Augustinus in Joann. c. 8. tr. 36, 5. p. 546., Scripturarum sanctarum mysteria tractaverunt, plerique in his animalibus quatuor Evangelistas intellexerunt." L. M. J. Thomasii, quatuor insignia Evangelistarum, in Thes. th. ph. p. 57. s. Fr. Münter, Symbola veteris Ecclesiae artis operibus expressa. Hafniae 1818. p. 24. W. Menzel, chr. Symbolik. Reg. 1854. II, 114.

1) Ad Matth. 9, 17. adnot. Oper. omn. ed. Lugd. B. 1705. VI, 47. 2) Mox Thomas de Vio Caietanus, Comm. in q. Ev. comm. p. 1. 6. 3) Priscorum acatholicorum orthodoxi quidam — E. g. Heidegger, ench. bibl. p. 462. s. Pritius, Introd. in lect. N. T. Lips. 1764. p. 298. s. F. G. Gregorius, de temp. Script. N. T. §. VIII. p. 35. — metuentes ne ab hostibus veritatis semper ad amissum provocetur exemplar hebraicum, textum graecum ipsi Evangelistae Matthaeo vindicarunt. Nolumus — ne disputatio fiat prolixior, quam sit necesse — qui his accesserunt recentiorum acatholicorum scriptorum nomina congerere, horum enim cupiditati satisfacere potest Fabricius, in cod. apocr. N. T. I, 355. s. II, 542. s. F. G. Schubert, diss. qua in sermonem quo Ev. Matth. conscr. f. inq. Gott. 1810. p. 7. s. Credner, Einl. p. 78. s. Neudecker, Lehrbuch. p. 195. n. 1. R. Anger, ratio qua loci V. T. Ev. Matth. laudantur quid valeant ad illustr. huius Ev. indolem. P. III. Lips. 1862. p. 10. Unum hoc solum addimus ex nostris quoque Matthaei Ev. graece exaratum esse affirmasse: J. L. Hug, Einl. II, 16. s. A. J. Binterim, ep. cath. interlim. p. 219. Propempt. p. 67. s. Ungarellium, prael. de N. T. p. 41. s.

Veterum unquam eiusmodi confusionem admisit. b. Accedit relationes Veterum insigniter confirmari pondere argumentorum internorum. Ab una parte textus graecus naturam interpretationis refert [1]; ex parte altera Graeci Originalis nulla reperiuntur certa vestigia. Neque c. aliam sententiam tuebantur Syrorum atque Arabum scriptores domestici [2]; multaeque subscriptiones Codicum et antiquarum Versionum [3]. Quae cum ita sint aramaeum Evangelii d. Matthaei textum exstitisse certum habemus. Singulare autem illud hoc in loco occurrit, quod nihil omnino certi ducibus antiquis testibus reperiatur de ratione, quae intercedit inter ἐκδοχήν hebraicam et graecum volumen, quod nunc in Canonem S. Literarum receptum est. Bene omnia secum consentire videntur, si demonstrari posset duplicem s. Matthaeum exarasse Codicem hebraicum alterum, alterum graecum [4]. Res dirimi et ad iustum finem nullo modo provehi poterit; illud interim dubium esse nequit, textum graecum, forte iam aevo s. Evangelistae adornatum, post aramaei originalis amissionem Archetypi in Ecclesia habere auctoritatem [5].

Digressio vindicias exhibens testimonii Ecclesiae Antiquae de Evangelio s. Matthaei hebraico. Age in sinceritatem et dexteritatem S. P. et S. E. inquiramus, qui de lingua Ev. s. Matthaei aramaea aliquid prodiderunt. Si desideramus testes primi ordinis, i. e. aequales Apostolorum, nullum quidem reperimus. Inter suppares vero, qui initio saeculi secundi vixit, primus se nobis offert Papias, dictorum atque factorum apostolicorum scrutator diligentissimus, quem s. Irenaeus apud Eusebium, H. E. III, 39. p. 110. s. Joannis Ap. auditorem et s. Polycarpi socium, virumque antiquum adpellat. Hic itaque Papias, ib. p. 113. de S. Matthaeo testatur „Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο, ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος." Necessarium non esset de hocce testimonio plura verba facere, nisi copiosi viri eruditi — inde a Schleiermachero, Stud. u. Krit. 1832. p. 735. Einl. i. N. T. ed. G. Wolde. Berl. 1845. p. 240. s. videlicet Schneckenbur-

[1]) Cf. Buslav, diss. de lingua orig. Ev. sec. Matth. Vrat. 1826. p. 63. Schott, ü. d. Authenticität d. k. Ev. n. Matth. g. Leipz. 1837. p. 91. Minus ad quaestionem hanc demonstrandam faciunt allegata penes s. Matthaeum ex V. T.; quia iam cum Originali, iam cum Versione Alexandrina concordant, saepe neutris. V. Patritii, de Ev. I. 1, 6. p. 22. s. R. Anger, ratio qua loci V. T. in Ev. Matthaei laudantur. Lips. 1861. 2. I. II. [2]) Cf. J. S. Assemani, Biblioth. Or. Rom. 1719. III. 1, 8. n. 2. s. Kirstenii Arabem in haec verba perorantem: „Singulari Dei omnipotentis consilio, factum esse puto, quod lingua ebraea primum Evangelium conscriptum fuerit; ut inquam hic populus Israel, in ultimo iudicii die, eo minus excusationis habere possit." p. 29. [3]) Quae legi possunt apud R. Simon, H. c. d. t. d. N. T., p. 102. J. D. Michaelis, Einl. §. 128. p. 127. s. [4]) Ita statuit J. N. Fleischer, de Evangelio Matthaei hebraico. Lips. 1764. p. 12. [5]) Quocumque demum interprete sit facta; varii enim variis illam vindicarunt. Nuperrime Sepp, Gesch. d. Ap. Schaff. 1866. p. XXIX. s. Philippo adscripsit.

ger, ü. d. Ursprung der kan. Evang. Stuttg. 1834. p. 160. s. Lachmann, de ordine narrationum in Ev. Synopt., in ann. Stud. u. Krit. 1835. p. 577. s. Chr. H. Weisse, die Evangelienfrage, Lips. 1856. p. 78. s. H. Ewald, Jahrbüch. d. bibl. Wiss. Gött. 1849. II, 214. s. Köstlin, Komp. d. sym. Ev. p. 55. E. Reuss, die Gesch. d. h. Schr. d. N. T. p. 176. s. B. Weisse, in ann. Stud. u. Krit. 1861. p. 88. Tobler, die Evangelienfrage im Allgemeinen u. d. Johannisfrage insb. Zür. 1858. p. 15. Freytag, die h. S. d. N. T. Berlin 1861. p. 2. s. A. Reville, études cr. sur l' evangile s. St. Matthieu L. B. 1862. p. 52. in op. soc. Haganae pro def. rel. Chr. s. IV, 3. E. de Muralto, traité sur la composition de l' ev. S. Matth. ib. p. 3. — docerent voces „τὰ λόγια" in supra laudato testimonio Papiae non de ipso s. Matthaei Evangelio intelligenda esse; sed aliquam nonnisi sermonum Jesu C. collectionem ex qua serius additis, quibus ansa eorum sermonum explicaretur aliisque narrationibus Evangelium, quod s. Matthaeo adscribitur, origines suas duxerit. Hinc orta est illa apud interpretes recentiores „de aliqua sermonum Jesu collectione" fabula, pervagatissimaque ad nostros usque dies mansit. Fabulam autem hanc coniecturam merito dicimus. Quanquam enim nomine „λογίων" — i. e. „κυριακῶν" ut in mox praegressis Papias aiebat — per se spectato egregie effata Christi adpellari potuisse, non est quod in controversiam adducatur; tamen Papiae verba non ita accipienda, ut dicta opponantur rebus, sed narrationem haud dubie eandem significare, qua s. Matthaeus eloquia Christi refert; hoc ex connexione verborum, et ex iis quae proxime antea iuxta Eusebium recitavimus consequitur. Enimvero verba „ἑβραΐδι διαλέκτῳ" primo loco et cum emphasi prolata denotant, Papiam non de collectione sermonum; sed de Libro Evangelii hebraice exarato loqui, cuius narrationes sibi quisque quantum poterat in graecum transtulit, donec — id quod supplendum est — illa fieret interpretatio graeca, quam nunc tenemus. Itaque non effata opponuntur rebus, sed hebraica lingua graecae. Nam Papiam plurimum intererat, eloquia Christi ea forma tenere, qua Jesus ipse usus erat. In hunc sensum Papiam intellexerunt etiam: C. Th. Kuinoel, Ev. Matth. illustr. ed. IV. prol. p. 23. J. Chr. Rördam, diss. de fide Patrum in iis q. de orig. Ev. can. max. Matthaei tradiderunt. Hafn. 1839. p. 170. s. Harless, lucubrat. can. Evang. spect. P. I. Erl. 1841. p. 4. s. Hug. Theol. Zeitschr. Freib. 1839. I. 1, 33. s. Lücke, in Stud. u. Krit. 1833. p. 501. s. Frommann, ib. 1840. p. 912. s. Thiersch, Vers. z. Wiederh. d. hist. Stand. p. 186. J. Kirchhofer, Quellensammlung zur Gesch. d. Neutest. Canons. Zür. 1844. p. 88. et ipse quem mireris D. Strauss, Leb. J. ed. III. p. 73. et in ann. J. f. wiss. Krit. 1834. p. 763. Delitzsch, l. s. c. Baur, Krit. Unt. p. 580, Reithmayer, Einl. p. 353. A. Maier. Einl. p. 50. s. W. M. L. de Wette, Lehrb. d. h. k. Einleitung in die Kanon. Bücher d. N. T. ed. VI. ab Messner et Lünemann. Berlin. 1860. p. 197. Guerike, Gesamtgesch. d. N. T. p. 111. Hilgenfeld, der Kanon und die Kritik des N. T. Halle 1863. p. 13. s. Güder, in Herzog R. E. IX, 171. s. Bleek, Einl. p. 93. C. E. Luthardt, de compos. Ev. Matth. p. 5. Quid quod luculentissimum eiusdem loquendi rationis exemplum habemus apud Photium, Biblioth, cod. 228. ed. Migne p. 966. ubi in or. s. Ephraem Theop. Patr. totum Evangeliorum corpus ab argumento principali „τὰ κυριακὰ λόγια" vocatur. Quae cum ita sint, non potest non affirmari nomine „λογίων" Evangelium s. Matthaei, ceu scriptionem et verba et facta D. N. J. C. recitantem, absque ulla ambiguitate per compendium, Papiae dictum esse. Ad fidem vero quod attinet, quae adhibenda sit huic Papiae

testimonio plerique recentiorum, inter quos et Hugius noster, Einl. p. 16. s. nullam esse clamant. Et quidem Hug. iudicio Eusebii — Papiae opinionem de regno millenario referentis l. s. c. p. 112. „Quae quidem ita opinatus esse videtur Papias ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea quae arcano quodam sensu et exempli causa ab illis dicebantur, non satis pervidisset. Fuit enim mediocri admodum ingenio praeditus." — fretus traditionem hanc Papiae veluti hominis pertenuis ingenii, creduliqne scriptoris spernit. At Hugius in errorem lapsus est. Potuit Papias, cum referente Eusebio, H. E. III. 39. p. 112. „σμικρὸς τὸν νοῦν" foret, ubi intellectu res dirimenda esset, hallucinari et in eo negligi; tamen propterea non est fide indignus, ubi Historias narrat. Hugius certe ultro processit, quam Eusebius ipse, qui eum mediocris ingenii hominem fuisse insinuat; sed malae fidei eum nusquam accusavit: neque quidquam eorum correxit, quae Papias de Evangeliis tradiderat. Quod illi omnino faciendum fuisset, si quid falsi in relationibus eius reperisset. Imo idem Eusebius, H. E. III, 36. p. 106. de illo scribit: „Παπίας.... ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος." Itaque iudice ed. Heinichen, I, 271. not. 1. „Papiam fuisse virum in omnibus multa scientem, omni eruditionis genere instructissimum" dixit. Cum his autem minime pugnat quod mediocris intellectus virum adpellaverit l. s. c.; nisi quis demonstravit, quod quicumque multa legerat atque didicerat, acumine quoque ingenii et vi rationis praeclara pollere debeat. Falsum est porro quod Hug. affirmat, non constare unde habuerit Papias sua de Evangelio d. Matthaei hebraico. Enimvero quanta diligentia fuerit Papias in colligendis Veterum monimentis, optime ex prooemio librorum eius apud eumdem Eusebium, l. c. p. 111. discere possumus; unde clare patet: Papiam facta fingere neque potuisse, neque voluisse. Papias, l. c. p. 112. clare perhibetur ab Aristione et Joanne presbytero sua accepisse. Ad haec accipienda Papias satis habebat ingenii, sicut et ad interrogandum, quo sermone Evangelium suum s. Matthaeus exaraverit; satis item bonae fidei ad illud referendum, sicut ab Apostolorum discipulis — inprimis ab Aristione illo atque Joanne presbytero — intellexerat. Quapropter auctoritas Papiae contemnenda non est in re tam facilis cognitionis; sed potius maximi facienda ob viri antiquitatem: praesertim cum et nullus illi contradixerit, neque enim deerant alii Scriptores ecclesiastici u. v., qui ei contradicere poterant imo debebant, si falsum dixisset. Cf. Heinichen, l. c. p. 285. Reuterdahl, de fontibus H. E. Eusebii. Lond. Goth. 1826. p. 33. s. B. Rienstra, de font. e. q. H. E. op. h. Eusebius. Trai. a. R. 1833. p. 29. s. Vel sic impedimur existimare e solo Papiae testimonio profluxisse omnia quae S. P. et S. E. laudati de hebraico s. Matthaei Evangelio tradiderunt. Nam nec s. Irenaeum quidem ex Papia solo hanc traditionem cognovisse, pro certo affirmare licet. Sunt vero qui nec minus regerunt Veterum testimonia a nobis fidem non impetrare posse, quod eorum nullus palam certeque dicat, se manibus oculisve trivisse s. Matthaei hebraicum illud Evangelium. Verum hoc argumentum absolute falsum est. Nam s. Hieronymus, ep. ad Damas. XX, 5. p. 68. testatur „Matthaeus, qui Evangelium hebraico sermone conscripsit, ita posuit Hosanna baramma." Quomodo verba hebraica Matthaei recitavit, si Evangelium ipsius hebraicum non viderit. Sed plura de re notissima h. l. afferre taedet. Temeritate non vacat sine ullo vetusti scriptoris testimonio S. P. et S. E. de s. Matthaei Evangelio hebraice scripto dicentium auctoritatem velle infringere. Pro textu S. Matthaei aramaeo interim pugnarunt viri

doctissimi: R. Simon, hist. crit. du texte du N. T. c. 5. p. 47. H. Grotius, Annot. in Ev. Matth. p. 4. scribens: „Nam quod quidam magno conatu probatum eunt, graecum id quod habemus esse ipsius Matthaei primitivum, in eo nullis iustis de causis maximam piae antiquitatis consensionem repudiant." G. Cave, Script. eccl. hist. liter. Gen. 1694. p. 67. Tillemont, Mem. pour servir a l' hist. I, 393. s. L. E. du Pin, dissert. prelimin. II, 3. ed. Amst. 1701. p. 22. s. J. N. Fleischer, disp. d. q. Ev. Altdorf 1699. p. 16. De Ev. Matthaei hebraico Lips. 1764. p. 13. J. D. Michaelis, Einl. p. 810. s. J. A. Bolten, der Bericht des Matth. Altona. 1792. p. 6. s. prol. Gr. Mayer, Beitr. z. Erkl. des Ev. Matth. Vind. 1818. prol. p. 4. Elsner, diss. Matthaeum hebr. serm. conscrips. suum Ev. Franc. ad Viadr. 1791. J. C. Schwarz, Soloecismi discip. J. C. Coburg. 1730. p. 49. s. D. Tobenz, Comm. in S. S. I, 24. H. Bezange, Introd. i. s. q. Ev. p. 78. s. J. Stilting, in Act. S. S. Sept. VI, 202. s. Goldhagen, Introd. III, 22. Adler, nonnulla Matthaei et Marci enuntiata ex indole linguae syriacae explicata. Hafn. 1794. L. Bertholdt, Einl. in sämmtl. Schr. d. a. u. n. B. Erl. 1813. III, 1257. J. Th. Buslav, diss. de lingua orig. Ev. s. Matth. Vratisl. 1826. Heinichen, l. c. p. 285. Grawitz, sur la langue originale de l' evang. de S. Matth. Par. 1827. Olshausen, die Äctheit der v. k. Ev. p. 18. s. Bibl. Comm. ed. IV. Königsb. 1854. I, 12. Schott, Isagoge p. 69. s. C. Unterkircher, Introd., p. 107. s. Ann. Tüb. Quart. 1822. Feilmoser? p. 672. s. Glaire, Abrégé d' Introd. p. 347. s. Guerike, Beiträge z. h. Kr. Einl. Halle. 1828. p. 86. s. Gesammtgesch. p. 111. s. Rördam, l. c. p. 171. s. A. Maier, Einl. p. 49. s. Reithmayr, Einl. p. 356. s. Patritius, q. V. l. s. c. p. 9. s. A. Messmer, Introd., p. 18. s. Márkfi, Intr. II, 7. s. Pollák, Hist. Rev. bibl. II, 116. Güder, Matth. Apost. u. Ev., in Herzogs R. E. IX, 165. s. M. Arnoldi, Comm. z. Ev. Matth. p. 23. s. Schegg, Ev. nach Matth. I, 11. s. Güntner, Introd. p. 172. s. Haneberg, Gesch. d. bibl. Off. p. 649. s. Bisping, Erkl. d. Ev. n. Matth. p. 27. s. Demaret, de origine q. Ev. p. 48. Ad extremum illud obiter h. l. notamus hebraicam Ev. Matthaei editionem saec. XVI. a S. Münstero Bas. 1530. vulgatam, esse Versionem ex graeco profectam.

§. 48. Αὐθεντικὸν esse Evangelium s. Matthaei demonstratur.

Duodeviginti ferme saeculis a s. Matthaeo integri ut in Canone legitur Evangelii possessio stetit; donec primum atque secundum Evangelii caput aliqui [1] tardius ab aliena manu adiecta fuisse suspicati sunt: iis

[1]) J. William, a free Enquiry into the authenticity of the first and second chapters of St. Matthews Gospel. London. 1790. Stroth, von den Interpolationen im Ev. Matth., in Eichornii Repert. IX, 99. s. John Jones, sequel to ecclesiastical researches, in which the origin of the introductory chaptres in Matthiew and Luke. Lond. 1813. Ammon, de Luca emendatore Matthaei Erl. 1805. D. Schulz, die chr. Lehre vom h. Abendmahl. Leipz. 1824. p. 302. s. M. Roediger, symb. q. ad Evang. potiss. pert, Hal. 1827. p. 8. s. Klener, rec. de Matth. Ev. auth. quaest. Gott. 1832. p. 57. s. Kern, ü. d. Urspr. d. Ev. Matth. Tüb. Zeitsch. 1834. aliique.

rationum momentis, quas accurata rei investigatio facile refellit. Nihil his capitibus inest, quod a s. Matthaeo scribi non potuit. Imo ex toto dicendi genere; crebris citatis V. T.; et ex initio capitis tertii manifesto idem scriptor probatur. Neque praetereundum originis et infantiae D. N. J. C. historias, Evangelii consilio, quo in scribendo usus est s. Matthaeus cum maxime necessarias fuisse. Denique conciliandi tentamina Veterum genealogias s. Matthaei et s. Lucae idem docere [1]. His commode addi potest, quod haec duo capita in omnibus antiquis Codicibus et Versionibus inveniantur. S. P. et S. E. omni data occasione rem, quin et voces harum narrationum recitant. Nostris demum diebus exstiterunt, qui universum variis ex libellis conflatum et compositum primum Evangelium censerent [2]. Attamen hac methodo instar compilatorum habentur Apostoli et testes Christi; simplicitas Evangeliorum arte et lege profana mensuratur; tota res non suo sed alieno ponderatur momento. Quandiu vero in his viis, quas nos quidem merito dicimus devias, Critici insistunt; tamdiu impervium ipsis manebit, quae sit vera Evangeliorum natura et dignitas [3].

---

[1]) V. p. 183. [2]) H. Ewald, quo est summo indagandi Librorum S., quos ignotorum scriptorum habet, fragmenta pruritu, scripto „die drei ersten Evangelien übersetzt und erklärt.“ Gött. 1850., quinque literarum formis eam quam protulit s. Matthaei versionem typis exscribendam curavit, ut fragminum e quibus Evangelium nostrum conflatum putat, copiam ob oculos poneret. Simili arbitrio usus est Weisse, in Stud. u. Krit. 1861, p. 29. s. qui Evangelium nostrum nec unius auctoris, neque eiusdem consilii esse opus dictitat. Köstlin, der Ursp. p. 112. putat Evangelium ortum esse ex hebraico s. Matthaei archetypo, ex primitiva quam statuit Evangelii s. Marci forma, et ex traditione Galilaea. Sed haec sunt altioris cuiusdam divinationis criticae imagines ex mero arbitrio sumtae. Hilgenfeld, die Ev. n. ihrer Entsteh. u. gesch. Bedeut. Leipz. 1854. p. 109. s. Id. der Kanon u. d. Kritik d. N. T. Halle. 1863. p. 170. s. priorem aliquem et posteriorem scriptorem discernere se posse opinatur, quorum ille magis ad iudaicos quasi terminos rem christianam cogere; hic historias Evangelii magis cum Pauli doctrina convenientes reddere studeat. Bleek, synopt. Erkl. der drei ersten Ev. ed. Holtzmann. Leipz. 1862. I, 9. Einl. 268. s. 276. s., quocum in summa re faciunt Freytag, die h. Schr. d. N. T. Berl. 1861. p. 3. s. J. T. Tobler, die Evangelienfrage Zür. 1858. p. 24. s., dicit Evangelii concinnatorem eundem, qui vaticinia antiqua cum rebus Christi confert, textus hebraici magis quam LXX. interpretationis gnarum, Librum suum graece exarasse: ita ut scriptis uteretur eodem sermone compositis, iisque simul ea V. T. eloquia complexis, quae LXX. versionem sequantur. Suas etiam Reville, et. cr. s. l' évang. s. st. Matth. Leide. 1862. et Holtzmann, die synopt. Evang. n. ihr. Urspr. u. gesch. Char. Leipz. 1863. singulares protulerunt hypotheses. Quae omnia artificiosius, quam verius sunt disputata; omnique fundamento, quod adpellant, historico destituuntur. [3]) Ceterum non desunt, qui operibus laude dignissimis s Matthaei vindicias agerent. Ex

§. 49. S. Marci genus, patria, fata.

Celeberrima est memoria S. Marci Evangelistae in omnibus ecclesiasticis festis Latinis, Graecis et Copticis, idque merito propter Evangelium Altissimi, quod praedicavit [1]. Eundem esse virum quem s. Petrus filium suum [2] adpellaverit, iam Veteres monuere; et suo calculo probarunt recentiores. Perdifficilis autem vertitur quaestio: num hic Marcus a s. Pauli comite eiusdem nominis diversus sit, nec ne? Unum ab altero discernendum argumenta persuadent, quae quidem suo pondere haud carent. Ex temporum locorumque diversitate constat, eosdem plane inter se distinctos esse. a. Marcus, qui Barnabae consobrinus erat et s. Pauli discipulus [3], natione creditur Syrus Antiochenus [4]; Joannes Marcus Hierosolymites fuisse videtur. Nam mater eius domum habebat Jerosolymis, in qua divertisse legitur s. Petrus a vinculis primum solutus [5], ipseque ibidem degebat. Accedit b. et temporum ratio, rerumque gestarum series. Compertum habemus s. Lucae Evangelium ante biennium quod s. Paulus Romae in primis

---

his sunto: Velthusen, the authenticity of the first and second chapters of St. Matthews Gospel vindicated in answer. Lond. 1771. Piper, diss. de gen. auct. c. 1. et 2. Ev. Matth. Gryphisw. 1779. Hencke, de Evang. Matth. integr. Helmst. 1782. Fr. Smid, examen integr. duorum priorum cap. Matth., in Comm. a Kuinoel, Velthusen et Ruperti edit. I, 340. s. Rau, symb. ad quaestionem de auth. c. 1. et 2. Ev. Matth. discut. Erl. 1793. Griesbach, ἐπίμετρον ad comm. cr. in text. Matth. Jen. 1811. Schubert, de inf. C. hist. auth. p. 7. s. A. L. Heydenreich, ü. Zweif. an der Auth. d. Ev. Matth. in Wineri, n. k. Journ. 1825. p. 129. s. 385. s. J. C. Orelli, Selecta P. P. Ecclesiae capita ad εἰσηγητικὴν s. pert. Turici. 1821. II, 10. s. Bengel, Archiv für. Theol. Tüb. 1824. VI, 572. s. Guerike, Beiträge, p. 23. s. Einl. p. 117. s. J. G. Müller, ü. d. Aechtheit der erst. Cap. d. E. n. Matth. Trier. 1830. J. C. Rördam, de fide P. P. Eccl. chr. antiq. in iis quae de fide Evang. canon. maxime Matthaei tradiderunt. Hafniae. 1839. Olshausen, apost. ev. Matth. origo defenditur. Erlang. 1—3. 1835—7. Ebrard, Kritik p. 792. s. C. E. Luthardt, de comp. Ev. Matth. p. 7. s. O. Zökler, die Evangelienkritik. Darmst. 1865. p. 9. s. C. Tischendorf, wann wurden unsere Evangelien verfasst. Leipz. 1865. p. 5. s.

1) S. Isidorus, Origin. s. Etymol. VII, 9. p. 289. 2) I. 5, 13. non proprie dictum, etenim nullum in tota Antiquitate indicium reperimus, quo id suspicari liceat; sed spiritualem, ut observat s Hieronymus, Comm. in Isai 65, 24. „Apostoli igitur et apostolici viri ita filios generabant, ut de Scripturis Sanctis instruant.... Apostoli genuerunt Paulus Timotheum, Lucam et Titum multosque alios, Petrus Marcum Evangelistam et ceteri ceteros.“ p. 795. 3) Ut colligitur e Colos. 4, 10. Philem. 24. Philipp. 4, 22. II Tim. 4, 11. 4) Act. 11, 29. 30. 12. 25. 13, 2—5. 5) Act. 12, 12.

vinculis egerat, exaratum fuisse; prius autem s. Marcum scribere oportuit. Ut enim expresse testantur Veteres d. Marcus post scriptum Evangelium Alexandriam missus est a s. Petro; non potuit ergo cum s. Paulo vixisse tunc, cum is Roma scriberet literas ad Colossenses et Philemonem. c. Marcus comes s. Pauli, nunquam sane quod constet, conscribendi Evangelii consilium cepit. Et quidem si ipse Evangelium quod inscribitur ‚κατὰ Μάρκον‘ literis mandasset; undenam s. Petro illud tribuunt Veteres, et non s. Paulo, cuius discipulus fuerit Marcus? d. Reperiuntur s. s. P. et S. E., qui sancti Petri ‚συνεργὸν‘ nomine Marcum, aperte distinguunt de Marco Apostoli gentium ministro; qui de alterutro Marco ea narrant, quae de altero dicere omnino non potuissent. Non ergo sine ipsorum iniuria existimare licet, Marcum et Joannem Marcum pro uno eodemque ab eis habitum[1]. Denique e. huic sententiae tum Graecorum Menaea, tum Latinorum Martyrologia suffragantur; in utrisque enim Marci Evangelistae dies festus agi dicitur ad VII. Kalendis Maii, Joannis Marci vero V. Kalendis Octobris. Haec rerum momenta nos cogunt fateri: duos nomine Marcos inter Apostolorum συνεργούς exstitisse[2]; negare item Evangelistam fuisse διώνυμων. Marcus iste qui Evangelista fuit, d. Petro Romam eunti adhaesit[3]: ubi

---

[1]) Cf. Dionysium Alexandrinum, apud Eusebium. H. E. VII, 25. p. 275. J. Chrysostomum, in Matth. prooem. hom. I, 2. p. 5. hom. LXXX, 1. p. 805. in epist. ad Coloss. hom. XI, 2. XI, 407. S. Hieronymum, de vir ill. c. 8. ed. c. p. 51. S. Isidorum Hisp., de ortu et obitu Patrum. c. 83. 84. V, 154. 5. Theodoretum, interpret. ad Coloss. IV, 10. III. a. 499. 500. ep. 86. IV. b. 1157. S. Joannem Damascenum, in epist. s. Pauli ad Coloss. 4, 10. II, 214. V. Bedam, in expos. Ev. sec. Marc. prolog. V, 92. in Act. 15, 37. p. 653. Georgium Syncellum Chronographia ad an. divi. incarn. 40. ed. J. Goar, Ven. 1729. p. 264. Recentiorum vero, qui eandem propugnant sententiam isti sunto: C. Baronius, ad ann. 45, 46. I, 332. 333. Tillemont, Mem. II, not. sur s. Jean Marc. n. 2. p. 515. J. B. Cotelerius, ad Const. ap. II, 57. n. 11. p. 265. J. Lorinus, Soc. J. in Actus Ap. comm. Coll. 1609. ad 12, 12. p. 503. V. L. Gottius, Veritas Religionis Christianae demonstrata Venet. 1750. I. tr. II. de Evang. 1, 3. p. 63. H. Grotius, annot. in Ev. Marci 1, 1. p. 291. s. Sollerius, in Act. S. S. Junii V, 6. Smidius, Hist. Can. p. 455. L. Frommondus, comm. ad eund. loc. ed. Leod. 1819. I, 292. Fr. Fogginius, de rom. d. Petri itinere et episcopatu. Florent. 1741. p. 234. 5. Kienlen, in ann. Stud. u. Krit. 1843. p. 423. s. Unterkircher, Introd. p. 131. Fr. Freindaller, in commentat. Caii pr. fragm. acephal. de Can. div. N. F. librorum. Linc. 1803. Routh, Reliquiae sacrae, Oxon. 1846. I. p. 405. et cumprimis Fr. X. Patritius, de Evang. I. 2, 1. p. 34. s. atque I. append. Comm. in Marcum. Romae 1862. p. 233. erudite contra B. Welte, Tüb. Quartalschr. 1854. p. 619. disputans. [2]) Cf. Acta Sanctorum Bollandi, ad d. 27. Octobris VII, 3. 79. item add. 11. Junii D. Papebrochii, comm. praev. II, 421. s. [3]) I Petr. 5. 13.

rogatus a fidelibus Romanis Evangelium scripsit; prouti illud in ipsa Urbe Apostolorum princeps docuerat [1]: Quod cum summa fide et perspicuitate, scriptum d. Petrus cognovisset, probavit confirmavitque. Omnium porro a primis retro saeculis haec una sententia est [2]: s. Marcum magistri sui Petri nutu iussuque Christi fidem et instituta Aegyptis tradidisse. Eius tamen in Aegyptum adventus aetas alia, ab aliis et aliis Scriptoribus assignata [3]. Jure proinde s. Marcus primus Alexandrinae Ecclesiae fundator dicitur, quatenus licet ab aliis salutis doctrina invecta illuc olim iam fuisset; ipse tamen fideles, qui ibi iam agebant, quosque docuerat, in unam Ecclesiam proprie coegerit, primus eorum factus episcopus [4]. Munus apostolicum Alexandriae martyrio coronavit, eius sacra lipsana subin Venetias translata ibidem in aede d. Marco sacra omnium magnificentissima summa veneratione coluntur [5].

---

[1]) Id sanorum interpretum nemo it inficias; sed vero audacter negant hypercritici: Schleiermacher, Einl. p. 248. Ewald, Jahrb. d. bibl. Wiss. II. 1850. p. 206. s. F. Hitzig, ü. Joannes Marcus, u. seine Schriften Zür. 1843. p. 149. s. Schwegler, nachapostolisches Zeitalter in den Hauptmomenten seiner Entwickelung. Tüb. 1846. I, 457. s. F. Chr. Baur, das Markus Evangelium nach seinen Ursprung und Charakter. Tüb. 1851. p. 115. [2]) Quorum testimonia dabit, M. Le Quien, Oriens christ. in q. Patriarch. digestus Par. 1740. II, 334. s. [3]) Cf. Seldenum, ad Eutychii Ecc. Alex. Orig. p. 149. 166. [4]) Qua de re canit s. Paulinus, poem. XIX. s. c. „Marcus Alexandrea tibi datus, ut bove pulso cum Jove, nec pecudes Aegyptus in apide demens, in Jove nec civem coleret male Creta sepultum, nec Phryges exsectis agerent Cybelia Gallis impuram foedo solantes vulnere matrem, et tandem castis fronderet montibus Ida, intactas referens securo vertice pinus.“ Quidni cum Arabico illo Annalista, quem Abrahamus Echellensis edidit Par. 1685. s. t. Chronicon orientale, in Hist. Patriarch. Cophtitarum Alexandriae p. 88. dicamus: S. Evangelistam circiter anno Domini 60. Roma Alexandriam venisse? [5]) S. Marco etiam episcopatum Aquileiensem et Laureacensem in Norico Ferd. Ughellus, Florentinus Abbas O. Cisterc. adscribit in Italia sacra ed. II. N. Coleti Ven. 1720. V, 19. Quo pacto autem ad locum, ubi nunc Venetiae sunt, pervenerit narrat Andr. Dandulus, dux Venetiarum, Chronic. IV, 2. p. 14. ap. L. A. Muratorium, Rer. ital. Script. Mediol. 1728. vol. XII. Bernardus monachus francus in itinerario apud Mabillon, Acta S. S. Ord. Ben. Saec. III, 2. ed. Ven. 1734. p. 473. S. Marci apostolatum Aquileiensem e dupl. cod. Mss., Alexandrinum vero Apostolatum ex duodecim codicibus mss. gr. et lat. edidit G. Henschen, in Act. S. S. Aprilis. III, 346. 7. De horum mira antiquitate et pretio l. A. S. Mazochii, diatribam comm. in v. m. Ecc. Neap. Kal. Neap. 1744. I, 233. s. De cultu, historia translationis ceterisque dixit idem ib. p. 352. s. Adde etiam J. B. Sollerium, dissert. fund. ad seriem chronologicam Patriarcharum Alexandrinorum §§. I—III. in Act. S. S. Junii. V, 1. s. atque C. Leon. Manin, Memorie st. cr. int. la traslazione e invenzione di s. Marco Ev. ed. 2. Ven. 1835. p. 6. s. A. M. Molini, de vita et lipsanis s. Marci Evangelistae l. II. ed. Sanctis Pieralisi Romae. 1864.

Digressio, de testimonio s. Irenaei circa tempus, quo Evangelium s. Marci scriptum fuerit. Si divum Chrysostomum, hom. I. prooem. in Matth. n. 3. VII, 7. qui Marcum rogatu discipulorum in Aegypto scripsisse affirmat, excipiamus; reliqui S. P. et S. E. unanimes tradunt: d. Marcum id operis Romae fecisse. In determinando autem tempore, quando Evangelium suum scripserit et ediderit, versatur cumprimis s. Irenaeus, Episcopus Lugdunensis adv. haer. III, 1. „ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμενευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα, ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε.“ ed. Stieren I, 423. Eadem s. Irenaei verba reperiuntur apud Eusebium, H. E. V, 8. p. 172. De his iam fusius erit disputandum; tanti enim fiunt ab aliquibus, ut hinc nunquam inferri posse dicant tempus, quo Evangelium suum s. Matthaeus et s. Marcus scripsere. Hinc siquidem concludendum esse: d. Matthaeum nonnisi post s. Petri ac demum s. Pauli adventum Evangelium exarasse; quod non ceterorum omnium tantum, sed et ipsius s. Irenaei repugnat sententiae. Et quod gravius inextricabile esse: quae sit illa Apostolorum „ἔξοδος“; seu ut vertit interpres latinus „excessus.“ An e vita an urbe Roma duntaxat? Difficilia utramque premere opinionem incommoda. S. Paulus enim Roma discedere non potuit ante a. 63., atque plerique Veterum referunt: s. Marcum longe antea scripsisse Evangelium, in ipsa urbe Roma Petro ibi tum degente auctoritateque sua illud confirmante. Accedere quod iidem memoriae prodiderint s. Marcum in Aegyptum missum, ut episcopatu fungeretur. Nobis quidem ista Criticorum dubia non adeo pertimescenda videntur. Scilicet verba illa s. Irenaei „ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου“; — quae latine „ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii“, interpretatus est H. G. J. Thiersch, in Ann. Stud. u. Krit. 1842. Irenaei c. q. in gr. serm. restit p. 516. — non membri incisum, sed periodum membri constituunt, puncto medio —; — discriminandum. Verba autem immediate sequentia „τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν“; — „cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam“ — incisum certe sunt. At incisum membrum constituens, non cum illis quae de Matthaeo dicuntur, sed cum sequentibus „post horum vero excessum Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit“; a quibus una minore distinctione separentur. Ut adeo hinc constet α. S. Irenaeum verbis postremo loco laudatis de solo s. Marco locutum; et quod β. hic Evangelista post s. Matthaeum scripserit; denique γ. id accidisse, cum Romanam Ecclesiam s. s. Petrus et Paulus constituerent. Animadvertendum illud praeterea, quod neminem fugiat; haudquaquam dicere d. Irenaeum: evangelium s. Marci scriptum, sed traditum „παραδέδωκε“ post d. Petri et Pauli „ἔξοδον.“ Post quam vocem subaudiendum supplendumque putamus „ἐκ τοῦ βίου.“ Lectioni huic omnes codices; Rufinus quoque, qui sic loquentem Eusebium fecit „post quorum exitum“, μ. δ. τ. ἔξοδον favet; suffragium denique fert vetus d. Irenaei interpres latinus „post horum vero excessum“ reddens. Difficultas in voce „ἔξοδος“ haerens occasio procul dubio fuit mutationis in textu s. Irenaei a compilatore Catenae S. S. P. P. in Evang. d. Marci, quam P. Possinus S. J. Romae 1673. vulgavit; ubi p. 5. haec s. Patris verba ita habentur „μετὰ τὴν τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου ἔκδοσιν.“ Eandem lectionem e coniectura in Eusebio inter-

polavit Christorphosonus, vapulans idcirco H. Valesio in notis ad Eusebium p. 93. 4. et Heinicheno I, 53. n. 3. Veterem codicem, in quo legeretur „τούτου ἔκδοσιν“, se vidisse refert Grotius, l. s. c. Verum incertum an codex, quem Grotius testem adpellat, s. Irenaei opera continuerit an Eusebii? nec facile intelligitur, qui factum sit, ut hic codex horum eruditissime editores latuerit. Unde admodum vero simile fit id hausisse Grotium e Christorphorsono. Neque Catenae — quam Possinus circa medium saeculi V. conscriptam vult — tanta est vis, ut vulgatam Eusebii lectionem, quam omnium codicum consensus, Rufini quoque et veteris s. Irenaei interpretis latini auctoritas tuetur, elevare queat. Nomen adeo vexatum „ἔξοδος“ apud s. Irenaeum pro vitae fine accipiendam multa argumenta suadent, ni exigunt. Certe a. ἔξοδος pro morte usurpatur a sacris aeque ac a profanis scriptoribus. E. g. Sap. 3, 2. 7, 6. ed. H. Fr. Reusch. Frib. 1858. p. 10. 20. Luc. 9, 31. II, Petr. 1, 15.; queis in locis „ἔξοδος“ interpretes tantum non omnes de morte recte intelligunt. Josephus, Antiq. IV. 8, 2. p. 227. plene dicit „ἐπ' ἔξοδου τοῦ ζῆν“; ut Antoninus „τῶν εἰς ἑαυτόν“, V, 29. „ἐξιέναι τοῦ ζῆν.“ Hoc sensu etiam Hebraei verbo יָצָא passim utuntur. V. Gesenii, Thesaurum L. H. s. h. v. 615. s. Adde Philonem, de carit. p. 701. Hac eadem notione idem vocabulum sumunt S. S. P. P. et Script. eccl.: Clemens Al., Stromat. III, 9. p. 541. S. Cyrillus Alexandr., in Isai. 8, 2. III, 219. S. Gregorius Naz., orat. in S. Bapt. XL, 12. II, 373. Theophylactus, in Luc. comm. p. 370. Ita Latini quoque voces exitus, excessus, exire, adhibent. L. Tertullianum, de resurr. carnis c. 43. IV, 142. Lactantium, de mortibus persecutorum c. 50. ed. Baluzii Trai. ad Rh. 1693. p. 299. Juste igitur et ex usu Veterum ea voce per euphemismum mors intelligitur. Hic enim vocis significatus b. non solum contextui sermonis et circumstantiis ibi obviis apprime respondent; sed et c. syntaxi congruit. Tum quia secus videretur s. Irenaeus illud posuisse, Apostolos semel ex urbe profectos, numquam in hanc esse regressos; tum quia ἔξοδος simpliciter usurpari non poterat „pro ἔξοδον ἐκ Ῥώμης.“ Ita etiam s. Irenaeus non adversabitur antiquis s. P. et S. e. Clementi Alexandrino, apud Euseb. H. E. II, p. 53. VI, 14. p. 216. Tertulliano, adv. Marcion. IV, 15. p. 157. 2. Origeni, ap. Eus. VI, 25. p. 226. Eusebio, II, 16. p. 53. S. Epiphanio, haer. LI. 6., p. 428. S. Hieronymo, cat. vir. ill. u. s. et prae ceteris Papiae, ap. Eus. III, 39. p. 112. — ad q. v. G. Ed. Steitz, in Herzógs R. E. XI, 80. Güder, ib. IX, 45. — qui s. Marcum vivo Petro, eoque probante Evangelium suum tradunt scripsisse. Vide ceterum J. C. Suiceri, Thes. eccl. e. P. P. gr. ed. II. Amst. 1728. I, 1142. Fogginii, de d. Petri itin. p. 142. Grabii et Massueti not. in Iren. ed. Stieren II, 851. s. Patritii, de Evang. I. 2, 2. p. 36. s. Aberle, in Tüb. Quart. 1858. p. 495. s. ib. 1864. p. 32. s. D. B. Haneberg, E. R. Leben Jesu beleuchtet. Regensb. 1864. p. 34. s. 49. s. C. Tischendorf, wann wurden unsere Evangelien verfasst p. 7. Digressioni huic finem imponimus, hoc firmiter tenentes s. Irenaeum in loco multum vexato: id solum voluisse indicare, contra haereticos quos refutat, quinam essent scriptores Evangeliorum, et quinam traditionis Ecclesiae Romanae sensus.

§. 50. Qua ratione Evangelium s. Marci concinnatum.

S. Augustinus[1] primus inter Veteres, et solus est qui affirmat ‚Marcus eum — s. Matthaeum — subsecutus, tamquam pedissequus et breviator eius videtur.‘ Suam fecerunt sententiam Praesulis Hipponensis multi recentiorum scriptorum[2]. Utrum haec coniectura probabilis an improbabilis habenda sit, ex Evangelii ipsius argumento effici debet. Primum igitur quamquam haud exiguam Evangeliorum s. s. Matthaei et Marci similitudinem intercedere fateamur; — sive in rerum quas uterque narrat defectu et ordine, sive multoque magis in exponendi modo, sententiis, verbis, ipsis adeo levissimis dicendi formulis — ita ut alter alterius commentarium ante oculos habuisse necessario dici debeat: ex altera parte tamen haud pauca reperiuntur singularia, quae ab uno s. Marco sunt narrata. Sin vero Evangelium eius accurate lustretur, observare quoque licebit praetermissa a d. Marco multa, quae leguntur in s. Matthaeo. Desunt ampliores quaedam de rebus ad Jesum pertinentibus narrationes, atque in iis quos uterque simul referunt apud s. Marcum eventus, loci, temporis, personarum numeri, nominum ratio penitius perspecta et dilucidius proposita, oratio uberior et copiosior prae s. Matthaeo habetur. Non tantum oratione et sententiis differunt invicem s. Matthaeus et s. Marcus, sed eaedem etiam rerum a Domino Nostro gestarum narrationes in utroque Evangelista alio ordine exhibentur. Tandem non paucis in locis contraria fere s. Matthaeo, et quae adeo pugnare secum videntur, commemorat s. Marcus. Haec omnia a consilio epitomatoris, quam maxime aliena sunto[3]. Accedit sententiam de s. Marco

---

[1]) De consensu Evangel. I, 2. p. 3. [2]) J. J. Griesbach, comm. qua Marci Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstratur, in comm. theol. Velthusen. I. 302. De fontibus unde Evangelistae suas de resurr. Dom. narr. hauserint; in opusc. II, 241. s. Paulus, th. ex. Comm. Heidelb. 1832. I, 37. s. 73. s. 95. s. Saunier, ü. d. Quellen d. Ev. d. Marc. Berl. 1825. Theile, z. Biogr. Jesu. Leipz. 1837. p. 33. s. Gfrörer, Gesch. d. Urchrist. II. 21, 212. Neudecker, Einl. p. 145. s. Schwarz, neue Unt. ü. d. Verwandtschafts-Verhältniss d. syn. Ev. Tüb. 1844. p. 277. Schwegler, nachap. Zeitalter. Tüb. 1846. I, 457. s. Baur, d. Marcus Ev. p. 148. s. Wette, Einl. p. 191. Bleek, Einl. p. 243. s.
[3]) Horum omnium exempla videri possunt in Historiis D. N. J. C. abs nobis

epitomatore, Matthaei adversari universo, quo in scribendo Evangelio suo usus est consilio. D. Marcum assiduum s. Petri comitem, commentarium suum in commodum Romanorum exarasse notum tenemus. Unde rursus hoc sequitur: s. Marcum ea potissimum ex Historiis D. N. J. C. capita, ad preces fidelium Romanorum delineasse, quae auditu per s. Petri praedicationem acceperant; quo monitore et adiutore scripsit. Revera si d. Marci Evangelium attente legimus, ei inesse multa videbimus, quae cum omnibus ex ethnica superstitione ad Christum conversis, tum et Romanis fuerint utilia, ut crederent: Jesum Christum exstitisse omnium Salvatorem. Praemissa enim huic consilio scribendi opportuna brevi narratione ministerii Joannis B.[2]; exponit Salvatoris ad obeundum munus suum praeparationem. Deinde refert verba et opera quae Jesum Deum-hominem, generisque humani Redemtorem fuisse declararent[3]. Postea sequitur Passio, Mors, Resurrectio et Ascensio, quibus Christus mortis et inferorum Victor coelorumque Dominus luculenter describitur[4]. Quod quidem consilium, ex originibus huius Evangelii repetendum, si teneamus, nulla ratio suppetet, cur d. Marcus dicatur abbreviator s. Matthaei. Eadem textura et indoles Evangelii probat d. Marcum comitem et ἑρμηνευτὴν Principis Apostolorum fuisse. Enimvero certum est, s. Petrum in hoc Evangelio frequentius commemorari; eiusque dicta saepius referri, quam ab reliquis tribus Evangelistis. Multa eorum locorum

---

enarratis. Plura interim dabunt: B. C. Mengel, spec. com. c. Matth. q. evincitur Marcum non esse breviatorem Matthaei. Giess. 1711. Koppius, M. non epitomator Matthaei. Gott. 1782. H. G. Halfeld, de origine q. Ev. Gott. 1784. p. 8. Schulz, ü. d. schriftstell. Char. d. E. Marc., in Keilii analectis Leipz. 1814. II. 2, 107. s. B. Van Willes, spec. herm. de iis quae ab uno Marco sunt narrata, aut copiosius et explicatius exposita. Trai ad Rh. 1811. p. 5. s. Schott, Isagoge p. 36. s. 90. S. A. Knobel, de Ev. Marci origine. Vrat. 1831. p. 29. s. Guerike, Gesammtg. p. 143. Maier, Einl. p. 72. s. Reithmayr, Einl. 390. Non desunt tamen his diebus alii, qui in alia omnia coniecturis suis abeuntes, arbitrantur Marcum primum omnium scripsisse, atque a s. Matthaeo et s. Luca adhibitum fuisse.

[1]) Fritzsche quidem Spanhemium, Miscell. s. l. II. append. de Marco Ev. exerc. n. 16. s. II, 279. secutus, Comm. in Ev. Marci. Lips. 1830. prol. p. 25. s. cum aliis recentioribus, Veterum hac de re narrationibus fidem abrogat. Sed vero meminisse eos oportet, nullam dari Historiam Ecclesiasticam, ubi prisca testimonia omnia evertuntur. [2]) I, 1—29. [3]) I, 30—XIII. [4]) XIV—XVI.

quae s. Marcus unus retulit, aut explicatius quam ceteri exposuit; quaeve testem oculatum supponunt, a nemine melius quam a d. Petro accepit. Aliqua demum s. Marcus prorsus praeteriit, quae narrata in maximum s. Petri honorem cessissent[1].

§. 51. De αὐθεντίᾳ, item lingua Evangelii s. Marci.

Quamvis indubia steterit fide, s. Marci Evangelium genuinum atque incorruptum ad nos pervenisse; pars tamen extima s. Marci XVI, 9—20., aliquam dissensionibus ansam dedisse comperitur. Hi postremi duodecim versus deerant olim in multis apographis, non tamen in illis quibus vetustissimi s. Patres usi sunt. Nulla ceterum nobis de tota illa sectione quaestio vertitur, postquam illa communi Ecclesiae consensu recepta, nec in Latina solum sed etiam Graeca Liturgia dominicae Ascensionis festo depraedicatur. Sed et in codicibus mss., versionibus antiquis et priscis Evangeliariis habetur. Recentiorum adversus eam dubia et dicteria de inanitate merito postulantur[2].

Restat ut inquiramus, qua lingua d. Marcus Evangelium suum scripserit? Utut Ecclesia vetus in sententiam concesserit: Evangelistas, si unum Matthaeum exceperimus, graece scripsisse; tamen s. Marcum Evangelium suum latino sermone ex munere interpretis Petri, Christianis qui Romae erant praebuisse, aliquorum est affirmatio. Opinionis huius promunt inde rationem, quod aequum fuerit, ut cum Romanis scriberet, romano etiam uteretur eloquio. Suffragium ferre dicunt subscriptiones syriaci, arabici et persici textus; quin et plurium etiam mss. graecorum et quidem venerandae antiquitatis[3]. Sed e communiore sensu, testimoniis et traditione expresso, Evangelium secundum recte quidem lingua graeca a s. Marco exaratum esse sumitur. Eadem lingua tunc temporis toto Orbe

---

[1]) Cf. 1, 19. 20. 36. 5, 37. 38. 8, 22—26. 11, 12—14. 19—26. 13, 3. 4. 14, 37. 51. 52. 16, 7. Vidit id olim iam Eusebius, Demonstr. ev. III, 5. p. 120. s. Plura enumeravit Willes, l. c. p. 203. s. [2]) De αὐθεντίᾳ huius particulae vindicias ibant: Wolf, cur. phil. in Ev. Marci p. 540. Storr, in opus. academ. III, 50. 124. Kuinoel, comm. p. 197. Hug, Einl. II, 282. s. Schott, Vindiciae auth. part. post. Jen. 1813. Opusc. 1818. II, 131. s. J. L. Himly, de Jesu in coelum ascensu Argent. 1811. Olshausen, Ächth. d. v. K. Ev. p. 348. Kirchhofer, Quellensamml. p. 131. Guerike, Gesammtgesch. p. 150. s. Ebrard, wiss. Krit. d. e. G. p. 798. s. Rink, lucubratio crit. in Acta Ap. et ep. cath. Basil. 1833. p. 311. s. Bisping, Erkl. d. Evang. n. Marc. p. 123. s. Demaret, de origine Evangel. p. 229. s. [3]) Cf. Assemani, Bibl. Orient III. 1, 9. Scholz, N. T. I, 30.

maxime diffusa erat, quibusque Romanis cognita: et iure arbitramur s. Marcum graecae linguae magis ac latinae peritum fuisse; illam enim familiarem et quodammodo vernaculam habuit. Unde et graecum eius Evangelii textum prae latino elegantem invenimus. Ceterum nullus sane iam esset disputationi locus, utrum latina an graeca lingua usus fuerit, si qui apud Venetos custoditur codex — cuius fragmentum Pragam perlatum est — ipsum Evangelistae αὐτόγραφον esse constaret [1]. Sed enim Marci Evangelium, quod penes Venetos esse, maior iactantia quam veri species fuit; non esse genuinum archetypon argumenta suadent gravissima [2]: a. errores librarii; b. variae correctiones; c. capitulorum notationes; d. sermo latinus. Quae omnia simul redolent aetatem longe recentiorem. Quid multa e. codex

---

1) Latine s. Marcum scripsisse putarunt: Bellarminus, de Verbo Dei II, 7. p. 130. Baronius, Annal. a. 45. n. 39—41. p. 331. s. Possevinus, Appar. sac. ed. Col. 1608. II, 59. Salmeron, prol. XXXV. q. ling. script. sint Ev. p. 431. s. M. Inchofer, Historiae sacrae Latinitatis. Monachii. 1638. V, 8. p. 246. s. H. Nicquetus, Tit. s. Crucis, p. 93. s. I, 13. Tirinus, praef. Comm. in Marc. p. 115. J. Harduinus, Comm. in N. T. Amstel. 1741. p. 105. — Vindicias Textus graeci contra Harduinum exhibuit diss. theol. Chr. Fr. Curtius. Hal. 1742. p. 14. s. — Fogginius, de rom. div. Petri itinere, exerc. XI. p. 226. s. et alii. 2) Haud vacat integras huius codicis historias pertexere, hoc solum memoriae commendamus ipsum Aquileia Foroiulium, Foroiulio Venetias delatum fuisse. Et quidem ante saec. IX. ne fama aliqua exstitit de autographo s. Marci Aquileiae asservato. Anno 1354. Carolus IV. imperator ad terras Italiae profectus, cum ad Nicolaum Patriarcham Aquileiae divertens autographum s. Marci ut credebatur reperisset, duos quaterniones ultimos multis precibus obtinuit; obtentos Ecclesiae Pragensi donavit. Cf. J. Dobrowszky, fragmentum Pragense Ev. s. Marci, vulgo autographi ed. lect. var. cr. rec. Pragae 1778. p. 5. Quinque quaterniones Aquileiae relicti initio s. XV. cum omnia tumultibus turbata essent, civium Foroiuliensium fidei a Canonicis Aquileiensibus committebantur; restituti videntur Aquileiae ad a. 1418. servati, quo rursus Foroiuliensibus concrediti putantur usque ad a. 1420. permansisse. Tum cives Foroiulienses desiderio Th. Mocenici Venetorum ducis satisfacientes, eos pro ingenti totius reipublicae gaudio Venetias miserunt. Quamvis 1564. Ferdinandus Archidux Austriae vehementer voluerit: ut hos quinque quaterniones a Senatu obtineret; nihil tamen impetravit, mansere ibi. Itaque pars Evangelii Veneta et Pragensis integrum constituunt Evangelium B. Marci; hoc vero est pars avulsa e codice Evangeliorum, qui usque ad haec tempora Foroiulii reperitur. Cf. G. Henschenii, comm. praev. de s. Marco §. 2. p. 345. s. Bern. de Monfaucon, diarium italicum. Par. 1702. c. 4. p. 55. s. Joann. Mabillon, in Musaeo Italico. Lut. Par. 1724. I, 31. de Venetiis scribit „His omnibus longe praeferendum esset Evangelium s. Marci, si ut ipsi asserunt, propria eius manu esset exaratum." „Alterum ostendunt librum Evangeliorum, quod s. Joanni Chrysostomo tribuunt, sed ne de rei veritate periculum fiat, hi libri sigillis obsignati sunt, nec cuiquam aperiuntur."

Foroiuliensis praefixam habet praefationem s. Hieronymi eadem manu scriptam; consequeretur porro s. Marcum reliqua quoque tria Evangelia in eodem codice contenta descripsisse. Adde f. characteres scripturae et g. ortographiam multum a casca Apostolorum aetate distantem. Ex his iam sequitur codicem hunc inter antiquissimas interpretationes latinas, si non saeculi quinti, saltem sexti referendum; eundem vero minime esse ipsum s. Marci Evangelistae αὐτόγραφον [1]. Ad extremum annotamus Marco symbolum leonis assignari penes interpretes atque pictores; quia is scribere inchoat de voce rugientis in deserto leonis, seu de s. Joanne praeambulone Jesu Christi Salvatoris clamante in eremo [2].

§. 52. Res a s. Luca gestae.

Nomen Lucae romanum [3]; diversum a simili Lucii [4] prophetae Cyrenensis [5] et cognati s. Pauli [6]. Patria divo nostro celeberrima contigit. Est illa in libris Machabaeorum Apostolorumque Actis toties commemorata Antiochia [7], ad Orontem fluvium in Syria sita, quae inter urbes Romanae ditionis in Oriente clarissima fuit, et opum merciumque copia Alexandriam superavit [8]. Ab hoc ipso natali suo d. Lucas adpellatur Antiochenus et Antiochensis [9]. Qui fuerint parentes eius, quod tempus nativitatis? de eo nihil

---

1) Evangeliarium Foroiuliense publici iuris fecit J. Blanchinus, Congr. Orat. presbyt., in Evangeliario quadruplici. Rom. 1748. II, 473. De eodem fuse et diligenter disputavit Laur. a Turre, eiusd. Congr. ib. p. 453—561. 2) Plura de hac re legi queunt apud Thomasium, quat. insignia Evangelistarum l. c. p. 62. 3) Ita enim vocabantur olim qui oriente luce editi erant; e contractione Lucam sic dictum habetur. Hoc probat Calmetus, comm. lit. in O. L. N. T. II, 1. e codice Ms. Bobiensi et Cottoniano in quo legitur: Evangelium secundum Lucanum. Adde codices antiquissimos, Vercellensem, Corbeiensem, Veronensem, Brixianum aliosque apud Blanchinium, in Evang. q. II. 2. 308. 524. et Sabatierum, not. ad init. Lucae pro Luca scribere Lucanum. Cf. e. Mabillonii, Mus. ital. I, 111. J. Simonis, Onomasticon N. T. p. 101. 4) Λούκιος. 5) Act. 13, 1. 6) Rom. 16, 21. Lucam cum Lucio confudere nonnulli iam tempore Origenis, in ep. ad Rom. Comm. X, 39. VII, 448. Eundem esse voluit B. G. Clauswitz, de Luca Medico Hal. 1740. p. 5. s. Utrumque sane manifeste distinguunt Martyrologia et Menaea, cum Lucium Laodicae episcopum fuisse memorant. Quid enim quod etiam textus graecus alterum ab altero, separet quando Λουκᾶς Coloss. 4, 14. II. Tim. 4, 11. Philem. v. 24. constanter dicitur Evangelista, Λούκιος vero Rom. 16, 21. cognatus Pauli. Quare merito Lucam a Lucio secernimus. 7) Conditore Seleuco Nicanore, qui eam ex Antiochi Patris nomine adpellavit. V. Le Quien, Oriens chr. II, 669. ed. Par. 8) Cf. G. Cave, Antiq. ap. Lips. 1696. p. 630. 9) Ab Eusebio, Hist. Eccl.

memoriae prodiderunt Veteres [1]. Non infimae fuisse sortis exinde patet, quod arti medicae navavit operam [2]; atque revera iam pridem observatum s. Lucam in morbis et adpellandis et describendis multo curatiorem fuisse ceteris Hagiographis: quod non incommode a peritia, quam in arte

III, 4. p. 73. S. Hieronymo, de vir. ill. c. 7. p. 73. praef. Comm. in Matth. VII, 3. Theophylacto, Comm. p. 293. Euthymio Zigab. II, 200. Cf. M. J. A. Koehleri, diss. d. Lucas Evangelista. Lips. 1698. §. VI.

1) Licet unanimi voce Martyrologia omnium Ecclesiarum cultum publicum s. Lucae Ev. adscribant; in hoc tamen non pauca dissentiunt, quod varios dies eius cultui celebrando assignant. Plurima quidem in diem 18. Octobris conveniunt; si tamen ipsius natalem, et non translationem exhibeant. Cf. J. van Hecke, comm. praev. in Actis Sanct. Act. Brux. 1853. VII, 282. Porro cuius religionis fuerit ante suam ad Christi sacra accessionem, disceptant eruditi. Relicto ethnicismo absque circumcisione christianam suscepisse veritatem, non contemnendis rationibus multi defendunt. Potissimum ex ep. ad Coloss. 4, 14., eo quod reipsa h. l. s. Paulus praemissis commate 11. salutationibus eorum, qui erant „ἐκ περιτομῆς“ i. e. Judaeorum excipiat s. Lucam v. 14. ab illis tribus, quos ex circumcisione fuisse dixerat. Unde s. Hieronymus, quaest. hebr. in Genes. 46, 26. p. 371. scribit quod „plerique tradant Lucam Evangelistam ut proselitum Hebraeas literas ignorasse.“ Cf. L. Fromondi, comm. in B. Pauli Ap. epist. Lovanii. 1663. p. 330. Ex recentioribus id tamen negavit Tiele, in annal. Stud. u. Krit. 1858. p. 753. 2) Lucam professione medicum unanimi voce suffragioque testatur perpetua antiquorum traditio. Instar omnium audiatur s. Hieronymus, commentans in Isai VI, 10. „Evangelistam Lucam tradunt Veteres Ecclesiae Tractatores medicinae artis fuisse scientissimum et magis graecas literas scisse quam Hebraeas. Unde et sermo eius tam in Evangelio, quam in Actibus Apostolorum, id est in utroque volumine comptior est, et saecularem redolet eloquentiam, magisque testimoniis Graecis utitur quam Hebraeis.“ p. 97. Sane id sine haesitatione affirmant Scriptor fragmenti apud Muratorium, Antiq. ital. III, 845. S. Irenaeus, adv. haer. III, 14. 1. p. 498. Eusebius, l. s. c. S. Joannes Chrysostomus, in hom. XII, 1. ad Coloss. p. 42. „Cum dixisset, salutat vos Lucas medicus, adiecit carissimus. Hoc quoque non parvum encomium est.“ Quem sequitur pro more suo Theodoretus, interpr. ep. ad Coloss. p. 500. adiiciens. „Ille divinum scripsit Evangelium et historiam Actuum.“ Nec aliter Eutychius, Aegypt. Patr. Alex., Eccl. s. Orig. ed. J. Seldeni, Lond. 1642. p. 36. 164. atque Arabs Kirstenii. p. 39. 40. Consentiunt Synaxaria et Menaea, ubi in rhytmis hymnicis s. Lucas medicus salutatur. Interim satis patet vim omnem horum testimoniorum pendere ex recta explicatione verborum ad Coloss. 4, 14. Nam si iis de alio quodam Luca ageretur, quam de Evangelista, S. S. P. P. rueret traditio. Sunt qui dicant esse in S. S. Evangelistam a medico distinguendi causas. Sed hi ingenii sui ostentatione ludunt contenti, si venerandae antiquitati leves opposuerint coniecturas. Verum ut vetus et communis, ita probatissima sententia est, c. l. Lucam Evangelistam designari. Neque enim alium Lucam s. Paulo familiarem ullae produnt Historiae, artis autem nomine forte hanc ob causam eum vocavit, quod ea insignem operam fidelibus praestaret.

medendi habuit, derivatur [1]. Quomodo igitur Apostoli de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt; ita s. Lucas de medico corporum, in medicum versus est animarum [2]. An praeterea animum dabat ad artem pictoriam disputatur. Illud cumprimis certum, nullum in s. Literis reperiri eius rei vestigium, unde controversia haec definiri posset. Traditio tamen fert antiqua, deinceps aevo medio tum apud Graecos, tum apud Latinos omnes hoc ipsum docuerunt, s. Lucam pictoriae quoque artis gnarum fuisse [3]. Nos porro, ne a praefixo abducamur scopo ad multo nobiliora de s. Luca adhuc dicenda vertamus sermonem. Esto enim ipsum fuisse peritum medicum, esto egregium pictorem; omnium omnino praestantissimum est Evangelistam egisse et discipulum Apostolorum. S. Lucam inter primos Apostolorum discipulos fuisse ex imposito scribendi Evangelii ministerio, individuoque s. Pauli comitatu desumere licet, nec est qui in dubium vocet. Hoc autem quaeri potest, quo tempore Sanctus noster Christi doctrinae adhaeserit. Veritati proxima videtur eorum opinio, qui Antiochiae id contigisse statuunt; et quidem eo tempore, quo viris Cypriis et Cyrenaeis ibi docentibus, magnus Graecorum numerus ad Christum convertebatur [4]. Unde rursus facile colligitur: Lucam neque ex septuaginta Christi discipulis exstitisse unum; neque una cum Cleopha Jesu occurrisse [5]. Post susceptam Christi fidem non tantum cum s. Paulo

---

1) Cf. Ev. 4, 38. 40. 5, 17. 31. 6, 18. 7, 10. 9, 2. 11. Act. 13, 11. Quae de s. Luca medico dici possunt uberius digesserunt: J. D. Winkler, de Luca Ev. medico. Lips. 1736. B. G. Clauswitz, de Luca Ev. medico. Hal. 1740. 2) Ut eleganter scribit s. Hieronymus, comm. in ep. ad Philem. v. 24. VII, 763. 3) Negant id Heterodoxi omnes, atque ex Catholicis quoque haud pauci. Cf. Frova Can. Later., diss. de s. imaginibus. Ven. 1750. Utut res se habeat, nostrum qui Evangelistam, non pictorem quaerimus, haud est negantibus Criticorum argumentis responsum accomodare. Fecere hoc J. Gretser, syntagm. de imaginibus manu non factis, deque aliis a s. Luca pictis c. 18. Oper. XV, 205. s. J. van Hecke, comm. laud. §. 4, 60. s. p. 296. Ut vero demonstremus antiquam traditionem habere s. Lucam pictorem fuisse sufficiat advocare Theodorum Lectorem, scriptorem saec. VI. — v. Fabricii, Bibl. gr. VII, 435. laudatum a s. Joanne Damasceno, de imag. III. p. 386. — apud Valesium ed. Par. 1673. p. 551. Excerpt. ex hist. eccl. Inscriptos lapides apud Aringhum, Roma subterranea IV. 46, 10. ed. Rom. 1651. II, 390. item Nicephorum Callisti, Eccl. Hist. II, 43. ed. Frontonis Ducaei S. J. Par. 1630. I, 210. XIV, 2. II, 440. et XV, 14. p. 607. 4) Act. 11, 20. Forte a. p. C. 43. Cf. Eusebium, Hist. Eccl. II, 3. p. 42. S. J. Chrysostomum, in Act. Ap. hom. XXV, 1. IX, 200. Cum enim s. Paulus nuspiam legatur s. Lucam vocasse „filium", recta ducuntur interpretatione, qui dubitant Evangelistam Paulo magistro Sacra Christiana amplexum fuisse. 5) V. p. 170. Haec sententia refellitur praeterea a praefatione Evangelio proposita, et toto narrationis suae contextu.

Apostolo vixit coniunctissime; sed et cum reliquis Apostolis, Maria Matre Jesu, cognatis Domini studiose versatus est [1]. Ab his, iuxta et penes s. Paulum, doctrinam hausit Evangelicam; testantibus id praeter semetipsum Veteribus. Quare non immerito Pauli discipulus, sectator, imitator audit; quin etiam vir Apostolicus, atque usu vocis laxiori, et Apostolus adpellatur [2].

§. 53. S. Lucae Evangelium adumbratur.

Ubi divus Lucas una cum s. Paulo felicis Urbis omine Romae ageret, duorum scriptorum quorum texebat historias vincula Apostoli quasi gemmis illustrabat. De quibus ut seorsum agamus instituti nostri requirit ratio. Et quidem quod s. Lucas in Urbe Roma Evangelium scripserit, probabile nobis videtur: Quia a. quamdiu s. Paulo praedicanti adiutor fuerit, otium non erat ad librum tanti momenti, et iustae molis exarandum. Quodsi praeterea b. consideremus, narrationem Actuum Apostolorum, quam velut appendicem adiecit historiis D. N. J. C., in biennio quo s. Paulus primo Romae fuit, finiisse, utrumque vero librum uni eidemque inscripsisse; facile auditis Veterum testimoniis largiemur discipulum minime absente longeque posito magistro Evan-

---

1) „Narrationem earum rerum quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat." Eusebius, Hist. Eccl. III, 24. p. 96. Idem habet s. Hieronymus, de vir. ill. c. 7. p. 48.
2) Cf. s. Irenaeum, adv. haeres. III, 1. „Lucas sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur Evangelium in libro condidit." p, 423. et 14, 1. „Lucas inseparabilis fuit a Paulo." p. 497. Adde apud Eusebium loc. Hist. Eccl. V, 8. p. 172. Tertullianum, adv. Marc. IV, 2. p. 148. „Lucas non Apostolus, sed apostolicus, discipulus posterioris Apostoli Pauli." s. Ambrosium, expos. Ev. sec. Luc. 1, 11. p. 1270. s. Hieronymum, praef. sup. Matth. p. 3. „Lucas qui et ipse discipulus Pauli." Sophronium et Dorotheum apud Theophylactum, in Luc. p. 292. Sed occurrit alia quaestio utrum II Cor. 8, 18. de s. Luca loquatur Apostolus. Quem locum quidam Patrum de ipso volumine Evangelistae intellexerunt. Rectius tamen alii eo in loco non librum sed doctrinam et praedicationem Evangelii intelligunt. Quoniam autem s. Paulus plures secum habuit praedicationis testes e. g. Silam, Barnabam aliosque, arbitrio legentium relinquitur, utrum horum alter, an vero Lucas sit ibi commemoratus. Actum denique ageremus, si h. l. res a s. Luca in comitatu Pauli gestas exponeremus, quia istas in Historiis Apostoli narraturi sumus; Martyrii memoriam facturi cum librum Actuum Apostolicorum expenderimus.

gelium suum edidisse. Recurrunt quippe c. apud s. Lucam haud pauca, quae effata huius Apostoli potissimum referunt; ut diuturna qua Lucas usus fuerat s. Pauli consuetudo ad totam rerum narratarum indolem haud parum valuisse merito iudicetur[1]. Erant Romae d. frequentes testes oculati eorum, quae a Christo gesta sunt; inprimis prae cunctis talis habendus Princeps Apostolorum s. Petrus, qui s. Lucam res scribendas docuerunt[2]. Ad Evangelium Lucae e. quoque respicere epocham Romanae praedicationis S. S. Apostolorum Petri et Pauli affirmat vetustissimus atque beatissimus Lugdunensis Episcopus s. Irenaeus, quocum facit s. Augustinus.[3] Ut vero s. Lucam post d. Marcum[4] scripsisse dicamus, ipse flagitat Evangeliorum ordo, a quo discedendum non est; donec gravissima argumenta adducantur[5]. Ob quas interim causa

---

[1]) Gravia hanc in rem suggessimus p. 105. cum institutam a Christo eucharistiam describeremus. Cui argumento pondus aliquod accedit, nec leve illud, quod haud paucae occurrant, voces: v. g. χάρις, ἔλεος, πίστις, e. s. p. dicendique formae: quae vel praecipue familiares videantur s. Paulo et s. Lucae, vel praeter utrumque omnino non reperiantur in N. T. Exempla larga manu suppeditabit Gersdorf, Beiträge zur Sprachcharakteristik der Schriftsteller des N. T. Leips. 1816. I, 160. s. Unde non sine elegantia Tertullianus, adv. Marcion. IV, 5. p. 152. „Lucae digestum Paulo adscribere solent." Quid quod s. Joannes Chrysostomus, homil. I, 1. in Acta Apostol. p. 2. arbitretur s. Paulum „cum ait secundum Evangelium quod accepistis, II Thess. 2, 13. de Lucae evangelio loquitur; ita ut non aberraverit si quis ipsi hoc opus adscripserit." In qua sententia fuerunt etiam alii quidam teste s. Hieronymo, de viris illustr. l. c. Attamen ut superius probatum dedimus, Apostolus saepissime Evangelium nominat, hac voce procul dubio nihil aliud significans, quam divina Christi dogmata atque instituta. Non igitur est verisimile s. Paulum c. l. de s. Lucae Evangelio locutum. Ex verbis autem Ev. 1, 3. „ἔδοξε κἀμοί" inferre velle, quod s. Lucas sponte sua id operis susceperit atque absolverit, foret temerarium. [2]) Huius rei vestigia non pauca exstant in hoc Evangelio. E. g. Luc. 8, 45. 9, 31. 27. 12, 41. 22, 8. 33. 34. 39. 59. [3]) „Eo quippe tempore scripserunt Marcus et Lucas, quo non solum ab Ecclesia Christi verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari poterunt." De cons. Evang. IV, 8. p. 155. [4]) Cf. Collationem trium Evangeliorum a J. Millio, ed. N. T. prol. §. 116. p. 14. s. tentatam, unde s. Lucam post s. s. Matthaeum et Marcum scripsisse infertur. [5]) Origines, apud Eusebium, Hist. eccl. VI, 25. p. 226. iam saeculo tertio de Evangelio Lucae dixit „τρίτον τὸ κατὰ Λουκᾶν, τὸ ὑπὸ Παύλου ἐπαινούμενον εὐαγγέλιον"; additque se hanc rem a Maioribus traditione accepisse. Quae quidem omnia faciunt, ut Evangelium a s. Luca existimemus Romae conscriptum, postquam cuncta considerasset, inspexissetque loca; et contulisset sermonem cum iis, qui ab initio ipsi viderant. Ceterum quo precise anno Evangelium suum Lucas scripto vulgavit, in incerto est positum.

scriptionem suam instituerit ipse in prooemio[1] historiarum suarum diserte exponit. Nimirum, quia multi[2] tentabant, nec satis diligenter, nec accurate, nec fideliter, contexere narrationem de iis, quae Jesus coepit facere et docere; itaque ait se ea descripsisse quae de dictis et gestis Salvatoris tunc fuerunt ‚πεπληροφορημένα', h. e. nota, certa et indubitata.

Ex istis fontibus describit Praecursoris et Domini conceptionem atque nativitatem[3]; Christi infantiam[4], Jesu Salvatoris doctrinam facta et miracula[5]; salutarem passionem[6], reditum ad vitam atque gloriam ascensionis[7]. Occurrunt quaedam peculiaria ab hoc uno Evangelista relata. Illius generis sunt ista, quod de s. Joanne reliquis accuratiora habeat, quod tria Cantica sc. B. M. Virginis, Zachariae et Simeonis in Ecclesia cantanda exhibeat; quod Genealogiam Salvatoris nostri extendat usque ad Adamum; qua demum pietate mulieres probae Salvatorem prosecutae fuerint prae ceteris testatur. Atque illa ita se exposuisse addit, sicut Ecclesiae tradiderunt ii, qui ab initio fuerant omnium spectatores. Et quidem ordinis si alius studiosus ‚καθεξῆς', multa cura multoque studio ‚ἀκριβῶς'; res Jesu ab exordio ‚ἄνωθεν' digestas contexebat Theophylo, cui Evangelium suum dedicavit. Quis autem Theophylus ille fuerit, trita inter eruditos versatur quaestio. Non defuere, qui vocem graecam ‚Θεόφιλος' adpellative sumentes, in eam abirent sententiam: ut crederent s. Lucae Evangelium omnibus inscribi, qui veri essent Dei amatores[8]. Nobis Theophylus, si natales

---

[1]) Quod 1, 1—4. enarratur, et operae pretium fuerit conferre cum prologo Josephi, de bello iud. l. I. p. 47. t. sec. [2]) Ev. 1, 1. πολλοί indefinite dictum κατ' ἐξουθενισμὸν, ne quis hic alios Evangelistas a s. Luca notari putet. Intelligit enim d. Lucas non Hagiographos, qui πολλοί vocari nequeunt, sed potius auctores varii generis descriptionum de Christo, quae eo tempore circumferebantur „Quoniam quidem aliqui conati sunt, quae dicuntur apocrypha in suum ordinem redigere, eaque miscere" inquit s. Athanasius, ep. festal. p. 962. Cf. Patritii, de Evangeliis III. 1, 3. p. 2. Aberle, exeget. Studien, in ann. Tüb. Quartalschr. 1863. I. 102. s. [3]) C. I. [4]) C. II. [5]) C. III—XXI. [6]) C. XXII. XXIII. [7]) C. XXIV. [8]) Origenes, in Luc. hom. I. p. 90. S. Ambrosius, in Luc. 1, 4. expos. p. 1270. S. Epiphanius, haer. LI, 7. p. 429., ubi tamen rem in medio forsan relinquit. Salvianus, epist. IX. ed. Barbulii. Pisauri 1729. p. 111. V. Beda, expos. in Luc. p. 218. At sunt multo maioris ponderis argumenta, quae persuadeant dedicationem hanc viro cuidam certo factam esse. Hoc namque flagitat a. contextus

spectentur e gentili Christianus fuisse videtur, cui tamen instituta Judaeorum perspecta erant [1]; virum consularis dignitatis, cui urbes Italiae cognitae erant, aeque in proclivi est statuere [2].

Neque minus propterea auctoritatis Evangelium s. Lucae, ad privatum hominem, quam si publice ad omnes scriptum, in primis gentiles, ut Veteres affirmant, esset habere putandum est. Nam et quod Theophilo scripsit, omnibus scripsit; sicut et d. Paulus ad privatos homines interdum scribens, toti Ecclesiae scripsit. De cetero s. Lucam Evangelium suum lingua, quae est Graecis propria, exarasse in dubium haudquaquam vocatur. Huius enim linguae inter omnes Hagiographos erat peritissimus; sane scribendi genus d. Lucae est florens et elegans atque Historiarum more dilucidum, id quod

qui sane 1, 4. indicat ad hominem determinatum verba fieri; cum quo iam antehac notitia intercesserat d. Lucae. b. Idem probat Act. 1, 1. ubi Evangelista „ὦ Θεόφιλε" ipsum eodem modo vocans, declarat se ad eum Evangelium scripsisse. Accedit c. vel maxime epithetum „κράτιστε" quo utitur Scriptor. Ex hac compellatione — Coll. Act. 23, 26. 24, 3. 26, 25. Epist. ad Diognet. ed. Otto. II. p. 53. s. — liquido patet; solitum eiusmodi titulum impertiri nobilissimis viris, fuisseque amplissimae dignitatis indicem, non personae laudem. d. Antiqui interpretes, Vulgatus, Syrus, Arabs, Aethiops quoque, Theophilum pro nomine proprio habuerint; eandem quippe vocem Versionibus suis inferentes. Magis id confirmatur e. S. P. et S. E. scriptis, de quorum, paucis exceptis, testimoniis ultro citroque evictum est, in hanc praeter supra citatos, reliquos omnes concedere sententiam.

[1]) Cum ita s. Lucas de illis loquatur, ut quae nota essent legenti. Coll. 1, 5. 8, 10. 2, 22. 6, 1. Act. 2, 1. 3. 1. 27, 9. Christianis vero sacris addictum iam fuisse ex 1, 4. si verba recte aestimentur sequitur. [2]) Coll. Act. 28, 12. 13. 15. in q. l. s. Lucas, qui de regionibus Palaestinae deque iis, quas s. Paulus in Italiam navigaturus peragrabat, ita loquitur, ut quae Theophilo ignota esse autumet: 5, 12. 10, 38. 11, 1. 17, 12. 23, 51. 24, 13. Act. 1, 12. 16, 12. 17, 21. 27, 8. 12. 16.; idem porro d. Lucas vix ad Siciliam narratione sua pertingit, iam omnia etiam minima loca lectori nota esse ponit. Atque id quidem monuit iam Eutychius, apud Seldenum, l. s. p. 36. „Scripsit Lucas Evangelium suum graece ad virum nobilem ex sapientibus Romanis cui nomen Theophilus." Alexandrinum fuisse opinantur: compilator recognitionum Clementis, X, 71. ed. Cot. p. 602., Hebediesu metropolita Sobensis, tract. cont. Catal. Libr. chald. tam eccl. quam prof. lat. ab Abrahamo Echellensi. Romae 1653. p. 7., Lexicographus syriacus Bahr Bahlul apud Edm. Castellum, Lexicon heptagl. Lond. 1686. II, 3859., attamen cum magna rerum et temporum confusione. Sed ista quidem tanti non sunt, ut diutius in his haereamus. Cf. J. A. Osiandri, disp. de Theophilo κρατίστῳ. Tub. 1659. J. G. Stolzii, Vindiciae Theophili in Thes. th. II, 282. G. Schelgvigii, diss. de Theophilo. Gedani 1711. J. D. Michaelis, Einl. §. 141. p. 927. s. Hug, Einl. II, 141. s. Patritium, l. c. p. 6. n. 24.

et diuturnae cum Graecis consuetudini, et ingenio literis imbuto tribuendum [1].

Incorruptum ad nos pervenisse Evangelium s. Lucae tam internis quam externis adstruitur argumentis. a. Auctoritatem canonicam planeque divinam, a primis statim saeculis, obtinuit perpetuam in Ecclesia orientali non minus quam occidentali. Comprobatur id non solum Ecclesiae in Synodis effatis; sed etiam codicum qui nunc exstant exemplaribus; S. P. et S. E. testimoniis. b. Veritas doctrinarum rerumque gestarum a S. Luca commemoratarum est in aprico posita; cum Evangelista dicat haec se tradere ex relatione eorum, qui fuerint ‚ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται'; quibus praeter s. s. Petrum, Jacobum, Joannem Ecclesiae columnas, d. Paulum et s. s. Matthaeum ceterosque, inprimis adnumeranda venit B. V. Maria [2]. Testem gravem quis recusat, potissimum si testimonium, in conspectu illorum qui simul adfuerunt perhibet. Neque solus haec narret; sed ex Harmonia cum aliis hoc constet, scriptorem idem quod alios memoriae prodidisse. Praeterea c. antiquissimae Versiones, atque vetustissima inscriptio Evangelii [3], nullum nisi s. Lucam scriptorem Evangelii tertii perhibent. Adeo vero constans hic est consensus, ut nullum antiquum monimentum excitari queat, in quo alteri cuidam adscriptum fuerit. d. Mansit scriptum Lucae genuinum donec procax Criticorum ingenium ausum est, ex rationibus dudum confutatis d. Lucae negare fidem et auctoritatem [4]. Tandem hic

---

1) Neque tamen ad Thucydidis pompam, Polybiique verborum splendorem assurgit. Saepe abstinuit vocabulis peregrinis, retinuit autem Syriasmi subinde vestigia. Amat etiam loquendi formas graecis V. T. interpretibus familiares. 2) Ea certe quae is unus narrat de Christo puero, ab ipsa huius purissima Matre audiisse credendus est; atque haec sententia probatur e cap. 2, 19. 54. Cf. Koenigsmann, prolusio de fontibus comm. s. qui Lucae nomen praeferunt. Altonae 1798. in Pott, syll. t. III. 3) Quae a primitiva Ecclesia originem traxit. V. p. 260. 4) Inspirationem s. Lucae addubitavit H. Sextro, progr. nonnulla super inspiratione L. Gott. 1786. Id. non s. q. an. ex arg. extern. Lucae inspiratio possit probari. Hal. 1789. Integritatem oppugnare adgressus est Fr. Schleiermacher, Krit. Versuch ü. d. Schr. d. Lucas. Berl. 1817. Einl. 344. s. S. Frisch, comm. utr. Lucae comm. artificiosae tractationis indolem habere. Friberg. 1817., in Comm. Rosenmülleri r. e. s. t. de ratione dicta factaque Jesu et Apostolorum commemorandi, qua Lucas in utroque comm. usus est, I. 1, 272. s. Sed refutata sunt haec tentamina ab H. Planck, observ. quaedam de Lucae Evangelii analysi

dicendum de bove seu vitulo, quod Lucae insigne dicitur; quia sacrificium sacerdotale Zachariae Evangelio suo praemisit[1].

§. 54. S. Joannes Evangelista Theologus.

Quartum et serie temporis postremum Evangelium scripsit discipulus quem diligebat Jesus, tota emphasi nominis ‚Joannes' adpellatus[2]. Betsaida[3] Galilaeae oriundus patrem habuit Zebedaeum[4], matrem vero Salomen; ex illarum mulierum numero, quae Jesum de more comitabantur in Galilaea, ei ministrabant, mortuique corpus uncturae aromata emebant[5]. Fuit itaque Joannes germanus frater Jacobi M. A. Genere vitae Zebedaeus cum filiis piscator erat, non infimae tamen sortis; quippe bonis fortunae non destitutus[6]. Plus tamen pietate quam genere et opibus parentes nostri Evangelistae valebant. Matrem Salomen cognatam Salvatoris, adeoque eius contribulem statuere, veritatis specie haud destituitur[7]. An et quousque literis tinctus in prima sua pueritia fuerit d. Joannes[8], non admodum liquet. Coelibem et coniugii nescium gravissimi Ecclesiae S. P. et S. E. unanimi ferme calculo affirmant[9]. Nihil praeterea, quod privatam Joannis conditionem attinet, monere est; nisi quod mitissimo fuerit temperamento. Talis cum per naturae sortem esset s. Joannes, in longe altius fastigium per Domini sui gratiam perductus est[10]. Antequam Christo sese totum dedisset in disciplinam, Joanni Baptistae adhaesit, a

---

cr., ib. p. 253. His quasi velitationibus successerunt graviores impetus recentiorum a quibus nihil plane reliquum, quod non discerptum et concisum sit; contra quos nuperrime disputavit: J. Grimm, die Einheit des Lucas Evangeliums. Regensb. 1863.

¹) V. S. Ambrosii, prol. expos. Ev. sec. Luc. n. 8. p. 1266. ²) Quo nomine v. p. 19. quam merito et Evangelista noster decoratus fuerit; vel ipsa eius specialis praerogativa dilectionis sat superque testatur. In hac ὀνομαθεσία parentes tacito instinctu s. Spiritus acti, fidem suam de futura gratia explicare voluerunt. V. H. V. T. p. 396. Non sine Numine accidit, et primum et ultimum Jesu Christi testem, idem nomen gessisse. ³) V. not. t. s. geogr. p. XLIX. ⁴) Matth. 4, 21. 10, 2. 20, 20. ⁵) Marc. 15, 40. 16, 1. coll. Luc. 8, 3. ⁶) Coll. Marc. 1, 19. Luc. 8, 3. Joann. 19, 27. ⁷) Cf. Beniamini Bossue, comment. hist. de S. Salome matre fil. Zebed., in Act. Sanct. Octobr. XXII. Brux. 1858. IX, 436. s. ⁸) Coll. Act. 4, 13. ⁹) Ita Tertullianus, de monogamia. c. 17. II, 134. S. Ambrosius, exhort. Virgin. c. 5. n. 32. p. 285. S. Epiphanius, haer. LVIII, 4. p. 491. S. J. Chrysostomus, de virginitate c. 82. I, 333. S. Hieronymus, Comm. in Isai. 56, 4. p. 658. adv. Jovinian. I, 26. p. 279. S. Paulinus, epist. L, 17. ed. Migne p. 416. Joannes Cassianus, coll. XVI, 14. p. 485. ¹⁰) Coll. Joann. 16, 16.

quo procul dubio sacro fonte tinctus est. Magistri sui testimonio inductus, inter primos venit ad Jesum, cui prae reliquis non tantum vitae societate, sed etiam arctiore consuetudine iungebatur[1]. Nec tamen illico indivulso nexu Dominum sequebatur, sed patri obsequens, fratrique fidus comes identidem ad retia rediit. Anno vertente, ubi strictius ad sequelam Christi atque Evangelium vocatus est, admodum iuvenis, deserto dilecto parente, abiecto navigio omnique artis instrumento, nulla interposita mora totum se Christo addixit[2]. Itaque cum Jesus ex discipulorum accrescente numero duodecim sibi Apostolos eligeret, inter eos Joannes quoque adscitus est; et una cum fratre Jacobo[3] βοανεργὲς dictus, quod est filius tonitru[4] ab effectu; nempe quia mysteria summa in praeconio Evangelii annuntiaturi erant. Quam vere s. Joannes, de quo nobis sermo, filius tonitru fuerit, evangelica eius tuba sat superque testatur, et affatim docent s. Patres[5]. Sicut autem ex hac nominis impositione patet, quod non ad Apostolatum tantum s. Joannes vocatus fuerit; ita etiam quod cum s. s. Petro et Jacobo trigam illam constituerit, quam ceteris toties praetulit Dominus. Unde cum ipsis praesens adfuit: in resuscitatione filiae Jairi: iterumque in eadem societate ad gloriam Jesu in monte contemplandam admissus est[6]. Salvatori prae omnibus aliis exstitit longe carissimus; ita ut primum in familiaritate locum ei concesserit; eumque in sinum suum non solum corporis in accubitu, sed etiam animi receperit. Qui summe a Christo amabatur, magnopere Christum amabat[7]. Ut iam non memo-

---

1) Jo. 1, 37. s. 13, 24. 20, 2. Luc. 22, 8. Act. 3, 1. 8, 14. 2) Matth. 4, 21. 22. Luc. 5, 11. 3) Ut coniicitur seniore; cum constanter — si Luc. 9, 28 excipiatur — s. Jacobum soleat S. S. praeponere. Quin non tantum Jacobo sed etiam ceteris Apostolis minorem natu s. Joannem Veteres credidere. Cf. s. Ambrosii. expos. Luc. 23, 49. p. 1533. 4) Utut ipse s. Marcus hoc nomen interpretatur 3, 17. L. H. N. T. p. 52. 53., non obstante eo, de nominis huius genuino sensu non est disceptandi finis. Cf. M. Chladenii, diss. de cognomine βοανεργὲς. Witteb. 1712.; in qua aliorum quoque sententiae expositae habentur, quas et legere licet apud Matth. Hillerum, Onomast. s. Tub. 1706. p. 117. s. J. G. Reusch, interpres syrus p. 52. Suicerum, Thes. I. 711. Fr. Ad. Lampe, comm. Ev. s. Joann. Amstel. 1724. p. 21. s. Bezange, Intr. p. 150. Gurlitt, in ann. Stud. u. Krit. 1829. p. 715. s. Meyer, Ev. d. Mark. p. 43. F. X. Patritium in Marcum, Comm. p. 29. 5) E. g. Epiphanius, haer. LXX, 7. p. 854. S. Joannes Chrysostomus, ad eos qui scandalizati sunt. I, 3. Op. III, 470. S. Cyrillus Al., adv. Nestor. I. p. 15. 6) Ipse ex eorum numero se fuisse ait, qui gloriam Unigeniti a Patre viderant. Ev. 1, 14. Ep. I. 1, 1. De his et aliis horum trium discipulorum praerogativis loquuntur: Clemens Alexandrinus, Stromatum I, 1. p. 322. Eusebius, Hist. Eccl. II, 1. p. 38. 7) Miris ob hoc laudibus a S. quibusque Patribus celebratus; quae legi merentur apud Theophilum Raynaudum S. J., in Hagiologio Lugdunensi. Lugd. 1663. VIII, 230. s.

remus obedientiam Joannis erga Jesum, cuius luculentum testimonium dedit, quando cum Petro — familiari prae reliquis suo — mittebatur ad parandum pascha; constans cum Christo amoris unio fecit, ut a patiente et moriente Domino vix divelleretur. Quare et matrem suam Dominus Noster Joannis pridem sibi cognitae fidei credidit. Quemadmodum vero Jesu ultimus ad crucem animam agentis suspiria excepit; ita primus in sepulchro eundem resuscitatum quaesivit. Superbiae autem vel vanitatis in tanta praerogativa nullum reperitur vestigium, enimvero in fastuosa Salomes [1] petitione, noster Apostolus nullam habuit partem. Statim ex quo Dominus in cruce exaltatus, matrem suam dilectissimam eius pietati et sollicitudini commisit, B. V. Mariam in ,τὰ ἴδια', ubicumque locorum illa fuerint accepit; et mox quidem post Resurrectionem in aliquo ad mare Tiberiadis oppido, ubi piscaturae operam dans a Magistro inventus est. Deinde Hierosolymis Virgo cum Virgine morabatur [2], usque ad mortem Deiparae, cuius singularem in omni eventu' curam gerebat. Assumta in coelos gloriose Angelorum Regina [3], in Asiam se recepisse traditur; ,ubi olim philosophabantur omnes Graecae disciplinae homines' [4].

§. 55. Evangelii quarti occasio, scopus atque oeconomia.

In regionibus Asiae ubi ageret d. Joannes Evangelium primum praedicavit, deinde rogatu discipulorum et omnium pene episcoporum Asiae iam grandaevus literis illud consignavit: ad retundendam atque coarguendam [5] haereticorum ex Gnosticorum praecipue turba, Cerinthi, Nicolaitarum, Ebionitarum aliorumque insaniam [6]. Lege-

[1]) V. p. 48. Quanta enim fuerit humilitate patet ex Ev. 21, 23. [2]) Quo cum eadem rediit. Act. 1, 14. [3]) V. Baronium, ad a. Chr. 48. n. 4. s. p. 344. seq. A. Sandinum, de Maria V. c. 7. p. 398. [4]) Ut habet magnus orator s. Chrysostomus, in Joann. hom. II, 2. p. 9. [5]) Valentini, iuxta s. Victorinum Pet., in Apoc. 11, 1. p. 59. [6]) Id quod antiqua et perennis in Ecclesia fides fuit. Sic ratus est Papias, apud C. J. M. Thomasium Op. om. Rom. 1747. I, 344. s. Irenaeus, adv. haer. III, 11, 1. p. 462. Clemens Al., apud Eusebium, II. E. VI, 14. p. 216. Epiphanius, haer. LXIX, 23. p. 747. s. Hieronymus, de vir. illustr. c. 9. p. 54. Eusebius, l. c. III, 24. p. 99. Philastrius, C. de haer. n. 17. ap. Gall. VII, 487. Ex recentioris aevi interpretibus hoc ipsum affirmant: C. Vitringa, de occasione et scopo prologi Ev. Joann. Ap. Obs. s. V, 10. II, 136. s. J. Fr. Buddeus, de Ecclesia apost. Jen. 1729.

bantur eo tempore rerum abs Christo gestarum tres testes publici in Ecclesia; quorum primus tantum fuerat αὐτόπτης, huic iam tempestive adiunxit Spiritus s. αὐτόπτην alterum: et quidem ex illorum trium numero, qui secretioris etiam prae ceteris admissionis fuerant [1]. Neque modo ad veritatis Historiarum D. N. J. C. confirmationem, sed etiam ad stabiliendam ceterorum Evangelistarum fidei dignitatem, Evangelii quarti accessio faciebat. Qui enim easdem tractans historias, tres priores scriptores non tantum non improbat; sed etiam pro fundamento quasi ponit, cui sua superstruit, atque in omnibus circumstantiis, quarum et ipse testis fuit, cum iis amice conspirat: illum de veritate eorum, quae narrarunt, plenissime convictum esse, tam planum est, ut operosa huius sententiae probatione non sit opus [2]. Confirmat id sane insigniter ἀξιοπιστίαν eorum, qui ante s. Joannem scripsere.

Summam vero non tantum Evangelii, quod tam voce quam literis praedicavit; sed etiam ceterorum scriptorum, quae nobis reliquit, ab ipso Joanne expositam habemus [3] in haec verba: „ταῦτα [4] δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ“ [5].

---

p. 415. s. J. A. L. Wegscheider, Versuch einer vollständ. Einl. in. d. Ev. d. Johannes. Gott. 1806. p. 209. Lange, die Judenchristen, Ebioniten und Nicolaiten der apost. Zeit. Leipz. 1828. p. 147. C. G. Stein, authentia Ev. Joh. Brandenburgi. 1822. p. 37. s. Fr. Lücke, Comm. ü. d. Ev. des Joh. ed. III. I, 193. Ebrard, wiss. Krit. p. 831. Hug, Einl. p. 184. s. H. Klee, Comm. ü. d. Ev. n. Joh. p. 18. s. Huic vulgatae S. P. et S. E. atque eruditorum sententiae se omnibus nervis viribusque opposuere: Lampe, de Ev. Joann. scopo Proleg. t. p. comm. II, 3. p. 181. s. H. E. G. Paulus, Introd. in N. T. cap. select. Jen. 1790. p. 106. s. C. Th. Bretschneider, Probabilia de Evangelii Joannis indole et origine. Lips. 1820. p. 5. s. Lützelberger, die kirchl. Tradition üb. d. Ap. Joh. Leipz. 1845. cum scholae Neo — Tubigensis choro, qui relictis spretisque Historiarum monimentis ingenio unice indulgent, et coniecturis pro lubitu effictis de rebus, q. d. facta Historiarum, pugnant.

1) Autopsia haec eo maioris est momenti, quia ex ipso Evangelio quarto convincimur, Joannem perpetuum Christi comitem exstitisse. 2) Nulla attamen luculenta adferri possunt argumenta, quibus perpensis moveamur ad affirmandum Joanni consilium fuisse: supplendi tria priora Evangelia. De sacra Coena, ut unum moneamus, quid quod ad tempus attinet sumere debeamus, nihil docet: V. p. 235. s. alia ex parte eventus a tribus aliis memoratos recenset E. g. Joann. 6, 1. s. coll. Matth. 14, 13. Marc. 10, 32. Luc. 9, 10. Joann. 12, 1. s. Matth. 26, 6. Marc. 14, 3. Joann. 18, 16. s. Matth. 26, 58. Marc. 14, 54. Luc. 22, 55. 3) Ev. 20, 21. 4) Supplendum esse σημεῖα; atque haec referenda esse ad omnia signa, quae Jesus ante et post mortem fecerit, passim notant interpretes. 5) Coll. Ep. I. 1, 1—3.

Queis hoc sibi voluisse tum his, cum in tota commentarii sui evangelici serie[1] scriptor insinuat; ut fidem vivificantem habeamus in Jesum Christum verum Dei Filium. Neque enim in omnia alia, quae scribi de Jesu potuissent se excurrere insinuat; sed ea solum docere voluisse, ex quibus fidei de Verbo caro facto, Deo Salvatore hominum momenta suppeterent idonea. Quo sic lectores fidei huius tenaces Illi Nomini ac titulo addicti, de vita aeterna sint certissimi. Revera argumentum quarti Evangelii diligenter expensum ad bina ista momenta consilii belle collineat[2]; Oeconomia vero Libri amice conspirat. Quinque enim habet Evangelium Joannis partes, quae sunt: α. Praeparatoria[3], qua descriptione gloriae Redemtoris insequentium Historiarum certamini prolusio fit. Qui ab initio se manifestans Deum revelavit, testante, inquit Evangelista, Joanne Baptista nostris temporibus cum appareret inter homines, quorum ipse unus est, gloriam Filii Dei exhibuit. Adduntur reflexiones generales de Jesu divino Salvatore eiusque opere. Quo magis β. Christus omnibus Palaestinae partibus publice gloriam suam revelaret; eo magis a multis agnoscitur, ab incredulis autem odio habetur, quod tandem ad summum pertingit fastigium[4]. γ. Jam res decernitur, in Lazaro ad vitam revocato divina Christi potestas ita eminet; ut Judaei quod iam dudum in mente habent peragerent. Non irritus tamen Jesu inter homines labor futurus erat; ventura dies, qua non solum Israelitae sed etiam Ethnici agnoscent Christum![5] δ. Impia malitia in ipsorum discipulorum coetum ingressa est, sed divinissimus Salvator certus de victoria, inaestimabilia summi amoris exhibet documenta. Indivisam Dei Patris et Filii commendat operationem atque inseparabilem Divinitatis unionem, quam praeter alia multa etiam testatam

[1]) Quasi digito in hoc consilium intento. [2]) L. C. E. Luthardt, de compositione Evangelii Joannei. Norimberg. 1852. p. 1. s. Id. das joh. Ev. n. seiner Eingenthümlichkeit geschild. u. erkl. ib. 1853. I, 226. s.; qui tamen iuste increpatur a Fr. Lücke, comm. de eo quod nimium artis etc. p. 22. ex leviusculis et fere nullis vestigiis collegisse ad symbolicae significationis numeros factam compositionem. Idem valet de libello A. G. Hoelemann, de Ev. Joanni introitu, introitus Geneseos augustiore effigie. Lips. 1855., in quo perperam sumitur s. Joanni prologum Evangelii concipienti, Geneseos exordium obversatum esse. [3]) C. I—III. [4]) C. IV—X. [5]) C. XI. et XII.

facit Patris clarificatio[1]. ε. Pars postrema narrat historias exitus Christi, qui homine se esse maiorem tum maxime probavit, quando summa patientia et longanimitate pro nobis passus et mortuus est. Victoria Filii aperta fit, sanguis martyrum et nunc statim semen Ecclesiae; tertio iam mane signa fiunt Jesum superesse etiam morti invictum testantia, quibus et Evangelista suum adiungit testimonium[2]. Sic ultima revertuntur ad prima. Hoc modo Evangelium Joanneum optimum praebuit munimentum Christianis adversus corruptores Verbi Dei, quos ista iam tulit aetas[3].

§. 56. Evangelii Joannei natura et proprietas.

Solent quidem Evangelia, nec immerito, in censum historicorum, quos vocant, S. S. Librorum referri; Joannis autem commentarii de verbis et operibus Jesu, etsi aliquid Historiarum habeant, tamen nec unice nec praecipue ex praeceptis scribendi historias iudicandi sunt[4]. Fugit autem neminem d. Joannem in adumbranda Christi persona a reliquis, quos Synopticos adpellant, differre. Praeterit primordia Christi humana: docendi modus Salvatoris in utrisque varius, aliaque diversa bene multa. Ista quidem varietas, eo movit quosdam recentiorum: ut s. Joannem scriptorem quarti Evangelii perperam negarent[5]. Eam quidem diversitatem quod attinet, quae auspicantibus lectionem Evangeliorum offertur, ex fine quem sibi proposuere scriptores, aestimanda. Sufficiebat tribus prioribus Evangeliorum scriptoribus, ut Christum verum et exspectandum Salvatorem demonstrarent[6]. Ideoque magis vitam, quam Dominus in terra egerat, describunt. S. Joannes autem, quo ex quatuor Evangelistis omnem, et secundum carnem et secundum Deitatem, certitudi-

1) C. XIII.—XVII. 2) C. XVIII—XXI. 3) Sive hi ex Gnosticorum cuiuscumque demum nominis; sive Judaeorum a Christi fide alienorum; sive denique, ut quidam volunt, e Joannis B. discipulorum, quos et Sabaeos vocant — V. Ignatii a Jesu, narr. orig. rit. et error. Christ. s. Joann. Rom. 1652. E. Kaempfer, amoen. exot. fasc. V. Lemgo. 1712. M. Norberg de relig. et ling. Sabaeor., comm. reg. s. Gott. 1789. v. III. C. G. J. Walch, Obs. de Sabaeis. ib. 1787. —, familia fuerint. Ceterum vere fuisse tales primo statim Ecclesiae aevo, qui Joannem Baptistam pro Messia habuerint, nullo traditionis antiquae idoneo documento firmari potest. 4) Quod vix quisquam negaverit. 5) Quare ut contra hos rem feliciter agamus, interna diversitas penitius investiganda erit. 6) Quae „τὰ σωματικὰ". Clementi Al. dicuntur apud Eusebium, H. E. VI, 14. p. 216.

nem haberemus [1], data opera in eo potissimum versatur; ut ea quae Deitatem Christi assererent, momenta adferret. Unde talia a s. Joanne enarrantur, quae apta erant ad Christum verum Deum luculentius demonstrandum. Sic antequam Evangelista docere incipiat, quam diserte Jesus gloriam suam in mundo revelaverit; prius exponendam sibi esse duxit gloriam illam, quam Salvator ut Filius Dei ab aeternitate habuit [2]. Hac de causa commentarius Joanneus ‚πνευματικὸν Εὐαγγέλιον' dicitur [3]. ‚Spiritalia enim ferme sunt, quae ille commendavit, cum quae ad corpus attinerent [4], abunde essent aliorum scriptis corroborata. Quamobrem spiritalem de divino illo dono [5] narrationem aggreditur, quod initio carens omni, a coelesti in nos Patre transfusum est, et de huius consilio et voluntate in B. Virginem illapsum, atque in Virgineo eius gremio cum carne coniunctum' [6].

Quod vero ad Sermonum D. N. J. C. quos Joannes memoriae mandavit, et quos Synoptici referunt discrimen spectat, praevia quadam distinctione admitti potest; tum quoad formam, quam quoad materiam. Illi Jesum sistunt parabolico dicendi genere loquentem, adstante corona promiscua hominum de plebe et vulgo; quibus iam Magister de indole, fatis, optabili civitate officiisque civium Regni divini locutus est. Longe secus apud quartum Evangelistam, penes quem Christus exponit specie

---

1) S. Epiphanius, haer. LI, 19. p. 442. 2) „In quatuor Evangeliis, vel potius quatuor libris unius Evangelii s. Joannes non immerito secundum intelligentiam spiritalem aquilae comparatus, altius multoque sublimius aliis tribus erexit praedicationem suam, et in eius erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam ceteri tres Evangelistae, tanquam cum homine Domino in terra ambulabant, de Divinitate eius pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram et super omnem ambitum aëris et coeli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, et pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo: in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Huic tantae sublimitat. principii etiam cetera congrua praedicavit et de Divinitate quomodo nullus alius est locutus." S. Augustinus, in Joann. Ev. c. 8. tr. XXXVI, 1. p. 543. „Coactus est . . ., inquit d. Hieronymus, praef. s. Matth. VII, 6., ad ipsum Dei Verbum non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere." Quanto honore hoc Evangelium a ceteris quoque S. S. P. P. et S. E. sit habitum, demonstravit Tillemont, Mem. I. S. Jean. art. 8. ed. Ven. p. 345. 3) Clementi Al., in libris s. d. ὑποτυπώσεων, ex quibus insigni iactura deperditis ἀποσπασμάτιον aliquod adfert Eusebius, H. E. VI, 14. p. 216. 4) In mox praecedentibus s. Epiphanius „τὴν ἔνσαρκον παρουσίας πραγματείαν" adpellavit. 5) In textu graeco „ἀπὸ Πατρὸς ἀνάρχου δωρεᾶς." 6) S. Epiphanius, haer. LI, 19. p. 442.

orationis dialectica, recondita, et augusta. Argumenta Parabolis praebuit natura rerum, maxime ager Palaestinus; vel vita hominum civilis et publica, privata et domestica, scito tamen respectu ad doctrinam cumprimis morum [1]. Sermones autem habiti in ultimo Evangeliorum, metaphysico inprimis tenore excellunt. Haec si ita intelligantur, ut quae diversa sint, contraria esse negentur, concedi quidem possunt; attamen distinguere oportet tempora, et concordabit Scriptura. Sermones Christi a Joanne redditi [2], dicti sunt ea aetate, qua sacerdotum, Seniorum plebis et Pharisaeorum maligna consilia abunde expertus Jesus, divinae suae causae ipsos quotidie magis infestos vidit. Longe autem alia res erat, si in agro Galilaico Doctor erudiret populum, a magistris suae curae relictum: et alia si pro se vindicias agebat contra filios tenebrarum, vel etiam inter suos versatus mysteria suae cum Patre unionis et eiusdem originis panderet [3]. Talis cum sit, qualem vidimus, s. Joannem inter et reliquos Evangelistas varietas, hanc neutiquam aut horum aut illius fidei obesse facile

---

[1]) Cf. G. A. van Limburg Brouwer, de Parabolis Jesu Christi. Lugd. Batav. 1825. p. 98. s. J. W. Rettberg, de parabolis J. Chr. Gott. 1827. p. 52. Unger, de parabolarum Jesu natura. Lips. 1828. p. 82. 83. F. Fleck, de regno divino l. Lips. 1829. p. 137. s. 261. s. 325. s. 449. s. M. N. Rignalda, de or. mont. Ev. Matth. c. 5.—8. Trai. a. Rh. 1858. p. 25. s. [2]) Si paucos e. g. cum Nicodemo, muliere Samaritana, turba Capharnaumitica excipias. [3]) Singulari habitu insignes esse sermones apud Joannem ultro damus, non sequitur tamen hinc eosdem uni oratori non esse adscribendos. Poscunt aliae dicendi causae, alii auditores aliam formam dicendi; admittit ditissimum Jesu ingenium varietatem. Praeterea res ipsa ferebat, ut ad eos qui in intimam eius familiaritatem venerant, aut ad inimicos loquens Dominus de industria et altius proderet „τὰ μυστήρια"; quam si coram populo verba faceret. Itaque dictionem suam sapientia doctoris Dominus mutasse putandus est, et ea quae hominum rerum atque temporum rationes suaserunt, in usu generis dicendi observavit. Maior dissensus videtur quod Christus in Evangelii Joannis crebro ad „ἔργα" provocet, raro perficiat; non enim ultra septem traduntur Domini miracula, nullum in hoc Evangelio narratur praeconium Baptistae, nulla memoria Christi a diabolo tentati; de Jesu in horto lucta, de Urbis, Templi, reipublicaeque interitu nec verbum reperitur. Plura Joannes habet in λογολογία, de Filio Dei certante cum κόσμῳ, de cultu ἐν πνεύματι, καὶ ἀληθείᾳ, de δόξα Jesu, de sermonibus argumentum πνευματικὸν continentibus. — V. H. Planck, quid consensus et differentiae inveniatur apud auctores N. T. in persona Christi τοῦ σωτῆρος adumbranda. Gott. 1823. F. Fleck, de imagine Christi Joannea et Synoptica. Lips. 1831. — Qui quidem dissensus non universe negandus, sed hermeneutice explicandus est. Quominus autem his, quae praetendunt dissensus capitibus moveamur, id potissimum nos cohibet: quod ita sentientium opinio, non tantum pugnet cum reverentia scriptis θεοπνεύστοις debita; sed etiam cum argumento, quo duce novimus divinam

patet. Constat enim inter cordatos interpretes, diversitatem in consilio scribendi inesse; non in argumento scriptionis[1].

In iudicio super convenientia et discrimine Joannem inter et reliquos, attendere cum primis oportet: quartum Evangelistam postremum scripsisse; proinde optime novisse describendarum Historiarum D. N. J. C. provinciam, iam ante a tribus occupatam; et tamen exarasse Librum prioribus si volumen spectes fere parem, si argumenti dignitatem longe superiorem. Evangelia cetera Origenes[2] adpellat ‚ἀπαρχὴν πάσης γραφῆς‘; Joannis vero Evangelium ‚ἀπαρχὴν τῶν εὐαγγελίων.‘ Scilicet ad Christi dilecti Magistri sui Personam dudum interiore perceptam animo; externae descriptionis lineamentis adumbrandam adgressus Evangelista ‚ὁ ἐπιστήθιος‘, voluit praestantissimorum sermonum, quos alii Evangeliorum scriptores silentio praeterierant, copiam facere. Quod vero his talibus prae reliquis repleret opus ‚πνευματικόν‘ non modo ingenium viri, sed et Spiritus Sancti voluntas in causa fuerat. Convenit argumento dicendi genus, mire simplex et grave, nulloque artificio humano eloquii cultum[3]; haec attamen linguae scabritia abunde suppletur mysteriorum profunditate atque rerum excellentia[2]. Neque tamen Joannes de rebus a Christo gestis scribens:

Salvatoris naturam ita quoque a Synopticis, quos vocant, adstructam ut facile animadvertatur. Cf. J. Paré, diss. de Johannis Evangelio non prorsus dissimili prioribus Evangeliis nec ob dissimilitudinem repudiando. Trai. ad Rh. 1828. p. 12. s.

1) Si meminerimus neque Joannem, neque Synopticos, omnia Jesus verba et acta referre voluisse; plena imago Domini Nostri collatis contextisque omnibus quatuor Evangelistarum Libris cognoscetur. Sua elegit suo singulus consilio scriptor; unus narrare omnia nec potuit, nec voluit. V. Proleg. 3) Comm., in Ev. Joann. t. 1. n. 5. 6. p. 12. 2) Sermo graecus quidem, sed in hoc a more Graecis usitato discedens, quod participiis propemodum careat, vix non semper praeteritis utatur, soloecismos adhibeat, in construendis periodis coniunctiones negligat, hinc oratio adeo intercisa, tot repetitiones vocum, membra soluta: ut vel ideo si graeci idiomatis proprietas spectetur minus eleganter et plane ad ingenium linguae aramaicae Joannem locutum censeri possit. Idem quoque valet de eius epistolis. 2) „Quodque mirum est tantus ille clamor, non asper est non insuavis, sed omni musica harmonica iucundior et desiderabilior, ad haec vero sanctissimus est, et admodum tremendus, tot arcanis plenus.“ J. Chrysostomus, hom. in Joann. I, 1. p. 2. Omittimus aliorum de dicendi genere s. Joannis iudicia, quae magno satis numero dabunt: C. G. Stronck, de doctrina et dictione Joannis Apostoli. Trai a. Rh. 1797. p. 61. 206. s. H. H. Donker Curtius, de Apocal. ab. ind. doctr. et scrib. ratione J. A. non abhorrente. 1799. J. D. Schulze, der schriftstell. Char. u. Werth. d. Joh. Leipz. 1811. p. 63. s. J. A. Seyffarth, Beitrag zur Specialcharakteristik d. Joh. Schr. Leipz. 1823. p. 29. s. Kuinoel, Comm. p. 49. s. Credner, Einl. I. 222. s. Lücke, Comm. I, 168. s. Neudecker, Lehrbuch d. h. kr. Einl. i. d. N. T. p. 299.

quid ipse de Christo cogitarit, cogitandoque invenerit; Theologiam, quam dicunt, suam scribere voluit; sed Jesu semet manifestantis historias, qui ‚maiores perfectioresque sermones reservat ei, qui supra pectus recubuit' [1]. Ideo iam apud Veteres Theologi elogium meruit; non quod Θεολογίαν Historiarum more scriberet, sed ob divinam illam de Trinitate, deque Deitate Filii prae ceteris doctrinam [2], quae a nullo Hagiographorum tam diligenter et ex professo, quam a d. Joanne est tradita. Singularem quidem rerum de Deo-Homine narrandarum selegit partem; scripsit tamen Historiarum volumen; ‚cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Jesu recubuit, vel acceperit a Jesu Mariam, quae etiam ipsius mater fiat' [3].

§. 57. Vindiciae γνησιότητος Evangelii quarti.

Ex dictis quaestio de αὐθεντίᾳ et ἀξιοπιστίᾳ Evangelii quarti universe peracta censeri posset, nisi reperirentur homines, qui omni venerationis specie deposita, in hunc s. Librum tam licenter grassari audeant; ut quantum in ipsis est d. Joannis Evangelium τῆς νοθείας insimulent. Invasisse videtur hoc nostro aevo plurimos, neque eos omnes iudicio et doctrinae copia expertes, furor quidam; quo inprimis talia Veterum scripta, de quibus, quin genuina sint, nemo prudens dubitavit unquam, a suis auctoribus temerario ausu abiudicant. Atque idem hoc Evangelio s. Joannis accidere, quam plurimum dolemus [4]. Operae igitur pretium facturi videmur,

---

1) Origenes, l. s. c. n. 6. p. 14. 2) Hoc autem apprime convenit cum usu vocis Θεολογίας, et Θεολόγου, apud S. P. et S. E. obvio. V. Suiceri, Thes. s. h. v. p. 1356. s. 3) Origenes, l. s. c. 4) Priori quidem saeculo reperti sunt nonnulli, — quorum dux quasi et antesignanus erat E. Ewanson, the dissonance of the four generally received Evangelists and the evidence of their respective authenticity examined. Ipswich. 1792., alios v. a. Stein, l. c. p. 8. s. — qui Veterum haereticorum Alogorum apud Epiphanium haer. LI, 3. p. 423. deliramenta secutus eo ἀκρισίας progressi fuerunt, ut Evangelium Joannis inter νενοθευμένα amandarent. Taedii plenum et parum utilitatis habiturum negotium foret, si omnes hos recenseremus, qui Evansonii vestigia calcare maluerunt. Progredimur ad eos qui nostra aetate αὐθεντίας horum commentariorum adversarii existunt. Non est quod multis exponamus eorum dicteria: qui veluti Strauss, Lützelberger, Bruno Bauer, Krit. d. Ev. Berl. 1850. cum schola Neotubingensi i. e. F. Chr. Baur, Krit. Unt. ü. d. Ev. Tüb. 1847. p. 79. s. J. das Christenth. Tüb. 1853. p. 131. s. F. C. A. Schwegler, der

si manifestum faciamus hos, qui Evangelium quartum d. Joanni Apostolo abiudicant et e Canone authenticarum Scripturarum eliminare volunt, ut parum dicamus, gravissimam culpam incurrere. Quartum Evangelium quod s. Joannis nomine inscriptum est, opus esse γνήσιον liquidissime probari potest. Evangelio ipsi a. suae γνησιότητος indicia insunt. Inter quae eminent τεκμήρια divinae veritatis omni exceptione maiora. Quidquid enim s. Joannes memoriae prodidit, vel ipse vidit, vel audivit; quo factum ut nihil fere nisi cui interfuit referret[1]; hac re autem egregium de veritate suarum historiarum perhibetur testimonium. Ubi vero sermones Christi longiores repetit, id non sine manifesto indicio afflatus Spiritus Sancti fecit[2]. Quodsi iam perpenderimus b. scriptorem Evangelii quarti, ut non una in pagina probatur, esse discipulum, quem diligebat Jesus[3]: argumentorum testimoniorumque pondere

---

Montanismus u. d. chr. Kirche des II. Jahrhund. Tüb. 1844. p. 183. s. Nachapost. Zeitalt. ed. sec. Tüb. 1846. p. 346. s. Hilgenfeld, der Kanon. u. d. Kritik. d. N. T. p. 209. s. d. Ev. u. d. Br. Joh. u. i. Lehrbegr. d. Hal. 1849. p. 19. et alibi, passim omnem Evangelii Joannei αὐθεντίαν et ἀξιοπιστίαν perperam negant. Attamen sunt et alii, qui licet varias de Evangelii s. Joannis origine opiniones foveant, et maiorem tamen minoremve rebus in eo obviis authentiam se dare professi sint, nihilo secius tota argumentandi ratione satis demonstrant, se a prioribus haud multum dissentire, quare et authentiae oppugnatoribus annumerandi sunt. Atque in hunc censum veniunt: C. H. Weisse, ev. Gesch. I, 96. 8. II, 183. s. D. Schenkel, in eph. Stud. u. Krit. 1840. p. 764. A. Schweizer, das Ev. Joann. n. s. innern. Werthe. Leipz. 1841. p. 7. s. L. Weiss, der Johanneische Lehrbegriff. Berl. 1862. p. 181. s. B. Brückner, Ev. u. Briefe Joann., in de Wette K. Ex. H. Lips. 1863. p. 388. s. Nec multo maior foret αὐθεντία Evangelii quarti, si H. Ewaldi, Jahrb. d. bibl. Wiss. III, 1646. s. V, 178. s. X, 83. s. hariolatio acceptaretur. Ewald ut videretur sapere solus, et aliquid scire quod alii ignorarent; novitatis studio et ambitione ductus iactat: Joannem in conscribendo Evangelio certe et manu cuiusdam amanuensis usum; qui c. 21. Joanne adhuc inter vivos superstite addidisset; omnia vero libera quadam ratione tradidisset. Quodsi vero ita hariolari fas erit; nulla, ut cuivis patet, adest regula, nullum principium ex quo diiudicare possimus quid Joanni, quid anonymo tribuendum sit, atque sic omnia ex aere pendent. Quare Ewaldus super ligno foenum et stipulam superaedificavit. Novissime XII. Jahrb. Gött. 1865. p. 212. s. magis sobrie loquitur. Quae de Prochoro auctor anepigraphus, in prooem. Cat. in Joann. p. 5. atque imagines in M. S. S. Codicibus — v. B. Lambecii, Comm. d. a. C. Bibl. Vindob. 1665. II, 571. Montefalconii, diar. it. p. 262. — habent nimiopere incerta sunt.

[1]) 1, 14. 19, 35. 20. 31. 21, 24. 25. [2]) 14, 26. ad q. v. F. G. Merens, de ultim. Chr. serm. auth. p. 52. s. [3]) Talem Veterum testimonio Joannem novimus

convicti alium, quam Joannem φιλιησοῦν intelligere non possumus. Neque spernendum c. aliud argumentum, quod inde sumitur, scriptorem huius Evangelii artem piscatoriam exercuisse [1]; quam revera s. Joannem frequentasse legimus in aliis Evangeliis [2]. Quibus d. commode subiicitur in prima trium epistolarum, s. Joannem commentarium quemdam suum commemorare, quem alium omnino esse oportet ipsa epistola; non solum quod supponat, abs se iam vulgatum, sed et cum illius commentarii obiectum affirmet constituere res factaque, quibus auritus et oculatus testis adstitit [3]. Atqui in epistola laudata haec non reperiuntur, sed solum δόγματα et praecepta; igitur quid aliud sit illud scriptum, nisi Evangelium quod a Joanne vocatur. Interna haec sunt τῆς γνησιότητος criteria; quae insigniter externis confirmantur. a. Quo quidem loco antiquitus habitum fuerit Evangelium Joannis, vel ex solo Eusebii testimonio intelligere licet; qui esse dicit ‚ταῖς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν διεγνωσμένων ἐκκλησίαις', atque illud ad ‚τοὺς ὁμολογουμένους' Libros procul omni dubio adnumeravit [4]. Neque aliter fieri potuit. Quippe s. Joannes saeculum secundum vivendo attingens, a pluribus Ecclesiae P. [5] et S. E. cognitus est, quibus oretenus de suo commentario testatus est. His testibus accensemus b. Valentinum, Heracleonem aliosque ex haereticorum familiis; uti et christianae Religionis Christi adversarios Julianum, Porphyrium, qui etiam si directe Evangelium nostrum non nominent, verba tamen et dicta ex eo mutuantes tacite γνησιότητα eius agnoverunt [6]. Inscriptio quoque [7] c. semper est eadem;

---

fuisse Jesu, sed etiam docemur ab aliis N. T. Scriptoribus. Tres prae ceteris Apostolis Christo caros sc. s. s. Petrum, Jacobum et Joannem s. vidimus. At s. Petrus is esse nequit, qui Joann. 19, 35. coll. 26. 21, 24. discipulus, quem diligebat Jesus dicitur: cum pluries unum ab alio distinguat scriptor Evangelii quarti. V. Joann. 13, 23. coll. 24. 20, 2. 21, 7. 20. Sed neque s. Jacobus, quippe qui ante editionem huius Evangelii martyr obiit. Coll. Act. 12, 1. 2. 3. 4.

[1]) Joann. 6, 19. 21, 1. s. 8. 11. [2]) Matth. 4, 21. Marc. 1, 19. Luc. 5, 3. 7. 10. [3]) I. Joann. 1, 3. 2, 14. 21, 26. 5, 13. [4]) Hist. Eccl. III, 24. 25. p. 94. 97. [5]) E. g. s. Ignatio s. s. Polycarpo. [6]) Cf. e. g. Valentinum, apud Hippolytum refut. omn. haer. ed. L. Duncker, Gott. 1859. VI, 33. coll. Joann. 12, 31. 14, 36. 16, 11. p. 281. ib. n. 35. coll. Joann. 10, 8. p. 285; Basilidem, ib. l. VII, 22. 27. coll. Joann. 1, 9. 3, 4. p. 359. 377. Testimonia Veterum collecta dabunt: A. G. Calmberg, de antiq. P. P. pro Ev. Joh. αὐθεντία testimoniis. Hamb. 1822. Th. Schneider, die Aechtheit des Joh. Ev. n. d. Quellen neu unters. Berl. 1854. Tischendorf, wann wurden unsere Evangelien verfasst, p. 8. s. [7]) Licet huiusmodi ἐπιγραφὰς

adeo ut neque d. in codicibus MSS., neque in versionibus, neque in aliis vetustissimis monimentis, hoc Evangelium alii quam Joanni adscribatur; sicque ampliori disputationi inhaerere non sit opus [1].

Cum denique maxime nostra interest, ut demonstremus incorruptum ad nos pervenisse hoc Evangelium, placet quasdam eiusdem partes afferre, quae τῆς νοθείας sunt accusatae. In tribus potissimum locis corruptio sive interpolatio sedem habere praetenditur. Primus est de miraculo piscinae probaticae [2]; quem ne, ut volunt, e glossis in margine annotatis irrepsisse existimemus facit: α. quod plurimi codices eum exhibeant; β. agnoscatur ceu genuinus a priscis s. P. et S. E.; γ. cohaereat cum reliqua serie orationis ita, ut δ. si non legerentur, supplendus foret [3]. Maiorem adhuc interpolationis suspicionem movent in pericopa de muliere adultera [4]. Qui de veritate facti Christi dubitant, omnes hunc locum malae fidei arguunt, et partim auctoritatibus partim rationibus adversus αὐθεντίαν eius pugnant. Ad auctoritates referimus, quando urgent silentium antiquorum Codicum graecorum; et Patrum nec non Scriptorum praecipue graecorum; dissensum interpretis Syri et Gothi. Quod ad rationes attinet, aiunt factum a moribus Christi

---

satis antiquas, minime iudicemus ab ipsis ἁγιογράφοις — cf. Lampe, diss. de titulo Ev. Joann. in diss. p. 1. s. — ac in specie a s. Joanne repetendas, ut vult V. B. Diotallevi, diss. ph. h. de titulo Evangelii sec. Joann. Rom. 1845. p. 13. s. V. p. 260.

1) Quodsi s. Joannes post vastatas u. d. Jerosolymas scripsit, quaerunt; qui potuit 5, 2. de piscina non modo, sed et de porta ovium tanquam tunc adhuc exstante loqui. Sed hoc argumentum quidem, ut recte monuit Hug, l. c. p. 262., non stringit; cum fons aquarum τῇ πανωλεθρίᾳ superstes esse potuerit; verba vero „πέντε στοὰς ἔχουσα“ significare poterant: piscina Bethsaidae habebat quinque porticus. Profert quidem Patritius aliud argumentum e Joann. 21, 18. 9. de Evang. quaest. V. 1, 38. s. p. 103. s., ubi vaticinii Christi, quo s. Petro martyrium annuntiavit mentio fit; ipsa vero mors huius Apostoli non commemoratur. Sed si verum fateri fas est, hanc ratiocinationem tempus, quod consensu totius fere antiquitatis sumitur, non elevare. Quoniam α. non sine causa statuitur Evangelistam, post obitum demum s. Petri, ex ipso eventu prorsus intellexisse et explicuisse; ipsum vero obitum veluti lectoribus notissimum omisisse. Ceterum non multum ponderis ad quaestionem de aetate Ev. dirimendam tribuimus effatis: 11, 18. 18, 1. 10. coll. Matth. 26, 51. Marc. 14, 47. Luc. 22, 50. Joann. 19, 41. 21, 23. Sufficiat originem Evangelii quarti saeculo primo aerae christianae ad exitum vergenti vindicasse. 2) 5, 3. A. v. ἐκδεχομένων seq. et v. 4. 3) Cf. Demaret, de origine Evangeliorum p. 236. s. 4) Joann. 7, 53 — 8, 11.

alienum esse. Interim non recte suo loco moveretur, quod erat scriptum a viro θεοπνεύστῳ. Dicendi genus huius particulae est Joanneo tam simile, quam ovum ovo; nec id quisquam negavit. Habetur haec sectio apud Ammonium, Eusebium, s. Ambrosium, s. Hieronymum, s. Augustinum. Reperitur in plerisque exemplaribus graecis etiam antiquioribus, in lectionariis Ecclesiae graecae, codice Syriaco, Polyglottarum versione Coptica, Aethiopica, Persica; ut de Latina quae ante Hieronymum in Ecclesia usurpabatur, deque Missali Romano sileamus [1]. Ad extremum v. „πάλιν" VIII, 12. supponit praecessisse aliam Christi ad Pharisaeos allocutionem. Immissio itaque harum Historiarum in sacrum Codicem, cum sit ἐκ τῶν moraliter ἀδυνάτων; omissio eius in nonnullis exemplaribus facilem habet explicationem. Responsum Christi [2] quod adeo sollicitos tenuit vetustos interpretes; quasi pro rei gravitate leve et moribus insidiosum, eo angustiarum compulit, ut hanc pericopam negligerent. Responsum interim Jesu [3] omni ex parte expensum, et quaestioni et officio, quod Salvator sustinebat, erat quam maxime appositum [4]. Restat ut de ultimo capite Evangelii, quod omnia fere monimenta Textus sacri exhibent, quaedam subiiciamus [5].

---

1) Sabb. a. Dom. IV. Quadr. 2) Joann. 8, 10. 11. 3) V. p. 74. 4) Dignissima sunt hac de re Praesulis Hipponensis verba, quae per integrum contextum recitentur. „Nonnulli modicae fidei vel potius inimici verae fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae indulgentia Dominus fecit; aufferrent de codicibus suis, quasi permissionem peccandi tribuerit, qui dixit iam deinceps noli peccare." De coniug. adult. II, 7. VI, 407. Tale additamentum ab Orthodoxis Ecclesiae doctoribus facillime cognitum et reiectum fuisset; id quod saepius accidisse legere licet in erudito libro B. Germon S. J. de veteribus haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus. Par. 1713. p. 150. s. 192. Adversariorum obiectiones explosae habentur apud J. W. Hilliger, de scriptione C. in terra, Thes. n. p. 494. s. J. A. Fabricium, Cod. apocr. N. T. I, 356. s. C. A. Heumannum, interpr. γεωγραφίας, C. Gott. 1738. p. 19. s. Hug, de coniugii chr. vinculo indiss. Frib. 1816. p. 22. s. Schott, Isag. p. 155. s. Stäudlin, prol. q. peric. de adultera veritas et αὐθεντία defenditur. Gott. 1806. I. II. 5) Varii Critici ad 20, 30. 31. ita substiterunt, ut conclusionem totius Evangelii ibi agnoscerent; atque inde sumerent, non tantum alienum fuisse a Joanne novam denuo narrationem addere praecedentibus, verum et nefas esse Apostolo quid tribuere, quod a consilio iam indicto deflectit. Attamen non sine ratione alii responderunt, Joann. c. 20. agi de testimoniis Resurrectionis D. N. J. C. ibidem recensitis; quare ad exitum eius pericopae non ita subsistendum, ac si nihil amplius

Argumentum quod pluribus a scribendi genere diverso est petitum, nullius vis esse nemo non videt; nam tanta non reperitur, quae alium scriptorem statuere cogat. Imo sunt plura in hoc capite, quae prorsus conspirant cum reliquo Evangelio [1]. D. Joannis habendum esse demonstrant [2] Codices quidem omnes, Versiones et S. P. cum S. E.; horum testimonia transgredi piaculare ducimus: argute licet congerantur hypotheses, numquam id impetrare possunt, ut Veterum deserantur testimonia [3].

---

exhiberi possit. Evangelista propositi bonis de causis suscepti tenax, non adnititur Divinitatem D. N. J. C. novis documentis a reditu in vitam editis probare; sed quaedam narrat quae valebant ad auctoritatem s. Petri confirmandam, atque ad evertendum rumorem de Joanne non morituro.

[1]) Occurrunt enim formulae et voces Joanni familiares „μετὰ ταῦτα οἴδαμεν" per κοίνευσιν dictum coll. 3, 11. vox „μαρτυρία"; particula „οὖν" frequenter obvia, „οὐδεν" more J. postpositum; adde illam narrationis ἐνέργειαν s. Joanni propriam coll. 21, 3. 4. 7. 15. s. Deinde circumlocutio 21, 20. s., qua suam personam designavit scriptor; et quod in tota controversia maximi momenti est clausula 21, 25., satis testantur d. Joannem esse scriptorem. [2]) Quod etiam ii concedunt, qui de origine eius Joannea dubitant. [3]) Inter illos qui authentiae suum tulerunt suffragium, hi nominandi sunt: J. Millius, prol. ad N. T. ed. Küsteri Amstel. 1710. §. 249. p. 29. F. A. Lampe, Comm. in Ev. Joann. III, 720. s. Wegscheider, l. c. p. 173. s. J. C. Handschke, de authent. c. 21. Ev. Jo. Lips. 1818. M. Weber, Auth. c. u. Ev. Joann. huic. Ev. tot. vind. Hal. 1823. J. H. Reddingius, disp. de auth. cap. ult. Joann. Groning. 1838. H. L. Scheffer, exam. exeg. et crit. du 21. chap. Strassb. 1839. Weitzel, in ann. Stud. u. Krit. 1849. p. 601. s. E. Lawillarad, disp. de loc. Ev. Jo. Lugd. Batav. 1853. p. 68. s. Sane Critices beneficio abutuntur, qui pro lubitu quaedam scriptorum loca suis auctoribus denegant. Quodsi fiat, omnium quae minus placent expungendorum libidini latam aperiri portam, fidemque omnem Historiarum hoc instituto tolli in aprico est. Ceterum sinceritatem et integritatem Evangelii quarti propugnandam susceperunt etiam: G. H. van Griethuysen, pro Evang. Joannei αὐθεντία. Harderv. 1809. W. Stein, libell. s. c. Reineckius, de Ev. Joa. c. M. M. et L. ev. concil. Hannov. 1827. E. A. Borger, de constanti et aequabili J. C. indole. Hag. Com. 1816. F. W. Rettberg, an Joann. reliq. canon scriptis repugnet. Gott. 1826. L. Usteri, comm. cr. in qua Ev. Joann. gen. esse ex comp. IV. Ev. narr. de coena ultima et Passione ostenditur. Tur. 1823. C. V. Hauff, die Authent. u. d. hohe Werth d. Ev. Joh. Nürnb. 1831. Fromman, l. c. p. 33. s. Id. in ann. Stud. u. Kritik. 1840. p. 853. s. J. H. Ebrard, d. Ev. Joh. u. d. n. Hypoth. Zür. 1845. Id. wiss. Krit. p. 874. s. et in Herzogs, R. E. VI, 733. s. Bleek, Beitr. p. 92. s. Einl. p. 177. s. A. Viguié, auth. de l' Ev. de S. Jean. Mont. 1848. Teipel, de Script. Joann. Ap. Coes. 1848. A. Niermeyer, in op. Soc. Hag. 1852. p. 292. s. G. K. Mayer, die Echtheit des Ev. n. Johannes. Schaff. 1854. Id. d. ew. Wort. d. Ewigen. Wien. 1857. C. Hase, die Tüb. Schule. Leipz. 1855. Ut non memoremus commentatores et criticos: Klee, Hug, Bertholdt, Schott, Credner, Tholuck, Guerike, Neander, Lücke, Maier, Reithmayr, Luthardt,

§. 58. Literae Abgari penes Eusebium.

Praeter Evangelia canonica iam prima Ecclesiae aetate circumferebantur commentarioli, similis argumenti [1]; saepe ab haereticis compilati, verum privati manserunt usus. Eadem enim ratio, quae petita a suffragiis proxime et continuata serie sequentium aetatum genuinis Evangeliis asserit auctoritatem, apocryphorum elevat et diluit; utpote quorum falsitatem deprehendit et semper prodidit Ecclesia. Apocrypha omnia talia sunt, qualia fidem nancisci non poterant: veluti phantasmata insipida Jesu afficta, nulli cordato lectori fucum facientia; si comparentur cum scriptis Apostolorum genuinis atque sinceris.

Postulat autem instituti nostri ratio, ut paucis disquiramus de Epistola Christi, quam [2] „ἰδίαις χερσὶ“ ad Abgarum [3] Edessae regem scripsisse dicitur [4]. Hae Salvatoris Nostri literae una cum Abgari literis ad Jesum, nunc quidem ab omnibus commentitiae et supposititiae esse censentur. a. Certe si epistola Christi ad Abgarum genuina esset, eam in Canonem S. S. recepisset Ecclesia; imo maioris auctoritatis foret quam Evangelia. Thesaurum tam egregium divinis Scripturis addidissent Apostoli; ne veneratione debita fraudaretur. Hoc cum minime factum sit; atque epistola Christi ad Abgarum, nunquam scriptis canonicis sit apposita, qua tamen nullum aut divinius aut sanctius haberi debuit, merito reiicitur. Sed b. dato concesso, quod genuinae sint istae literae [5], quomodo utriusque epistolae,

---

Patritium, Meyer, ed. IV. 1861. p. VI. s. Hengstenberg, das Evan. des h. Johannes. Berl. 1863. III, 388. s. F. Godet, Comm. sur l' Evangile de St. Jean. Par. 1864. I, 13. 8. Aberle, Beiträge zur neutest. Einleit., in ann. Tüb. Quartalschr. 1864. I, 7. s. Haneberg, E. R. L. J. p. 32. s. Tischendorf, w. w. u. Ev. verf. p. 49. s.

[1]) E. g. Nazaraeorum, Marcionis, Protoevangelium Jacobi, Evangelium Thomae e. s. p.; quae nos quidem in com. de S. S. eiusque interpr. discutiemus. [2]) Si Eusebio, Eccl. Hist. I, 13. p. 31., qui eam praemissa Abgari ad Christum epistola, primus ex Archiviis Edessenis protulit credimus. Cf. e. J. S. Assemani, Bibl. Or. Rom. 1719. I, 552. III. 2, 8. Bayer, Historia Edessena et Osrhoëna. Petrop. 1734. p. 109. s. [3]) Ita occurrit in nummis hoc nomen; sed et scripturam Ἄβγαρος Valesius atque Heinichen in editionis suae textum constanter recepit; apud alios scribitur Αὔγαρος, vel etiam Ἄγβαρος: ast haec non maior diversitas est, quam inter Δαβίδ et Δαυίδ. [4]) De Edessae fatis deque Abgaro rege, cf. J. Wichelhaus, de N. T. versione Syriaca. Hal. 1850. p. 53. s. 92. s. 111. s. [5]) Quemadmodum defendunt: Gretser, Cave, Pearson, Serry, R. Montacutius, Grabe, Spicil. Patrum. Oxon. 1700. I, 1. s. 313. s.; ubi tamen p. 319. rem in medio relinquere tutissimum existimat; aliique inter hos quem mireris Tillemont, Mem. I. S. Thom. p. 361. s. n. V. p. 613.

illius tam honorificae legationis a rege Edessenorum decretae, ne levissima quidem apud Hagiographos, S. P. et S. E. Eusebii aevo superiores habetur mentio; quamvis in epistola Abgari ad Christum reperiatur luculentissimum de ipsius Divinitate testimonium. Illud cum S. P. et S. E., qui ad probandam contra Arianos Divinitatem D. N. J. C. immensa, non minus mole quam eruditione, volumina condiderunt, numquam laudarint; perspicuum est, non germanum sed apocryphum habuisse. c. Utramque epistolam supposititiam censuit, et inter apocrypha retulit Gelasius Papa in Concilio Romano 494 [1]. d. Tanquam fictas excluserunt s. Hieronymus [2], s. Augustinus [3], s. Thomas [4]; cum dicunt Christum nihil scripsisse: ergo neque illam quae est ad Abgarum epistolam. Atqui id minime sensissent illi doctores in traditione et antiquitate Ecclesiae versatissimi; si hanc epistolam ut authenticam agnovissent. Addimus denique e. argumentum internum. Spurias literas esse, ipsae maxime sese eo produnt, quod Christus ad auxilium indigentibus ferendum semper paratissimus; nonnisi annis aliquibus elapsis opem se ferre posse, Abgaro scripsisse narretur. Ut taceamus plurima quae Jesus scripsisset, sumta esse ex orationibus post Resurrectionem suam demum habitis. Ceterum facile damus has Literas, ut ab Eusebio prolatae sunt, in Archiviis inventas fuisse Edessenis, non putamus esse dubitandum; attamen monimentis sibi traditis fidem Eusebius videtur levius habuisse. Recentiores Eusebio scriptores ut testes haud adeo probatae fidei, merito silentio praetereunt harum literarum patroni; de solius tamen Procopii [5] testimonio sibi gratulantur. Sed sane vacillat Procopii auctoritas, qui nulla κρίσεως acie praeditus, bonaque fide in qualiacumque abreptus rerum, quas varios apud scriptores legerat, seriem reliquit narrationemque [6].

---

[1]) Ut videre est etiam apud Gratianum, P. I. d. 15. canone „Sancta Romana Ecclesia; ibi quippe §. 76. notatur: Epistola Jesu ad Agbarum apocrypha. [2]) Comm., in Ezech. 44, 30. p. 555. [3]) De cons. Evang. I, 7. ubi n. 11. p. 6. discutiendum suscepit „cur ipse Dominus nihil scripserit.“ [4]) III. 42, 4. X, 882. [5]) De bello persico II, 12. ed. Byz. Hist. Script. Ven. 1729. I, 302. [6]) Spurias et supposititias esse porro evincunt huius aetatis Critici — e. c. Wichelhaus, c. l. p. 53. — inde quod Abgari successores simulque Edessae incolas, ad saeculum usque secundum idola coluisse dicant. Citari aiunt verba e Joannis 20, 29. s., quod tamen Evangelium post multos annos ab Ascensione Domini exaratum est. Praeterea Edessenum documentum tot rebus scatere, quae sibi non cohaerent; Christo indignae sunt; Chronologiae i. e. temporum rationi repugnant; ut ex insitis etiam falsitatis vestigiis recte colligatur, illico e germanis vetustatis monimentis exterminandum esse. Christo has literas suppositas esse post Laurentium Valla, D. Erasmum, R. Bellarminum, M. Canum, Fr. Costerum, N. Rigaltium, A. Baillet, Casaubonum, Clericum, R. Simon, Basnage, Gotti; praecipue demon-

§. 59. Josephus Flavius testis Jesu Christi.

Disquirentibus nobis testes D. N. J. C., praeter s. Codicum scriptores, occurrit Josephus Flavius, qui celeberrimum testimonium [1] de Christo sibi perhibendum esse existimavit. Sunt autem haec verba ipsius testimonii [2]:

,Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σοφὸς ἀνήρ, εἴ γε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τὰ ἀληθῆ δεχομένων· καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο. Ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν.	*,Eo etiam tempore fuit* *Jesus, vir sapiens,* *si tamen virum eum appellare fas est;* *fuit enim mirabilium operum effector,* *magister hominum* *qui verum cum voluptate accipiunt:* *multosque Judaeos,* *multos item gentiles* *ad se pellexit.* *Hic erat Christus.*
Καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ᾽ ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου οὐκ ἐπαύσαντο οἵ γε πρῶτον αὐτὸν ἀγαπήσαντες.	*Quem cum Pilatus* *ab hominum nostrorum primis delatum,* *crucis supplicio addixisset,* *eum tamen amare non desierunt,* *qui primum amaverant.*
Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων.	*Apparuit enim eis* *tertio die redivivus,* *divinis vatibus et haec* *et mille alia de eo* *miranda effatis.*
Εἰς ἔτι νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.'	*Atque ab eo denominata* *Christianorum natio* *durat usque ad hunc diem.'*

strarunt: E. Dupin, Nova Bibl. auct. eccl. Par. 1692. I, 1. S. Alexander Natalis, Hist. eccl. saec. I. diss. 3. ed. Par. III, 85. Fabricius, Cod. apocr. N. T. I, 1719. p. 316. J. H. A. de Graveson, tr. de vita, mysteriis et annis J. C. Ven. 1723. p. 217. s. C. J. C. Frauendorff, de epistola Christi ad Abgarum. Lips. 1693. J. E. C. Heine, de Christi ad Abgarum ep. ed. II. Hal. 1768. Ittigius, Hist. eccl. pr. saec. cap. sct. Lips. 1709. p. 2. C. Sacarelli, H. E. Rom. 1741. I, 149. s. F. Sartorius, causarum cur C. scripti nihil reliquerit disq. Lips. 1815. Gieseke, warum hat J. C. nichts schriftl. hinterlassen. Lüneb. 1822. Baumgarten Crusius, bibl. Theol. Jen. 1828. p. 22. Möller, de fide Eusebii p. 108. Heinichen, ad Eus. H. E. I, 13. n. 2. I, 77. s.

1) Antiq. XVIII. 3, 3. Ex editione Havercampii, I, 876. s. 2) Ex interpretatione G. Dindorfii, J. Fl. op. gr. et lat. Par. 1845. I, 699.

Toto Flavii, etsi vasto Historiarum volumine vix ullus, quod sciamus locus est illustrior, et in maiore pretio habitus, quam testimonium illud, quod Salvatori generis humani praebuisse eum omnes crediderunt. Per quindecim nimirum saecula, pro authentico nemine adversante habitum est hocce Josephi de Christo testimonium. Ad saeculum itaque decimum et sextum usque, intemerata huius loci fides mansit et auctoritas; abhinc deinde ingentibus Criticorum, qua catholicorum qua acatholicorum contentionibus ad nostra usque tempora exagitatus fuit. Primo quidem palam et aperte de testimonii Flaviani authentia dubia tantum sua, neque amplius quidquam pronuntiare ausi sunt; postea vero audaciores adversus eam insurgere sustinent. Jam vero qui adversae Josephi fortunae scriptores censentur, illi in tria genera sunt distribuendi. Alii testimonium totum insertum ab aliena, i. e. christiana, manu probare conati sunt. Alii locum, ubi de Christo mentio fit, auctum et Christianorum lectorum additamentis refictum esse demonstrare adgressi sunt. Tertii denique medio tutissime ire sibi visi, leniter mutatis quibusdam mutandis, correctum sumsere [1].

§. 60. De authentia et integritate testimonii Flaviani.

Qui Flavii allegatum locum sequiori tempore insertum, vel pro causa rei christianae quoad praecipua momenta interpolatum esse dixerunt,

---

[1]) Syllabum eorum, qui pro hoc Josephi testimonio steterunt, aut contra illud consurrexerunt, legere licet apud C. Daubuz, l. i. c. 1, 1. p. 194. s. ap. Havercampum, ed. Op. II, 233. s. J. H. Seelen, Miscellan. Lubec. 1734. I. 61. J. A. Fabricium, Syll. script. qui veritat. Rel. Chr. asseruer. Hamb. 1725. p. 138. s. Bibl. gr. V, 18. s. Th. C. Harles, intr. in Hist. l. gr. II. 1, 56. s. Langhausen, pr. de Resurrectione Jesu Christi hostium testimoniis confirmata. Regiom. 1766. p. 3. s. Imprimis ap. Heinichen, excurs. Euseb. I. ed. s. III, 331. s. Boehmert, ü. d. Flav. J. Zeugniss v. C. Leipz. 1825. p. 5. s. atque ap. F. H. Schoedel, Flavius Josephus de J. C. testatus. Lips. 1840. p. 5. s.; quorum uterque ultimus non indiligentem operam pro Josephi vindiciis contulerunt. Quare nos ea tantum scripta apponemus, quibus nostris diebus testimonium hocce impugnatur. Sunt autem Ed. Reuss, in ann. nouv. Revue de Theologie Str. 1859. p. 312. atque E. Gerlach, die Weiss. d. A. T. i. d. Schr. d. Flavius u. d. angebl. Zeugniss von Christo. Berl. 1863. p. 90. s. Huc etiam collocandus videtur Friedlieb, qui in ann. Oest. Vierteljahressch. f. K. Th. 1862. Vind. Über Josephus, Tac. Svet. Cass. als Quellen zur Kenntniss chr. Zustände p. 503. s. quantumvis censeat vix esse interpolatum; non tamen satis hoc defendi posse existimat. Josephi locum interim data opera comprobat etiam E. Mayaud, le temoignage de Joseph. Strassb. 1858. Ghiringello, la vita di Gesù R. d. E. R. Tor. 1864. p. 94. s.

pro argumentis afferunt: dubia, coniecturas atque suspiciones, leviores longe; quam ut ex Flavii Antiquitatibus hoc testimonium, quod earum semper pars exstitit, eximere demonstrent. Etenim graves sunt rationes, quae suadent Periocham hanc revera Josephi esse. Prima igitur ratio pro authentia et integritate testimonii Flaviani superstructa est a. perpetuo S. Patrum atque Scriptorum E., qui testimonium Flavianum tum citarunt, tum etiam comprobarunt consensu. Eusebius Caesareensis[1] — quem ducentis non amplius post Josephum annis, eoque tempore vixisse, quo passim in Bibliothecis reperiebantur Flavii Josephi integra scripta, certum est — adeo audacter illum locum Josephi Flavii controversum Judaeis ipsis, imo gentilibus quoque, tanquam firmissimum testimonium obiicit: ut omnino bona fide eum egisse appareat[2]. Mittimus qui aetate Eusebio praeire debuisset Macarium[2]; item auctorem, quem Hegesippum vulgo vocant; sed Ambrosius rectius nuncuparetur[3]. Iste non solum totam

---

[1]) Primus est quantum scimus, qui illud Hist. Eccl. I, 11. p. 30. De monstr. ev. III, 5. p. 123. s. laudat. [2]) Verumtamen contra hanc Eusebii testificationem excipiunt, et ipsum minus fidelem et accuratum in exhibendis testimoniis affirmant. Aut quod peius est: Eusebium locum controversum in scripta Josephi intrusisse; vel si repererit, adulterasse dicunt. Quas criminationes malitiam cum temeritate in accusatoribus prodere, habemus sane quibus demonstremus. Sed quid multis opus est? Aethiopem fortasse lavamus, cum nitimur Eusebii crimina falso obiecta diluere. Nam licet inculpabilis esset, eius tamen testimonium, utpote hominis ducentis annis Josepho recentioris, nullam vim habere dicunt. Sed ut Eusebium, in eum quem meretur locum reponamus, sufficit paucis monuisse; ex eruditorum iudicio patrem Historiarum Ecclesiasticarum, quamvis erroribus non immunem, universe tamen ex fontibus, unde haurire posset, sua pro temporis et opportunitatum ratione admodum laudabiliter duxisse. Probarunt id H. Valesius, in notis ed. s. c. passim; Danz, de Eus. eiusq. fide histor. Jen. 1815. Möller, de fide Eus. Caes. Havn. 1813. Kestner, de Eus. auctoritate et fide diplom. Gött. 1816. Reiterdahl, de font. hist. eccl. Lond. G. 1826. B. Rienstra, de fontibus ex quibus H. E opus hausit Eus. P. et de ratione qua iis usus est. Trai. ad Rhen. 1833. E. J. Kimmel, de Rufino Eusebii interpr. Ger. 1838. p. 22. s. Heinichen, l. c. p. 349. Haec quidem de Eusebii auctoritate sufficiant. Accedimus ad alterum crimen quod Eusebio impingunt, sed vane. Interrogamus verbis H. Valesii, not. ad I, 11. p. 20. „Cui bono id Eusebius confingere voluisset. Annon Eusebii aetate libri Antiquitatum Josephi in omnibus Bibliothecis visebantur; quibus prolatis facillimum fuisset Eusebii fraudem convincere.“ Illud vero argumenti genus, quo negant seriorem aliquem de scriptis prioris liquido testari posse, cum cetera omnia satis accurate respondeant, veritas rei scriptae, codicum fides, locique citati; quam periculosum sit, facile cognoscitur. Enimvero hac via nihil inerit Veteribus Historiarum Scriptoribus, quod recentioribus sit intactum. [2]) In actis S. S. Maii d. 22. V, 149. [3]) De excid. Hier. II, 12. apud Gall. VII, 695.

huius loci seriem proponit, eamque suo modo circumscribit; sed etiam ostendit, quam probabile sit Josephum haec dixisse. Huic tempore proximus est S. Hieronymus, vir doctissimus, censor acutus, quodque magis pro re nostra facit, Antiquitatum hebraicarum quas a Judaeorum magistris didicerat scientissimus. Sanctus Doctor, ubi in catalogo virorum illustrium Josephum Flavium posuisset; eius etiam testimonium de Christo exhibet [1], sine ulla suspicionis nota. Quod utique numquam fecisset, nisi periocham hanc in Archaeologiae, quos tunc vidit Codicibus legisset, et authenticam esse credidisset. [2] Atque hi eruditissimi Ecclesiae Orientis et Occidentis duumviri, de quibus in vulgus notum est eos omnes pene priscos Scriptores legisse; sufficerent ad monimentum Flavianum vindicandum, licet nemo praeter eos huius meminisset. Interim per omnia reliqua insecuta saecula, fidei veritatisque testimonii Flaviani reperiuntur testes. [3] Transimus b. ad

---

Cf. J. A. Fabricii, Bibl. lat. Hamb. 1722. III, 440. A. S. Mazochii, in vet. marm. S. Neapol. Eccl. Kalendarium Comm. Neap. 1744. III, 780. Gallandii, Bibl. VII, 29. J. G. Oelrichs, comm. de script. Eccl. lat. Lips. 1791. p. 87. s.

1) C. XIII. p. 69. 2) Graecos Josephi codices habuisse d. Hieronymum ex opere Cassiodori, de institutione div. lit. c. 17. II, 520. discimus. Attamen ut S. Patrem tam praeclare de isto loco testantem nobis surripiant: E. Reuss, l. c. p. 316. et E. Gerlach, l. c. p. 98. dicunt, d. Hieronymum doli conscium Flavii verba „ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν“; sua interpretatione „et credebatur esse Christus“ emollire voluisse. Ita vero fraudem eadem opera patefecisse, qua illam obtegere studuit. Nostri aevi Critici ea mente opera S. P. et S. E. legere videntur, ut illos culpent; atque naevos, si tamen naevi quandoque sunt, quaerunt, ut Veteres damnare possint. Quod ad varietatem sensus attinet, sufficiat hic respondisse S. Hieronymum in versione sua explicationis gratia, et παραφραστικῶς „et credebatur esse Christus“ reddidisse. Interim Sophronius — sub cuius nomine fertur graeca libri de viris ill. translatio, v. J. A. Fabricii Bibl. eccl. p. 11. — locum ut est apud Josephum, et quomodo eum hodie legimus restituit. Ib. p. 69. 3) In eorum numero, qui locum Josephi suis suffragiis comprobarunt ponendus est etiam Ruffinus, qui Eusebii Historiam interpretis libertate fecit suam. Idem de s. Isidoro Pelusiota, Joannis illius Chrysostomi discipulo, ep. IV. 225., Eudaemoni diacono p. 1319.; H. Sozomeno, H. E. I, 1. ed. Val. II, 399.; Suida, s. v. Ἰώσηπος ed. Bernhardy, I, 1041.; Cedreno, Hist. comp. ed. Ven. p. 156.; Nicephoro Call., Eccl. Hist. I, 39. ed. Par. p. 124.; Joanne Antiocheno Malala, Chronogr. l. X. ed. Venet. p. 104. iudicium esto. Hisce omnibus addendi forent innumeri alii mediae et infimae aetatis scriptores, quos magno numero profert J. A. Bosius, exercit. in perioch. Flavii J. de J. C. Jenae. 1673. p. 67. s. Sed obiiciunt nobis silentium P. P. et S. E. ante Eusebium: s. Justini, Theophyli, Clementis A., Tertulliani, Minutii F., qui in suis concertationibus adversus Judaeos illud testimonium numquam protulerunt. Insistunt ex Photio — sic Gerlach, p. 107. s., — qui Biblioth. cod. 238. p. 1179. s. nihil de isto celebri testimonio dicit; imo cod. 48. p. 86. librum

alteram quasi testimoniorum partem pro authentia et integritate testimonii Flaviani probanda: ad Codices Josephi sive editos, sive manuscriptos; sive latinos sive graecos, qui in Galliae, Germaniae, Italiae reliquarumque Europae Bibliothecarum cimeliis asservantur, quorumve plures ex Asia advecti fuere [1]. Omnes hi [2] in retinendo laudato de Christo testimonio mire consentiunt. Nonnulli quidem variant quod ad sedem loci attinet; at ne unus

---

„περὶ τοῦ παντός“ negat esse Josephi, quod ibi de Christo vero Deo aptissime loquitur. Ergo inquiunt supposititium habuit testimonium tam disertum Josephi in laudem Christi. His respondemus: qui desiderant Scriptores Eusebio antiquiores, meminerint, se frustra exspectare citari testimonium eo tempore, quo nulla eius erat necessitas. Veteres Apologetae contra Judaeos efficacius adhibebant vaticinia prophetarum, quam locum Flavii; cui nondum usus satis auctoritatem apud posteros conciliaverat. Quod vero Photium attinet, argumentum ex eo sumtum in ipsos adversarios retorquemus. Photius recte putavit Librum illum π. τ. π. non esse Josephi, non ea sola ratione, quod Christus ibi nominetur; sed quod verba fiant de ineffabili eius generatione, tanquam Filii Dei. Etenim si verum est quod adversarii dicunt, Photium silentio suo locum nostrum damnasse; cur non ergo cum tot alios legeret, qui illud testimonium pro vero agnoscerent confutat? Dignum sane fuisse hanc fraudem sua censura perstringere. At vero cum hoc numquam fecisse reperiatur, potiore iure concludimus, eum testimonium Flavii comprobasse. Photius, cuius ceterum auctoritas non praeponderat auctoritati Eusebii, Hieronymi et aliorum, quos laudavimus; in Bibliotheca sua excerptoris partes tantum egit. Omnia se recensere velle, nullibi dicit. Quin imo excerptorum mos est, ut multa etiam praetereant notatu dignissima; praecipue si nota et pervulgata sunt. Cum itaque Photius videret Josephi testimonium omnibus notum celebrari, noluit hic excerpere. Denique ne nostra nimis excrescat disputatio ad unam adhuc dubitandi rationem veniamus. Ingentem edunt strepitum cum Origene, quem — v. Gerlach. p. 150. — contendunt contra authentiam periochae Flavii addubitatae scripsisse, Comm. in Ev. Matth. t. X. 46. contra Celsum I, 47. XVIII, 87. Sed ex his inspecto textu graeco „Ὁ δ' αὐτὸς καί τοί γε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριστῷ“; nihil aliud effici potest, quam Origenem mirari: quod cum Jacobum virum sanctum iustumque crediderit, Jesum noluerit credere esse Messiam. Quaecum ita sint, tum quidem Origenes noster est. Apage tales suspiciones nulla probabilitate nixas, viris ingenuis atque eruditis indignas. Haec ὡς ἐν παρόδῳ notavimus, qui plura adhuc desiderat adeat ex nostris praeter iam laudatos scriptores: Natalem Alex. Hist. Eccl. II, 410. s. Gravesonium, de myst. p. 226. s. G. Lumper, Hist. th. cr. S. S. P. P. I, 498. s. G. Bonicour, dial. t. t. de Canone s. Libr. c. Rom. 1704. Cherubinum de s. Josepho, Appar. bibl. III, 325. ed. Brux. 1705. C. R. Billuart, Summa S. Thomae. ed. Wirc. 1758. XIV, 75. s. et alios.

[1]) Quo referimus imprimis celeberrimum Codicem graecum ab Augerio Busbequio olim Constantinopoli comparatum, et in Bibliotheca C. R. Palatina Vindobonensi repositum. Cf. P. Lambecii, de Bibl. Caes. VIII. n. 3. ed. Kollár. p. 10. s. [2]) Per Hudsonum et Havercampum diligentissime collati.

quidem exstat, in quo non legatur. Jam vero si testimonium hoc uni, aut pluribus Antiquitatum exemplaribus additum fuisset a quodam christiano, exstarent sane alia, ubi illud non haberetur: cum fieri non possit, ut universi Archaeologiae Codices a librariis interpolati fuerint. Sed et archetypa Antiquitatum Josephi Flavii exemplaria eandem periocham servarunt [1].

Ad has rationes stabiliendas, accedunt argumenta interna, quibus quamvis plurimum confidant, revincuntur illi Critici. Nam α. cum idem Josephus [2] mentionem faciat s. s. Joannis B. et Jacobi, dicendum est: silentio minime praeteriisse, quae Christum Dominum respiciebant, cuius longe clarius habitum est nomen. Idque eo magis, quia s. Jacobum laudans ut eum faceret notum, scripsit: ‚τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ.' Loquitur ergo de Jesu, ut persona magis nota, quam Jacobus erat. Certissimum est β. Christi famam tempore Josephi fuisse notissimam; cuius etiam meminerunt eiusdem aevi scriptores profani C. Tacitus, Plinius, Svetonius aliique. Jam credi non potest, quod scriptor non ineptus, cum res Judaeorum persequeretur, de eo viro tacuerit, qui maximas in iudaica gente excitavit conversiones, Ecclesiam de suo nomine condidit, multos habuit sectatores, ita ut in ipsa Caesarum aula non defuerint. Ad haec γ. addimus locum, quem apud Josephum tenet testimonium de Christo, memorandi Jesu valde appositum esse. Nempe postquam Flavius de seditione in Pilatum mota, ob sacrum aerarium violatum dixisset; ut saepe alias [3], non habita ratione connexionis rerum, sed temporis subdit: eodem in Judaea Praeside Christum mundo se manifestum praebuisse [4]. Pro γνησιότητι militat δ. orationis color

---

[1]) V. Baronium, Annal. a. 34. n. 221. p. 191. 2. Pagium, in nota ibi; et Wagenseilium in C. Arnoldi, collect. ep. de testim. Jos. Norimb. 1661. p. 249. qui Baronii „narrationem testimonium in pervetusto Judaeorum codice, in quo Josephi Historiae e Graeco in hebraicum translatae, antiquitus scriptae sunt, abrasum inventum est" confirmat. Item P. D. Huetium, demonstr. ev. III, 13. p. 29. Cui addendum, quod ex inedito Gyraldi Cambrensis libro G. Cave, Hist. lit. II, 11. adfert testimonium, et quod Robertus Canutus — qui Oxoniae floruit c. a. 1120. cf. Mansi, Bibl. lat. Pat. 1754. I, 330. — narrat: se in duobus exemplaribus Josephi hebraice scriptis invenisse testimonium de Christo, in aliis nuper erasum fuisse. [2]) Antiq. XVIII, 5, 2. p. 883. XX. 9. 1. p. 976. V. Georgii Syncelli, Chronogr. ed. Ven. p. 269. [3]) Cf. Antiq. IX. 11, 3. p. 501. Ut taceamus quod eiusmodi digressiones, quae orationem intersecant apud Classicos quoque frequentes sint. Hoc etiam Thucydidi accidit, sicut olim iam notavit Dionysius Hallicarnasseus, respons. ad Pompei. ed. Sylburg. II, 235. item ad Tuberon. p. 242. s. Transitio Flavii „καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἕτερον τι δεινὸν ἐθορύβει τοὺς Ἰουδαίους" p. 877. ad sequentis c. XIX. initium statuenda fuisset. [4]) Mentio miraculorum quae Christus operabatur, et illum post mortem apparuisse, nihil amplius efficiunt, quam quod ab Historiarum scriptore exspectari poterat, qui res Hebraeorum eo animo

et dictionis genus; tale nimirum, quale Josephi esse solet.[1] Tandem s. salvo hoc testimonio non est necesse, ut nescio quid in Flavio χριστιανικόν τι agnoscamus. Dicendo Jesum esse Christum, non declaravit propriam sententiam, sed discipulorum eius atque asseclarum. Neque singulare quid habet Flavium nomine Christi Salvatorem adpellasse, quia eodem Jesus communiter notus erat[2]. Aeque eum bene Christum vocare poterat, licet Messiam non haberet; quam Pilatus in inscriptione crucis eum Regem Judaeorum adpellavit[3].

Nostra ἐπίκρισις haec esto: tota controversia de testimonio „τοῦ ἑλληνίζοντος Ἑβραίου“ Flavii, magis historico-critica, quam theologico-dogmatica est. Non admodum indigemus hoc monimento, cum Divinitati Jesu Christi, quae certissimis et firmissimis nititur argumentis nihil decedit, etiam si ut suppositum reiiciamus. Unde non est nimium taxanda eorum agendi ratio, qui malunt hoc argumento non uti; ne infirmis armis pugnare videantur, ubi validissima non desunt. Non tamen adprobanda est adversariorum crisis, qui omnia conquirunt argumenta, quibus veterum monimentorum fidem convellant. Qui denique pro authentia pugnant, praeter ceteras rationes, gaudent possessione; unde deturbari non possunt, nisi solidis rationibus: quarum vicem praestare non valent eae, quae huic loco opponuntur.

---

tradidit: ut Romanis et Graecis omnia facta alicuius momenti enarraret. Cf. quae Burmann ἀνονυμεί exposuit, in Miscell. observ. in auctores vet. et recent. Amstel. 1733. II. 3, 378. Eichstadtius quoque pro adversa parte acerrime pugnans opusc. Flaviani de J. C. Test. αὐθεντία, quo iure nuper rursus defensa sit. Q. u. Jen. 1841. admittit „Josephum haud dubie in Archaeologia fecisse mentionem Jesu.“ p. 19. V. e. H. Ewaldum, Gesch. Christus u. s. Zeit. Gott. 1855. p. 104. s. H. Paretum, in Herzogs, R. E. VII, 28. A. Otto, das Zeugniss des Flavius Josephus über Christus. Mainz. 1864. p. 173. s.

[1]) Demonstravit Criticus anglicus C. Daubuz, pro testim. Flavii Josephi de J. C. Lond. 1706., rep. in Havercampii ed. op. l. II. p. 216. s., a nemine quod sciamus hucdum refutatus; et verba et phrases et λέξεως χρῶτα, si cum ceteris Josephi scriptis conferantur, ut purpura ad purpuram collata se mutuo illustrare. Daubuz totam sedulo percurrendo periocham, singulas voces et locutiones comparavit cum paribus verbis et parallelis circumscriptionibus; ut inde elucescat quam genuinus sit Josephi foetus V. e. Burmanni, iud. l. s. c. p. 377. [2]) Tillemont, Hist. d. emper. I. Ven. 1732. art. 81. p. 582. s. C. Rauscher, Gesch. d. chr. Kirche. Sulz. 1829. I, 107. 8. [3]) V. p. 145. s. — D. Papebrochius, A. S. ad d. 24. Junii IV, 696. opinatur „fortassis eo scripta, ut libri quamvis conditi in favorem iudaicae gentis etiam a Christianis reciperentur.“ Cf. Langen, der th. Standpunkt des Flavius Josephus in Ann. Tüb. Quartalschr. 1865. p. 51. s.

HISTORIAE

REVELATIONIS DIVINAE

NOVI TESTAMENTI

PERIODUS ALTERA.

AB ASCENSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IN COELOS USQUE AD OBITUM S. JOANNIS APOSTOLI SIVE AB ANNO 30. —106. AE. V. P. C.

CAPUT PRIMUM

HISTORIAS APOSTOLORUM AB ASCENSIONE D. N. J. C.

USQUE AD MARTYRIUM

S. S. PETRI ET PAULI ENARRAT.

§. 61. Spiritus S. super Apostolos descendit.

Christo Jesu in coelum propria virtute subvecto, Apostoli qui ascensioni testes adfuerant, ubi ab angelis virorum albis vestibus indutorum specie apparentibus de Domini reditu moniti sunt; Jerosolymam, unius itineris sabbatici spatio dissitam [1], revertuntur promissum Spiritus S. illapsum exspectaturi. Tantum non centum et viginti domi [2] clausi convenere, metuentes ne ab Judaeis insectarentur; iugibusque orationibus vacantes, ac mutuo caritatis vinculo coniuncti cum Maria matre Jesu, M. Magdalena, Maria Jacobi aliisque manebant, iuxta ac Salvator illis praeceperat [3]. Per eos dies s. Petrus Dei voce Primatum assecutus ‚utpote cui grex a Christo concreditus erat [4]', partium suarum duxit, unum ex iis, qui Christo fuerant comites in proditoris locum sufficiendum esse. Collectos igitur simul fratres alloquens exposuit: Judam desperatione adactum suspendio sibi vitam ademisse, oportere

---

[1]) Hebraei fere in eo conveniunt fuisse spatium mille passuum. Cf. J. Buxtorfium, in Lexico talmudico s. v. תְּחוּם הַשַּׁבָּת ed. Bas. 1640. p. 2582. F. Lighfootum, hor. h. et t. ad Luc. 24, 50. p. 904. Act. 1, 12. II, 9. Pfeifferum, in exoticis N. T. app. ad d. v. p. 488. J. Frischmuthum, et M. Waltherum, in diss. Thes. ph. th. II, 417. s. 423. s. Winer, R. W. II, 350. [2]) In cuius aedibus fuerit illud „ὑπερῷον“, ambigitur, forte coll. Act. 12, 12. Joannis Marci. V. p. 274. [3]) Act. 1, 4. 8. [4]) S. Joannes Chrysostomus, in Acta hom. III, 1. IX, 23.

proinde virum seligere, qui episcopatum illius teneret [1]; neminem autem tanto muneri censendum parem, qui Jesu familiarissime usus non fuerit. Statim cunctis assentientibus delecti sunt Josephus [2] et Mathias. Et ne quid ex arbitrio suo Apostoli agere viderentur, Deum precati sunt: ut quem aptissimum ex illis haberet, eum sortium indicio designaret. Nec mora iactis in hydriam sortibus Mathias electus est [3]. Quinquaginta elapsis a Christi triumpho diebus, recurrentibus Pentecostes solenniis [4], ubi rursus Apostoli cum discipulis piisque mulieribus ac B. V. Maria, in coenaculo [5] orationibus intenti simul morarentur: en Spiritus S. ille saepius a Christo promissus, ignearum linguarum in partes divisarum figura, horrisono fragore, tonitruque simili de coelo in Apostolos singulosque praesentes [6] illapsus est; hora diei iudaico more tertia. Prodigium! statim divino Spiritu pleni variis linguis [7] eruditi apparuerunt [8]. Ad huius rei famam multi Judaei e Pa-

---

[1]) Juxta Davidicum oraculum Ps. 108, 8. [2]) Quem Barsabam etiam et Justum vocabant. [3]) Conspicua sorte invisibilem Domini praedestinationem testante, qua in Apostolorum Collegium is ab aeterno vocatus cernebatur, qui sorte delectus est. Act. 1, 15—26. V. C. Stengelii O. S. B., Comment. rerum gestarum s. Apostolorum Principis Petri. Aug. Vindel. 1621. p. 163. s. M. Wouters, dilucid. sel. S. S. quaestion. VI, 17. s. Cf. e. Joann. Dartis, diss. de statu Ecclesiae tempore Apostolorum ed. Vind. 1766. p. 25. s. J. J. Stronk, diss. de Mathia in Apostolorum ordinem sorte cooptato. Dordraci. 1852. p. 60. s. [4]) Cf. E. Fr. Wernsdorf, de Quinquagesima paschali, in M. I. E. Volbeding, Thes. comm. sel. Lips. 1847. p. 270. s. Interim gloriosa D. N. J. Ch. Resurrectio atque descensus Spiritus Sancti, id feriae primae honoris conciliarunt, ut publicis Ecclesiae Solenniis dicaretur, quod vitam agentibus adhuc Apostolis factum esse nulli dubitamus. Cf. Act. 20, 7. I. Cor. 16, 2. coll. Matth. 28, 1. Marc. 16, 2. Apoc. 1, 10. S. Justinus, Apol. I, 67. p. 159. s. Tertullianus, Apol. c. 16. p. 79. Eusebius, Hist. Eccl. IV, 23. p. 145. S. Leo M., ep. 11. Dioscoro c. 1. I, 120. Cf. C. C. L. Franke, de diei Dominici ap. vet. Christ. celebr. Hal. 1826. rep. ap. Volbeding, l. c. p. 65. s. [5]) Cf. not. geogr. p. LXXVIII. s. [6]) „Cum Apostoli illic essent, non dixisset omnes, nisi alii quoque participes fuissent.“ S. Chrysostomus, in Acta hom. IV. p. 33. [7]) Propter communem Ecclesiae utilitatem. U. s. l. v. [8]) Act. 2, 1—4. Recte additur ὥσπερ et ὡσεὶ, Vulg. tanquam, ne quid sensibile de Spiritu S. suspicaremur, neque enim ignis Deus fuit, neque sonitus; sed per hoc quod exterius exhibuit, expressit hoc, quod interius gessit. „In linguis igneis apparuit Spiritus S., quia omnes quos repleverit, ardentes pariter et loquentes facit.“ Ut ait S. Gregorius M., in Evang. hom. XXX, 5. I, 1578. Operationes ignis sunt similes operationibus Spiritus S.; quemadmodum enim nihil potentius igne, ita nihil validius vi Spiritus S. Ceterum communis interpretum sententia tenet, linguas apparuisse in capite; et ita habet universalis pictura totius

laestina, Persia, Mesopotamia, Cappadocia, Ponto, Asia, Phrygia, Pamphylia, Aegypto, Lybia quae attingit Cyrenem, Italia, Creta et Arabia concurrebant[1]. Mox haeserunt stupentes, quod homines in Judaea vel Galilaea nati, vernacula illis exteris lingua sermonem miscerent[2]. Non deerant tamen, qui Apostolos tanquam ebrios malitiose traducerent; quam calumniam Petrus repulsurus gravissima concione ostendit: non vino sed Spiritus Sancti aestu Christi discipulos esse abreptos[3]. Christum redivivum, impetratum a Patre[4] Spiritum S. misisse; cuius rei argumentum est, quod rudes hactenus indoctosque homines gentium linguis eruditos audirent. Quae adeo felicibus auspiciis dixit Petrus, ut tria millia eadem die fidem et

Ecclesiae a tempore antiquissimo. De modo illapsus Spiritus S. cf. Henrici Luytenii, libell. de missione Spiritus S. Antv. 1565. p. 12. s. J. Lorini, in Actus Apostolorum comm. Colon. 1609. p. 79. s. J. da Sylveira, Comm. in Acta Apost. Ven. 1728. p. 37. s. G. Thilo, de linguis ignitis in Thes. th. phil. II. 428. J. C. Harenbergii, de miraculo pentecostali, in Thes. nov. II, 583. s. Didaci a S. Antonio, diss. de adventu Spiritus S., in enchir. Script. III, 450. s. Stäudlin, prolusio qua antiqua interpretatio loci Act. 2, 1—13. vindicatur. Gott. 1801. p. 7. s. Liberti Fromondi, Comm. in Acta Ap. ed. Lov. 1819. I. 33. s. C. Th. Kuinoel, Acta Apost. ill. ed. 2. Lips. 1829. p. 37. s. J. Th. Beelen, Comm. in Acta Ap. Lov. 1850. I, 21. M. Baumgarten, Die Apostelgeschichte o. d. Entwickelungsgang von Jerusalem bis Rom. Halle. 1852. I, 46. s. Ph. Schaff, Geschichte der apostolischen Kirche. Leipz. 1854. p. 199. s. J. H. A. Ebrard, die Apostelgesch. Königsb. 1862. p. 46. Quod ad donum linguarum attinet, de hoc nos alio loco dicemus.

1) Cum proselytis, qui ad festum Pentecostes de more venerant in cultu divino devoti. 2) Venuste S. Gregorius Nyssemus, encom. in S. Stephanum, ed. Migne III, 705. „Oportebat enim eos, qui in terrenae turris exstructione communionem linguae vocisque concordiam solverant, in spirituali Ecclesiae aedificatione rursus ad commercium linguae venire, atque idcirco S. Spiritus dispensatio recte gratiam hinc orditur, ut commune hominum beneficium in omnem intellectum humanae vocis dispertiretur." Neque praetereundus S. Cyrillus Hier., Catech. XVII, 17. p. 272. „Facta est in eorum qui audierant multitudine confusio, confusio altera opposita priori illi praeviae in Babylone confusioni; in illa siquidem linguarum confusione, animorum ac voluntatum divisio fuit: hic vero restitutae et adunatae mentium sententiae. Per quae contigit casus, per eadem reversio." V. H. V. T. p. 41. 3) Juxta Joelis oraculum 2, 28. Divino igne Petrus succensus sic in Jesu potentiam ac maiestatem propalandam effunditur; ut qui antehac Christum vel cognoscere verebatur, tum in publicum prodiens et Dei filium et mundi Salvatorem atque omnium Judicem praedicet. „Petrus inter Apostolos primus praedicavit." Chrysostomus, hom. III. 2. de statuis ad pop. ant. II, 37. Cf. e. Stengelii, Comm. p. 165. s. J. Fr. Buddei, Ecclesia Apostolica. Jen. 1729. p. 71. s. 4) Juxta datam a Christo Domino fidem. Cf. p. 118.

baptisma susciperent. Assidui erant primi fideles in excipienda ab ore Apostolorum doctrina atque in frequentanda mensa Eucharistica; sed et uno erant animo, unaque mente. Quas habebant possessiones vendebant et dispertiebant omnibus, prout cuique opus fuit. ‚Haec angelica respublica erat, quod nihil dicerent sibi proprium.‘ [1] Apostoli vero laudantes Deum patrantesque multa prodigia, gratiam habebant coram toto populo. Dominus autem addebat quotidie Ecclesiae, qui salvi fierent [2].

§. 62. Apostolorum miracula et vincula.

Non multo post cum s. s. Petrus et Joannes simul ascenderent in templum, ut pensum redderent vespertinae precationis, quidam mendicus senex utroque pede claudus ad portam, quae dicitur speciosa [3], eleemosynam ab ingressuris rogavit. Ad quem d. Petrus: nihil quidem pecuniarum mihi est, quod tribuam, quod autem habeo, hoc tibi do; in nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula! Jussus proinde stare, subito expeditus surrexit coram omnibus in certissimum recuperatae sanitatis signum; cumque in templum praecurrisset, elata voce tantum Dei beneficium celebravit, atque Apostolos manibus tenens restitutores suos populo ad rei novitatem confluenti ostendebat. Tunc d. Petrus ea Christum annunciandi occasione arrepta, haud propria aut socii, quin potius Jesu virtute factum esse miraculum turbae stupore et timore impletae etiam atque etiam commendavit [4]. Quinque millia ad viri claudi conspectum Petrique orationem christianam fidem, ipsis praeeunte loripede illo, amplexi sunt [5]. Adhuc Petro loquente sacerdotes et templi magistratus supervenere; et ambos apostolos in carcerem deduxerunt, cumque vespera iam processisset, ad alterum diem causae cognitio dilata est. Coacto mane synedrio iubentur causam

---

1) Chrysostomus, in Acta hom. VII, 2. p. 58. 2) Act. 2, 5—47. 3) Lakemacher „τὴν θύραν ὡραίαν“, Observ. I, 6. p. 150. s. eandem facit, quae porta Susan Judaeis vulgo fuit adpellata. Cf. H. V. T., p. 498. 4) Jesum esse prophetam illum dixit, quem vates omnes, maxime Moyses, annunciarunt, sanctissimumque semen Abrahamo promissum, in quo benedicentur omnes familiae terrae. Cf. H. V. T., p. 51. s. 5) Act. 3. p. i. 4, 4.

dicere ac praesertim cuius nomine et virtute claudum illum sanitate donassent? Quibus Petrus nihil moratus, libera voce ait: vi et auctoritate Jesu Christi, quem crucifixerunt Judaei, prodigium illud patratum, in quo uno et solo esset ad salutem spes. Videntes Synedrini constantiam Petri et Joannis[1], illis interdixerunt de Jesu posthaec loqui; cui interdicto ambo Apostoli adeo non acquiescere professi sunt: se renuere ut parerent, quod iustius sit Deo obedire quam hominibus[2]. Dimittendos nihilominus synedrium censuit, invidiam populi, qui in Apostolos tanto miraculo claros, inclinabat, vitaturus; peiora tamen minatus, ni paruissent[3]. Ad suos igitur reduces Apostoli omnia, quae sibi contigerant, enarrarunt[4].

Cum per Apostolorum manus multa passim in dies fierent prodigia, fidelium caritas ita aestuare coepit, ut plurimi[5] bonis divenditis ad Apostolorum pedes, in egenorum sublevamen pretium afferrent[6]. Inter hos Ananias et Saphira coniuges exemplum imitati, distracti agri pretium afferunt quidem, sed impio sacrilegio, portione retenta. Petrus fraude divinitus intellecta, severe quod Deo imponere aggrederentur, increpatos, subita morte mulctat[7].

---

[1]) Virorum alioquin nulla eruditione cultorum. [2]) Cf. S. Andreae, de limitibus obsequii humani, in Thes. nov. p. 595. s. A. Neander, Gesch. der Leitung und Pflanzung der chr. Kirche durch die Apostel. Hamb. 1832. I, 52. s. [3]) Act. 4, 5—22. [4]) His auditis fideles, memores eorum, quae olim Davides Ps. 2, 1. vaticinatus fuerat, in preces effusi Deo contribuere laudes. Orantium, ut servis suis daret omni cum libertate annunciare evangelium, preces exaudivit Dominus; beneplacitique indicio fuit locus, in quo congregati erant, succussus, Spiritus S. prodens praesentiam, qui et novo ardore cunctos animavit. [5]) Inter eos Joseph cognominatus Barnabas, Levita, Cyprius genere. [6]) Act. 4, 23—37. Cf. J. L. Moshemii, comment. de vera natura communionis bonorum in Ecclesia Hierosolymitana, in diss. ad H. E. pert. vol. alt. Alton. 1743. p. 14. seq. [7]) Non tam sententiae asperitate, quam correptionis supplicio, dolosa calliditate mentientes s. Petrus percussit: quatenus duorum supplicium multorum doctrina fuerit, qui magna de benigno providoque Patre diffidentia, praesentem vindictam consciverant. Act. 5, 1—10. Apostolus nequaquam, ut stultus Porphyrius calumniatur, imprecatus est iis mortem; sed Dei iudicium ea ratione atque via exsecutus est, qua infirmos sanavit. Cf. Origenis, comm. in Ev. Matth. 7. XV. n. 15. Op. III, 360. S. Chrysostomi, in act. hom. XII, 1. p. 96. S. Hieronymi, ep. 130. ad Demetriadem n. 14. p. 990. Cassiani, coll. VI, 11. p. 306. S. Gregorii Magni, Epist. L. 9, 34. ad Venantium II, 523. Vide huc et D. Petavium, Dogm. theol. de Trinit. II, 13. II. a, 106. s. Didacum a S. Ant., Ench. III, 472. Wouters, l. c. p. 39. s. C. Saccarelli, Histor. Eccl. Rom. 1771. I, 76. s. Baumgarten, l. c. I, 37. s.

Splendor interim veritatis et prodigiorum, uti pavendus Ananiae et Saphirae casus, adversarios Apostolorum adeo perculit; ut nullus eorum se illis iungere, aut cum illis disputare auderet. Populus autem vi illa Spiritus Sancti, quae se eorum ore promebat, captus, nemini praeterquam Apostolis aures accomodabat [1]. Nullum aevum eo miraculorum feracius, quo omnes malo affecti curabantur: luminibus siquidem orbatis visus, claudis rectitudo, paralyticis firmitas, languentibus vires redditae; non corporum attactu solum sed adiutrice Petri umbra, quae si aegrotos contigisset, statim iacentes erigebat [2]. Synedrii vero proceres quemadmodum antehac in Christum, sic in eius discipulos immanius feruntur. Ut se operam perdere cernunt, Caiphas summus sacerdos et Sadducaeorum ipsi adhaerentium collegium, quorum odium movere Petri miracula, omnes Apostolos iniectis vinculis constrictos custodia froenant. Angeli autem ministerio erepti, dum postera luce Christi nomen palam intrepide in Templo praedicant, rursum adducti ad synedrium causam dicere iubentur coram coacto senatu. Hoc sane prodigio synedrii error evelli debuit, sed dura Sadducaeorum pectora veritatem non admittebant, itaque rebellionis et contumaciae postulant Apostolos. Cum arguerentur spreti mandati, s. Petrus pro ceteris ex more ad facti vindicias magna animi libertate dixit [3]. Petri sermone summas exarserunt in iras. Eos cunctos neci dare, et animus et consilium fuit; nisi Gamaliel [4] vir sapiens obstitisset [5]. Judicum in extrema inclinantium animos Gamaliel.

---

1) In porticu autem Salomonis frequentius visebantur, facile quod pars illa Templi omnibus Judaeis aeque ac Gentilibus pateret. V. H. R. D. V. T. p. 497. 2) Act. 5, 11—16. 3) Haec imprimis effatus est: obedire oportet Deo magis, quam hominibus, qui Jesum a vobis in crucem actum e mortuis suscitavit, ac Principem et Salvatorem constituit. His aliisque tum Christi gloriam, tum ipsorum in illum admissa crimina exponens peroravit. 4) Cuius sapientia senatus regebatur. 5) Surgens Legis doctor, quem totus populus in pretio habebat, atque iubens primum Apostolos foras ad modicum discedere, in haec verba sententiam dixit. Qui in pusillos homines tantum exacerbamini? Quorsum hic furor? in quid tam atrox saevitia? Sinite illos. Si quod hi moliuntur humani ingenii est, sponte cadet et ipsum per se dissolvetur; sin vero a Deo manat, nullis hominum conatibus destruetur. Cessate ne forte et Deo repugnare inveniamini. T. o. „μήποτε καὶ θεόμαχοι εὑρεθῆτε“; ad quae vide M. F. C. Bucheri, diss. de θεομάχοις in Thes. th. ph. p. 431. s.

habita apposita oratione, ad saniora revocavit. Synedrini a morte inferenda quidem abstinuerunt, minime vero ab illis virgis caedendis[1]; iterumque eis mandarunt, ne omnino de Jesu loquerentur. At illi in sublime se evectos rati, quod pro Christi nomine[2] vapulassent, Evangelium in templo, compitis et foro alacriori animo annunciant, adeo ut et ingens sacerdotum numerus fidem amplecteretur[3].

§. 63. S. Stephanus Protomartyr.

Cum iniuriis et aerumnis externe angeretur Ecclesia, internis seditionibus turbari coepit. Fidelium in dies aucta multitudo, qui simul unius vitae sanctioris communione convenerant, dissidiorum scintillam inter Hellenistas[4] et Hebraeos admisit. Querebantur Graeci, quod parcius viduis suis quam Hebraeorum eleemosynae erogarentur[5]. Ad comprimendas hasce querelas Apostoli, tot iam laboribus impares, convocata fidelium multitudine septem virorum probati nominis, prudentiae et religionis electionem proposuerunt; qui coactis fidelium eleemosynis, sacra ministeria obeant pauperibusque opitulentur. Neque enim fas dixerunt, ut nos omisso praedicationis munere mensis ministremus. Omnium suffragiis eliguntur septem diaconi[6], e quibus ille a corona digne adpellatus Stephanus, martyrum primitiae[7]; deinde Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas et Nicolaus, proselytus Antiochiae oriundus. Cum Stephanus divino spiritu et gratia repletus christianae doctrinae evulgandae intentiorem operam daret, et mira

---

[1]) Cf. W. D. Schoepfii, de flagellatione Apostolorum in Thes. th. ph. p. 439. s. [2]) Matth. 10, 17. 23, 34. [3]) Act. 5, 17—42. 6, 7. [4]) Cf. H. V. T. p. 590. s. [5]) Coll. Rom. 15, 25. II. Cor. 9, 1. Ep. S. Hieronymi, ad Evangelum 146, 2. p. 1083. [6]) Acatholici — e. g. Casp. Zieglerus, de diaconis et diaconissis Veteris Ecclesiae liber Commentarius. Witteb. 1678. p. 23. s. J. Ph. Bez, sept. prim. diacon. eccl. exam. Altdorfi. 1696. p. 7. — demtis paucis — inter hos M. Baumgarten, l. c. p. 119. — censent diaconos ministeriis mensae tantummodo profanae fuisse destinatos, adeoque longe diversos esse a diaconis altaris servitio addictis; sed sententia huic opposita sola obtinuit in Ecclesia, fulciturque S. S. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum suffragio. Cf. A. Natalis, l. c. diss. VII. p. 123. s. Saccarelli, Hist. eccl. I, 88. s. [7]) S. Cyrillus Hier., cat. XVII, 24. p. 275.

faceret, omnes in quibus eruditionis et scientiae nonnihil inerat, in sese convertebat. At ille omnibus pariter invictus erat, sive cum multis solus, sive cum paucis congrederetur. ,Tunc igitur in speciem quidem Alexandrini Libertinique [1] et Cyrenenses, quique undique convenerant homines cum veritatis athleta confligebant[2].' Libertini imprimis Stephanum superare tentarunt, sed victi disputatione, ad malas artes conversi, illum de blasphemiae crimine reum ad synedrium trahunt[3]. Testes submittunt, qui viri impietatem causati, violatae Legis noxium mendaciis peragant. Cum staret ante tribunal Stephanus vultu nitenti ad maiestatem composito, quale angeli dixeris, obiectas sibi calumnias refellere aggressus, sermonem[4] longius produxit et apologiam texit; non tam suam, quam ponendae in Christum fidei repetitam ex eorum omnium serie, quae inde ab antiquissimis temporibus inter Deum populumque electum gesta sunt[5]. Judaei a Levita se acrius reprehensos indignati,

---

1) „Romanorum liberti erant et sic appellabantur." S. Chrysostomus, in Act. hom. XV, 1. p. 119. Hinc eadem sententia aliis se probavit, quos lege apud Wolfium, in Act. Ap. p. 1090. C. Wieseler, Chronologie des Apost. Zeitalters. Gött. 1848. p. 61. Meyer, kr. ex. Handb. ü. d. Apostelg. Gött. 1854. p. 123 Opinio qua Libertini origine Judaei habentur, qui in Italia aut Romae gentilium servitiis addicti, et ab iis libertate addicti sunt, tam praeclaris nititur argumentis, ut facile assensum cuique non nimis pertinaci extorquere possint. In omnia alia more suo abit J. Harduinus, diss. in Act. 6, 9. Op. sel. p. 903. s. docens: synagogam Libertinorum Jerosolymis exstructam fuisse Cyreneorum, Alexandrinorum, Cilicum, et Asianorum, quae gentes ex utroque latere Judaeae protendantur, et statim a s. Luca memorantur. Si vero textus expendatur primo intuitu aperte demonstrat de diversis hic synagogis agi. Harduini coniecturam refellunt S. Deylingius, Obs. s. II, 35. p. 332. s. et J. R. Cademannus. de schola Libertinorum. Lips. 1704. item Ph. J. Schmidt, diss. de synagoga Libertinorum ad illustrandum locum Act. 6, 9. Argentor. 1754. p. 7. s. 2) S. Gregorius Nyss., in s. Stephanum p. 706. 3) Id enim expeditum videbatur, ut aemulum perderent, cum causa coram Romano iudice acta in longum nimis esset ducenda. 4) De quo I. Diderici de Boonvoust Beekmann, disp. de oratione Stephani apologetica. Trai. ad Rh. 1820. p. 24. s. 88. s. Fr. Chr. Baur, de orationis a Stephano Act. VII. consilio. Tub. 1829. 5) Quo ampliora ait s. Stephanus fuerint et luculentiora Dei beneficia, eo asperiorem et magis alienum a Domino numquam non gessisse se populum. Repetiit primum Act. 7, 2—16. illam aetatem, qua gens Hebraeorum nondum fuit, sed fieri demum coepit; vocationem Abrahae cum promissione ei reliquisque Patriarchis facta, item foedere circumcisionis non ipsos attinuisse, sed populum ex eorum stirpe proditurum. Transit ad historias eductionis ex Aegypto itemque profectionis per Arabiam v. 17—47., prosequiturque

dentibus in virum stridebant, qui interea elevatis ad coelos oculis gloriae Dei simulque Jesu Christi ad dexteram Dei stantis visione recreatus est. Tandem maiorum suorum pessima exempla imitati, minime exspectata Synedrii sententia, extra urbem diaconum rapuere lapidibus obruendum. Quo autem iaciendis lapidibus expeditiores essent, testes [1] vestimenta sua ad pedes Sauli deposuerunt custodienda [2]. Cum supplicium patitur Stephanus, coelis subito apertis Christus videndum se exhibet [3]. Interim Stephanus tanquam sensus expers Salvatoris sui vestigiis haerens, preces sub mortis ictum pro persecutoribus fudit, iisque ignoscit a quibus occidebatur; simulque animam Creatori reddidit primus omnium fidelium sub Novo Testamento sanguine suo Christi doctrinam obsignans, Protomartyr ob id merito a grata posteritate dictus. Defuncti corpus religiosi quidam viri cum lacrimis curabant [4].

---

usque ad Salomonem, quo regnante nihil iam ad firmandas populi sedes superesset. In Moyse Christum adumbrat. Ut olim ab exordio Hebraei Moysem reiecerint, Legem quoque eius ministerio latam, a qua defecerint per μοσχολατρείαν, pendentes cultum falsis numinibus, ita nunc cum Messias in Jesu annunciaretur, eosdem se adversus Christum gerere. Debebat orator, ut ulterius continuaret sermonis argumentum, ad Prophetas transire; petitisque ab eis exemplis ostendere: quam inanem illi viri divinitus afflati Hebraeis erudiendis impenderint operam. Sed cum animadvertisset Stephanus, quod obstinata incredulitate eius orationem spernerent; tristia et atrocia, quae sequentium temporum memoria exhibuit in unum cumulata animo revolvens, libero impetu eos reos agere non dubitavit, quod cum patribus semper restiterint Spiritui S. v. 48—53. Cum Stephanus ex tempore diceret, patet inde quam familiaris fuerit viro piissimo et eloquenti istarum rerum meditatio. Cf. e. Luger, ü. Zw. Inh. u. Eigenthüml. d. Rede d. Stephanus. Lüb. 1838. H. Thiersch, de Stephani protomart. oratione comm. exeget. Marb. 1849. E. C. Rauch, ü. d. Al. Stephanus u. s. Rede, in ann. Stud. u. Krit. 1857. p. 352. F. Nitzuh, Beitr. Z. Erkl. d. Rede d. Stephanus, ib. 1860. p. 479. s.

[1]) Ad quos primi spectabant iactus. [2]) Quo magis mireris duos hos viros tum tam dispari animo congressos: „Magna divina spectacula, ait s. Augustinus, serm. 116, 8. in solenn. Stephan. V, 1264., qui erat in caede Stephani persecutor, factus est regni coelorum postea praedicator. Quantum saeviebat in illa caede vultis audire? vestimenta lapidantium servabat, ut omnium manibus lapidaret." Sed in hoc quoque singularis Dei, Ecclesiae suae primordia moderantis, providentia conspicua fuit! [3]) Quasi agonotheta ad pugnam accinctus; nam etsi in summa felicitate constitutus Jesus, pugnam cum intrepido milite decertare non refugit, velut in lapidato saxis et ipse adpeteretur. [4]) Act. 7, 54—59. 8, 2.

§. 64. Ecclesiae ad gentes propagatio.

Stephani sanguine furor Judaeorum non satiatur, quem sanctus ille cruor potius accendit. Et quidem Saulus morte protomartyris, quasi re praeclare gesta, audacior factus, totum coetum Christianum — tunc temporis intra Jerosolymarum pomoeria quasi conclusum — perdere satagebat [1]. Unde factum ut fidelium plerique [2], relicta metropoli per varias regiones dispergerentur. Qui autem sic dispersi ambulabant, Christum inter eundum per vicos et oppida annunciabant. Ex illis alii in Phoeniciam atque insulam Cyprum et Antiochiam pervenerunt, alii receperunt se Damascum, alii Samariam praetulerunt [3]. Inter hos Philippus [4] unus e septem diaconis [5], ardentem s. Stephani zelum imitatus, Samaritanos Christi fidem exemplo ac eruditione docuit, plurimosque baptizavit. Inter quos Simon cognomine Magus [6] Christi fidem professus, regenerationis sacramento initiatur. Hunc Samariae incolarum ad Ecclesiam transitum, cum Apostoli qui Hierosolymis degebant audiissent s. s. Petrum et Joannem ad eos miserunt, qui manibus impositis Spiritus S. gratiam iis impertiantur. Quod cum peractum vidisset Simon ille Magus; totusque de tanta miraculorum vi [7] stuperet, oblata Apostolis pecunia ab iis emercari voluit potestatem huiusmodi dona conferendi; sed dignum tanto sceleri retulit a s. Petro, hominis impietatem exsecrante, responsum: pecuniam, ait, tuam malo tuo tibi habeto! Ceterum s. s. Petrus et Joannes ubi multis Samaritanorum vicis Christum praedicarent, Hierosolymam rediere [8]. Sed noluit Deus [9] tam angustis Judaeae et Samariae finibus regnum Filii sui contineri, alios longe remotiores ad

---

1) Irrumpens in singulas domus atque inde trahens tam viros, quam feminas, carceri publico mancipabat; eosque a Christi sacris deficere, intentato metu supplicii cogebat. 2) Exceptis Apostolis qui in urbe intrepide permanserunt, totum uni adversariorum impetum sustinentes. 3) Act. 8, 1. 3. 4. 9, 2. 11, 19. 4) Nomen est origine graecum. Φίλιππος i. e. φίλος ἵππων, amans equorum, bellicosus. 5) Qui et Evangelista appellatur, Act. 21, 8. 6) D. q. v. Henrici Wagner, disq. hist. de Simone Mago. Marp. 1680. p. 7. s. 7) Animadvertens confirmatos in alios homines mutari, ut fierent repente variis linguis eruditi, prophetae, miraculorum operatores. 8) Act. 8, 5—25. 9) Coll. Act. 1, 8.

cognitionem sui vocare decrevit. Cum adhuc Philippus [1] Samariae moraretur, ab angelo admonitus Gazam [2] desertam petit, Eunuchum Candacis reginae [3] Aethiopum [4], qui Hierosolymas venerat adoraturus, de fidei mysteriis instructurus. Is pilento vectus ad aulam revertebatur, Isaiae lectione intentus. Eunucho, impervium sibi de Christo vaticinium [5] legenti, se comitem [6] praebuit Philippus apertoque verborum, quibus implicabatur oraculum sensu, Jesu salutari doctrina eruditum unda sacra tinxit [7]. Nec mora Philippus a Spiritu Domini abreptus oppidis, per quae ab Azoto Caesaream [8] ascendit, Christi fidem patefecit [9].

§. 65. Sauli natales, institutio, mores.

Saulus, qui et Paulus, duobus a Christi ortu annis natus est Tarsi [10] Ciliciae [11]. Hic porro Saulus Tarsensis nativitatis suae beneficio fuit non tantum Israelita, e tribu Beniamin [12], utroque parente Hebraeo natus; sed et civis Romanus [13]. Felicem nativitatem excepit educatio honesta et

---

1) Uti quidem nobis videtur. 2) V. n. t. s. geogr. p. LXXXVII. s. Raumer, Palästina, ed. q. Leipz. 1860. p. 193. n. 181. p. 449. 3) Κανδάκη, de quo nomine v. Simonis, Onomast. p. 88. 4) Praefectum aerarii. 5) Cap. 53, 7. s. 6) Jubente Spiritu sancto. 7) Eunuchum hunc Apostolum gentis Aethiopicae egisse ex s. Irenaeo, adv. haer. III. 12, 9. p. 485. s. Cyrillo Hier., catech. XVII, 25. p. 276. Eusebio, Hist. eccl. II, 1. p. 40. atque s. Hieronymo, in Isai. 53, 7. 8. IV, 617. docemur. Eius memoria apud Graecos colitur die 27. Augusti. 8) V. n. t. s. geogr. l. c. et LIV. 9) Illic ad multos annos sedem fixisse videtur. Act. 8, 26—40. 21, 8. 10) Hinc Saulum Tarsensem, familiari eius, ut videtur apud Judaeos nomenclatura, eum nuncupat Salvator Act. 9, 11. 11) Fuit haec urbs amoenissima ad Cydni amnis ripam sita, populorum frequentia, mercaturae industria, et quod omnibus his praestat schola, — si Straboni, de situ orbis l. XIV. ed. Amstel. II, 392. fides sit — longe tum Atticam tum Alexandrinam illam famosissimam superante illustris. Utique celebri loco ortum esse, decus haud exiguum non solum conciliat, sed et magnanimos impetus viresque ad res praeclare capessendas inspirat. Et hinc etiam est, quod Deus Paulum, quem docentem Athenae, imo Roma ipsa cum stupore aliquando audiret, in urbe celeberrima gentili sed erudita nasci voluit; qui magnus gentium doctor et Apostolus futurus esset. Cf. Sepp, Geschichte der Apostel vom Tode Jesu bis zur Zerstörung Jerusalems. ed. II. Schaffh. 1866. p. 45. s. 12) Phil. 3, 5. Act. 21, 39. et 22, 3. Se Judaeum dixit, quae adpellatio post reditum ex exilio omnibus Hebraeis communis facta est. L. n. t. s. geogr. p. XVII. 13) Romanam se, et quidem nascendi sorte, civitatem adeptum esse, professus est Paulus non semel. Act. 22, 28. 21, 39. 16, 37. Non fuit civis Romanus

liberalis. In educatione filii sui hanc sibi operam locare parentes Sauli noverant, ut ex gentis more a teneris annis literarum tirocinia daret. Tarsi, cuius schola illustri decorata erat doctrina, eruditionis saecularis fundamenta haud contemnenda iecit. Hic Aratum, Menandrum, Epimenedem [1] legit, quorum sententiis postmodum in rem suam aptissime usus est. Rhetoricae quoque praeceptis incubuit, ut ornate dicere posset, si vellet, et si conditioni salutique auditorum conveniret [2]; gentilium ritus, certamina gymnica, ludos curiose rimatus est [3]. Graecanicis disciplinis solerter instructum filium parentes miserunt ad scholam Hierosolymitanam pro abundantiori Legis studio. Praeceptorem hic nactus est Gamalielem [4],

---

natus e communi Tarsensium omnium, sed sui parentis speciali privilegio. Etenim Tarsum, neque coloniam Romanorum, neque municipium fuisse, docuit Chr. Cellarius, diss. de s. Pauli Apostoli civitate Romana. Hal. 1706. §. 21. s. p. 15. s. Quidquid vero sit de patre vel avo Pauli, an pecunia ius illud emerit, vel propter bene de republica merita acceperit, hoc tamen manet firmum: ius civitatis grande fuisse privilegium; uti ob alia multa, sic etiam ob immunitatem a verberibus flagellationibus aliisque similibus poenarum generibus, et dehonestamentis lege Porcia Semproniaque civibus Romanis concessam.

[1]) Cf. S. Hieronymi, ep. ad Magnum LXX, 2. p. 426. J. Hoffmann, de Paulo script. prof. alleg. Tub. 1770. — Thalemann, de eruditione Pauli iudaica non graeca. Lips. 1769. cognitionem et intelligentiam literaturae graecae in illo fuisse pernegare tentavit. Contrariam sententiam sibi demonstrandam sumsere: A. B. Grulich, Betrachtung. ü. die gr. Gelehrsamkeit d. Ap. Paulus. Witt. 1774. Zobel, de Paulo philosopho. Altdorf. 1731. Koester, ob. s. Paulus seine Sprache an der des Demosthenes gebildet habe? in Stud. u. Krit. 1854. p. 305. s. [2]) Unde Lystrenses Act. 14, 11. Paulum, qui dicendi peritia pollebat, vocarunt „Mercurium", Poëtis Eloquentiae Deus. Dionysius Longinus, de sublimitate, recens. Mori, Lips. 1769. Fr. I. p. 264. in catalogum oratorum posuit „Παῦλος ὁ Ταρσεύς." Quae verba a Christiano adiecta censuit Fabricius, Bibl. gr. VI, 93. Nagel tamen, d. in iudicium Longini de Apostolo Paulo. Altdorf. 1772. et Hug, Einl. II, 334. illud de Paulo testimonium Longino asseruerunt. Cf. e. Kirchmaier, de Pauli eloquentia. Witt. 1695. Baden, de eloquentia Pauli. Havn. 1786. L. Bauer, Rhetorica Paulina. Hal. 1782. Fuhrmann, de subtilitate Pauli in argumentis tradendis. Lips. 1777. [3]) Ex quibus omnibus postea et verba et phrases mutuatus est, quibus doctrinam Christi illustraret et monita sua sapienter et suaviter instillaret gentibus. [4]) גַּמְלִיאֵל coll. Num. 1, 10. Credibile est hunc fuisse Gamalielem seniorem הַזָּקֵן, nepotem Hillelis, filium Simeonis, maximae apud suos existimationis. Act. 5, 34. s. coll. Mischn. Sota 9, 15. Gittin 4, 2. Baba mez. 5, 8. Cf. G. H. Graunii, hist. Gamalielis. Vit. 1687. Lightfoot, cent. chron. Matth. p. 33. hor. ad Matth. 6, 9. p. 296. s. Wolf, Bibl. hebr. II, 882. Jost, Allgem. Gesch. des isr. Volkes II, 104. s. Si audias scriptorem Recognitionum I, 65. ed. Gersd. p. 34. coll. Thilo, cod. apocr. p. 501. et Chrysippum, apud Photium cod. 171. ed. Migne p. 500. s., Christianus erat! Sed vero omnino reiicienda est J. Pearsonii, lectiones

quo nemo sapientiae laude in universa Judaea tunc fuit praestantior. Plurimum in eo scientiae genere profecit Saulus atque e traditionum Pharisaicarum inculcatione, tantam sibi comparavit eruditionem iudaicam, ut coaetaneos suos cognitione ‚τῶν πατρικῶν παραδόσεων' longissime post se reliquerit [1]. Uti Pauli pater, ita et praeceptor Gamaliel, atque ipse Saulus secta fuit Pharisaeus [2]. Neque Judaicis tantum disciplinis eruditus Saulus,

---

in Acta Apostolorum. Lond. 1688. p. 49. sententia: Gamalielem pertinacissimum Pharisaeum, ideo consilium dedisse ut dimitterentur Apostoli, quod Sadducaei eos accusarent, quos oderat. Iniquius adhuc iudicat Schrader acatholicus, der Apostel Paulus. Leipz. 1830. II. 43. hypocriseos crimine perperam eum onerans.

[1]) Gal. 1, 4. Cf. Dassovii, infans Hebraeus liberaliter educatus. Witt. 1714. Tzschirner, observ. Pauli Ap. scriptoris ingenium concernentes. Witt. 1—3. 1800. Ammon, de vestigiis theologiae Judaicae in ep. Pauli ad Rom. in opusc. Gött. 1803. p. 63. s. J. B. Gerhauser, Charakter und Theologie des Apostel Paulus. Landsh. 1816. p. 4. s. Elsner, Paulus et Jesaias inter se comparati. Vratisl. I. II. 1821. [2]) Quod tanquam rem, quae in Judaismo honorifica habita fuit, frequenter commemorat. Phil. 3, 5. Act. 22, 3. 26, 5. Cf. Grosmann, Comm. de collegio Pharisaeorum Lips. 1851. p. 22. s. Juventutis erudiendae Legisque explanandae maximo studio deditos fuisse Pharisaeos novimus. Cf. H. V. T. p. 592. s. Gratuitam autem fuisse eorum iustitutionem, quo Socraticorum more a sophistis discernerentur, pariter constat. In Gamalielis Academia etiam rabbinicam S. S. interpretationem — cf. Palmer, Paulus und Gamaliel, ein Beitrag z. ältest. Christengesch. Giess. 1806. Zunz, die Gottesd. Vortr. d. Juden. Berlin. 1832. p. 327. s. — cognovit, unde accedente postea infallibili Spiritus S. illuminatione, iudaicas aniles fabulas a vera prophetarum doctrina probe discernens, figurarum V. T. mysteria enodavit, e locis A. T. Christi dogmata elicuit et demonstravit, Judaeorum ora obturavit, imo in scriptis suis ad phrases rabbinicas sapienter allusit. — In eum autem nos devenisse locum videmus, in quo subterfugere non possumus, ut personae quam cum maxime sustinemus satisfiat, quin *de Pauli dicendi scribendique genere iudicium* interponamus; magnis agitata dissidiis quaestio. Paulum illum qui mediis Athenis ad aures Atticorum cultas verba facere non dubitavit, Graeci pene sermonis imperitum plures — u. s. v. — censuerunt, alii scientia graecorum scriptorum profanorum polluisse inficiantur. Ad hanc controversiam dirimendam duo debent summa cum cura observari. a. In omni oratione seiugendam esse dictionem, et rerum quae pertractantur compositionem. Haec ab eruditione scribentis et indole pendet, illa ad curam grammatices pertinet. De Pauli dictione si voces solae, phrases et orationis nexus spectetur, illam a castigata Graecorum puritate discedere, nemo iure negabit. Quid etiam plurimis indiciis testatius, quam Apostolum sequi debuisse illam graecae linguae formam, quae apud Hellenistas in usu erat? Quodsi b. a dicendi genere, salutiferi nuclei solo putamine, discedamus, animumque ad ipsam orationis Paulinae compositionem convertamus; iam nihil eius cogitatis et argumentorum nervis sublimius esse fatendum est. Haec igitur eloquentia, quae non in verborum pigmentis, sed in indolis excelsae notis et pondere rerum

sed et iis instructus dotibus, quae ad res prudenter et fortiter gerendas requiruntur. Humilitatis ergo testandae gratia, et ut se auditorum suorum captui accomodaret, ἰδιώτης τῷ λόγῳ [1], sponte factus est quandoque non semper [2]. Moribus purus castusque fuit [3]. Huncvero nativitatis et educationis

---

gravissime enunciatarum esset posita, si cuiquam certe Paulo adscribenda. Cum enim magna foret in eo animi vis et divina quaedam subtilitas, mentis imaginem scribendo expressit; hinc in eius epistolis — u. v. — nullae non exstant oratorum figurae, non illae quidem ad rhetorum praecepta compositae — procul aberat Apostolo operosa sermonis in suos reducti numeros ambitio —, verum ingenii ad omnes dicendi rationes paratissimi producta. Cf. i. J. Fr. Böttcher, de paronomasia finitimisque ei figuris Paulo Ap. frequentatis. Lips. 1823. I. p. 3. s. II. 1824. p. 127. s. et alios s. a.

[1]) II. Cor. 11, 6. [3]) Cf. Tholuck, einl. Bemerkungen in das Studium der paul. Briefe, in verm. Schrift. Hamb. 1839. II, 271. s. Reithmayr, Einl. p. 510. s. Döllinger, Christenthum p. 145. s. [2]) Act. 23, 1. Phil. 3, 6. II. Tim. 1, 3. Si ea attendas, quibus se civilis honestas commendare solet eximium in modum elucebat: generosi animi alacritas, fervor atque intrepiditas nulli cedens difficultati ac periculo. Act. 7, 57. 59. 22, 4. 19. Quod si qui in hoc aditu *speciem quoque Pauli corporisque habitum* desiderarent, — solemus enim delectari considerato magnorum virorum vultu, veluti quodam mentis speculo, — non hac etiam in parte, quamquam S. S. nihil prodiderit, desiderio isti non omnino consuluit antiquitas. Statura fuisse dicitur mediocri, compacto corpore et robusto, firmis cruribus surisque, capite calvo, aquilino naso — quod quidem si Platonem audimus, regiae dignitatis erat et praestantiae, — contractis iunctisque superciliis. Vultus erat consideratissimae meditationis index, sed idem divina quadam gratia et comitate temperatus. Haec nos plane certissima esse, ut non contenderimus, sic tamen neutiquam videmus, cur fides eorum laborare debeat; tantoque minus: quia a. nihil in hac figurae descriptione reperiatur, quod ingentem Pauli animum dedeceat; atque b. quia cum Actorum Theclae, ed. Const. Tischendorf, acta Apost. apocr. Lipsiae 1851. p. 41. testimonio, inimicissimus Christiano nomini, qui sub persona Luciani latet, scriptor Φιλοπατρὶς ἢ διδασκόμενος, consentiat c. 10. ed. Matth. Gessner Jen. 1715. p. 132. Cf. Harles, ad Fabricii Bibl. Gr. V, 344. 5. Kellner, Tüb. Quart. 1864. p. 48. s. „Sed postquam, scribit Lucianus, in Galilaeum incidi recalvastrum, nasonem — ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, — qui per aëra incedens, in tertium usque coelum se penetraverat." Manifeste ridet Pauli ἔκστασιν, quam phrasi aristophanica c. Neb. A. I. s. 3. in. exprimit. Similem prosopographiam Malalas, chronogr. l. 10. p. 109. habet et Nicephorus, H. E. II, 37. I, 196. Verum primaevae Ecclesiae de Pauli specie formaque exteriori sensum, haud solum e laudatorum scriptorum verbis colligere licet, sed confirmari potest c. nonnullis Pauli imaginibus, quae adhuc exstant primam illam Ecclesiae aetatem referentibus. Cf. s. Hieronymi, in Jon. 4, 6. p. 425. Et ut in vetustissimis haereamus, quae in vitreis conspiciuntur fragmentis vasorum e coemeteriis Romae erutorum — quorum duo aere eleganter incisa ob oculos posuit Fogginius, de rom. d. Petri itin. exerc. XX. p. 458. — doctor gentium conspicitur: fronte calvus, capillis undique fluentibus, brevibus licet et circum attonsis, barbatus — cum in oriente barbam alere tunc temporis mos esset et

Paulinae qualemcumque splendorem neutiquam obnubilavit ars, quam exercuit, mechanica [1]; qua tabernacula e pellibus confecit [2]. Huiusmodi arte ministerii Apostolici laboribus interposita, effecit Paulus, ut doctrina ejus quasi venalis neminem offenderet [3]; ipse nulli foret oneri non tantum, sed et alios itinerum socios adiuvaret [4]. Unde etiam saepissime ad hos manuum suarum labores, tanquam laudabiles, sibi fere singulares, Evangelio et Ecclesiae utiles provocavit [5]. In perpetuo coelibatu mansisse testatur ipse [6], et constans tenet Veterum sententia [7].

Christiani eam ponere turpe arbitrarentur, v. Tertulliani, de cultu feminarum II, 8. p. 91. et Clementis Alex. paedagog. III, 3. p. 261. s. —; sinistra manu volumen habet σύμβολον epistolarum, quas posteris reliquit, dexteram docentis gestu movet.

1) Communis enim mos fuerat Hebraeorum, ut etiam quibus copiosum esset patrimonium, ad omnis fortunae subsidium, aliquod utile addiscerent opificium; tum ut industria sua ubi opus fuerit se ipsos sustentarent, tum ut desidiosi otii vitia fugerent. 2) Neque enim fuit restio, neque σκυτοτόμος coriarius, ita a paganis per contemtum adpellatus, v. Suiceri Thes. s. h. v. II, 981.; neque instrumentorum artificiosorum faber; sed σκηνοποιός κατὰ τὴν τέχνην; i. e. qui tentoria conficit. De vi ac potestate huius vocis vide: Origenem, hom. XVII. in Num. n. 4. ed. Lomm. X. 212. S. Chrysostomum, ad Rom. hom. II, 5. IX, 443., et quae recentiores disputarunt e. c.: Cotelerius, ad Constit. apost. II, 63. p. 274. C. S. Schurzfleisch, de Paulo σκηνοποιῷ. Witt. 1699. et in altera diss. quam inscripsit Animadversa ad insigniores Ciliciae antiquitates ib. 1696.; J. J. Stark, Paulus σκηνοποιός ex Act. 18, 3. Lips. 1699. s. Walchius, Antiquitat. Corinthiac. Jen. 1761. p. 12. Hug, Einl. II, 328. Opificium hoc sane fuit honestum apud Judaeos, erat praeterea utilissimum tentoria fabricare, quibus hiemis solisque rigores arcerentur. 3) S. Augustinus, in Joann. 21. tract. 122, 3. p. 811. 4) Atque hac ratione etiam alios, alimoniam accipientes, praecones Evangelii superavit. 5) Affirmans: se nullius argentum et aurum cupivisse, sed has suas manus ministrasse suis ceterisque qui secum erant usibus necessaria; se gratuito Evangelium annunciasse et animas non bona quaesivisse fidelium; se denique nocte et die operando nulli oneri fuisse. Act. 18, 3. I. Cor. 4, 12. I. Thess. 2, 9. II. 3, 8. 6) I. Cor. 7, 7. 8. coll. 9, 5. 7) Erasmus, Nov. Test. cum vers. ed. Lugd. VI, 687. quem uxorii Sectarii sequuntur, exponit I. Cor. 7, 7. „θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν"; vellem omnes qui habent uxores, in totum abstinere ab illis, sicut ego. Cum tamen mox Paulus, ib. v. 8. se sine uxore fuisse significet. Vellet et optat etiam nuptias numquam expertos, tam viros quam mulieres continentes. Non audiendos esse „qui eum uxorem habuisse confingunt", iam olim scripsit S. Hieronymus, ad Eustoch. ep. XXII, 20. p. 103. Virginitate illustrem laudarunt: S. Epiphanius, haer. LVIII, 4. p. 492. S. Chrysostomus, de virginitate c. 82. I, 333. hom. XIII. in epist. ad Philipp. n. 3. XI, 301. S. Augustinus, de opere mon. c. 4. VI, 478. Theodoretus, interpr. ep. ad Philipp. c. 4, 1. III. a, 466. Cf. etiam Fabricii, Codex apocr. N. T. III, 631. s. ubi scriptores de vita et rebus Apostoli Pauli recenset.

§. 66. Saulus caedis spirans ad fidem Christi convertitur.

Excedentibus Hierosolyma fidelibus, deerat ibidem saeviendi in ipsos occasio [1]. Saulus tumens Pharisaeus [2], cum audiisset in aliis civitatibus Evangelium praedicari; et praesertim Damasci [3] esse Judaeos, qui Mosaici instituti ritus negligerent, eo concessit [4]. Ut appropinquavit [5] Damasco [6], atque de conatibus suis magnos speraret eventus [7], inopinato circumfulgente lumine prostratus ex equo, didicit hac expeditione non homines sed Deum ipsum peti. Etenim continuo oculis captus [8], Jesum hac voce alloquentem: Saule, Saule, quid me persequeris! excepit [9]. Comites autem eius stupefacti confusum quidem vocis sonum audiverunt, verba vero non intellexerunt [10]. Saulo obrigenti atque ad omnia se paratum professo hoc

---

1) Explicatis hactenus quae ad Historias Pauli illustrandas faciunt, nunc conversum Saulum, cum gratia naturam perficiente, intentis quam maxime oculis intueamur. Fuit sane Sauli conversio illustrissima, sive conditionem eius antecedaneam, sive modum eius, sive connexa spectemus. 2) Cum per biennium iam Ecclesiam Dei Jerosolymis acerrime vastasset. Cf. J. P. Mynster, Annalium Paulinorum adumbratio. Havn. 1845. p. 7. 3) Damascus דַּמֶּשֶׂק Δαμασκός, urbs est antiquissima coll. Gen. 14, 15., notissima metropolis Syriae illius, quae inter Libanum et Antilibanum continetur; atque Syria Damascena adpellatur. Adsidet monti Hermon, e quo descendunt fluvii Barada et Avadsch, coll. IV. Reg. 5, 12. Abana et Pharphaz, agrum Damascenum irrigantes. Urbs fuit frequentissima et opulentissima, sed quae uti varias experta rerum vicissitudines, ita et saepe mutavit dominos. Pauli aetate magna ibi Judaeorum copia erat coll. Josepho, de bello II. 20, 2. p. 206. 4) Impetrata amplissima a pontifice potestate ad illos opprimendos Damascum pergebat; ut si quos ibi inveniret christianae fidei sectatores Jerosolymas vinctos adduceret a Synedrio iudicandos. 5) Terrores ac caedem meditatus. 6) Quam urbem coram intuebatur. 7) In publica via, locus ille prope urbem iam aetate s. Augustini, coll. Serm. 278, 1. p. 1123. ob tantae rei memoriam ecclesia ornatus erat. Notat s. Lucas fuisse id circa tempus meridianum. 8) Cf. J. G. Baieri, de coecitate Pauli, in Thes. nov. p. 604. s. J. P. Büttneri, de Saulo illuminato et per triduum oculis destituto Jen. 1702. 9) Visa primum Paulo lux est, Act. 9, 3. 26, 13. qua indicabatur gloria apparentis Christi. ib. 9, 17. 22, 14. Ceterum Act. 9, 7. cum 22, 9. minime pugnat, prior locus de voce ἀσήμῳ, alter de articulato sermone capiendus. Coll. Joann. 12, 28. 29. 10) Ut victas Christo manus illico praebuit, et quem modo persequebatur hostem, mox tremulo ore Dominum, qui eum ab utero matris ad praedicationem Evangelii segregavit Gal. 1, 15. agnovit; et quod rei caput est toto animo ad obiurgantis se offert Jesu Christi obsequium.

iniunxit Christus, ut urbem subiret, ibi divina mandata auditurus. E terra igitur surgens, se quamvis oculis apertis sciret, coecitate percussum sensit; quare manu sociorum prehensus Damascum deducitur, isthic triduum ieiunus in domo cuiusdam Judae mansit. Cum precibus et ieiuniis assiduis vacaret Saulus, apparuit ei vir Ananias nomine [1], qui ipsi imponebat manus, ut visum reciperet. Nec visioni defuit eventus. Lapso triduo Dominus Ananiam discipulum Jesu, Saulum [2] convenire, impositisque illi manibus visum restituere mandavit. Quod etiam fecit Ananias Saulumque baptismo tinxit [3]. Ut sacro fonte tinctus est [4], vere Θεοδίδακτος, quae ante exhorruerat Jesu dogmata ceu divina in Judaeorum synagogis praedicare coepit, magno cum audientium, tantaeque mutationis causam ignorantium stupore [5].

Digressio ad epistolae Gal. 1, 12.: „*neque enim ego ab homine accepi illud, — Evangelium — neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*" Vexatissimum incidimus in locum propter verba: „δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ." Coll. Ephes. 3, 3. Quaeritur de Genitivo „Jesu Christi?" Ut rem paucis dicamus: Genitivus Jesu Christi est subiecti, seu auctoris. In sermone graeco ἡ ἀποκάλυψις, ab ἀποκαλύπτω — in futuro ἀποκαλύψω — retego quod velatum, coopertum est, velaminis remotionem significat. Coll. LXX. Num. 4, 5. I. Reg. 20, 30. Metaphora sumta a rebus, quae velo oppanso tectae, remoto velo deteguntur; ἀποκάλυψις igitur translate est, rei opertae patefactio. Lingua N. T. et ecclesiastica significat: institutionem de rebus divinis ad salutem spectantibus; quae partim Christo tribuitur auctori, Matth. 11, 27. Luc. 2, 32. partim praedicationi de Christo seu Evangelio, Rom. 1, 17. 16, 25., partim Deo modo simpliciter, Matth. 16, 17. Gal. I, 16. Philipp. 3, 15. modo ita ut Deus per Christum veritatem patefacere dicatur exaltatum, maxime per Spiritus S. efficaciam Matth. 11, 25. Coll. Apoc. 1, 1. I. Cor. 2, 10. Ephes. 3, 3. Cuius postremi generis institutio ab aliis modis institutionis distinguenda. Obiectum ἀποκαλύψεως proinde est universae doctrinae Christianae

---

1) Juxta t. o. „ἐν ὁράματι." Act. 9, 10. 2) In vico recto habitantem. 3) Initio quidem officium periculi metu superatus Ananias, tergiversando amolitur; productis multorum testimoniis, quibus noverat illatas fuisse iniurias manu Sauli, ne frustra sibi timere videatur. Expugnato timore, ubi Saulum destinatum cognovit per Christum, ad multa gerenda atque toleranda pro Ecclesiae causa; tandem accessit ad Saulum, blande eum compellavit, et provinciam sibi commissam edocuit. Manu autem capiti illius imposita, quaedam veluti squammae ex eiusdem oculis dilapsae sunt, revocatus ad lucem statim baptismum suscepit. Epulis refectus Saulus, debilitatas inedia vires recuperavit. 4) Mox quidem, nulla praecedente humana institutione, a Christo immediate ea quae pertinent ad totam doctrinam evangelicam plenissime edoctus. 5) Leguntur haec Act. 9, 1—21.

recta cognitio, et quae interdum quibusdam contigit revelatio singularis ad salutis veritates pertinens; ut animus vi eximia percellatur convertaturque ad Deum institutionis Auctorem. I. Cor. 14, 6. 26. 30. II. 12, 17. Quae h. l. dicitur ἀπ. Ἰ. Χρ., haud dubie facta est Paulo, antequam ut Apostolus fidem D. N. J. C. inciperet praedicare, non longe post eius conversionem. Paulum autem his verbis apparitionem Jesu in via Damascena, minime vero aliam quandam *particularem* Christi efficientiam, qua iuvante Jesu doctrinam et Evangelium penitius didicerit, spectare, e recentissimis interpretibus existimant: C. P. Hofstede de Groot, Pauli conversio, praecipuus Theologiae Paulinae fons. Groning. 1855. p. 4. s. et J. Cr. K. de Hofmann, die Heil. Schrift d. N. T. zusammenh. unters. Nördl. 1862. I, 60. Verum huic opinioni vehementer obstat a. quod Paulo tunc quaerenti quid ipsum oporteat facere? responsum est; mittendum a quo illud disceret. Neque b. consentaneum videtur, ut nedum baptizatus, nec Spiritu S. repletus — in hora conversionis, vel triduo sequente, quod poenitentiae et orationis fuit — mysteria christianae religionis, per quae perfecte esset institutus ad munus apostolicum exesequendum, acceperit. Exinde autem quia c. continuo ingressus dicitur synagogas praedicasse fidem Christi, minime sequitur revelationem illam eximiam iam habuisse. Praedicavit coll. Act. 13, 2. nondum ut Apostolus, sed ut discipulus; quomodo et alii ministerium Verbi obeuntes. Alio tempore Paulo factam revelationem mysteriorum fidei, colligitur ex hoc ipso loco Gal. 1, 15. s., unde liquet Paulum non multo post conversionem accepisse Evangelium ex revelatione, et ideo non contulisse cum quoquam Apostolorum. Quare quod ad magisterium attinet, se non esse reliquis Apostolis inferiorem. Sed nos ne ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα posuisse videamur, manum de tabula. Consulantur interpretes: Seripandus, p. 13. Fromondus, p. 239. Estius, p. 375. 6. Schott, p. 340. 1. G. Schubert, de variis unde Paulus doctrinae Chr. cognitionem haurire potuit fontibus. Vratisl. 1817. Winer, Comm. ad h. l. p. 37. Windischmann, p. 25. Wieseler, C. ü. d. Brief Pauli a. d. Galater. Gött. 1859. F. Reithmayr, C. z. Br. a. d. Gal. München. 1865. p. 77. s.

Ne gravius negligentiae a morosis Criticis accusemur, quod nullam omnino instituerimus disquisitionem h. l. in „*recentiorum de Pauli conversione opiniones*," quaedam adiicienda duximus. Varia de iis, quae Paulo in via Damascena acciderunt, variorum commenta enumerare taedium adferret lectoribus. Jam olim Vitringa. Obs. s. VI, 10. II, 370. s. per sonum vocis intellexit tonitru iunctum fulmini, quod comites Pauli excepere. Ulterius progredientes alii apparitionem explicandam esse dicunt, accomodate ad antiqui illius aevi ingenium: de cogitationibus inter fulmina et tonitrua intra animum Pauli subortis; ut non ipso Jesu aspecto, sed divina voce ad interius loquente, fulgure tonitruumque fragore perterritus humique prostratus ad facinorum suorum conscientiam et fidem J. Chr. fuerit adductus. Praeterea autem sequentia momenta efficacissime animum Apostoli affecisse: habitam a S. Stephano orationem, et violentam eius mortem. Sic statuerunt Ammon, de repentina Sauli ad doctrinam Christi conversione. Erl. 1792. in opusc. 1. s. Kuinoel, Act. Ap. p. 331. s. Winer, R. W. II, 214. Bengel, obs. de Pauli ad rem christ. convers. Tub. 1819. I. II. in opusc. rep. p. 823. s. Neander, Gesch. d. Pflanz. I. 111.; atque Ewald, Gesch. d. Volk. Isr. VI. Gesch. d. apost. Zeitalters. Gött. 1858. p. 346. s. Schola denique Tubingensis totum negotium traditione auctum et exaggeratum, arte scriptoris Actuum Ap. exornatum esse declarat. Imo qui ab hac schola sunt, eo usque procedunt, ut lectoribus

dubium movere conentur, an unquam quod Lucas narrat acciderit? Ita F. Ch. Baur, Paulus der Apostel J. Chr. Stuttg. 1845. p. 60. s. Zeller, die Apostelgesch. n. ihrem Inhalt u. Ursprung kr. unt. Stuttg. 1854. p. 200. s. Holsten, in Hilgenfeld, Zeitschr. f. wiss. Theol. 1861. III, 323. s. Hilgenfeld, ib. 1864. III, 173. s. Certe vero „*Sauli tam subita mutatio*" ex infensissimo Christi hoste in acerrimum defensorem; „*praeter naturae leges, vi quadam extraordinaria*" facta est. Quinque hic notamus in Paulo causas erroris, et totidem impedimenta conversionis, de quibus triumphavit gratia. α. Praeiudicium religionis antiquissimae. β. Animositas contra novitatem apparentem. γ. Eiusdem indoles. δ. Zelus praeposterus. ε. Ambitio alios superandi. Nihil in maius auctum allegavimus, Paulum ipsum habemus confitentem reum; qui sane postquam conversus est, commissa crimina uberrimis expiavit lacrimis. Saulus interfecto s. Stephano nusquam remissus, semper minas caedemque spirans, recenti plaga perculsos Christianos obruere pergebat. Herculi prius clavam extorquere quis se posse speret, quam Saulo illam sub pectore flagrantem vexandi vastandique Ecclesiam ambitionem. Neque profecto humanae opis erat, tam pertinacem animi rigorem flectere; miraculo debebatur illius ad contrariam bonamque mentem conversio. Quin Paulus ipse miraculi magnitudinem ita praedicat, ut in eius frequentissima commemoratione sui criminis, nunquam non sine dolore memoriam refricet; sua scilicet confessione significans non minore quam praesentissimi Domini machina opus fuisse, ad concutiendam obstinatissimae mentis duritiem. I. Cor. 9, 1. 15, 8. 9. Gal. 1, 16. 13. Philipp. 3, 6. Cf. S. Thomae Aq., Summ. III. 9. 57, 6. X, 1186. Hunc suum Dominum vidit Saulus, non speciem eius quandam, visione non mentis sed corporis; ut ex iteratis verbis Christi, Ananiae, Barnabae, Lucae, ipsius denique Pauli, de hac visione coelesti, ut Apostolatus sui signo invictissimo, gloriantis satis apparet. Act. 9, 5. 17. 27. 22, 2. s. 26, 14. s. Idem sequitur ex iis, quae de Sauli comitibus vocem et lucem percipientibus, porro de coecitate, qua per triduum affectum novimus, denique de visione, qua Ananias et ipse Deo moderante usus est, narrantur. Ut nihil h. l. dicamus de ἀξιοπιστίᾳ Lucae in scribendo Actuum Apostolicorum libro. Vide c. Heumann, de illuminatione Sauli. Jen. 1741. p. 16. s. G. Lyttleton, Anmerk. ü. d. Bekehrung Pauli. ex angl. Hann. 1748. J. P. Miller, de Jesu a Paulo viso. Gött. 1778. Haselaarii, de nonnull. Act. Ap. et ep. P. ad hist. Pauli pert. locis. Lugd. Bat. 1806. p. 72. s. Khun, Pauli Bekehrung und Lehrtypus, in ann. Jahrbücher für Theol. IV. 2, 287. Meyer, Apostelgesch. p. 180. s. Beelen, Comm. p. 192. s. M. Baumgarten, die Apostelgesch. I, 189. seq. Ph. Schaff, Gesch. d. ap. Kirche p. 234. s. Hofstede de Groot, Pauli conversio p. 164. Ebrard, die Apostelgeschichte. Königsb. 1862. p. 142. Hofmann, d. h. S. d. N. T. I. p. 113. s. W. Beyschlag, die Auferstehung Christi p. 53. s. Id. in ann. Stud. u. Krit. 1864. p. 197. s. 1865. p. 230. s. 272. s.

§. 67. Acta S. Petri.

Exstincta persecutione, rebusque per Sauli conversionem tranquillis, longe lateque christiana religio propagari coepit, Petri Apostoli imprimis opera. Hic Judaea, Galilaea et Samaria peragratis

,quasi dux circuibat ordines considerans; quae pars esset coadunata, quae sua praesentia egeret[1].' Venit Lyddam[2], ubi virum quendam nomine Aeneam[3] sanitati restituit. Huius autem prodigii palam omnibus exhibiti fama resonante, nedum cives Lyddae, verum etiam universa regio Sarona, Christo nomen dedit. Mox inde ad preces digressus Joppem[4], Tabitham[5] feminam et pietate et eleemosynarum largitione illustrem, e mortuis ad vivos revocavit[6]. In hac urbe cum diutius commoratus esset apud Simonem coriarium, visione insigni[7] intellexit, ethnicos pro immundis non esse habendos; et non minus illis quam Judaeis regni divini ianuam reserari. Enimvero haec animo diligentius revolventi, iam adfuerunt viri a Cornelio centurione[8] missi: qui Petro narrarunt Cornelium cum quadam die tertia post meridiem hora orationum suarum pensum redderet, ab angelo iussum esse: ut Petrum arcesseret, edocendus ab eo, quae sibi suisque promerendae saluti praestanda essent. Rogabant ergo, ut secum Caesaream venire Apostolus non gra-

---

[1]) Chrysostomus, in Act. hom. XI. 2. p. 170. [2]) Alio nomine Diospolim. V. n. t. s. g. p. LV. [3]) Annis iam octo paralysi tentatum. [4]) V. n. t. s. g. p. 55. [5]) Gr. Δορκάς, nomen silvestrem capram sonans. [6]) Accitus per quosdam e familia Dorcae Petrus, defunctae conclave solus ingressus est. Effusus postea in preces mulierem vocavit: Tabitha surge! Nec mora, statim mortua apertis oculis Petrum intuita, surgens e lecto resedit; pauperibus viduisque, quorum mater habebatur, redditur. Act. 9, 31—43. [7]) Orationi operam daturus Apostolus in tectum aedis ad mare sitae — apud veteres coriarii extra urbes prope flumina officinas suas et domos habebant. Cf. Walchium, de Simone coriario ad Act. 10, 6. Jen. 1757. p. 38. — circa horam diei sextam ascenderat; cumque cibo famem relevare cogitaret, — in extasim rapto coelum reserari visum est, e quo amplissimum linteum delabens, angulis complicatis omni animantium purorum impurorumque genere referciebatur. — V. H. L. Munsteri, diss. de animalibus esu interdictis ad Act. 10, 12. in Thes. ph. th. p. 447. B. Duysing, de visione Petri, in Thes. n. p. 611. s. — Tum audita divina vox: occide et manduca! Cum vir pius abnueret, obtenderetque nihil se impurum unquam comedisse, vox iterum: quod Deus purificavit tu impurum ne dixeris, ter repetiit; tandem linteum in coelum receptum est. [8]) Legionis quam Italicam adpellabant. Nec dubium ut olim iam Baronius, Annal. 41, 2. p. 261. animadvertit, eius fuisse nationis illos milites, e qua tota cohors erat denominata, nempe Italos. Hanc Baronii sententiam erudite ornavit defenditque P. Halloix, S. J., illustr. Eccl. Or. Script. vitae. Duaci I, 392. atque acatholicus C. G. Schwarz, diss. de cohorte Italica et Augusta. Act. 10, 1. 27, 1. Altorf. 1720. et in exerc. ed. Harles. Norimb. 1783. imprimis §. 18. Schwarzio assentitur Wieseler, Chronologie des Apost. Zeitalters. Gött. 1848. p. 145. n. 2.

varetur. Petrus data interim sibi per Spiritum S. luce agnoverat, visum, quod spectavit, designare: gentes quoque Christo adiungendas, ideoque voto obsecutus postera die[1] viae se commisit. Venientes Cornelius[2] convocatis amicis et necessariis excepit. Mox ad pedes eius procidens pronus venerabatur; sed surgere illico centurionem iussit Petrus[3], omnesque simul domum ingressi sunt. Tunc Petrus ad congregatos multos de Christo Salvatore unico et salute omnium in eum credentium concionem habuit. Adhuc cum loquebatur, ecce Spiritus Sanctus in Cornelium ceterosque audientes ultro delapsus est; qui subito oestro abrepti in laudes Dei variarum linguarum sono erupere, non sine summa admiratione fidelium, qui antea Judaei fuerant. At Petrus eos, qui Spiritum S. acceperant baptismo arceri non posse censuit, omnesque sacris aquis elutos in Ecclesiam admisit; atque apud eos, ut plenius instituerentur, aliquamdiu mansit[4]. Huius rei famam Jerosolymis sparsam, fideles a Judaismo ad Christum conversi, non aequo animo exceperunt, quippe[5] gentiles ad Christi caulam praeter ius admissos conquesti. Igitur Petro reduci litem movent, quod cum incircumcisis cibum capere religioni minime duxisset. Turbas Apostolus compescuit, ubi visione ordine exposita Dei benignitatem extulit; nihil Judaeoque Graecoque interesse, Christum omnium Salvatorem testatus. His auditis a s. Petro, qui antea offen-

[1]) Assumtis etiam nonnullis fratribus. [2]) Cornelium tanquam „proselytum domicilii" Judaeorum sacra cognita habuisse docent: Fechtius, disp. de pietate Cornelii centurionis. Rostock 1701. Deyling, Obs. S. II. 38, 11. p. 357. Wolf, in Act. p. 1115. Negarunt alii e. g. Fromondus, Comm. in Act. I, 245. Kuinoel, Comm. p. 365. Neander, Gesch. d. Pflanz. I, 85. Meyer, Apostelgesch. p. 196. Döllinger, Christenthum p. 49. Pensitatis sane famulorum atque Petri sermonibus, colligere pronum est: Cornelium revera ethnicum fuisse, sed qui a Judaeis verum Deum sit edoctus, eumque agnoverit et ad ampliorem eius cognitionem adspirarit. Cf. Baumgarten I, 239. H. V. T. p. 587. Unde ex hac Cornelii ad Christum conversione alia quoque praerogativa s. Petrus ornatur, nimirum gentium primitiarum conversionem, praecipuo quodam divinae providentiae consilio ipsi fuisse reservatam. Cf. C. Passaglia S. J., comm. de praerogativis B. Petri A. P. Ratisb. 1850. p. 174. s. [3]) Se nihil supra hominem esse protestatus. [4]) Act. c. 10. Cf. S. Cyrilli Hier., cat. XVII, 27. p. 277. G. H. Goetzii, de Spiritus S. effusione in domum Cornelii. Lub. 1712. Eiusd. de baptismo in domo Cornelii peracto. ib. 1713. p. 3. s. J. C. Valkenari, ann. crit. in loca. N. T. Lugd. Bat. 1794. p. 382. Cf. e. Beelen, Comm. p. 219. n. 1. [5]) Coll. Act. 11, 19.

debantur non tantum acquievere, sed Deum summis laudibus prosecuti sunt, quod et gentes ad Christi agnitionem vocaret [1]. Exemplum istud Petri secuti nonnulli discipuli apostolici [2], Christum Antiochiae etiam ethnicis annunciarunt, quorum plurimi christianam doctrinam admiserunt. Hoc ubi innotuisset Ecclesiae Hierosolymitanae, Apostoli Barnabam [3] eo miserunt, qui fideles hortaretur, ut in sancto proposito permanerent [4]. Idemque coetus opera s. Petri brevi

---

1) Act. 11, 1—18. 2) Potissimum discipulorum Cypriorum et Cyrenaeorum. 3) Cyprium nobilem illum Christianae religionis praeconem et vindicem. 4) Act. 11, 20—24. *Annotatio de s. Petro Ecclesiae Antiochenae Fundatore.* Coetum Antiochenum, quo melius ordinaret, s. Petrus usus opportuna a Deo praestita Ecclesiae suae tranquillitate Jerosolymas egressus invisit. Quod s. Lucas quidem praeteriit, sed Veteres ferme omnes tradiderunt. Ita ex eiusdem Ecclesiae antiquissimis monimentis refert: Eusebius, Caesareae Episcopus — igitur sedi Antiochenae proximus — Eccl. Hist. III, 36. p. 106. S. Chrysostomus presbyter Antiochenus, hom. in S. Ignatium martyrem, n. 4. II, 597. His consentit Origenes, in Lucam hom. VI. ed. Lomm. V, 104. Theodoretus, ep. 86. Flaviano ep. Constant. IV. 2. 1157. atque scriptor vitae s. Theclae s. n. Basilii Seleucensis l. I. ed. gr. lat. Par. 1622. p. 276. Idem manifeste testatur S. Hieronymus, de viris illustr. c. 1. ed. Fabr. p. 18. et disertissime comm. in ep. ad Gal. 2, 13. „Denique primum Episcopum Antiochenae Ecclesiae Petrum fuisse accepimus, et Romam exinde translatum.“ VII, 410. Et ne alicui dubium incuteret d. Lucae silentium p. 409. praemisit: „Nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cum et alia multa, quae Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia praetermiserit.“ Neque vero unum s. Hieronymum traditionis huius in Occidente auctorem habemus, sed praesto sunt etiam — ne recentiores pene innumeros memoremus —: S. Innocentius I. ep. 24. ad Alexandrum ep. Antioch. ed. Schoenemann p. 603. S. Gregorius M., ep. l. VII. ind. 15. ad Eulogium Episc. 40. II, 888. S. Leo M. ep. 92. ad Maximum Antioch. Ep. c. 2. ed. Ven. 1748. I, 193. Ut alia argumenta mittamus hoc confirmant: a. duo Romanorum Pontificum catalogi ab E. Schelstratio, Antiqu. eccl. Rom. 1692. I, 611. 633. editi; b. testimonium Maximi ep. Antioch., qui in Concilio Chalcedonensi Act. VII. ap. Hard. II, 491. affirmavit, nemine 630 Patrum reclamante: „τὸν θρόνον Ἀντιοχιέων μητροπόλεως τὸν τοῦ ἁγίου Πέτρου“ esse. Cuius rei c. memoriam ab antiquo 22. Februarii annua celebritate recolere consuevit. Cf. Bollandi, Act. S. Febr. III, 282. 283. Denique d. si Petrus non fundavit Antiochenam Ecclesiam, qui factum est ut a primis iam saeculis una e praecipuis sedibus, quas inde patriarchales dixerunt, semper sit habita? Tillemont, Mem. I. not. 25. p. 518. 9. imprimis operosus est, ut ostendat ex Recognitionibus, q. d. Clementis, haustam esse sententiam de Cathedra Petri Antiochena. Tillemontii — cui praeivit ref. Vedelius, l. i. c. p. 234. s. — sententiam repetiit Sam. Basnagius Flottemanvillaeus, reformatus, Annal. pol. eccl Rotterod. 1706. I, 503. s. C. E. Weismann, Introd. in memorabilia Eccl. Hist. s. Hal. 1745. I, 44. Secuta est aliorum Acatholicorum seges, quibus cum facit J. Ruttenstock, Hist. Eccl. N. T. Vienn. 1832. I, 176. n. Interim Antiochiae

tempore adeo numero augebatur, ut primus extra Palaestinam dignus haberetur, qui ἐκκλησίας nomine nuncuparetur; et cum celebrior in dies existeret primus etiam nomen Χριστιανῶν[1] inveniret[2].

§. 68. Paulus Apostolus Evangelium praedicat.

Paulus ubi tirocinia sui ministerii evangelici in ea deposuerat urbe, quam persecutionis suae speraverat fore theatrum, Jesum quem tam fervide in synagogis Damascenorum praedicare coepit, pari zelo in Arabia annunciavit[3]. Post aliquod tempus Damascum redux totus praedicationis muneri institit. Sudes erat in obstreperorum Judaeorum oculis Religionem Crucis crescere ministerio Pauli, magnamque gentilium et Judaeorum turbam Jesu nomen dare; quare conspiratione facta apud regis praefectum perficiunt, ut importunum Christiani nominis defensorem de medio tolleret. Ethnarcha Aretae militaribus copiis portas urbis cinxit, Paulum si pote comprehensurus, sed irrito labore; nam is in tempore monitus per moenia, e fenestra quae subiectis agris imminebat, ut dimitteretur in sporta a discipulis, curavit[4]. Elapsus Paulus insidiis Damascenorum Jerosolymas venit visurus Petrum[5], quem fama tantum norat, ac merito ceu columnam

---

cathedram episcopalem ab Apostolorum principe Petro occupatam primo fuisse libens concedit J. Pearsonius ep. Anglic., de serie et successione primorum Romae episc. Diss. Lond. 1687. I, 7. p. 48. Defenderunt viri catholici: Alexander Natalis, in Hist. Eccl. saec. I. p. diss. XIII. §. p. 153. s. Ludovicus Thomassinus, Vetus et nova Eccl. discipl. Ven. 1773. I. c. 7. et 8. p. 16. s. Selvaggius Antiqu. chr. I, 3. p. 25. Stengelius, Comm. p. 184. Saccarelli, H. E. I, 137. s. Fogginius, de rom. d. Petri itinere, exerc. IX. p. 156. s. Card. de Rauscher, Gesch. d. chr. Kirche. I, 117. F. Windischmann, Vindiciae Petrinae. Ratisb. 1836. p. 111. s.

1) Ante id temporis dicebantur: discipuli, fratres, credentes, fideles, sancti; quae nomina diu etiam postea perseverarunt. Christiani nominis hostes eos Galilaeos vocabant et Nazaraeos, quod Jesus in Galilaea plerosque vitae suae annos egerit. Ex quadam nominis corruptione appellati sunt: Chrestiani; et Jesus: Chrestus. U. i. v. p. 346. 2) Act. 11, 26. 14, 26. Antiochena Ecclesia propter maris opportunitatem, quasi mater et altrix earum recte haberi potest, quae postea s. Pauli imprimis laboribus per gentes deinceps fundatae sunt. Cf. p. 283. 3) Regio haec Damascenae e latere coniuncta erat, et longe ad austrum ad sinum usque Arabicum recedebat. Cf. C. Cellarii, de amoenitatibus historicis et geographicis ex itineribus Pauli collectis, in Ugolini, Thes. antiq. VII, 1587. Quamdiu ibi versatus fuerit v. Proleg. 4) Non imbecillis fuga, sed consilium fuit desperatis in rebus sibi cavere et ruinae subtrahere se, cum vitari posset. 5) „Non dixit ἰδεῖν id est, ut cernerem, sed ἱστορῆσαι, id est, ut viderem et cognoscerem; quomodo loqui solent, qui magnas ac splendidas urbes invisunt cognoscendi gratia. Adeo iudicabat operae pretium esse videre tantummodo virum." S. Chrysostomus, in 1, 18. ep. ad Gal. n. 11. X, 678.

Ecclesiae habebat. Jerosolymas cum pertigisset societatem cum Apostolis initurus, principio adeo non obtinuit, ut etiam metum cunctis iniiceret [1]. Verum Paulo praesto fuit Barnabas [2], a quo de re conversionis probe edocti; Paulum lubentes in societatem receperunt, eumque fidelibus commendarunt, ut libere cum iis versaretur. Neque tamen diu hic moratus est, post dies enim quindecim cum Judaei Hellenistae minime ferrent Paulum tanta alacritate disseminare Christi fidem. Ut Apostolorum ultimus tempore, labore primus videretur, illius necem meditabantur. Hinc Caesaream virum subducere fratribus visum est, indeque mox Tarsum patriam suam navigavit, brevi a Barnaba arcessendus Antiochiam; ubi coniunctis operis Christum annunciarunt [3]. Cum illi agerent Jerosolymis, eo venerunt aliquot prophetae, in quibus erat Agabus; is praedixit famem gravissimam in toto terrarum orbe, quae accidit durante Claudii imperio. Unde fideles Antiocheni de penuria ista Judaeae incubitura moniti, collectas in subsidium pauperum eleemosynas per Paulum et Barnabam miserunt ad seniores Ecclesiae Hierosolymitanae. Quod cum perfecissent reversi sunt, et una secum adduxerunt Joannem cognomento Marcum [4]. Accidit autem, ut illis orantibus et ieiunantibus vox Spiritus S. audita fuerit, qua Paulus et Barnabas ad praedicandum gentibus Evangelium separari iubebantur. Quod mandatum ceteri ad iteratas preces conversi, impositione manuum iis iniunxerunt [5]. Hac forte aetate raptus est ad tertium coelum Paulus; ne magnitudo autem revelationum Apostolum extolleret, datus est ei stimulus carni infixus, angelus satanae, qui colaphis eum caederet.

Digressio ad loca ep. II. Cor. 12, 1—5. de raptu S. Pauli in coelum et v. 7. de angelo satanae. Cum ipse Apostolus se nescire profiteatur, quomodo ad tertium usque coelum raptus fuerit; non opus est cum otiosis interpretibus investigare modum et explicare, quod vir tantus aut ignorarit, aut ignorari voluerit. Rideat Lucianus l. s. c. p. 330. s. impius ille Syrus, eiusque nostro aevo sequaces.

---

[1]) Advenam horrebant, quod sibi non persuaderent illum a pristino vitae instituto discessisse. [2]) Barnabas — d. q. l. Ullmann, in ann. Stud. u. Krit. 1828. p. 377. s. C. J. Hefele, d. Sendschreiben d. A. Barnabas. Tüb. 1840. p. 6. s. Ei. ed. P. P. Apost. op. ed. IV. ib. 1855. p. VII. s. — cum ipsum ad Apostolos Petrum et Jacobum deduxisset, paucis exposuit: ut de coelo Christi voce prostratus, ut eius aspectu conversus, ut oculis orbatus visum receperit, ac demum purgante unda renatus Jesu nomen Damasci annunciarit. [3]) Per unum annum. [4]) Barnabae ἀνέψιον. Antiochiae praeter eos inter prophetas et doctores habebantur: Simon Niger, Lucius Cyrenensis et Manahen, qui fuerat una educatus cum Herode Tetrarcha. [5]) II. Cor. 11, 32. 33. Gal. 1, 17. s. Act. 9, 26. s. 11, 25. s. 13, 1. s. coll. Gal. 1, 1. L. Baumgarten, de Paulo gentium Apostolo. Hal. 1745. F. E. Wilmsen, de sapientia Christi in seligendo ad Apost. gent. munus Paulo conspicua. Hal. 1756. Cellarii, de Paulo gent. Apost. Witeb. 1776.

Paulum in tertium usque coelum per aerem ingressum; nos pie credimus historias ab homine sanctissimo et sapientissimo scriptas, qui omnes mendacii causas procul habuit. — G. W. Oederus, diss. de raptu non Pauli in tertium coelum. Gött. 1742. in alia hic abit et probare voluit „raptum hunc non ipsi Paulo, sed alii cuidam accidisse.“ Oederum confutavit J. G. Knapp, de raptu et cruce Pauli. Hal. 1750. p. 11. s. 29. s. app. p. 141. De raptu hoc Paulino — P. P. et S. E. sententiae reperiuntur apud Suicerum, II, 521. — plura scire aventi praeter interpretes et Historiarum Apostoli scriptores adeundi sunt: J. Olearius et S. Kirchmaierus in Thes. th. ph. II, 587. s. 596. s. J. Marckius, syll. diss. n. 24. Roter. 1721. J. St. Menochius, trattenimenti eruditi IV, 519. A. M. Perzina, Theologià Historico-critica. Pragae 1754. I, 93. Wouters, Diluc. in ep. ad Cor. II. q. .5. p. 211: J. Fechtius, de verbis Pauli ineffabilibus. Rostock. 1706. J. Chr. Hofmann, Schriftbeweis II. a, 346. s. Ei. die h. Schrift d. N. T. z. u. II. 3. Nördl. 1866. d. zw. Br. Pauli an die Korinther, p. 302. s. A. Maier, Comm. ü. d. z. Brief Pauli an die Korinther. Freib. 1865. p. 214. s. Mittimus commenta in fictitia quadam Pauli apocalypsi tradita, et somnia Dyonisii Areopagitae ab eruditis dudum explosa. Cf. s. Epiphanii, haer. XXXVIII, 2. p. 277. Sozomeni, Histor. eccl. VII, 19. ed. Val. p. 735. J. A. Fabricii, Cod. apocr. N. T. p. 943. C. Tischendorf, Apoc. apocr. Lips. 1866. p. 40. s. — Adeo animus eius coelestibus mysteriis, ad quae admissus erat, audiendis intentus fuit, ut sui ipsius oblitus ignoraverit, an corpus adfuerit nec ne? Profuit vero hic raptus Paulo, ut in gravissimis adversis perferendis, in fide atque spe staret invictus.

De stimulo carnis sive angelo satanae optime monuit d. Hieronymus, „ad revelationum humiliandam superbiam, monitor quidam humanae imbecillitatis apponitur, in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhaerebat per singulas acclamationes civium dicens: hominem te esse memento.“ ep. XXXIX. ad Paulam. n. 2. p. 179. coll. ep. XXII. coll. ad Eustochium n. 5. p. 91. Idem porro s. Doctor more suo breviter „stimulum carnis“ — vox σκόλοψ, gr. palus acutus vel spiculum: plura de vi vocis eiusque interpretatione dabit L. Bertholdt, disq. quidnam sit „ὁ σκόλοψ“ Erl. 1820. I, 10. — dixit esse „aculeos carnis et incentiva vitiorum.“ Vulgatus stimulum interpretatus est, quia libido repetitis quasi ictibus, ut stimulus boum carnem excitat. Paulus notare vult: se incentivo carnis perinde excruciari, atque ii solent, quibus cutis acuto palo pungitur. Pergit autem Apostolus malum in genere descriptum distinctius explicare: „Angelum satanae.“ Stimulum carnis ea ratione vocat, quia spiritum aliquem malum, diaboli ministrum incurrentem habuit, quo tentante malum hoc in carne passus fuerat. Quod non solum durum quid, verum etiam contumeliosum fuisse videtur. Colaphis enim caedere, ut hodie ita etiam olim, ignominiosum habebatur. Cf. I. Petri 2, 20. Plinium, ep. III, 14. Hanc sententiam commendat: a. quod Apostolus I. Cor. 9, 27. coll. Rom. 7, 23. concupiscentiae motus in carne sua licet invitus experiebatur; b. quod stimulus carnis aptissimus sit ad humilitatis custodiam. Nihil enim magis ignominiosum videri potest, homini secundum spiritum vivere cupienti, quam pati in carne sua turpes concupiscentiae pravae motus, quibuscum cogitur continenter certare. Eos vero c. apposite dicit stimulum carni datum, cum motus illos licet invitus in carne sentiret. Porro d. iure adpellat angelum satanae, quia incitando ad inquinamenta carnis daemon imperium suum in hominibus exercet. Hoc vero e permissione Dei accidit, quem-

admodum h. l. et saepe inquit Apostolus. E reliquis sententiis, quas hic recensere nec vacat, nec placet, duae sunt potiores. Una quae rem omnem ad morbum corporis refert. Veterum iam non paucos de capitis dolore cogitasse observat Cotelerius, in not. ad Mon. Eccl. gr. I, 756. coll. p. 252. Idem sumunt Th. Bartholinus, de morbis bibl. p. 106. L. Bertholdt, diss. c. s. II. Erl. 1821. p. 14. W. Meyer, kr. ex H. Ü. d. II. B. a. die Kor. Gött. 1856. p. 285. Redslob, das Mysterium d. Stelle II. Kor. 12, 1—10. Hamb. 1860. A. Maier, d. zw. Br. Pauli an d. Kor. p. 221. s. J. C. C. Hofmann, d. zw. Br. P. a. d. Kor. p. 308. s. Verum licet haec opinio non sine veritatis specie defendatur, accuratius expensa collabitur. Nulla enim apparet ratio cur Apostolus, si revera de morbo loqueretur proprie sic dicto, non potius νόσον vel simile, quam colaphos scripserit. Si morbus aliquis etiamsi gravissimus fuit, non adeo extraordinarius erat, qualem Paulus tamen omnino fuisse propter exsuperantes revelationes significat. Ipsa demum Apostoli deprecatio, et responsum Domini, ad aliud difficilius certamen deducunt. Altera sententia ad calamitates varias ab adversariis toleratas respicit. Haec placuit Lakemachero, Obs. phil. I, 5. de palo carni Pauli dato, p. 111. s. W. Caveo, Antiq. Apost. Lips. 1696. p. 427. Fritzsche, de nonnull. post. P. ad Cor. ep. loc. diss. Lips. 1824. II, 130. s. Sed huiusmodi interpretatio nimium recedit a propria verborum potestate. Res quam agit Paulus, vel maxime repugnat, nec exemplum exstat locutionibus h. l. obviis iniurias ab hominibus illatas notari. Ut taceamus, quod Apostolus cum de multis loquatur, non tamen dixerit angelos sed angelum, et addiderit stimulum hunc in carne sua datum. Accedit denique alios quoque Evangelii praecones sanctosque viros passos esse tales carnis iniurias.

§. 69. D. Petri Apostoli iter Romanum et episcopatus.

Ut ad regni sui curam rediit rex Judaeorum Herodes[1], quo eorum animos sibi devinceret, Jacobum[2], nefarie gladio interemit. Petri quoque necem gratissimam fore Judaeis intelligebat, ideoque eum carceri mancipavit. Post Paschales ferias supplicio afficere constituerat, nisi tyranni saevitiam providentia Dei praevertisset. Fusis enim pro periclitantis summi pastoris salute ardentissimis ab Ecclesia precibus, noctu per angelum vinculis solutus et aperto carcere liber suique iuris oranti redditur Ecclesiae. Simul ad haec Jerosolyma excessit: ‚εἰς ἕτερον τόπον‛[3]. Quo autem s. Petrus perrexerit, commoratusque fuerit per septennium, nempe usque ad habitum Hierosolymis concilium, S. Scriptura silet, habet autem traditio; quae tot tantisque perhibet testimoniis ‚Petrum sub

---

[1]) Alio nomine, et quidem apud profanos frequentiori, Agrippa a Claudio regno auctus. [2]) Cognomento maiorem, Zebedaei filium et fratrem Joannis. Cf. p. 194. [3]) Act. 12, 1—17.

Claudio Romam venisse ibique cum Simone Mago[1] conflixisse, Ecclesiam fundasse, fundataeque praefuisse; tandem ob edictum Claudii, quo Judaei Roma pulsi sunt, Palaestinam rediisse'; ut vix alia reperiri possit magis confirmata narratio. Veterum traditio s. Petrum tam mature Romanos sibi gregem elegisse, egregie stabilitur iis, quae de coetu Romano celeberrimo scripsit s. Paulus sua ad eum data epistola. Plurima huius epistolae loca reperiuntur, quibus s. Petrum ante s. Paulum Romae degisse indirecte evincitur. a. S. Apostolus de iis, qui Romae erant, Christi asseclis scribit[2] ‚fides vestra annunciatur in universo mundo.' Paulus b. se nusquam quasi Romanorum Apostolum gerit, sed ad illos ab alio bene institutos loquitur[3]. Ex s. Lucae relatione[4] constat Romae amplam fuisse Ecclesiam, quae d. habuerit magistros, doctores, rectores, diaconos[5]; quis iam coetum hunc tam pulchro ordine donavit[6]?

---

[1]) De quo legi meretur dissertatio Moshemii, de uno Simone Mago, diss. II, 68. s. [2]) C. 11, 8. [3]) C. 15, 14. 15. 20. 22. 24. [4]) Act. 28, 13. s. coll. Rom. c. 16. [5]) Coll. 12, 6. 7. 8. [6]) Heterodoxi E. g. G. Chr. Fr. Lücke, de Ecclesia Christianorum apostolica. Goett. 1813. p. 155. in d. Petrum iniquo animo id honoris tribuendum censent, vel Romanorum advenis, cum Spiritus S. illapsus est apostolis; Act. 2, 10. vel Andronico et Juniae Pauli cognatis; Rom. 16, 7. vel denique Urbano Pauli coadiutori. W. Beyschlag, de Ecclesiae Romanae statu, quem Pauli epistola respicit diss. Hal. 1862. p. 13. s. Ecclesiam Romanam „non ex hominum consilio sed ex ipsa rerum natura, neque uno temporis momento sed paulatim exstitisse existimat." Sed isti similesque scriptores, nullum momentum habent, quo suis coniecturis fidem faciant. Tam alienum est ut ex Apostoli literis ad Romanos sententia nostra: de principe Apostolorum, qui in orbis capite magnam illam Ecclesiam, quae perstat adhuc, constituit; in dubium possit vocari; ut ex hac ipsa potius, quae procul dubio ante Neronem, ipso Claudio rerum Domino scripta est, Theodoretus, homo historiarum peritissimus, eam demonstrarit. Is in sua interpretatione ep. ad Rom. 1, 11. ad verba „εἰς τὸ στηριχθῆναι" optime animadvertit: „quia primus eis magnus Petrus doctrinam evangelicam praebuit, necessario intulit ad confirmandum vos. Non enim aliam, inquit, doctrinam verbis afferre, sed eam, quae iam plantata est confirmare, et arbores iam plantatas irrigare volo." III. a, 19. Facile quidem damus tum Romanos illos advenas, tum Andronicum et Juniam, tum etiam Urbanum aliquid de doctrina Jesu Romae annunciasse; verum enimvero hoc non est Ecclesiam fundare, illud haud quidem e levibus opinationibus assequi licet, sed ab antiquissimis iuxta ac doctissimis scriptoribus docemur, qui id d. Petro unanimiter tribuunt. Itaque si ad Neroniani imperii primum tempora Petri Romam adventum differamus, dicendum erit Romanae Ecclesiae statorem minime s. Petrum fuisse, quod tamen tota narrat antiquitas.

Quamobrem Paulus Orosius, de Romanae Ecclesiae initiis iure meritoque scribit[1] ,Tiberius Claudius, ab Augusto quartus, regnum adeptus est; mansitque in eo annos XIV. Exordio regni eius Petrus, Apostolus D. N. J. Ch., Romam venit et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit. Atque exin Christiani Romae esse coeperunt. Sensit hoc collatum fidei suae Roma beneficium[2].'

Non in Palaestina solum, sed Romae etiam turbas assidue miscebant Judaei; idque causa fuit propter quam iussit Claudius omnes ab Urbe exulare. Cum Petrus Judaeus esset, et ipsum exulem abiisse credibile est: quod ethnici initio fidem Christi veluti quamdam Judaeorum sectam, ideoque s. Petrum Judaeum habuerint; Roma pulsus Princeps Apostolorum Hierosolymas repetiit; Orientalibus aliisque Ecclesiis praesto futurus[3]. Interea Herodes Agrippa Caesareae, cum in veste splendida pro concione populum alloquens honores soli Deo debitos sibi impendi sinit, statim ab angelo percussus est; e quo corpus eius ita computruit, ut totum in vermes abiret, indignus iam hominibus ac viventibus annumerari, qui Deus esse voluisset![4]

Digressio, de itinere primo s. Petri Romano Veterum testimonia. Juvat spectabile testium, inter quos aliqui gravissimi reperiuntur, agmen producere, quorum nemo quintum aerae Christianae saeculum superaverit. Ex secundo itaque saeculo advocandus occurrit scriptor omni quidem exceptione maior S. Justinus Martyr, Apol. I, 26. p. 67. cum Tryph. n. 120. p. 407. S. Irenaeus, adv. haer. I, 23. p. 237. Tertullianus, apol. n. 13. p. 76. Arnobius, adv. nat. II, 12. p. 63. Arnobium excipit Eusebius, Hist. eccl. II, 14. p. 52. et qui ei consentiunt scriptores primae notae S. Cyrillus Hier., catech. VI, 15. p. 96. S. Ambrosius, Hexaem. IV, 8. p. 100. S. Epiphanius, haer. XXI, 5. p. 59. S. Joannes Chrysostomus, in Ps. 48. n. 6. V, 213. S. Hieronymus, de script. eccl. c. 1. p. 18. S. Augustinus, ep. ad Casulanum, XXXVI, 9. II, 76. Theodoretus, haer. fab. comp. I, 1. IV, a. p. 287. S. Maximus ep. Taur., homil. LXXII. de nat. ap. Petri et Pauli V. p. 232. Segetem claudat Sulpitius Severus, hist. s. II, 41. p. 353. Ut autem tempus quo primum s. Petrus Romam venit, magis ratum fiat, testimonium adferre iuvat S. Leonis P., serm. I. in nat. Apost. Petri et Pauli c. 4. I, 84., quem eruditissimum doctorem Ecclesiae suae Historias ignorasse, nemo

---

[1]) Ad a. U. c. 795. [2]) Historiar. VII, 6. ed. S. Havercamp. Lugd. Bat. 1738. p. 466. 7. [3]) Utpote omnium caput, utpote ille Apostolus, cui docere omnes pastores et gentes mandatum fuerat. [4]) Act. 12, 19—23. Josephus, Antiq. XIX. 8, 2. p. 951. Regno eius praeficitur a Claudio Cuspius Fadus praeses. Josephus, ib. 9, 2. p. 952.

unquam dicere ausus est. Hic S. Pontifex luculentissime affirmat: Petrum sub Claudio Romam venisse, antequam ad eam venerit s. Paulus. Eo loci non Historiarum scriptoris munere fungi d. Leonem, sed Oratoris, gratis obtendunt adversarii. Advertere eos oportuit: concionatorem ut ageret, non licuit esse mendacem Historiarum scriptorem. Saniores critici, et inter ceteros Tillemontius, Mem. I, 34. S. Pierre p. 178., persuadere sibi nequeunt, tot tantosque S. S. P. P. et S. E. nobilissimos Orientis et Occidentis magistros Petri Romanum iter et acta referentes errasse. Profecto ante Scaligerum nemo dubitavit Claudio imperante Romam Petrum advenisse. Chronologus iste omnium primus in notis ad Eusebii Chronicon, Amstelodami 1658. animadversion. p. 189. ab hac discessit sententia. Post Scaligerum Nicolaus Vedelius, commentario de tempore utriusque Episcopatus S. Ap. Petri, seu Historia episc. Antiocheni et Romani refutata. Genevae 1624. p. 43. s. evincere studet Petrum imperante Claudio numquam Romae fuisse. Idem recoxit A. Wagner, disq. h. de Simone Mago. Marpurgi. 1680. p. 14. s. Fr. Spanhemius, diss. de ficta profectione Petri Ap. in urbem Romam, deque non una traditionis origine, Op. Miscell. ed. Lugd. Bat. 1703. II, 331. s. Romanum principis Apostolorum iter haud dubiam modo sed et vanissimam, antiquitatis propemodum universae, traditionem esse contendit. Jam vero ecquis numeret omnes acatholicarum confessionum sectatores, quibus ad nostros usque dies — v. Heinichen, ed. Eus. H. E. I, 137. Simson, diss. in Ilgen, Z. f. d. hist. Theol. L. 1841. III, 18. s. H. Schlurick, de Simonis Magi fatis Romanis. Misn. 1844. p. 9. s. Baur, zur Literatur der Petrus-Sage, in ei. Paulus app. p. 674. s. — egregia laus fuit eandem traditionem lacessere? Quid quod, magis dolemus, hanc sententiam, quae tanto vetustorum scriptorum agmine meruit consecrari, relinquere maluerint etiam viri catholici, veluti: H. Valesius, annot. in l. II. H. E. c. 16. p. 34. A. Pagius, Crit. Annal. Baronii a. 45. I, 318. 9. H. Baluzius, not. ad Lactantium. ed. Ultrai. 1693. p. 10. J. G. Herbst, üb. d. Aufenthalt des Ap. Petrus in Rom, in ann. Quartalsch. 1820. p. 605. s. J. Ruttenstock, H. E. I, 178. Contra quos disputarunt doctissimi Theologi nostri: Natalis Alexander, in Hist. eccl. saec. I. diss. XIII. de sessione s. Petri Romae. prop. 3. III, 148. s. Pr. Maranus, praef. in Op. Justini III, 6. p. 77. s. A. Calmetus, diss. de Simone Mago, p. 279. s. J. B. Cotelerius, not. 8. et 15. ad Constitut. Ap. VI, 9. p. 340. Stengelius, Comm. p. 196. s. 201. s. P. Fr. Fogginius, opere praeclarissimo, de Romano d. P. ep. exerc. III. IV. V. VI. VII. VIII. p. 60. s. 78. s. 87. s. 101. s. 127. s. 139. s. A. Sandini, hist. apost. p. 53. s. Gregorius Cortesius, tr. adv. neg. B. Petrum A. Romae fuisse, in ed. ep. fam. Ven. 1573. p. 311. s. St. Borgia, Vatic. Conf. B. Petri. Rom. 1776. p. 72. s. Saccarelli, H. E. I, 219. J. L. Selvaggius, Antiq. chr. inst. Verc. 1778. I, 1. excurs. 1. p. 41. s. J. Braun, ed. apol. S. Justini M. Bonnae 1830. ad. I, 31. Fr. Windischmann, Vindiciae Petrinae. p. 112. s. Stenglein, XXV. jähr. Episcop. Petri zu Rom, in annal. Tüb. Quartalschr. 1840. p. 246. s. Wiseman, Abhandl. Reg. 1854. III, 263. s. Aberle, Petrus der Apostel, in Lex. Frib. VIII, 334. s. J. Bucher, zur Chronol. der Apostelgesch. in ann. Österr. Vierteliahress. II, 578. Fr. J. Wolf, Petrus in Rom. Innsbr. 1865. p. 13. s. Neque illud praetermittendum multa martyrologia Kal. sextilibus memorare Romae dedicationem primae Ecclesiae a Petro consecratae. Cf. Fr. M. Florentinii, exerc. de prima Romae ad. Petro dedicata Ecclesia, in l. Vetustius Ecclesiae Occidentalis martyrologium. Luc. 1668. p. 697. s.

Verum ne hostem fugere videamur, praecipuum argumentum, quo primus d. Petri adventus Romam impugnatur, exponamus: litem nobis movent verbis Lactantii, de mortib. pers. l. n. 2. p. 249. „discipuli, qui tunc erant undecim, assumtis in locum Judae proditoris Mathia et Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad evangelium praedicandum, sicut illis magister dominus imperaverat, et per annos XXV usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt. Cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam advenit." Hac auctoritate fulti, communem sententiam improbabilem et fabulosam audacter dicere et reiicere coeperunt. Si autem verba Lactantii serio inspiciantur, eam non valent evertere. Sane Lactantius l. c. de altero in urbem adventu loquitur; nec mirum si animadvertamus sub Nerone id accidisse, primo Christianorum aperto persecutore; et opusculum quidem Lactantii „de mortibus persecutorum" dicere. Secundum igitur narrare Petri iter, ei necesse fuit. Et ita Lactantius cum ceteris, qui etiam primum narrant conciliatur. Claudii anno secundo Romam Petrus venit, et nono eiusdem Roma discessit. Vide proleg. Judaeos quod assidue tumultuarentur, ab urbe pulsos docuerunt s. Lucas, Act. 18, 2 et Svetonius, in vita Claudii V, 25. ed. Franc. p. 79. „Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit." Certant de nomine „Chresto". P. Pithoeus, in adversariis subsecivis, l. II. 3. Thes. crit. Gruteriani II, 777. M. Rossal, Observ. de Christo per errorem in Chrestum commutato. Groning. 1717. Hug, Einl. II, 391. s. J. Auer, Zeitsch. f. d. kath. Theol. IV, 87. Friedlieb, Oesterr. Vierteliahress., I, 512. aliique, Svetonium ita interpretantur: quod doctrina Christiana occasionem dissensionibus animorum praebuerit. Non negamus commutationem ι in η facile ex ταυτοφωνίᾳ literarum oriri potuisse. Porro id certe constat e s. Justino, Apol. I, 4. p. 10. Tertulliano, apol. 3. et Lactantio Instit. IV, 7. p. 180. Cf. praeterea Fogginium, exerc. sext. p. 113. n. 2. Koch, Comm. ü. d. Br. Pauli a. d. Philem. Zür. 1846. p. 77. At alii duce Dom. Mellino, in veteres quosdam scriptores Christiani nominis inimicos, l. IV, p. 78. statuunt rebellionis auctorem exstitisse sub Claudio quendam Chrestum, Judaeorum ingenio ad res novas moliendas proclivi abusum. Ita putant Kuinoel, Act. 18, 2. p. 616. Wieseler, Chronol. p. 122. Meyer, Comm. p. 327. Beelen, Comm. II. 109. Chresti nomen apud Romanos obvium vulgatumque fuisse damus, — cf. Boeckhii, Corpus inscriptionum graecarum. Berolini. 1828. I. inscr. att. P. 2. c. 4. n. 194. p. 332. Χρῆστος Δειφίλου — sed non videmus quomodo ignoto penitus et inaudito quodam Chresto impulsore, assidue tumultuaverint? Cf. i. Sepp, Gesch. d. Apostel p. 149. s.

§. 70. Iter s. Pauli maius primum per Orientis regiones.

S. Paulus et Barnabas, ubi mandatum signa Domini nostri ferendi ad barbaras nationes, tanta se virtutis divinae demonstratione animis ipsorum insinuavit, ut dubitare non potuerint, quin a Deo profectum foret: nulla tergiversatione molestiis et discriminibus se obiiciunt; et itineri [1] se

[1]) In universum duumviri isti 252. mill. germ. emensi sunt!

accingunt [1]. Antiochia Syriae discedentes [2], in urbem Seleuciam, quae ad mare est, profecti [3] in insulam Cyprum [4] navigavere [5]; quam totam [6] a Salamina, ‚in qua Christi causam strenue agunt' [7] usque Paphum [8] peragrarunt [9]. Sergius Paulus proconsul [10] et Cypri praeses, audita Pauli et Barnabae fama, ut ad se venirent doctrinam suam annunciaturi, invitavit. Cum Sergio multum versabatur quidam Judaeus nomine Barjesu [11], ut eum ad sacra Judaica traheret. Qua in re cum Paulum et Barnabam magno sibi impedimento fore intellexit, vehementer illis obstitit, annitens alienare animum proconsulis a doctrina Christiana. At procacem adversarium Paulus increpavit, addita praedictione ipsum coecitate puniendum. Nec mora, oculis captus, ductorem quaesivit. Quo miraculo perculsus praeses, fidei manus dedit [12]. Ab hoc tempore is, qui hactenus Saulus vocatus est, scriptori Actuum Paulus dicitur [13].

---

[1]) Nulla aemulatione tam nobilis missionis honorem designatis invidebant ceteri doctores Antiocheni. [2]) Comite et ministro Joanne Marco. V. p. 274. s. [3]) Tria milliar. germ. [4]) Unde Barnabas origenem trahebat. [5]) Insula haec accessio Lagidarum Aegyptiorum fuit, quorum ultimus erat Ptolemaeus, quem iniusta cupiditas Romanorum, ut insulam et thesauros regios occuparent, ad autochiriam coegit. Abhinc Ciliciae coniugebatur Cyprus et ab eodem proconsule regebatur. Antonius Cyprum cum parte Ciliciae concessit; sed Augustus eam in suas retulit provincias, ex eoque tempore a proconsulibus regi coepit. [6]) Viginti et quatuor mill. germ. [7]) Urbs Cypri ad latus Orientis, Syriae unde solverant opposita. [8]) Civitas ad litus insulae occidentale versus austrum sita. [9]) Viginti mill. germ. [10]) Ita dictus quod consulatu in Urbe functus fuisset. [11]) Qui et Elymas, Ἐλύμας ὁ μάγος. Coll. arab. r., عَلِمَ sapiens κ. ε. Magus. Nomen Mógh toti orbi notissimum, pro quo et talib ponitur, notat: studiosum, qui scientiam et eruditionem expetit, qui adeptus est; et qui tandem ab hoc mundo sublimatus et detentus et fere separatus, quasi in alterum mundum concedere incipit. V. Th. Hyde, Veterum Persarum et Parthorum et Medorum Religionis Historia ed. sec. Oxonii. 1760. p. 377. Lakemacheri, de Judaeorum magis horumque arte, speciatim de Elymo Mago. Obs. s. II, 5. p. 126. s. 161. s. V. p. 12. [12]) Act. 13, 4—8. [13]) Act. 13, 9. Unde a s. Hieronymo, Comm. in ep. ad Philem. 1. p. 746. optime observatur. „Diligenter attende, quod hic primum nomen Pauli acceperit. Ut enim Scipio subiecta Africa Africani sibi nomen assumsit, ... ita et Paulus ad praedicationem gentium missus, a primo Ecclesiae spolio Proconsule Sergio Paulo victoriae suae trophaea retulit, erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo." Aliis quoque bene multis interpretibus visum est, assumtum illud nomen ex converso ad fidem Sergio Paulo. Ita censent L. Valla, de collatione N. T. p. 103. Beelen, II, 9. 10. Fr. Spanhemius, de convers. Paulinae ep. n. 30. s. II, 327. s. Bengel, Gnomon N. T. p. 468. Meyer, kr. ex. Comm. p. 237. Baumgarten, Apostelgesch. II, 37. Atque haec opinio probanda videtur. Origenes, praef. comm. in ep. ad Rom. VI, 8. Witsius, de gestis Pauli in Mel. Leid. ed. Herb. 1717. p. 49. Ebrard, die Apostelgesch.

E Cypro Paulus cum sociis in continentem provectus venit Pergen Pamphyliae [1]; deinde Antiochiam Pisidiae [2] se conferentes, die sabbati synagogam intrarunt. Post consueta sacra princeps synagogae Paulum [3], ut verba ad populum faceret invitavit. S. Paulus habita ad Judaeos eximia concione [4], eo successu dixit; ut multi e Judaeis et proselytis Paulum et Barnabam secuti sint. Praefectus synagogae totusque coetus verba Pauli adeo probavere, ut eadem sabbato sequenti sibi exponere rogaverint. Ubi ad condictum diem totam fere civitatem ad audiendum sermonem confluxisse cernebant ceteri Judaei, invidiae oestro perciti, effusi in blasphemias dictis Apostoli adversantur; mox commota per nonnullas mulieres plebe, finibus suis importunos oratores abegerunt. Gentiles autem afflante s. Spiritu doctrinam Christi amplectebantur ad fidem et gratiam iam destinati. S. Paulus et Barnabas facessentes excusso e pedibus pulvere, rebellibus illis Judaeis res sibi suas habere iussis, ad gentes sese contulerunt [5]. Nulla ergo mora interposita in Iconium [6], Lycaoniae urbem, perrexerunt, ubi Judaeorum machinis nequaquam perterriti per tempus haud exiguum subsistunt; qua praedicatione assidua, qua miraculis multos tum e Judaeis tum ex paganis ad Ecclesiam convocant. Eo temporis tractu Thecla, nobilis Virgo Iconiensis, fidem Christi suscepisse creditur [7]. Duas in partes incolae urbis civesque dividebantur, altera iniquo contumacium Judaeorum iudicio haerebat, altera Paulum

---

p. 190. Paulum iam in Judaismo fuisse binominem sumunt. Cum gentilium auribus Sauli nomen insuetum esset, Pauli vero apud eos vulgatum; sane opportune accidit illud levi mutatione ex Hebraeo in Romanum transformatum fuisse. Et cum ministerium suum exin apud eos potissimum populos exercuerit, qui coloniae Romanorum essent, quaeque vel graeco vel Latino nomine uterentur; mirum non est, si et Apostolus se pro Saulo Paulum dici primum fortasse passus sit deinde et voluerit.

[1]) Triginta et septem mill. germ. L. C. Mannert, Geographie der Griechen und Römer. VI, 2. Kleinasien. Nürnb. 1801. p. 126. Pergae Joannes Marcus ab iis discedens Jerosolymas rediit. Act. 15, 38. 13, 13. [2]) Recta via Antiochiam Pisidiae ibant. J. e. 20. mill. germ. Frequens civitas et summae dignitatis erat Antiochiae Pisidiae. Cf. Mannert, l. c. p. 177. s. [3]) Quem Legis doctorem esse facile suspicabatur. [4]) Ad lectiones illius sabbati respexit Deut. 1, 31. 38. Isai. 1. 2. 26. Ut animos eorum ad se attraheret, a Dei bonitate exordium sumens, quae quantaque Israelitis praestiterit, ostendit; testatus in Jesu, e mortuis resuscitato, solo salutem esse positam gravi ad fidem exhortatione finiit. Act. 13, 16—41. Cf. J. G. Richter, diss. de Paulo Apostolo Jesu Christi in vitam revocati nuntio ad Act. 13, 32. 33. Lips. 1756. p. 10. s. De calculo annorum 450. diximus in Historia R. D. Vet. Test. p. 213. 4. [5]) Act. 13, 42—52. [6]) H. c. 15½ mill. germ. [7]) S. Thecla martyrum antesignana, tormentorum vim experiri maluit, quam pudicitiae Christo dicatae labem inferri sineret. Cf. S. Epiphanii, haer. LXXVIII, 16. p. 1048. S. Chrysostomi, in Acta Ap. hom. XXV, 4. p. 207. De qua

eiusque evangelium sectabatur. Jamque divisione animorum facta in eam fortunam res devenerat, quae infensissimis Apostolorum hostibus de Paulo et Barnaba e medio tollendi consilia conferendi occasionem praebuit. In hoc discrimine positi mature se periculo subduxerunt, et ne Dominum temere tentare viderentur, fugerunt Lystras [1]. Hic s. Paulus claudum ab utero matris sanavit; quo portento in admirationem rapti Lystrenses [2]; Paulum et Barnabam pro pagana superstitione deos habuerunt; hunc ut Jovem, illum ut Mercurium venerari aggrediuntur, ni illi laceratis [3] vestibus honores divinos dedignati imprudentes a sacrificio avertissent. Uterque porro enixe curarunt, ut se homines esse, quo verum Deum nunciatum venissent Lystrarum incolis persuaderent [4]. Mox tumultu [5] excitato, ut mutabile vulgus, s. Paulus lapidum ictibus ferme exanimis extra urbem pertractus est. Discipulis tamen opem ferentibus, in pedes erectus urbem ite-

---

videsis Ruinartum, Acta Martyrum sincera. Ver. 1731. p. 280. J. Stiltingum, in Act. Sanct. Sept. VI, 550. s. in comm. crit. hist. §. 2.

[1]) Quinque mill. germ. Qualis fuerit urbs tacentibus Veterum monimentis definire haud possumus. Ad acta Pauli et Barnabae Lycaonica lege Chr. Fr. Boerneri, diss. in Thes. nov. p. 626. s. atque eruditissimi Ch. Norisii, Cenotaphia Pisana, diss. II. Op. ed. Veron. III, 333. s. [2]) Homo quidam a matris utero claudus, Lystris agebat, qui cum dicenti Paulo auscultaret; mox conversis defixisque in ipsum oculis cognovit Apostolus: spe salutari praeditum eo delatum esse. Quare alta voce, ut ab omnibus audiretur illi ait: surge super pedes tuos rectus! Vix cum haec enunciarat, ille consolidatis illico plantis tibiisque plena incedendi facultate se instructum sensit. Hoc facto in stuporem data Lystrarum plebs „Levaverunt vocem suam lycaonice λυκαονιστί dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.“ S. Joannes Chrysostomus, in Act. Ap. h. XXX, 2. p. 235. commentatus, affirmare videtur Paulum et Barnabam Lystrenses lycaonice loquentes haud intellexisse. At enimvero a. cum magno illi gentium doctori privum fuerit donum γλώσσαις λαλεῖν coll. I. Cor. 14, 18.; cumque b. vel ipsa ad Lycaonas ex tempore habita concio regionis eius linguae cognitionem necessario supponat, hinc lycaonici sermonis scientia Paulo et Barnabae immerito denegatur a Kuinoel, Act. p. 490. Meyer, Komm. p. 261. 2. aliisque. Quaenam ceterum huius linguae ratio fuerit non liquet. Consulantur ab huius rei curiosis J. Fr. Gühlingius, de lingua lycaonica a Pelasgis Graecis orta. Witt. 1726., quae reperitur etiam in Thes. nov. p. 657.; atque P. E. Jablonski, de lingua lycaonica, in opusc. ed. Te Water, III, 6. s. [3]) Ob exsecrabile cum maxima aeterni Numinis contumelia coniunctum sacrificium, Cf. i. J. J. Pfizer, de ἀποθέωσει Pauli et Barnabae, a Lystrensibus frustra tentata, in Thes. nov. p. 649. Guhlingii, de Paulo Mercurio. Witt. 1726. p. 7. Walchii, Specilegium antiquitatum Lystrensium Jen. 1759. p. 9. s. [4]) Exquisitissimis argumentis docuerunt: Deum immortalem, creatorem coeli et terrae, et maris, et omnium quae in universo sunt, unum et solum adorandum esse. [5]) A Judaeis Paulo infensis, qui Antiochia Pisidiae et Iconio Lystras venerunt.

rum ingressus postera die Derben [1], Barnaba comite, discedens; in isto quoque Lycaoniae oppido [2] Evangelium maximo cum successu praedicavit. Ex iis qui Christo nomen dedere Timotheus [3] memoratur, cum matre Eunice et Loide avia. Cum autem se alio vocari arcana Spiritus s. voce sentirent, vestigia sua retro legentes Lystras [4], Iconium [5], et Antiochiam [6] reversi sunt [7]. Rebus ita compositis transgressa Pisidia Pergen [8] adierunt, ex qua annunciato verbo Dei Ataliam [9] Pamphyliae portum descendere; illinc nave conscensa Antiochiam Syriae [10], unde egressi fuerant, remearunt [11].

§. 71. De concilio hierosolymitano eiusque causis et effectibus.

Antiochiam reversi Paulus et Barnabas convocatae Ecclesiae, a qua dimissi fuerant, suorum eventuum seriem narrarunt, simulque de aditu ad fidem ethnicis recluso laeti exposuerunt [12]. Cum Antiochiae diutius morarentur [13], fama huius itineris Jerosolymas perlata, animus nonnullorum [14] inconsiderato zelo pro institutis mosaicis incendebatur. Antiochiam [15] quidam horum se contulerunt, ibique auctoritatem Apostolorum, qui Jerosolymis versabantur, obtendentes, docuerunt: e gentibus fideles mosaicae Legis praeceptis adstringi, ac proinde servandos ritus iudaicos [16]. Fervidis illis Judaizantibus contigit, ut Antiochenam Ecclesiam turba

---

1) Duodecim mill. germ. 2) Nulla quod comperimus laude inclitum, sed Timotheo cive nobilitatum, quo maiorem melioremve nunquam tulit. Cf. Act. 20. 4. Wieseler, Chronol. p. 25. s. 3) Ab incunabulis sacris Literis instructus. 4) Duodecim mill. germ. 5) Quinque mill. germ. 6) Faciendo 15½ mill. germ. 7) Ubique discipulos ad casus quoscunque fortiter tolerandos cohortati. Utque Ecclesiis providerent, in singulis quas instituerant, presbyteros crearunt. 8) Viginti mill. germ. 9) Quatuor mill. germ. 10) Novem supra quinquaginta mill. germ. 11) Act. 14, 1. 25. coll. 16, 1. 2. II. Cor. 11, 25. II. Tim. 1, 5. 3, 11. 15. Cf. e. H. Witsii, Miscell. s. ed. Herb. 1712. II. exercit XVI. p. 538. 12) Haecce peregrinatio apostolica sane imprimis augebat numerum Christianorum e gentilibus, nam Judaeorum plurimi, infensissimos adversarios fidei christianae se praebuerunt. 13) Apostolus coetui Antiochenorum invigilavit. Act. 14, 26. 27. 14) Qui sectae Pharisaeorum olim addicti, deinde castra Christi sequebantur. Hos s. Paulus ad Gal. 2, 4. adpellat „subintroductos fratres; qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent." 15) Ubi propugnacula Ethnico-Christianorum — ita vocare placet gentiles conversos — reperiebantur. 16) Retinendam e. g. circumcisionem et baptismati iungendam. Coll. Act. 15, 5. atque Matth. 5, 20.

et tumultu miscerent. Hinc Paulo et Barnabae [1] gravissima orta est disceptatio. Cum Antiocheni litem componere non potuissent [2], iussi sunt Paulus et Barnabas nonnullique cum ipsis [3], alii item cum iis qui secus sentiebant viris [4], Jerosolymas ad Apostolos ire, ut ex eorum sententia controversia dirimeretur [5]. Metropolim advenientes, invenerunt easdem ibi gliscere contentiones, quae domi fervebant. Paulus igitur primum mandata Ecclesiae Antiochenae coram proposuit, deinde vero privatis colloquiis eam, qua gentiles imbueret doctrinam Apostolis communicavit. Apostoli ii, qui maxima gaudebant auctoritate Petrus, Jacobus et Joannes, cum intellexissent Paulum non secus a Deo destinatum esse, qui gentilibus Evangelium adferret, ac Petro Judaeorum institutio commissa esset: tantum abest, ut ipsi quidquam in ea doctrina reprehendissent, quin dexteras et ipsi et Barnabae, in communionis testimonium, dederunt. Ne autem ulli hominum Redemtionis beneficio eximerentur, inter Apostolos conventum est: ut Paulus cum Barnaba gentibus, Petrus vero Jacobus et Joannes circumcisis Evangelium praedicarent [6]. Non contentus autem Paulus sic privatim cum Apostolis, qui primas in Ecclesia tenebant communicasse, instabat concilium ad rem [7] maturius expendendam cogere. Coacto in unum Apostolorum, cum presbyteris aliisque Ecclesiae huius urbis fidelibus [8] concilio, Paulus res a se inter gentes gestas palam narravit. Queis expositis magna lis orta est. Judaizantes omnem movere lapidem, ut quicumque Christi fidem

---

[1]) Qui causam Ethnico-Christianorum pro viribus tuendam in se susceperunt. [2]) Revelatione divinitus facta. [3]) Uti Titum, quem ab avito idolorum cultu Paulus avocaverat. [4]) Aequitatis ratione id efflagitante. [5]) Act. 15, 12. Gal. 2, 12. Cum legati per Phoeniciam et Samariam proficiscuntur, Ecclesiisque ibi conversionem gentium exposuerunt, harum fideles summo gaudio affecti sunt. Act. 15, 3. [6]) Opinantur nonnulli, hic agi de quadam curae et patrocinii divisione; quasi constitutum fuerit, ut Petrus Hebraeos, Paulus gentes protegeret. Sed attento contextu docetur: a. Dei mittentis voluntatem id fuisse, b. s. s. Petrum et Paulum inter se partitos esse operas. Supponimus quod alio loco demonstratum ivimus Act. 15, 4. Gal. 2, 1—10. easdem narrari historias. [7]) De qua Christus mentem suam non aperte explicaverat. [8]) Quos presbyteros C. Bellarminus, Controvers. de Conciliis et Ecclesia, I, 16. ed. Ven. 1721. II, 15. demonstrat fuisse sacerdotes, non episcopos. Observat porro „in isto Concilio interfuisse Apostolos tanquam iudices ad definiendum, presbyteros autem ad consultandum, plebem autem non esse vocatam, sed tamen adfuisse et consensisse, non quidem definiendo vel dispu-

susciperent Legis veteris institutis subderentur. Contradicere alii Antiochenorum causam defendentes. Expensis utriusque partis momentis Petrus totius concilii princeps surgere, et sententiam dicere coepit: divina providentia factum esse, ut Gentes crederent; nihil esse quod dent operam, ut onus Legis ethnicis, qui ad Christum converterentur imponatur [1]. Tunc cum hunc virum pietate gravem et auctoritate primum audiverant dicentem, universa siluit multitudo [2]. Hoc silentio Paulus et Barnabas usi sunt, ut enarrarent mira facta, felicemque successum, quae Deus per ipsos inter gentes edidisset, quas ad Ecclesiam traduxissent nullo onere Legis eas gravantes. Ubi et illi conticuissent animique iam iam in favorem libertatis ethnicorum flecterentur, peroravit Jacobus. Petri sermonem de vocatione gentium ait confirmari effatis prophetarum. [3]. Quae cum ita sint, non amplius negotia esse facessenda gentilibus, qui ad Christum convertuntur; sed tamen quominus offensionem praebeant fratribus suis Judaeo-Christianis,

---

tando, sed tantum audiendo et non reclamando." Cf. e. Vind. t. II. ad c. XVI. c. ed. V, 313.

1) S. Petrum Concilii istius fuisse praesidem docent Catholici; sed etiam ex iis, qui Ecclesiae nostrae sacra non sequuntur, viri docti concedunt. E. g. Casaubonus, exerc. XVI, 151. p. 670. S. Basnage, Annal. ad 50, 20. p. 600. Surgens d. Petrus: scire omnes qui aderant se iam diu ante non tantum mandatum accepisse de praedicando gentilibus Evangelio; sed et facto didicisse incircumcisos aptos esse ad assequendam salutem, modo fidem christianam sincero corde amplecterentur. Cum Deus concedendo incircumcisis — Cornelio cum suis — aeque ac circumcisis miraculosa dona Spiritus Sancti adeo evidenter testificatus sit: fide Christo habita salvos factos; cavendum esse ne Christi fidelibus imponeretur iugum, cui ferendo et proavi Judaeorum et illi ipsi vix pares forent. Gentes alia ad salutem via duci velle, quam ea quam Deus animorum omnium scrutator manifeste probaret, tantumdem esse ac Deum exacerbare. Coll. Ps. 77, 17. 18. 41. Nec sane, quod circumcisi essent, sed per gratiam Domini J. C. Judaeo-christianos credentes se aliquando salutem aeternam consequi, quemadmodum et patres eorum salutem consecuti non sunt, nisi per merita Messiae venturi. Act. 15, 7—11. coll. 4, 12. Rom. 5, 18. Constitutionum apostol. VI. 12. ed. Cotel. p. 544. s. Petrus introducitur fuse enarrans quae in domo et familia Cornelii acciderant. Nec dubitamus Apostolum exposuisse quomodo a Deo ad Cornelium missus fuerit, et quae sequebantur. S. Lucas cum de his ex instituto locutus fuisset, ea repetere h. l. supervacaneum duxit. 2) Ut poëta canit:..... Silent et arrectis auribus adstant; Ille regit dictis animos et pectora mulcet. 3) Unicum adfert testem Amosum, 9, 11. 12. eo quod plures addere necesse non esset. V. H. R. D. V. T. p. 358.

et quo facilius hi cum illis in unum coetum coniungantur, per literas ab iis exigendum fore: ut a carnibus Diis immolatis, scortatione, suffocato et sanguine abstinerent[1]. Secundum haec communi concilii decreto sancitum est: ,Visum est Spiritui Sancto[2] et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria:[3] ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicatione.' In concilii sententiam synodica ad Antiochenos et reliquos in Syria fratres scribitur, quam primis in Ecclesia viris Judae cognomento Barsabae et Silae, cum Paulo et Barnaba Antiochiam perferendam tradiderunt[4]. Qui cum Antiochiam venissent reddita et lecta synodica gentiles neophytos summo affecerunt gaudio, libertate quam Christus pepererat, potitos. Non multo post s. Petrus invisendae Ecclesiae Antiochiam se contulit; ibique usus fidelium ex gentilibus ad Christi sacra conversis consuetudine, neglecto discrimine mundorum et immundorum, cibos cum iis capere non dubitavit. Ubi ita familiare cum Ethnico-Christianis commercium haberet, nonnulli e coetu solymitano[5] Judaei, qui una cum Evangelio legalia observabant instituta murmurarunt. Petrus eorum invidiam declinaturus, coepit sese ex incircumcisorum arctiori familiaritate

---

1) Neque Christiani studio Legis addicti querantur: Moysem eiusque instituta aboleri; Moyses enim ceu Liber divinus singulis sabbatis legitur legeturque. 2) Auctorem decreti allegant Spiritum Sanctum. Concludunt Apostoli e suggestione Spiritus S., quem Christus illis promiserat, ut eos omnem veritatem doceret. V. p. 121. 175. s. Deinde addunt: „et nobis", quos idem Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, et quibus meminerant dictum esse a Christo „qui vos audit me audit." Joann. 14, 26. Act. 20, 28. Luc. 10, 16. Tales sunt omnium Conciliorum definitiones in Ecclesia Catholica. E doctrina Spiritus S. et legitima auctoritate, quam veluti Christum audire debemus, omnia decernunt. Quorum iudicio nisi simpliciter acquiescimus, tot erunt in Ecclesia schismata, quot sunt astuta et inquieta hominum capita. 3) Sonant adhuc clarius haec verba legitimam et certam apostolici decreti auctoritatem, cui a fidelibus necessario obediendum fuit. „Onus" vocant ratione praecepti; „necessaria" dicunt non quia ex sua natura et necessitate finis — sola excepta fornicatione — eorum observatio necessaria erat, sed quia quatenus ad tempus praecepta — ut rectissime advertit Th. Stapletonus, Antidota in Acta Apostolorum, op. ed. Par. 1620. III, 449. —, et causa praecepti vigente, necessario necessitate praecepti observanda a fidelibus erant. 4) Ex communi suffragio. 5) Cuius Urbis s. Jacobus episcopum agebat.

mensaque communi subducere[1]. Qua re animadversa d. Paulus[2] amanter redarguit s. Petrum.

Digressio I. de Synodi Jerosolymitanae decreto. Oriuntur nonnullae quaestiones de decreto Apostolorum. Act. 15, 28. 29. Decretum hoc data opera explicarunt multi interpretum, quorum nonnullos h. l. recensemus: J. G. Dorschaeus, diss. de sanguiue et suffocato, in Thes. ph. th. II, 457. s. Natalis Alexander, diss. de abstinentiae a sanguine et a suffocatis apostolico praecepto. III, 131. s. Deylingius, Obs. s. II, 39. p. 358. s. Chr. Schoettgenius, diss. de ritibus gentilium in Synodo Hierosol. prohibitis. Stargard. 1723. J. H. Heidegger, de tract. de libertate Christianorum a lege cibaria veterum de sanguine et suffocato. Amstel. 1662. Th. Bartholinus, disq. med. de sanguine vetito. Franc. 1673. Ph. L. Hanneckenius, diss. de sanguine Christianorum escario. Gress. 1673 J. A. Noesselt, de vera vi ac ratione decr. Hier. Act. 15. Hal. 1794. C. L. Nitzsch, de sensu decreti apost. Act. 15. Vit. 1795. excusa et in Velthusen, Commentat. theol. VI, 385. Eiusdem, de epistola Jacobi catholica cum epistola atque oratione Jacobi Actis inserta et hac utraque cum illa utiliter comparanda. Viteb. 1795. p. 21. s. Dav. van Heyst, diss. de Judaeo-Christianismo. Lugd. B. 1828. p. 67. s. C. Buob, de abrogatione legis mos. ex Petri Jacobi et Joannis item Ecclesiarum ab iis constitutarum sententia. Monte-Albano. 1842. A. Neander, Gesch. der Pf. u. Leit. d. chr. Kirche, I, 148. s. Baumgarten, Apostelgesch. II, 146. Döllinger, Christenthum p. 61. s. Jubentur Ethnico-Christiani se abstinere ab „εἰδωλοθύτων", quae v. 20. a s. Jacobo „ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων", contaminationes simulacrorum dicuntur: i. e. pollutio per carnes victimarum effecta. Vox ἀλίσγημα est alexandrina, pro gr. v. μολυσμός II. Cor. 7, 1. גָּאַל hebr. coll. Dan. 1, 8. Mal. 1, 7. 12. Sir. 40, 29. Hesychius, Lexic. ed. J. Alberti. Lugd. Batav. 1746. s. h. v. I, 235. explicat „ἀλισγημάτων τῆς μεταλήψεως τῶν μιαρῶν θυσιῶν". Cf. e. J. Fr. Buddei, ecclesia apostolica Jen. 1729. p. 270. Fr. G. Sturz, de dialecto macedonica et alexandrina. Lips. 1808. p. 145. Tales porro carnes voce biblica et ecclesiastica nomine τῶν εἰδωλοθύτων intelligebantur. Horum varia erant genera. Solebant gentiles interdum animalia, quae ad comedendum mactarunt, idolo cuidam nuncupare; deinde et solenne apud eos erat, mactati animalis partem aliquam idolo offerre, reliquas autem partes in cibum relinquere. Tales porro carnes vel in delubris vel in domibus manducabantur, vel a pauperibus et avaris in foro vendebantur. Cf. Act. 21, 25. I. Cor. 8, 1. 4. 7. 10. 10, 19. 28. Apoc. 2, 14. 20. Unde si interrogetur, quaenam εἰδωλόθυτα in Concilio Hierosolymitano prohibeantur? respondemus: Apostolos quaevis genera τῶν εἰδωλοθύτων comprehendisse; atque frustra dici s. Paulum ab hoc decreto l. s. c. discessisse, ut in ep. ad Cor. I. visum: Hisce carnibus vesci Ethnico-Christianos vetare censuerunt Apostoli, ne offensioni essent fratribus suis Judaeis, qui iis inquinari se putabant. Eadem ratio est alterius praecepti, quo usus sanguinis et suffocati interdicitur. Sanguinis

---

[1]) Inde id mali accidebat, quod vana quaedam apud imbecilliores anhaeriebatur opinio: Legem sc. ad salutem consequendam esse necessariam. Huius viri ad exemplum et alii se gerebant Judaei, ipse adeo Barnabas, quem cum Paulo vindicem iuris Gentium antea vidimus. [2]) Quamvis inferior superiorem

crudi, coctique ac dapum cruore non exhaustarum usus, nedum Mosaicae, sed et Noemicae legis edicto prohibebatur. Cf. Gen. 9, 4. Lev. 3, 17. 7, 26. Deut. 12, 16. Id ergo observationis ut ad Gentiles extenderetur, sanxit Concilium, quo Judaei illos tanquam legis antiquissimae et quasi naturalis praevaricatores non abominarentur. Ceterum sanctio ista, ut pacis praesidium et offensionibus Judaeorum tollendis cauta provisio, per plura saecula tenebatur. Qua de re legatur H. Grotius, annot. ad Act. 15, 20. II, 622. Suicerus, Thes. I, 113. a. Calmet, Comm. lit. N. T. ed. Wirceb. 1788. III, 193. Hisce additur mandatum ut fornicationem fugiant. Πορνείαν alii aliter interpretati sunt. V. Nitzsch, de ep. Jac. p. 20. Sed nulla exstat causa, cur a consueta fornicationis intelligentia recedamus. Nemo sane mirabitur hoc interdictum iungi ei, quod idolothyta vetabat comedere; qui secum reputaverit, quam arcta apud ethnicos intercederet necessitudo inter cultum idolorum et scortationem. Quo factum est, ut hoc vitium pro re ἀδιαφόρῳ haberent. Friedlieb, in ann. Oesterr. Vierteljahresschr. f. k. Theol. 1863. p. 176. excitavit rursus obsoletam sententiam Lighfooti, hor. hebr. in Act. 15, 20. ed. Carpzovii Lips. 1679. p. 116., qua πορνείαν connubia in gradibus a lege prohibitis, vel polygamiam interpretatur. Sed cum nullum vestigium in integro contextu reperiatur, quo notio πορνείας restringenda foret, in simplici huius vocis sensu manendum. Qui si est verus Decreti Jerosolymitanae Synodi sensus? praeceptum continent temporarium ratione Legis cerimonialis; et commune ratione Legis moralis.

Digressio II. de controversia s. s. Petri et Pauli Antiochiae. Fuerit ne Cephas Gal. 2, 11, quem s. Paulus redarguit, alius a d. Petro? et an Princeps Apostolorum culpandus fuerit? cum antiquissima tum difficilis est quaestio. Quod ad d. Pauli redarguendi rationem attinet admonitio Gal. 2, 14. „Si tu cum Judaeus sis, gentiliter vivis, et non iudaice, quomodo gentes cogis iudaizare?" etiam reprehensio et repugnantia nuncupatur: a. Cum ob eam animi commotionem, quam vehemens illa salutis ethnicorum sibi commissorum procurandae cupiditas; et b. exstirpandae ex animis gentium illius opinionis in Paulo excitabat; tum c. ob id quoque quia publice atque in conspectu omnium facta erat propter eam quae, etsi non docentis imperio, sed conversationis exemplo, de necessitate Legis servandae Ethnico-Christianis ingerebatur evangelicae libertati perniciosam suspicionem. Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit; nec dubium quin Pauli adhortatione permotus ad commercium cum gentilibus reversus fuerit. Haec porro reprehensio s. Petri olim multum exercuit d. Hieronymum, ep. 105. p. 638. ep. 112, 4. p. 738. s. et s. Augustinum, ep. 82. p. 190. seq. Hieronymus cum quibusdam Graecis, quos vide apud C. Baronium, Annal. ad a. LI, 36. p. 366., affirmavit Petrum nihil peccasse, et „ex compacto" — κατὰ σχῆμα permisisse se publice a Paulo argui, ut Semi-Christiani illi Solymitani Legalia — i. e. Legis cerimonialis praecepta — facilius dimitterent, propter quae magistrum suum correptum nihil potuisse respondere cernerent. S. Augustinus contra opposuit s. Petrum revera peccasse et „serio" reprehensum; quia alias s. Paulus mentiretur Gal. 2, 11. 14. cum ait Petrum reprehensibilem et non recte ad veritatem evangelii ambulasse. V. Alexandri Natalis, diss. XI. de reprehensione s. Petri a s. Paulo, III, 134. Stengel, comm. p. 214. s. Saccarelli, H. E. I, 303 s. J. A. Möhler, Hieronymus und Augustin im Streit ü. Gal. 2, 14. ed. eiusdem gesammelte Schriften. Regensb. 1839.

p. 1. s. Sepp, Gesch. d. Ap. p. 217. s. Reithmayr, C. z. Br. a. d. Gal. p. 149. s. S. Augustini sententia est receptior, eam defendit Angelus Scholae, Summ. I, 2. q. 103. art. IV. ad sec. VI, 316. „Verum est, quod Petrus peccavit, et Paulus vere eum reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc sibi licebat tanquam ex Judaeis converso: sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judaeos, ita quod ex hoc sequeretur gentilium scandalum.“ Ipse quoque s. Hieronymus, dial. contra Pelagianos I, 22. p. 718. sententiam suam mutavit, et doctrinae Paulinae, et candori suo convenienter. J. Harduinus, diss. in qua Cepham a Paulo reprehensum Petrum non esse ostenditur, op. sel. p. 922. s. et in Comm. ad h. l. p. 556. inter Petrum principem Apostolorum et Cepham — ita legit Vulgata et Coptus pro Πέτρος t. o.; atque sic scripsisse Apostolum sumunt: Cotelerius, not. 8. ad s. Clementis ad Cor. ep. I, 47. p. 175. et J. Pearson, op. posth. diss. de succ. prim. Rom. ep. I, 7. p. 37. qui testatur in codice alexandrino, aliisque MSS. cum 2, 11. tum 2, 14. Κηφᾶς haberi — reprehensum a Paulo distinguere vult, eumque inter LXX discipulorum seriem retulit; parum feliciter in hoc argumento versatus. Opinionem Harduini, quae nuper placuit G. Secchi, la cattedra Alessandrina di S. Marco Ev. Ven. 1853. p. 328. s., confutatam dederunt: A. Calmet, diss. in ep. ad Gal. p. 397. M. Wouters, dilucid. in d. Pauli ep. p. 225. Boileau, disq. theol. in Gal. II. Par. 1713. Didacus a s. Antonio, Exam. scriptur. III, 509. s. IV, 123. et alii. Memores verborum Christi Joann. 1, 42. „Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus“, dicimus Cephas non est alius distinctus a Vicario Christi et Ecclesiae capite. Quod probatur Gal. 2, 9. ubi d. Petrum Cepham vocavit s. Paulus. Petrus tribus nominibus in S. S. adpellatur, quid ergo in eo singulare si in eodem contextu nunc uno nunc alio nomine adpelletur? Absurda quae sententiae Petrum a Paulo reprehensum defendenti obiiciunt Harduinus, l. c. §. 20. p. 933. et ipsum secutus J. G. Kerkherdere, in dupplici suo libro „De Cepha reprehenso“, nihili profecto facienda. Esto Petrus tunc deliquerit, an propterea erroris labe infectum dicemus? De his quae in Concilio cum ceteris Apostolis decrevit, optime semper locutus est; nihilque unquam docuit, quod eidem adversaretur. Ubi ergo labes erroris? Paulum vero Petro restitisse nequaquam tribuendum est procacitati, quod primam Principis Apostolorum dignitatem, a nemine in dubium vocatam, minimi haberet; sed potius metui, iure gravissimo, ne Petri exemplo Judaizantes Legalium necessitatem adstruerent. Cf. e. J. St. Menochii, trattenimenti eruditi. I, 101 s. Windischmann, Erkl. d. B. a. d. Gal. p. 51. Quamobrem, ut gravem locum concludamus, media quaedam via in eo explicando nobis cum Cardinale Scripandio, comm. in ep. ad Gal. Antv. 1667. p. 216. s. eligenda videtur. a. Nulli dubium est, quod s. Petrus sententiae huius, cuius nunc praevaricator arguitur, primus auctor exstiterit; b. ipsum quoque s. Paulum eadem de quibus Petrum reprehendit fecisse. Paulus igitur cernens oeconomiam Petri, rationabili de causa usurpatam, in praeiudicium Ethnico-Christianorum converti; eam non amplius dissimulandam sed detegendam esse consultius ratus, egit: Ut gentiles ad iudaizandum exemplo Petri dilabentes in officio retineret, et Judaeos quid facere de cetero deberent, commoneret; atque sic uno remedio utriusque populi saluti opportune consuleret. Sed de hac controversia iam satis. L. i. Passaglia, de praerog. B. P. p. 217. s.

§. 72. Iter s. Pauli maius secundum; in provincias Europae primum.

Reddita Ecclesiae Antiochenae pace [1], Paulus allecto Syla peragravit Syriam et Ciliciam. In ista Ecclesiarum visitatione [2], nihil aliud singulare s. Paulum egisse docemur: [3] quam quod ipsis tradiderit observanda illa decreta, quae sancita fuerant ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano [4]. Ex Cilicia facile Paulus navigavit Cretam, ibique annunciato Evangelio Titum reliquit, qui ‚τὰ λείποντα ἐπιδιωρθώσῃ'; inde Derben cum venisset, Timotheo inter discipulos reperto praeputium, quo sibi Judaeos impensius devinciret, circumcidendum curavit [5]. Hoc igitur in itineris socium ascito, Lystram petiverunt. Phrygiam et Galatiae fines progressi, ne in Asia [6] proprie sic dicta verbum Dei disseminarent, prohibet Spiritus Sanctus. Pergentes ad Mysiam, ubi in Bythiniam iter meditantur, id consilii pariter Spiritus Sanctus improbavit. Bythinia ergo praetermissa Troadem adierunt [7].

---

[1]) D. Paulo Barnabam ad Ecclesias, quas in Asia condiderant, invisendas sollicitanti auctor Barnabas fuit, ut cognatum suum Joannem Marcum itineris socium assumerent. Paulo abnuente, quod ab ipsis nulla idonea causa in Pamphylia discessisset, alter alterum deseruere, atque in diversa abiere. Barnabas cum Marco, qui ansa huius controversiae fuerat, sed qualis inter viros sanctos esse solet, in Cyprum patriam suam navigavit. S. Paulus Marcum qui labores et pericula fugisset, minus aptum tali itineri missionis existimabat, et animi dotes potius respiciendas, quam sanguinis cognationem, quae multum saepe rebus sacris obest, censuit. Provido autem Dei consilio factum est, ut Pauli Barnabaeque, non quidem caritatis sed opinionis, dissidium — παροξυσμὸν — cesserit tam in publicum Ecclesiae, quam in privatum Marci commodum. Nam ea occasione magnam orbis partem praedicando eodem tempore percurrerunt; et sopitae ad modicum fraterni amoris scintillae eo fortius exarserunt. Quanti enim duumviros hos fecerit Apostolus, in suis epistolis deinceps scriptis testatur. Cf. I. Cor. 9, 6. Gal. 2, 9. Coloss. 4, 10. [2]) Act. 15, 36. s. [3]) Act. 16, 4. Ut posteris fidelibus sempiternum hoc esset similis observantiae documentum. [4]) Non quasi hoc unum fecisset Apostolus, sed quia huic uni potissimum incumbebat, ut ad singulas illas ecclesias decretorum Apostolicorum notitia perveniret, atque ab eisdem accurate custodirentur. [5]) Quod olim iam observatum Clementi Alexandrino, in haec verba scribenti Stromat. VII, 9. p. 863. „Ecce enim Timotheum praeclarus circumcidit Apostolus, cum interea vociferaretur et scriberet, circumcisionem manufactam nihil prodesse; sed ne repente a lege avellens ad eam quae ex fide est circumcisionem, adhuc reluctantes eos, qui audiebant Hebraeos a synagoga sese cogeret abstrahere, factus est Judaeus ut omnes lucrifaceret." Paria habet s. Joannes Chrysostomus, in Acta Ap. hom. XXXIV, 4. p. 264. [6]) Straboni: „ἡ ἰδίως καλουμένη Ἀσία." [7]) Troas et urbis et regionis nomen est. Cf. Mannert, Kleinasien, Geogr. VI. 3, 450. s. et 471. s. In Pauli historiis attamen magis urbis, quam regionis maritimae in ora Asiae.

Non ita multo post Paulus visa per quietem viri macedonici specie invitatus suis opitulatum ire in Macedoniam, eo perrexit comitibus Sila, Timotheo et Luca [1]. Navigium igitur in Troadis portu conscendentes, provectique rectum tenuerunt Samothracen, insulam in septentrione Aegaei, hinc sequente die appulerunt Neapolin [2]; unde iter Philippos patuit [3], ubi aliquamdiu commoratus est Apostolus, colonias maxime amans, quod ibi et plus esset hominum et gentes variae. Cum autem cultus divini observantissimus esset, et omnem animas Christo lucrifaciendi occasionem captaret [4], ad oratorium iuxta amnis ripam ex urbe egressus est. In quem locum forte religiosae quaedam mulieres convenerant, quas Apostolus alloqui coepit, operiens interim ut Judaei eo in synagogam congregarentur. Una ex illis nomine Lydia [5] audito Pauli sermone ad fidem conversa et baptismo, cum familia [6] universa eiusdem gratiae et fidei consorte, tincta; Apostolum

---

1) Actorum scriptore, qui ab hoc tempore res gestas Pauli, quem deinceps nunquam deseruit, testis αὐτόπτης enarrat. Animadvertunt hoc iam diligenter s. Irenaeus, adv. haer. III, 14. p. 497. et s. Hieronymus, de vir. ill. c. 7. p. 46. L. p. 283. s. 2) Urbem minus cognitam inter Philippos et Aenum. Thracia vetus saepissime fines mutavit et dominos. In hac finium et dominorum varietate eaedem urbes plurium regionum fuisse dicuntur, veluti et ἡ Νεάπολις. Ratione temporum, quae spectabant vel Thraciae vel Macedoniae adscripserunt eam Veteres. Pauli comitisque Lucae aevo Neapolis Thraciae, Philippi Macedoniae urbes extremae censebantur. Magnum fidei quam scriptor meretur documentum, ex eo peti potest, quod in hisce rebus minimis s. Lucas temporum rationes tam accurate observaverit. Neque ullum dubio locum reliquit, se primo post Christum saeculo Acta concinnasse. 3) Quae colonia dicitur. Act. 16, 12. puta romana; quam Augustus vel deduxit vel in maius colonorum commodum auxit. Urbs primaria partis Macedoniae, quae trans Strymonem est, quondam Thraciae adiudicata. Ecquidem adstipulamur C. Cellario, diss. de amoenit. hist. et geogr. ex itiner. s. Pauli coll. n. 20. ed. Ugolini p. 1193. — quocum facit et Meyer, p. 293. — πρώτη πόλις positum esse, quod fuerat nobilissima urbium eius regionis. Alii vestigia legentes Ez. Spanhemii, de praestantia et usu Numismatum, op. ed. Lond. 1706. II. 600. 1. coll. I, 106. docent adpellationem πρώτης πόλεως, honoris causa multis urbibus attributam; neque civitatum, quae ea ornata fuerant principatum significare. Ita F. H. Rheinwald, Comm. ü. d. Br. P. a. d. Philipp. Berl. 1827. p. 3. s. et Mynster, kl. th. Sch. p. 170. s. H. C. M. Rettig, quaestiunc. Philipp. Giss. 1831. p. 7. de prima Macedoniae quo tetenderat urbe, ex ordine viae explicat. Placuit id ipsum van Hengel, comm. perpet. in epist. Pauli ad Philipp. Lugd. Bat. 1838. p. 4 Philippensibus, ad quos s. Paulus literas dedit u. v. Lege VI. Dig. de Cens. velut ingens beneficium asseritur: ius italicum. Cf. e. C. H. Sandhagen, theol. Sendschreiben. Schlesw. 1692. II, 1. s. 4) Quae nusquam videbatur magis opportuna quam in loco et tempore sacrorum conventuum. 5) Tyathyra origine et purpurae mercatrix Cf. Mich. Hoernlein, de Lydia conversa iuxta Act. 16, 14. Lips. 1699. 6) Apte Bengel, Gnom. ad h. l. „quis credat, in tot familiis nullum

sociosque, ut apud se hospitaretur castae caritatis vehementia coegit. Pergentem alia die ad eundem locum Paulum eiusque comites puella Pythonis spiritu abrepta [1], quae quaestum magnum praebebat dominis suis vaticinando, subsecuta: sanctos viros atque doctores salutis, pleno ore ingeminabat. Cum autem aliis atque aliis diebus idem clamaret, Paulus tandem invocato nomine Jesu spiritum Pythonicum corpore exire iubet. Paruit ille, at ancilla ab oraculis fundendis cessante, domini illius spem quaestus sui intercidisse rati, Paulum et Sylam quasi negotii totius duces in forum ingenti clamore pertrahunt, ubi a magistratu, velut nova Romanis inimica molirentur, ad virgas damnati, in carcerem coniecti sunt vinculisque adstricti. Ex carcere educti ab urbe discesserunt [2]; peragrata citissimo pede

fuisse infantem?" p. 485. Vitringa quoque Obs. s. II, 6., de fundamentis et rationibus Paedobaptismi Christiani n. 6. ex voce „οἶκος" rectissime infert I, 321. „Cum constet per „οἶκον" intelligi omnes, qui familiam constituunt; familiam vero constituere patrem et matrem familiae, liberos maiores minoresque natu, servos, servas vernas, aetate maiores etiam et minores: quis negare ausit hos omnes, et horum in numero quoque liberos minores natu baptizatos fuisse. Nec aliter sentit J. P. Lange, das Apostolische Zeitalter. Braunschw. 1854. II. 2, 504. s. Et olim Origenes, in ep. ad Rom. comm. V, 9. „Pro hoc et Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare." VI, 397.

[1]) Act. 16, 16. πνεῦμα Πύθωνος. Hesychius, Lex. sub v. „Πύθων" II, 1073. non male interpretatur per „δαιμόνιον μαντικὸν", daemonium fatidicum. Habuit igitur puella haec facultatem, qualem possidere dicitur fatidicus. Videsis s. Cyrillum Hierosol., Catech. XVII, 30. p. 278. Didymum, ad h. l. apud J. A. Cramerum, Catena in Acta S. S. Apost. Oxonii 1838. p. 269. s. s. Joannem Chrysostomum, in Acta hom. XXXV, 1. p. 269. Origenem, in ep. ad Rom. comment. VII, 13. ed. Lomm. VII, 151. Neque praetereunda verba Ammonii apud Plutarchum, περὶ τοῦ ΕΙ ἐν Δελφοῖς. β. ed. Dan. Wyttenbach. Lips. 1827. II. 1, 522. „Jam primum omnibus Ammonius recte videbatur eo Dei istius nomina accomodasse, ut non minus philosophum eum quam vatem esse ostenderet: ac docuisse Pythium vocari iis — Apollinem — qui discere incipiunt et percunctantur. „Πύθιος μέν ἐστι τοῖς ἀρχομένοις μανθάνειν καὶ διαπυνθάνεσθαι." Ceterum de etymologia vocis adeundi sunt: Leo Allatius, de Engastrimytho, in Crit. s. ed. Francof. VI, 336. H. G. Hoelemann, die Schriftausdrücke für Mantik und Magie in Bibelstudien. Leipz. 1859. I, 167. [2]) Nocte appetente in preces et hymnos effusos Paulum et Sylam apertae terrae motu fores, laxatis etiam quibus stringebantur compedibus, sui iuris effecerunt. Commentariensis captivos diffugisse ratus, in desperationem actus stricto in se gladio mortem sibi consciscere pararat, ni furentem Paulus cohibuisset. Ingressus carcerem custos productis ipsis foras, lotisque illorum plagis, ut salutis viam sibi indicarent rogavit. Edoctus commentariensis fidem christianam, aqua baptismi eadem nocte cum universa familia perfusus est. Sub solis ortum cum magistratus iussu liberi dimitterentur, Paulus consulens innocentiae famaeque de iniuria et opprobrio expostulat; seque nunquam passurum ut civis romanus post publicam virgarum carcerisque ignominiam clam educe-

Amphyboli et Apollonia Thessalonicam [1] Paulus, Silas et Timotheus pervenerunt [2]. Paulus cum sociis ut primum urbem essent ingressi, domum civis cuiusdam nomine Jasonis [3] adierunt, a quo hospitio excepti sunt. Pro-

---

retur. Metuit autem magistratus audito eos Romanos esse atque iniuriam deprecatus, eductos rogavit, ut egrederentur urbe. Illi cum honore dimissi salutata prius in aedibus suis Lydia, fratribusque visis et consolatis, Philippis exierunt. Act. 16, 19. s.

1) Nobilissimam Macedoniae Metropolim, Xerxis adversus Graecos proficiscentis stationem, veteris Regni Macedonici navale, Illyricianae Romanorum provinciae caput, Byzantini imperii ultimum fere propugnaculum „Θεσσαλονίκη", sub finem borealem litoris orientalis situm habet. Forma corrupta s. decurtata Salonicia, veneranda inter urbes europaeas antiquitate gaudet. Incolarum multitudinem brevi post Christi natalia testatur Strabo, Geogr. VII. p. 592. Graecos fuisse pristinae urbis incolas ipsa nomina urbis graeca — Ἠμαθία, Ἁλία, Θέρμα, — docent. Latini nominis homines cum Macedonia post Andrisci Alexandrique rebellionem a Chr. 149. Romanis plenius parere cepissent, magno numero Thessalonicam, uti alias urbes Macedoniae petiere. Sed copiosi insuper Judaei hic loci degebant, quod quamvis huius rei apud profanos nullum antiquius seculo IV. p. C. vestigium reperiatur, tamen — Cf. J. J. Burgerhoudt, de coetus Christianorum Thessalonicensis ortu fatisque et prioris Pauli iis scriptae epistolae consilio atque argumento. Lugd. Bat. 1825. p. 8. s. Th. L. Fr. Tafel, de Thessalonica eiusque agro. Berol. 1839. prol. p. XV. LXXV. et p. 168. 497. — ex Act. 17, 1. sequitur; et nemo mirabitur, qui egregium civitatis amplissimae situm mercantilem attenderit. Synagogam enim celebriorem in urbe Thessalonica Judaei habebant, neque pauci gentilium proselyti fiebant iudaici teste Act. 17, 4. 17. Longe autem maior numerus ex hoc genere erat mulierum religiosarum, pro maxima parte e nobilioribus; ad quas facilis erat in tradenda Christi doctrina aditus, quia diligenter synagogas frequentabant. Ad civium Thessalonicensium mores quod attinet, mercatura quidem cum maxime in illa ageretur, ea vitam sustentandi ratio multum ad illos corrumpendos contulisse videtur; prouti liquet ex adhortationibus Apostoli, quae obviae sunt in datis ad eos literis. Nulla re ut exponit Joannes Cameniata, περὶ ἁλώσεως Θεσσαλονίκης, cap. III. ed. Fr. Combefisii, Hist. Byz. Script. p. Theophan. ed. Ven. 1729. XV. magis inclaruit quam quod: „Αὐτὸν γὰρ αὐχεῖ Θεσσαλονίκη τὸν Παῦλον ἔχειν τῆς εὐσεβείας διδάσκαλον": p. 241. atque „τὸ ὀρθόδοξον" nomen meruerit. Throni quidem Ecclesiaeque Thessalonicensis magnum semper honorem fuisse, monstrant historiae antiquae, quas diligentissime congessit Tafel, l. c. c. 5. de dignitate urbis ecclesiastica p. 45. s

2) Act. 16, 12—17, 1. Cf. inscriptiones Epist. ad Thess. quibus Paulus non tantum suum sed illorum quoque nomina praemisit. Certe Act. 17, 14. de Timotheo sermo est ut socio Pauli perpetuo. S. Lucas vero, qui Apostolum inde a Troade usque ad Philippos comitatus fuerat, in hac urbe remansisse videtur; quod inde patet, quia neque in literis s. Pauli ad Thessalonicenses, neque in Actis ulla eius mentio fiat; et quod 17, 1. s. tertiam personam adhibeat cum alias constanter prima utatur, in iis enarrandis quibus ipse praesens fuit. 3) Cognati? Rom. 16, 21.

ximo abhinc die sabbati [1] ad synagogam se conferens Apostolus, exponebat s. Scripturas. Verba fecit non solum coram Judaeis sed et aliis quoque praesentibus adventitiis ex gentibus [2]. Eius sermones pluribus eorum, qui genere Judaei erant; sed magis adhuc ethnicis Christi fidem persuaserunt, accesseruntque non paucae matronae honoratiores [3]. Judaei feroces excito improborum de plebe motu invadentes domum Jasonis [4], expetebant peregrinos produci, ut eos in ius vocarent. Paulus [5] nequaquam e re sua iudicavit impetui resistere, maluit clam cum sociis in alium locum se subducere; qua ratione consilium factiosorum destituit. Tumultuantes Jasonem cum quibusdam fratribus ad magistratus [6] abductum graviter accusant, tanquam receptorem hominum in Caesaris edicta contumacium. Sed iudices accusatis [7] benignas praebuere aures, eosque dilato crimine praestitaque cautione de producendo Paulo [8] dimiserunt. Asseclae Pauli [9] nihil cunctati noctu ipsum et Silam ex urbe eduxerunt [10]. Thessalonica digressus mox venit Beroeam, quae urbs non magno locorum intervallo [11] ab ea remota erat, ibique non spernendum fidelium numerum acquisivit. Praeter nobiles enim multas foeminas, Judaeorum [12] virorum quoque ingenti plausu audiebatur [13]. At vero Judaei Thessalonicenses secuti, plebe denuo concitata Paulum discedere coegerunt. Necessitate compulsus urbem relictis ibidem Sila et Timotheo [14] deseruit, atque Athenas profectus est [15].

---

1) Et tribus ordine recurrentibus. 2) Non satis habuit Apostolus Judaeis loqui, verum etiam ethnicis Thessalonicae incolis doctrinam Christi annunciavit. 3) Cf. I. Thess. 1, 7. 9. 2, 1. 13. 16. 4, 5. 13. 4) Ubi Paulus hospitabatur. 5) Frequentius eiusmodi seditiones expertus. 6) Act. 17, 6. „ἐπὶ τοὺς πολυτάρχας"; eorum politarcharum numerum non aperit s. Lucas, sed ex inscriptione quadam Thessalonicensi sex collegit Tafel, l. c. prol. p. 30. Accessit quaestor urbis et rei agonisticae summus praeses. 7) Rem universam uti gesta erat, candide narrantibus. 8) Si res postularet. 9) Qui coll. I. Thess. 5, 12. 13. Evangelii praecones, et hierarchiae diversos gradus ministros constituit. 10) Act. 17, 1—10. coll. I. Thess. 1, 6. 2, 2. 16. 11) Novem mill. germ. 12) Qui Act. 17, 11. generosioris indolis fuisse dicuntur. 13) Isti magna cum alacritate Scripturarum loca, quibus Paulus usus est, sedulo ad examen revocantes ad fidem Christi traducebantur. 14) Ob necessitates Ecclesiae νεοφύτου. 15) In hoc itinere, quod navigando confecturus esset, ex amicis s. Paulum nonnulli comitabantur usque ad mare. Act. 17, 12. Perfecit 5. mill. germ. Meditabatur iter Corinthum, cuius tamen itineris comites Silam et Timotheum cupiebat esse; et ideo ei apud Athenienses, quos sermone gratiae erudire minime fuerat initio propositum, tantisper erat commorandum.

§. 73. Quid s. Paulus Athenis atque Corinthi egerit.

Eo tempore divino plane consilio ipsi aperiebatur campus, ut in celeberrima Graecorum metropoli quoque Apostoli gentium munus obiret; sapientiamque mundanam impugnaret et revinceret. Ecce enim perambulans Athenas [1] excitabat animum eius, quod videret urbem idolis quasi con-

[1]) De Athenis Atticis nil adeo magnifice dici potest, quod non sit infra dignitatem urbis. Athenarum urbs — plurali numero videmus nuncupatas et h. l. Act. 17, 15. 16. 18, 1. I. Thess. 3, 1. et in scriptoribus hodie fere omnibus — regionis Atticae caput, sita prope Eleusinem, sacris Cereris nobilem — d. q. v. The unedited Antiquities of Attica. Lond. 1833. p. 2. s. 6. s. —, latissimi fuit ambitus et mirae pulchritudinis. Ex quo Solon his praeesse coepit, nulla civitatum Graeciae tam firmiter fundata legibus, tamque salubriter temperata quam Athenae. Pericle rem Atheniensium publicam administrante, factum est: ut Athenae singularem in modum crescerent, ceterisque Graecis in omnibus rebus longe antecellerent, et quasi 'Ελλάδος 'Ελλάς existerent. Nam cum suadente Themistocle, navalibus copiis salutem suam civitas credidisset, earum ope illam Persarum cladem paulatim ita eminuit, ut cum ipsa non multum ultra viginti millia ingeniorum hominum haberet, postea tamen permultas insulas et mille oppida; longo circuitu, inde a Cypro ad Bosporum Thracium, hinc autem rursus reducto orbe ad Euboeam usque societatis necessitate sibi devinctae teneret. Non est animus, nec instituti permittit ratio, exponere quid atticae urbi et inventionis et exornationis debeat ars toreutice et pingendi; literae et eloquentia, res scenica et historiae; et ut alia mittamus Philosophia, cuius nobilissimas enumerare familias longum foret. Cf. Fr. Creuzeri, orat. de Civitate Athenarum omnis humanitatis parente, in opusc. sel. ed. Lips. 1854. p. 77. s. Neque postea fractis ad Chaeroneam Graecorum opibus, literarum honor, quo Athenae floruerant vetustate obsolevit. Nam inde ab Alexandri M. aetate, patefacto terrarum orbe, latius etiam diffusa Atticorum eruditio Asiae magnam partem aliasque regiones implevit. Subsecuta sunt tempora iniqua, nam Romanorum victricibus armis capta, non iis fruebatur iuribus, quibus antea superbiit; at vel sic tamen priscus literarum splendor non evanuerat. Qui enim ex Romanis harum tractationi operam dabant, iis fere Athenas mittebantur, quas ab hac re Propertius „docta" adpellat. Plurima huc facientia elogia congessit: Meursius, de fortuna Athenarum. c. 8. in Thes. Gronovii V, 1722. s. Ad tam „claras et doctas" dixit Paulus orationem, de qua s. Augustino in votis fuit, serm. 156. de verbis Apost. Rom. 8. n. 7. V, 753. ut sibi contigisset Apostolum pro Areopago perorantem audire. Sane utut oratio Pauli ad scholae leges confectam minime vocare possimus, tamen insigne praebet eloquentiae specimen, quod se prudentia, urbanitate, ordine et perspicuitate commendat. V. p. 328. Hac dictione Paulus dignum se exhibuit, cui in celeberrima urbe, inque huius nobilissimo loco dicendi facultas concederetur. Interim de gestis d. Pauli in urbe Atheniensium legendi: A. Calmet. diss. de epigraphe arae Atheniensis. p. 251. M. F. Eckhardi, Athenae superstitiosae, in Th. th. p. 461. M. G. Wonna, de ara Dei ignoti ib. p. 464. s. Iis adde

sitam [1]. Indignabatur et doluit Athenienses, in maxima literarum luce, veri Dei cognitionis adeo rudes et hebetes. Adiit more suo primum Judaeos hac in civitate degentes, iisque monstravit, Jesum Christum verum esse Messiam. Neque hic substitit Apostolus sed memor divinae iussionis [2], gentilibus [3] annunciavit Evangelium. In his erant nonnulli philosophi Epicureorum [4] et Stoicorum [5], quorum tunc temporis supra reliquas familias ingens erat copia, placitis addicti; qui de nova philosophia Apostoli inaudientes statim advolabant, eumque quaestionibus de Deo atque mundo sublimioribus aggressi sunt. Cumque ea esset in verbis et sensibus Pauli maiestas, quae hominum ψυχικῶν longissime excederet intelligentiam, illum cuius oratio λόγος erat et σοφία, conviciantur σπερμόλογον seminiverbium [6] adpellantes. At conviciis non contenti cavillantur insuper, quod in rebus ad Deos eorumque cultum pertinentibus a Graecorum communi sensu atque sententia aliena et inaudita dictitaret; quoniam Jesum ἀνεστεκότα praedicaverat [7].

---

de ἀγνώστῳ θεῷ diss. singul. J. E. Segeri, I. et II. Regiom. 1710. 12. F. Fabricii, Lugd. Bat. 1713. G. Olearii, diss. ad Act. 17, 16. in Thes. n. p. 661. J. L. Schlosser, de iisd. ib. p. 669. Niemeyeri, interpret. orationis Paulinae Athenis in Areopago habitae. Hal. 1805. Baden, diss. arae Deo ignoto dicatae causas ex antiquissima relig. natura probabiliter esse repetendas. Havn. 1787. J. A. Anspach, de oratione Pauli Athenis habita. Lugd. Bat. 1829.

1) Κατείδωλον Act. 17, 16. In qua erat maxima statuarum, quibus dii deaeve atque heroes repraesentabantur, copia. 2) Act. 9, 15. 3) In Eretria foro, tempore quo maximi fierent concursus, ementium, vendentium, aliaque eius generis negotia tractantium. 4) Epicurei iuxta cum Cyrenaicis magis, quam ulla alia Philosophorum familia vitae huius commodis intenti, statuebant: Deos a rebus humanis semotos longe seiunctosque, immortale aevum et summe tranquillum cum pace agere, cultus humani plane non indigos, irae perinde ac favoris et clementiae expertes; mundi vero machinam ex fortuito confluxisse atomorum concursu. 5) Stoici homines divinam esse progeniem docebant; atque tantopere vires ingenii humani extollebant, ut rationem per se solam recte perpurgatam vitiorum omnium unicam emendatricem ponerent, suique sapientis cum ipso Jove beatitatem comparare non vererentur. 6) Quasi sementem faciens, multos et prolixos sine delectu et iudicio ut solent, qui semina manu spargunt, haberet sermones. Sic Suidas, Lex. s. h. v. II, 870. et Hesychius, Lex. s. h. v. II, 1246., ubi cfr. Alberti, n. 13. Cotelerius, monum. Eccl. gr. II, 588. G. de Neve, de Epicur. et Stoic. intent. conv. Franc. 1708. Huc pertinet P. Zornii, diss. de hoc Atheniensium sarcasmo. Kilon. 1710. Walch, diss. ad Act. 17, 18. Jen. 1795. C. F. Boerner, de disput. Pauli cum Epic. et Stoic. Jen. 1751. J. A. Anspach, de oratione Pauli ap. Athenis habita Lugd. Bat. 1829. p. 61. 7) Hoc enim caput praeconii apostolici semper, ut Christum annunciaret, qui mortuus est et resurrexit; nam resurrectione concessa cetera quoque, quae de divina eius natura virtute et operibus dicebantur, nullo negotio poterant probari. V. E. W. Kotthoff, Vita Jesu Christi a Paulo Apostolo adumbrata. Hafn. 1852. p. 49. H. R. D. N. T. p. 158. s.

Manu leniter prehensum ad Areopagum[1] duxere non ad iudicium; sed ideo quod multi ibi esse solerent rhetores, eruditi senatores et alii. Ibi lis Paulo mota; causa religionis agenda in acutissimorum hominum[2] conventu. Nec occasionem tam opportunam prudentissimus temporum aestimator Apostolus dimisit. Stoici et Epicurei curiosi, quid tandem novi adferret, quaerebant?[3] Nullo facto prooemio a re ipsa exorditur[4], laudat Athenienses, quod pro copia cognitionis suae religiosi essent[5]; probari sibi pium illustris urbis studium, hortatur agerent, quod agerent. Sed quem ignotum nominarent Deum, in hunc ipsum, cuius aram offendit, verum ac

---

1) Ἀρειόπαγος, collis Martius, in media urbe situs erat, iuxta arcem urbis in rupe adversa, ad occasum, in quo conveniebant iudices, qui vulgo Areopagitae audiunt. Hoc tribunal ius dixit de rebus capitalibus. Dignitas eius atque auctoritas apud Veteres erat maxima. Nulli in illud cooptabantur, nisi viri sapientia, temperantia, iustitia, et fortitudine praestantes, moribusque optimis conspicui. Ceterum de Areopago legendi sunt: Harduinus, de nummis Herodiad. in op. sel. p. 351. et 634. J. Schedius, de Areopago in Thes. nov. p. 675. s. Chr. F. Haven, diss. de Areopago. Hafn. 1708. Jo. Meursius, de senatu Areopagitico lib. sing. in Jac. Gronovii, Thes. Graec. Antiq. Ven. 1732. V, 2071. s. Böckh, de Areopago. Berol. 1826. E. Robinson, Palaestina. Halle 1841. I, 11. s. 2) Volunt enim hac laude, et quidem cupidissime censeri Attici. 3) Eloquentia non minus quam loquentia, clarae erant Athenae, civitas ideo „linguata" dicta Tertulliano, de anima c. 3. IV, 172. 4) Ut aditum sibi pararet ad eos docenda rectiora. 5) Cum Civitas non consistat sine religione, quippe quae vinculum societatis est, nec homines bestiarum more sinit vivere, de ea paucis quaeramus, quae Athenienses continuit. S. Lucas, Act. 17, 22. „δεισιδαιμονίαν" illis adscribit. Adiectivum δεισιδαίμων a verbo δείδω timeo, est et δαίμων quae vox Graecis primo quidem deum significat, dein potestates summis quidem Diis inferiores, humana natura tamen superiores; genios quos gentiles hominibus tribuebant. His positis difficile non erit intelligere δεισιδαίμων dupplici modo sumi, ita ut de eo dicatur, qui religiose timet ideoque colit, quidquid divinitate aliqua censetur; aut indicat eum, qui nimia sollicitudine superstitiose deorum et numinum cultui adhaeret, qui sensus profanis scriptoribus non infrequens est. Disputatur, quonam sensu hic accipiatur? Negari non potest Apostolum, qui Athenarum σεβάσματα Act. 17, 23. perlustraverat, idque propter animo fuerat accensus, haud laudare eos, quos idololatras viderat, atque „ξένα δαιμόνια" clamare audiverat. Act. 17, 18. Purior religio dudum in animis gentium desierat, et superstitio quam iure quasi haereditario a maioribus acceperant, in mentibus illarum egerat radices. Etsi vero talis δεισιδαιμονία totam Graeciam invasisset, cumprimis tamen Athenis invenerat sedem; id quod s. Scriptor Actuum comparativo et particula ὡς — ad rei certitudinem et veritatem notandam — significavit. Verum tamen probabile est, Apostolum hanc vocem prudenti cum delectu usurpasse, ita quidem: ut libera sed benevola simul oratione, atque utendo eo loco quem vocant rhetores „a fortuitis", leniori reprehensione in Atheniensium animis insinuarit: ut illi quem ignotum nominarent Deum, cultum facerent.

proinde unicum honorem transferrent [1]. Prudenter admodum divino afflatus spiritu, s. Paulus sermonem de Jesu Christo iniecit. Quo nominato, occasionem captabat de eius persona et opere uberius dicendi. Sed ecce homines vani doctrina de resurrectione offensi importune eum interpellarunt. Alii quod non intelligebant praecipiti iudicio respuentes, Apostolum sannis exceperunt; alii segniores ad indagandam veritatem in crastinum eius rei disputationem differre volebant; alii presse Paulum secuti, nec dimittendum putantes, antequam totam orationem pertexuisset, doctrinae ab eo annunciatae fidem habebant Christoque nomen dederunt. Hos inter Dionysius Areopagita [2] eruditione insignis, et mulier quaedam [3] nomine Damaris

[1]) Deus, inquit, nequaquam, templis manufactis, imaginibus statuisque quoquo modo ipsum repraesentantibus concluditur, cum sit Coeli et Terrae Dominus, omnibusque quod sunt largiatur; neque hominum opera sic colitur, quasi non satis suis pollens opibus, illius ad felicitatem sempiternam indigeret. Hic ut ex uno parente totum humanum genus procrearetur disposuit, eique universum orbem habitandum dedit; ac de omnibus pro imperio decernens — hoc pacto percellit Epicureos qui providentiam negabant. — singulis populis migrationes, exilia et quae cum his coniunguntur, praestituit summo consilio. Quo in moderamine id imprimis requirit, ut homines velut manu Deum quaererent et invenirent; non esse dissitam a nobis Dei scientiam, modo ad nos ipsos reflectamus. Constat enim nos auctore illo vivere, moveri et esse; iuxta ac quidam e vestris Poetis — Aratus, φαινόμενα v. 5. ed. J. Bekker. Berol. 1828. p. 1. — profitetur, ipsius enim et genus sumus. Cum ergo nos homines, quasi soboles simus Dei, adeoque ad imaginem facti creatoris, vitaque praediti et intelligentia; adeoque si recte sentire velimus, de parente nostro Deo, neutiquam existimare debemus: Numen divinum sub imaginis, ex auro, argento, lapide, arte licet et cogitatione sculptae, figura adstringi. Deum haec ignorantiae tempora nihili aestimare, dummodo nunc poeniteat illos, proposita sibi iudicii futuri memoria, per illum ipsum exercendi; qui sua morte et resurrectione invitavit ad resipiscentiam. [2]) De quo post E. Dupin, Bibliotheca nova auct. eccl. Par. 1692. I, 51. s. Tillemont, Memoir. II, 122. s. 524. s. C. Oudin, comm. de script. Eccl. ant. Lips. 1722. I, 48. s. 1353. s. Nic. le Nourry apud Sprenger, Thesaurus rei patrist. Wirceb. 1784. I, 240. s. R. Ceillier, Hist. gen. des aut. s. Par. 1748. XV, 362. J. Sirmondum S. J., diss. in qua Dyonisii Parisiens. et Dion. Areopagitae discrimen ostenditur. Op. var. Ven. 1724. IV, 241. s. J. Delaunoy, respons. de duob. Dion. Par. 1642. p. 235. C. Byeum S. J., de s. Dionysio Areopagita Comm. praev. in Acta S. S. Octobr. IV, 696. s. Lumper, Hist. theol. cr. I, 396. s. J. G. V. Engelhardt, de Dionysio Areopagita Plotinizante. Erl. 1823. p. 50. s. L. F. O. Baumgarten-Crusium, de Dionysio Areopagita in opusc. Jen. 1836. p. 268. s. R. Koepke, apud Pertz, Mon. Germ. hist. Hann. 1851. XI, 343. Fr. Hipler, Dionysius der Areopagite Augsb. 1861. p. 11. s. qui suis opem tulerunt libris, non est cur hoc loco prolixe agamus. Horum libros adeat, qui volet legere de controversia super scriptis nomine Dionysii circumlatis, quae parum certa et sincera sunt. Neque apologiae P. de Halloix, Scr. Or. I, 2. s. a. Natalis, diss. XXII. I, 225. Petri Lansselii S. J., apud Corderium op. II, 469. aliquid profecerunt. [3]) Ingenua et conspicuae virtutis matrona.

Nuncio de conditione Ecclesiae Thessalonicensis recens conditae ipsi allato per socios itineris Beroea Athenas profectos; Timotheum mox remisit fidelibus consolandis et confirmandis. I. Thess. 3, 1—5. Neque tamen diu post Athenis discessit, ubi cerneret in hac urbe quam graecanicae superstitionis parentem prisca aetas agnovit, coelestis veritatis praedicationem non proficere. Corinthum [1] perrexit; qua quidem in civitate commoratus est annum et dimidium. Habitavit apud Aquilam Judaeum et Priscillam coniuges, qui nuper Claudii edicto Italia profugi eo pervenerant: tabernaculorum opificio intentus prudenter, quod Pseudoapostoli gratis docerent [2]. Sed non impediit ea in mechanica arte sedulitas, quominus praedicationi Evangelii impenderet potissimum operam. Nam vehementi zelo singulis sabbatis in synagogis docuit et in obsequium Christi Judaeos pariter ac Graecos pertraxit [3]. Inter hos Stephanam cum familiaribus, tanquam Achaiae primitias Deo sacratas, Crispum Archisynagogum et Caium manu propria sacro baptismate abluit [4]. Timotheus, quem Paulus Athenis miserat Thessalonicam,

---

[1]) Romanis Graeciam occupantibus duae erant maiores Graeciae partes: Macedonia, quae amplectebatur ipsam Macedoniam, Epirum et Thessaliam, et Achaia, qua continebatur Graecia propria dicta, Peloponnesus et insulae adiacentes. Achaiae caput fuerat „Κόρινθος" Corinthus, condita ad radices montis Acro-Corinthi, inter duo maria: Jonicum et Aegeum in Isthmo quasi spectaculo exposita. Quamvis a C. 146. a Romanis solo aequaretur, tanto tamen splendore Colonia „Julia Corinthi" postea e ruderibus instaurata fuit, ut Pauli aetate „civitatem magnam, divitiis et sapientia mirabilem, Graeciaeque praecipuam" dixerit s. Chrysostomus, argum. ep. pr. ad Cor. X, 2. Situs urbem mercaturae aptissimam reddidit, hinc Graeciae forum habebatur, in quo terra marique commercium ageretur. Evasit item Asiae et Europae emporium, quod Orientales — in his Judaei qui patriis arvis relictis eas appetebant regiones, ubi mercaturae studiis indulgere possent — non minus quam Occidentales maxime Itali Siculique frequentabant. Opulentia civium ex commerciorum frequentia proveniens, mores eorum ad fastum, luxum, libidines, nimium quantum corruperat. Clara itaque at libidinosa Corinthus divitiis — quibus ad fastigium suum pervenit — et luxuria Athenas superavit: contra doctrina et humanitate ab iisdem vincebatur. De ipsa urbe et eius rebus memorabilibus praeter geographos veteres Pausaniam in Achaicis II, 1—6. et Strabonem, geogr. VIII. 7, 3. adeundi H. Wilkens, spec. antiq. Corinth. select. ad illustr. utr. ep. P. Brem. 1747. J. E. Walch, antiq. Cor. 1761. G. Chr. Storr. not. hist. ep. Pauli ad Cor. interpr. inserv. Tub. 1788. C. Mannert, Geogr. d. nördl. Griechenland. Leipz. 1822. p. 355. s. Wagner, rer. Cor. spec. Darmst. 1823. H. J. Roayaards, de altera Pauli ad Cor. ep. p. 2. s. Barth, Corinthiorum commercii et mercaturae historia. Berol. 1844. J. E. Osiander, Comm. ü. d. e. B. P. an die Kor. Stuttg. 1847. Einl. p. 1. s. [2]) Act. 18, 1—3. coll. I. Cor. 9, 18. s. II. Thess. 3, 8. 9. [3]) Monitus divinitus, ne timeat praedicare Evangelium. [4]) Act. 18, 4. I. Cor. 1, 14. 16. 16, 16.

cum aliquantisper ibi commoratus esset, iterum cum Sila s. Silvano se comitem iunxit Paulo. Regressos amicissimus excepit Apostolus, namque plurima in his valde laeta de coetus illius conditione tradebant; at vero etiam tristia de gravibus iniuriis, quas Christianis perferre oporteret addidere. Voluisset ut sibi licitum foret ad eos redire, quominus vero illud faceret pertinaci Judaeorum odio impediebatur; neque ignorabat multa magnaque sibi peragenda esse. Qui quidem desiderio ad Thessalonicenses reverti, cum nondum satisfieri posset, dabat ad eos literas et quidem priores[1]; in quibus cum de die extremi iudicii aliquanto obscurius scripsisset, clarius missis secundis non multo post super eodem mentem aperuit. Cum Paulus etiamnum Corinthi versaretur impensius praedicationi intendebat. Judaeis Christum cruci affixum, Messiam patribus promissum esse testabatur; cui veritati cum uti alibi ita et hic perfricta obstinatione resisterent, protestatus est abhinc se ad gentes locuturum[2]. Judaei studio perdendi Paulum ad Gallionis[3] tribunal violatae Legis accusarunt. Is comperto odio eos a se repulit; ad forum suum de Lege Hebraeorum quaestiones haud pertinere professus[4]. Tum Paulus venit Cenchras[5], apud Phoeben Ecclesiae Cenchrensis diaconissam[6] hospitaturus. Voto[7] quod antea nuncupaverat abrasa coma solutus, Syriam nave petiit; assumtisque secum Aquila et Priscilla Ephesum nobilissimum Joniae emporium appulit. Inde paucis actis diebus, illis relictis, iterum solvens Caesaream progressus est; deinde vero Jerosolymas contendit, unde salutata Ecclesia postquam festum aliquod celebraverat, Antiochiam Syriae repetiit, quo loco aliquod tempus consumsit[8]. Paulo iter faciente Jerosolymas, Ephesum interim venerat Apollo, Judaeus origine Alexandrinus, vir eloquentia praeclarus atque Scripturarum cognitione cultus[9]. Sola tantum mysteriorum Christi rudi-

---

1) I. Thess. 3, 6. 2) Mirum quot ex ethnicis Corinthi degentibus, cumprimis etiam viri genere et meritis nobiles, sesquiannuo labore Christi partium effecerit, adiuvantibus Aquila, Timotheo, Sila et aliis. 3) Qui proconsulis munere apud Achaios fungebatur. D. q. v. Walch, l. c. p. 32. s. 4) Sosthenem tamen a Judaeis apprehensum caedere permisit. 5) Habentes portum et navale Corinthi. 6) Quin et apud Caium coll. Rom. 16, 1. 23. 7) Cf. Hist. Rev. d. V. T. p. 160. 8) Act. 18, 23. 9) S. Hieronymus, Comm. in ep. ad Titum 3, 12. p. 739. inquit: „Fuit autem vir Alexandrinus ex Judaeis valde eloquens et perfectus in lege, Episcopus Corinthiorum, quem propter dissensiones quae in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam cum Zena Legis doctore putandum est transfretasse; et Pauli epistola dissensionibus quae Corinthi ortae fuerant temperatis, rursum Corinthum revertisse.“ De Apollo plura reperiuntur apud J. Clericum, Historia eccl. duor. primor. a Chr. n. saec. Amstel. 1716. p. 318. s. L. Müller, diss. de eloquentia Apollonis. Schleus. 1717. J. J. Pfizerum, de Apollone doctore aposto-

menta noverat, nec nisi Joannis baptismo initiatus tamen Jesum summo fervore praedicabat. Hunc igitur in synagoga frequenter ad concionem dicentem Aquila et Priscilla audiverant; simulque ipsis et dona egregia profectusque doctrinae et defectus Apolli notabiles innotuerunt. Quos ut emendarent, assumserunt eum atque Evangelium ei exactius et amplius domi exponebant[1]. Corinthum abeuntem Apollum Ephesini literis tum a sincera fidei communione, tum a donis egregiis commendabant. Illic ea vi eruditionis et facundiae[2] docuit, ut Ecclesiae Corinthiorum in partes scissae aliqua sectio ab ipso fuerit adpellata[3].

§. 74. Prioris d. Pauli Thessalonicensibus scriptae epistolae argumentum.

Quomodo Ecclesia Thessalonicensis sese haberet, probe cognoscebat d. Paulus; atque hanc cognitionem attendens Apostolus: consolationes, admonitiones, laudes Thessalonicensibus impertitur[4]. Salutat eos scribens:[5] gratia[6] vobis sit et pax![7] Salutata Thessalonicensium Ecclesia a gratiarum actione facit initium, quod praedicatio evangelica cum plena et perfecta omnium

---

lico, in Thes. nov. p. 691. s. Storr, not. hist. ep. Pauli ad Cor. interpr. serviens in Opusc. II, 242. s. F. A. W. Krause, Pauli ad Cor. ep. Francof. 1792. prol. p. 35. s. 59. s. Fr. Bleek, Vers. ein. vollst. Einl. in d. Br. an die Hebraeer. Berl. 1828. p. 420. s. Heymann, in. eph. Sächs. Stud. 1843. p. 222. Klotz, in Welte K. L. I, 361. W. Beyschlag, de Ecclesiae Corinthiae factione Christiana. Hal. 1861. p. 14. s. C. Passaglia, de praerog. B. P. p.2 79.

[1]) Apollo quidem qui tantis naturae et artis dotibus pollebat, singulare humilitatis et modestiae praebet specimen, accuratius ab iis institui non recusans, qui ex Pauli disciplina haud ita pridem prodierant. Ubi arcana fidei exquisitius didicerat, nihil magis habebat in votis, quam verbum Dei praedicare. [2]) Cuius studiosi erant Graeci, quaeque magnam apud eos vim habebat. [3]) Act. 18, 5.—19, 1. coll. I. Cor. 1, 12. 3, 4. 6. [4]) Epistolas suas ordiendi mos Doctoris gentium erat, quod praemisso suo sociorumque nomine, in quorum comitatu Evangelium annunciarat, eius nomen Ecclesiae ut plurimum subsequeretur, ad quam dedit Literas. In his ad Thessalonicenses nomini suo non adiecit cognomen Apostoli, quod in aliis solet; quia non opus erat titulo auctoritatis apud eos, qui ultro eum agnoscebant, deinde bonis et sibi addictis scribebat. [5]) Hebraica salutandi formula. [6]) Quae omnium bonorum et vitae aeternae est principium. [7]) I. 1, 2. Hominibus qui Deo Patri grati acceptique non sunt, nulla potest solida veraque contingere pax, unde consuevit Apostolus cum Dei gratia coniungere pacem; quae ut omnia divina munera in homines derivatur, per Christum Dominum Filium eius.

argumentorum [1] abundantia, tam admirabiles effectus in ipsis operata fuerit [2]. Ut constantiae in fide studium corroboraret, revocat Thessalonicensibus in memoriam, quomodo relictis idolis vita carentibus incredibili alacritate Jesum, secuti sint [3]. Huius autem Filii Dei iudicis, quocunque tandem tempore apparíturus sit, reditum salutarem cum desiderio exspectandum bonis, quod ab eo praemiandi sint [4]. At vero metuendum erat, ne Judaei nil intentatum relinquerent; ut animos christianorum Thessalonicensium dissociarent ab Apostolo huiusque sociis. Contra hos assultus [5] eos munire pergit [6]. Statuisse se Thessalonicam reverti semel et iterum, sed Judaeos diaboli instrumenta praepedivisse. Ut tamen [7] huic animi sui desiderio satisfaceret, Athenis eo misisse Timotheum coadiutorem, ob pericula in quibus versarentur [8]. Nuper autem postquam redierat Timotheus, et laetissima de ipsis nuncia tulisset, gavisum se maxime super perseverantia Thessalonicensium in fide. Nocturna diurnave oratione Deum rogare, ut opportunitatem eos revisendi largiatur; neque hoc propter se et consolationem suam, sed ut per ampliorem eorum quae docuit explicationem illos in doctrina Christi perfecte instrueret. Interea cum Dominus viam ad eos a cunctis impedimentis liberet, illorum multitudine credentium adaugeat Ecclesiam [9]. Post laudatam fidei constantiam ad vitam vere sanctam, et ad officia christiana professione digna

---

1) Quibus fides potest confirmari. 2) Magnum enim beneficium Dei est fidem tam promte suscepisse, et inter tempestates persecutionum servasse infractam et immobilem: adeo ut conversionis et virtutis eorum fama in exemplum serviat omnibus, qui in Macedonia et Achaia, imo tota Graecia Christiani. 1, 3—8. 3) Qui adplicat nobis meritum suae passionis. 4) 1, 9. 10. 5) C. 2. i. 6) Ut omnia rei Christi adversariorum tentamina omnino evertat, narrat, quam sincero affectu ipsis praedicaverit utque nulla ratione iis molestus esset manibus suis laborasse; unde pronum est colligere, quod nullum lucrum temporale quaesierit. Appellat conscientiam eorum, qualiter interiore mente per affectum voluntatis et assensum intellectus Verbum fidei susceperint. Quod Verbum Dei operatur in ipsis, inde patere, quia similes facti Palaestinis. In bonis corporis et fortunae iniurias passi sunt a contribulibus suis, qui omnium hominum generi invisi, salutem eorum impediunt. 7) C. 3. 8) Ne vel unus quidem in fide fluctuare incipiat, et ita evacuetur labor Apostoli fructu illo ubere, quem in coetu Thessalonicensi pepererat. 9) Vos, inquit, Deus multiplicet caritate, diffundendo eam per multa bona opera; et ut in magnam crescat sanctitatem, quae in vobis reperiatur; etiam cum Christus ad iudicandum venerit.

exhortatur[1]. Illud autem praecipue hac sua epistola assequi studuit Paulus: ut Thessalonicenses meliora doceret de mortuis, qui ante reditum Salvatoris solennem defuncti essent; quorum sortem illi lugebant[2]. Apostolus fideles ab immodico luctu revocaturus, certissima spe vitae animat futurae[3]. Ut omnem metus et doloris causam expugnet, idcirco modum et circumstantias Christi ad iudicium venturi describit. Dominus in propria persona de coelo descendet, Angelosque iubebit per totum mundum mortuos excitare. Qui mortui sunt in Christo resurgent primum, antequam alii tunc viventes rapiantur cum illis, morte tamen brevissima antecedente, celeriter obviam Jesu, et in nova ista gloriosa vita tota aeternitate Domini societate fruentur. Itaque super morte eorum, qui sic dotibus gloriosi corporis supervestientur, non decere eos immodica affici tristitia[4].

---

[1]) C. 4. Ut memoria partae per Jesum salutis omnes ad Sanctorum conversationem permoveat, nomen Salvatoris interponit. Obtestatur religiose: ut caveant sibi a peccato libidinis, quod corpus et animam maculat. Qui istud praeceptum spernit, Spiritum Sanctum spernit eiusdem auctorem. Monet suaviter ut colant caritatem, ut arte quisque sua victum comparet, ne otiosus aliis gravis et molestus accidat inverecunde mendicando. V. 1—11. [2]) Sive enim illi e mortuis excitati serius ad aeternam felicitatem perventuri, sive ad minorem coelestis gloriae gradum ascensuri existimabantur; quin etiam nonnulli, maxime ex ethnicis, videntur non satis credidisse resurrectionem corporum. [3]) Ad defunctos quod attinet credentes, in sepulcris suis non tam mortui quam dormientes iacent per fidem, qua fit ut mors eorum sit tantum somnus. Vult ne, ut reliqui homines dogmatis christiani expertes, veluti perditos insolabilibus deflerent lacrimis; quia resurgent ad vitam. Non esse quod dubitaretur, quemadmodum Christus a mortuis resurrexit, similiter nos etiam resurrecturos. Affirmat e mandato divino, illos qui ad secundum Salvatoris adventum mansuri sint superstites, nihil praecipui prae aliis iam mortuis habituros. [4]) 4, 12—18. Loquitur h. l. s. Paulus in persona electorum, quos Christi ad iudicandum reditus viventes reperiet: et quia tempus illud incertum est, loquitur quasi de re quae ipsis adhuc viventibus fortasse eveniat, ut eos suspensos teneat. Ex hoc autem modo loquendi visum est nonnullis viris, Apostolum arguere erroneae opinionis: solennem Christi ad iudicandum adventum eventurum, cum adhuc „ἡμεῖς οἱ ζῶντες.“ I. 4, 15. Negari nequit videri posse s. Paulum 4, 15. 17. semet ipsum inter eos numerasse, qui superstites essent ad reditum illum Domini. Verumtamen multis argumentis probare licet, Apostolum non existimasse se „ἐν τῇ παρουσίᾳ“ Christi adhuc in vivis fore. Et quidem a. ex hac ipsa I. Thess. epist. colligere possumus d. Paulum παρουσίας Christi tempus minime omnium definiisse. Enimvero 5, 1. negat indicaturum se tam χρόνους quam καιρούς, id quod Thessalonicenses procul dubio eum interrogaverant. Rem ita esse egregie confirmatur b. II. Thess. ep. ubi 2, 1. corrigit errorem ex I. 4, 15. s. male intellecto. Adiurat eos ne di-

Itaque[1] obtestatur Thessalonicenses, ut non moveantur. Hanc quidem παρουσίαν, bonis tam desiderabilem, malis formidabilem subito futuram; attamen ipsos non habere, quod eam metuant, si modo quovis tempore animum servaverint adventui iudicis bene praeparatum[2]. Propter spem vivendi simul cum Christo tam super morte amicorum, quam super propriis miseriis consolati, unus in altero studeat promovere aedificium spirituale fidei[3]. Honorem et necessaria victus sui ministrent iis, qui enixe sacris funguntur. Errantes et debiles in fide nuper suscepta, patienter ferant et sublevent[4]. Tam in adversis quam prosperis laeti et tranquilli gaudeant, mentem apud Deum habeant; denique alia praecepta[5] iniungit saluberrima, et ad preces transit[6], quibus animis fidelium plenam et consummatam a Deo rogat sanctificationem[7]. Sequitur humilis postulatio Apostoli, ut pro ipso pariter orent. Salutari porro iubet singulos in osculo indice s. amoris; praecipitque ut haec epistola legatur omnibus fratribus[8].

iudicii instante terreantur; eximit illis sollicite opinionem illius parusiae mox exspectandae. Memorat quaedam, quae antea eventura essent; coll. Rom. 11, 25. 26., de quibus nulla ratione dici potest Paulum credidisse suo adhuc tempore accidere debere. Praeterea c. coll. I. Cor. 6, 14. II. 4, 14. 5, 2. Philipp. 1, 23. II. Tim. 4, 6. eiusmodi de suis ipse futuris rebus tradit, quae cum placito de Christi aevo Pauli redituro conciliari nullatenus possunt. Ex his sequitur s. Paulum verbis I. 4, 15. s. docere: tempus parusiae incertum, fac inquit; ut nos veniente Christo supersimus, nullum proveniet nobis prae prius defunctis inde commodum. Religio nobis esset hic praeterire silentio, quod fuerit de hac re s. Augustini iudicium l. i. c. n. 9. p. 745. „Nunc autem nec illis hoc opus esse monstravit, quibus sufficiebat ut scirent imparatis atque dormientibus horam Domini sicut furem esse venturam, atque hoc sciendo essent ipsi vigilanter parati post quantalibet veniret tempora, et suum servavit modum ut licet Apostolus, non tamen praesumeret alios docere, quod Apostolum dixisse cognoverat: Non est vestrum scire.“ Cf. Burgerhoudt, de coet. Thess. ortu etc. p. 152. s. Fr. G. Lindner, die Stellung s. Pauli zu der Frage um die Zeit der Wiederkunft Christi. Leipz. 1858. p. 7. s. Th. Simar, die Theologie des h. Paulus. Freib. 1864. p. 228. s. H. R. D. N. T. p. 92. s.

1) C. 5, 1—3. 2) Vigilandum esse in sobrietate et bonis operibus. Armis et quidem lorica fidei et caritatis, qua partes vitales impenetrabiles reddantur adversus tela ignita diaboli; galea autem spei, qua anima in coelum erecta, munitur, bene instructi. 5, 4—8. 3) 5, 9—11. 4) 5, 12—15. 5) 5, 16—22. 6) 5, 23. 24. 7) Quod 5, 23. „σῶμα“ et „πνεῦμα“ et „ψυχή“ seorsim commemoratur, non ex discrimine quodam utriusque derivandum est. A vero recedunt — e. g. Fr. Delitzsch, System der biblischen Psychologie. Leipz. 1855. p. 70. s. aliique —, qui ex his verbis tres partes hominis essentiales extorquere conantur. 8) Cum in illa sint talia, quae expedit omnes scire.

§. 75. Epistolae ad Thessalonicenses posterioris argumentum.

Ex divisione agendorum, quae s. Paulus hac epistola scribenda sibi proposuerat, tripartita est. Cum Dei in Thessalonicenses collata beneficia, sua esse reputet Apostolus; gratias agit Domino ob fidem et caritatem eorum, quae maioribus in dies proficit incrementis. Laudat propter constantiam in persecutionibus, narratque se apud ceteras Ecclesias gloriari de illorum perseverantia. Tum erigit animos eorum, ostendens quantum ipsos praemium, adversarios vero supplicium maneat, cum Dominus veniet de coelo in iudicium [1]. Corrigit errorem ex prima epistola perperam intellecta ‚de instante die iudicii extremi.' Cum enim quidam impostores turbarent Thessalonicenses; quasi ex mente Pauli in singulas horas adventum Christi exspectandum haberent, explicatione ampliore opus erat [2]. Dicit signa quae antevertent adventum iudicis nondum apparuisse. Ore coram se explicuisse Antichristi ante extremum iudicium prodituri catastrophen. Denuo tamen doctrinam ‚de secundo Christi adventu exponit.' Non prius Jesum de coelis rediturum, quam iam apparuerit in mundo, quae iam adhuc latet in suis causis, discessio sive apostasia et homo flagitiosissimus. Hic talem se feret, ut exstincto, quantum poterit, veri Dei cultu fastuose sedem figat super aede sanctissima. Quid nunc illum cohibeat, quominus palam vim suam longe lateque proferat, ait, bene nostis. Non deesse hac etiam aetate illius praecursores, qui occulta nequitiae illius hominis praeludunt. Christum attamen Assertorem nostrum ad Ecclesiae suae in extremo pene discrimine laborantis auxilium adventurum, et suae praesentiae illustri manifestatione [3] Antichri-

---

[1]) Veniet inquam ut glorificetur in vobis, quos tanta virtute armavit, ut omnia adversa propter ipsum animo invicto toleretis. Cap. 1. [2]) Exhortatur ne dimoveantur a sententia, quam ea de re docuit, neque per praedicationem cuiuscunque ex S. S., aut coniecturis viciniam illius diei annunciantis; neque per epistolam quam supposito nomine Apostoli impostores quidam confinxerant. [3]) Ex Dei desertione homines per Antichristum decepti exultabunt in rebus pessimis, sed iudicio divino damnabuntur. 2, 4—11.

stum eversurum. Redit ad gratias agendas et monet lectores: ut retineant doctrinam ipsis verbo et scripto traditam[1]; atque vota eloquitur pia[2]. Denique iniungit praecepta saluberrima[3]. Tandem solenni pacis et gratiae Christi[4] optatione, hanc uti ceteras epistolas conclusit. Ut vero genuinas d. Pauli literas a suppositítiis dignoscerent, votum propria manu perscripsit; qua re qua sisigillo impresso cavit, ne artibus impostorum sub ipsius nomine epistolas obtrudentium decipiantur[5].

Digressio de sententia atque ratione verborum II. Thess. 2, 3. „homo peccati"; atque 2, 7. „ut qui tenet nunc teneat." Inquirendum quis sit „ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας" 2, 3.; et quo sensu P. scripserit „ὁ κατέχων" ib. v. 7. Non moramur convitia et cavillationes in libris symbolicis Acatholicorum, — Cf. Articul. smalc. II. 4, 10. ed. Fr. Franke Lips. 1847. p. II, 18. app. n. 41. p. 50. S. Maresii, diss. de Antichristo. Amst. 1640. Bocharti, ep. ad C. Sarravium, Op. II, 1044. J. A. Turretini, comm. in ep. P. ad Thess. Bas. 1739. p. 469. s. — quibus Romanum Pontificem proscindunt; cum ita a veritate abhorreat, ut vel a sanioribus ex coetu ipsorum — e. g. Hugone Grotio, comm. ad loca quaedam N. T. quae de Antichristo agunt aut agere putantur, Op. th. IV, 457. s. Koppe, N. T. gr. perp. ann. ill. Gött. 1824. vol. VI. exerc. 2. p. 120. s. J. G. Reiche, auth. poster. ad Thess. ep. Vindic. Gött. 1829. p. 15. J. O. Köhler, in Guerike Z. f. l. Th. 1861. p. 459. s. — improbetur; et in iis a quibus effutitur, non aliam quam coecae simultatis speciem praeseferat. Neque examinabimus illorum opinionem, qui hic Simonem Magum, C. Caligulam vel Neronem intelligunt, alii tamen alio abeuntes. Interpretes sane praestantissimi uno ore hominem „τῆς ἁμαρτίας" ab Apostolo praedictum fatentur sane diversum ab his aliisque Dei hostibus. Insignem vero sententiarum varietatem in singulis commatibus 2, 1—12. explicandis enarrare, nec vacat nec libet. Praestiterunt id. G. Lünemann, K. ex. Handb. ü. d. Br. an die Thess. Gött. 1859. p. 200. s. Döllinger, Christenth. u. K. p. 422. Nos paucis pro instituti nostri ratione, lemmata quaedam dabimus, quae veram totius prophetiae intelligentiam adiuvare possunt. a. Diximus iam supra h. l. orationem verti circa eandem παρουσίαν Christi, de qua I. 4, 12. s. II. 1, 7—12. egit Apostolus b. Quaecunque de homine τ. ἁμ. leguntur, personam annunciant talem, quae prae ceteris sit

---

[1]) Necessarias autem esse traditiones a. exinde contra Acatholicos iure infertur. Porro b. Dei verbo vel scriptum sit, vel sermone tantum traditum, par adhibenda est fides, ut docent S. S. P. P. et Concil. Trident. Sess. I. c. 1. [2]) 2, 12—17. 3, 1—5. [3]) 2, 6—18. Acrius quam in prima arguit eos, qui otio dediti ex alienis laboribus malebant in otio victum quaerere, quam cum labore proprium panem manducare. Eiusmodi ni resipiscerent a mensa aut quacunque familiari conversatione removendos esse; ut pudefiant et corrigantur. [4]) Quae est salutis huius vitae et aeternae semen. [5]) Cf. I. Cor. 16, 21. Coloss. 4, 18. M. T. Eckhardi, de σημείῳ ep. Pauli, in Thes. th. p. 624. s. G. Zeltneri, diss. de monogrammate Pauli. Altorfii. 1721.

perditissima. Quodsi s. Paulus vel aliquod hominum genus, vel impietatem summam significare cupiebat, monendi erant lectores, ne de individuo quodam cogitarent. c. Attendere oportet ad loca S. S. U. F. descriptionem rerum futurarum exhibentia, quorum ratio contextum Apostoli illustrare valeat. Sunt autem eorum imprimis Dan. 8, 12. 23. s. 11, 30. s. 12, 1. s. c. c. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. multaque per epistolas et Apocalypsim s. Joannis diffusa, quibus Evangelistes s. Pauli sententias quasi commentario donasse videtur. Priora quin Apostolus respexerit, vix dubitari poterit. In promtu quidem est quae l. c. Dan. habentur, non prorsus eadem esse cum Paulinis: verum tanta inter utriusque verba reperitur analogia, ut vel imaginibus Danielicis loquatur. Orationem Christi eschatologicam Paulo cognitam fuisse, ad eamque reflexisse Apostolum, docent res et verba. Quamquam enim Christus in hoc sermone nihil de uno quodam insigni adversario suo aliquando prodituro praedixerit, coll. Matth. 24, 24. tamen nisi vis omnis locis parallelis denegetur; assumendum ad orationis Christi seriem, quoad per verba ceterasque res licuerit, in interpretatione h. l. respiciendum esse. S. Paulus imprimis attentionem Thessalonicensium ad apparitionem „τοῦ Ἀντιχρίστου" dirigere voluit. Intellexisse Apostolum, cum de homine τ. ἁ. scriberet, qui proxime praecederet παρουσίαν Domini, illum quem d. Joannes vocat „ἀντίχριστον" haud dubie concedimus. Coll. I. Jo. 2, 18. Apoc. 13, 7. s. 17, 14. s. 19, 19. s. Nomen Antichristi ex generali notione, qua usurpatur de omnibus, qui Jesu Christo contrarii sunt I. Jo. 2, 22. 4, 3. II. v. 7. derivatum, proprie κ. ε. assignatum est ei: qui in fine mundi super omnes, qui ante ipsum fuerint, Christo eiusque sequacibus contrarius est futurus. Cf. Calmeti, dissert. de Antichristo p. 410. Hominem in quo et per quem malitiae suae vim exeret daemon, qui et ipse futurus est maximus peccator et in gravissimos errores quam plurimos inducturus, atque a se deceptos aeterna perditione secum trahet in infernum. Ita S. Augustinus, ep. 199. ad Hesychium de fine saeculi n. 11. p. 746. S. Joann. Damascenus, de fide orth. 4, 26. p. 300. Quodsi haec recte disputata sunt, non plane impervium erit aliquatenus suspicari quid sibi velit, quod porro ait „ὁ κατέχων", Vulg. „ut qui tenet nunc, teneat." Verissime J. Grimm, der κατέχων des II. Thess. Br. Stadtamhof. 1861. p. 11. s. sub τῷ κατέχοντι docuit intelligendum esse eundem, qui ἄνομος et v. 3. ὁ ἄνθρωπος τ. ἁ. appellatur. Liquido haec prophetia ad ἐσχατολογίαν, ad ultimam qua regnum Christi et diaboli comitetur, pugnam pertinet. Haec autem cuiusmodi futura, quemque exitum habitura Apostolus supremis lineis adumbrat. „Μυστήριον τῆς ἀνομίας" in iis se explicat explicabitque, qui vocantur „οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας." Luc. 13, 27. Ultima autem „τοῦ ἀνόμου" manifestatio absolvetur impietatis atrocissimae quodvis sanctum et divinum spernentis summo quodam gradu: multa arte et virtute quae decipiendis inserviet quam plurimis. Licet autem magna tunc futura sit ἀποστασία, nihilominus in illo etiam supremo agone τὸν ἄνομον Christus profligabit ac funditus perdet. Qualem vero potestatem II. 2, 6. commemoraverit Apostolus; i. e. quidnam sit hoc quod delineat, difficilius dictu. Permulta habet quibus commendetur opinio: providentiam Dei universum spectari, quae tempora praefigit et terminos constituit. Sed finem faciamus dicendi, aliorum de h. l. sententias excutere licet apud C. R. Bellarminum, I. t. 3. Contr. g. d. s. Pont. III, 1. ed. Ing. p. 329. L. ab Alcasar S. J., Vestigatio arcani sensus in Apoc. Lugd. 1618. notat. II. ad c. 14. p. 538. seq. B. Pererium, Comm. in Dan. ib. 1691. l. 14. p. 833. s.

H. Hammond, diss. de Antichristo, mysterio iniquitatis diotrophe sub apost. aevo se prod. Lond. 1621. c. 2. s. J. A. Noesselt, opusc. ad interpr. S. S. fasc. II. Hal. 1787. n. 11. p. 259. s. J. J. T. Seger, diss. ph. ad l. II. Thess. 2, 1—12. Hal. 1791. Storr, opusc. acad. III, 323. s. Jahn, in Bengelii Archiv. f. Th. 1817. II. 2, 376. Nitzsch, de revelatione rel. extern. ead. publ. Lips. 1808. p. 323. s. C. Th. Beyer, de κατέχοντι τὴν ἀνομίαν. II. Thess. 2, 7. comm. Lips. 1824. C. F. Boehme, de spe apost. mess. Hal. 1826. p. 28. s. H. A. Schott, ep. P. ad Thess. Lips. 1834. p. 207. s. H. Olshausen, bibl. Comm. Königsb. 1844. IV, 504. s. Grimm, in annal. Stud. u. Krit. 1850. p. 790. s. Hoelemann, die Stellung Pauli z. d. Fr. um die Zeit der Wiederkunft Chr. Leipz. 1858. p. 14. s. C. Passaglia, de Eccl. C. comm. I, 140. s. J. C. Hofmann, die h. Schr. d. N. T. Nördl. 1862. I, 312. s. Simar, Theologie des h. Paulus p. 231. s. J. Grimm, der κατέχων p. 4. s.

§. 76. S. Pauli iter tertium missionis; Apostoli gesta Ephesi.

Peractis quorum gratia Jerosolymas profectus erat, Antiochiam venit; elapsoque aliquo temporis spatio rursus Galatiae et Phrygiae Ecclesias peragravit; passim discipulos in fide confirmat, ac tandem obambulatis superioris Asiae provinciis promissum Ephesiis reditum implet. Apostolus cum Ephesi agit, mox duodecim nactus discipulos; eos interrogavit an fidem amplexi ipsum quoque Spiritum Sanctum accepissent? Quibus quaerenti respondentibus, se an sit Spiritus S. non audivisse, dixit: Cuius ergo baptismate abluti estis? ad quem discipuli: Joannis. Tunc Paulus de baptismo Christi instructos regenerationis unda tinxit. Postquam vero baptizati sunt, imposuit iis manus; et confestim Spiritus s. venit in eos, et loquebantur linguis atque prophetabant [1]. Consueto deinde muneri insistens per trimestre Judaeis instituendis operam dedit. Nihilominus Judaeorum pertinacium blasphemiis offensus, abductis secum discipulis coetum segregavit, et in cuiusdam viri [2] schola, quotidie per biennium, de Evangelio disseruit. Insigni sane profectu doctrinae coelestis fontem per universam vicinam regionem innumerabilibus rivis deduxit [3]. Ephesi moram trahente Paulo, Judaizantes more suo in Ecclesiis quae galaticam terram occupabant Christianos perversa sua doctrina depravare student; aestus persecutionis movent, quibus fugiendis Galatis [4] persuasum fuit deponere praepu-

[1]) Act. 19, 1—6. [2]) Cui nomen Tyrannus. [3]) Non interim signa cessant, ipsis sudariis quibus caput Apostoli obnubebatur, ac semicinctiis, quibus vestes adstringebantur vi sanandi aegrotos indita. [4]) Tertio a. C. n. saeculo tres populi, quorum duo quidem ad nationem Gallorum pertinebant, tertius ad Celtas e Thracia — ubi aliquamdiu sedem fixam habuere — in Asiam minorem traiecerunt, a Nicomede rege Bythiniae invitati. Cum aliquam Bythiniae partem occu-

tium [1]. Ut igitur malo obices poneret Apostolus ad fideles Galatiae, tam cito in transversum actos, epistolam scripsit, qua eos reducat ad pristinam doctrinae sanae rationem. Ephesi haerens multa magnaque itinerum consilia animo agitabat, proposuit sibi per Macedoniam et Achaiam ire Jerosolymas, inde Romam; atque hinc in Hispaniam [2]. Praemisit ante se Timotheum et Erastum [3], ipse vero remansit in Asia [4], in qua per urbes Epheso circumiacentes Evangelium annunciavit. Assiduis Pauli laboribus fides crescebat confirmabaturque. Vertente anno Ephesum redux ad tempus substitit, ubi memorabilem commisit pugnam [5]. Epheso circa paschae tempus priores dabat ad Corinthios literas. Induxit in animum doctor gentium ad Pentecosten usque permanere Ephesi, quod tamen eius consilium seditio ab improbis hominibus excitata impediit [6]. Cessante tumultu Paulus valefaciens, quos advocaverat, discipulis, Timotheo apud

passent, fines imperii sui proferentes, ab Attalo rege Pergami superati in montosa quidem sed fertili iuxta Halyn fluvium regione sese continere coguntur. Unde factum, ut terrae tractus inter Sangarium Thymbridemque et Halyn fluvios „Galatia" adpelletur. Et quoniam connubia iungerent cum Graecis incolis „Gallograecorum" nomen invaluit. Quamquam ab Attalo devicti, tamen belli gerendi cupiditate populos finitimos vexare non cessabant; usque dum a Manlio Con. 188. a. C. N. attriti, Romanorum parerent imperio. Rursus eo aevo ad Galatiam deductae sunt coloniae, in his etiam Judaeorum haud exiguus numerus. De Galatis eorumque origine, situ, et moribus interim plura dabant praeter veteres Geographos et interpretes: G. Hoffmann, diss. de Galatia antiqua. Lips. 1726. G. Wernsdorf, de republ. Galatarum l. s. Nor. 1743. Schulze, de Galatis. Francof. 1756. 7. Hermes, rerum gal. spec. Vrat. 1822. Diefenbach, Celtica II. Stuttg. 1839.

[1]) Gal. 6, 12. Cum autem scirent pseudoapostoli Paulum omnibus nervis libertatem Evangelii contendere, totis sane viribus ipsius auctoritati detractum ibant. [2]) Act. 19, 21. II. Cor. 1, 15. 16. Rom. 15, 24—28. [3]) Ut procurarent collectas coetuum Macedoniae et Achaiae. [4]) Lydiaca. [5]) Cuius meminit I. Cor. 15, 32. [6]) Coll. I. Cor. 16, 8. Daemon tam prosperam superstitionis et impietatis demolitionem haud passus, Demetrium argentarium cui idolorum caelatura quaestuosa erat, in Paulum commovit. V. p. 380. Clamoribus Demetrii artificum oppleta civitate, cives fere in furorem acti irruerunt in theatrum, eo abripientes Caium et Aristarchum, socios peregrinationis Pauli, ut sacrilegii reos ob laesum Dianae Ephesiae numen damnarent ad bestias. Cum autem Paulus exire vellet, ut exasperatos turbae tumultuantis animos mitigaret, eosdemque motu composito de religione christiana edoceret, non solum qui aderant discipuli dissuaserunt, sed etiam Asiarchae quidam Apostoli fautores, miserunt ad eum monueruntque domi se contineret, neque ad populum furore agitatum exiret. Vehementer enim metuendum esse aiebant, ne si plebs eum prehendisset ad bestias damnaretur. In hoc tumultu apparitores produxerunt quemdam Alexandrum Judaeum, ut furorem plebis sedaret. Verum seditiosi non potuerunt induci, ut cum verba facere vellet audirent. Tanta vero fuit plebis tumultuantis rabies, ut magistratus oratione et auctoritate demum aliquantum reprimeretur.

Ephesios ad Ecclesiam regendam relicto, statim digressus est Macedoniam. Hinc primam ad Timotheum, divina eruditione refertam, misit epistolam; sperans se cito ad eum Ephesum rediturum. Verumtamen licet magna illi pateret porta Evangelii — quia Titum quem ad statum Ecclesiae Corinthiacae cognoscendum praemiserat, illic non reperit — properat in Graeciam. Atque ibi Paulum graviter ab hostibus Ecclesiae afflictum recreavit Titi adventus, qui Corinthiorum poenitentiam illi nunciavit. Certiorem etiam fecit illum de pacata Ecclesiae istius dissensione, deque collecta pro fidelibus Palestinae eleemosyna [1]. His intellectis posteriorem ad Corinthios exaravit epistolam [2]. Cumque a Macedonibus collectas recepisset, Titum rursus mittit Corinthum [3]; ut Corinthiorum symbolas curaret in adventum suum paratas. Interim paulo post subsecutus, venit in Graeciam, ibique egit trimestre; intra quod Corinthum se contulit, datam ea de re fidem liberaturus [4]. Paucis antequam Corintho discederet diebus auream ad Romanos scripsit epistolam, atque illam per Phoeben Corinthi diaconissam transmisit [5]. Syriam proficisci meditanti Judaei obstitere; quorum insidiis propter doctrinam ab ipso annunciatam, tantum non oppressus, iter in Macedoniam reflectere cogitur. Constituit Nicopoli [6] hyemare, quo datis ad Titum literis, eum ad se venire iubet [7]. Tum praemissis [8] viae sociis Philippos, ut ipsum, quem Lucas comitabatur,

---

1) II. Cor. 7, 5. 13. 16. 2) II. Cor. 1, 1. 3) Unaque cum eo Silvanum. 4) I. Cor. 16, 5. 6. 5) Coll. Rom. 15, 25. 26. 16, 1. 2. 21. 23. 6) Plures sunt huius nominis Graeciae urbes, quarum nec situs, nec fama ignoratur. In subscriptione ep. ad Tit. „ἀπὸ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας“ legitur. Non esse innitendum hisce subscriptionibus, pridem iam monuerunt eruditi. Cf. Huther, Einl. in die Pastoralbr, in Meyer kr. exeg. Handb. Gött. 1859. p. 31. et Comm. p. 305. S. Hieronymus, praef. in ep. ad Tit. annotat p. 686. „Scribit igitur de Nicopoli, quae in Actiaco litore sita.“ In Comm. autem 3, 12. addit: „Nicopolis ipsa est, quae ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit.“ p. 758. Hoc Augustae victoriae monimentum in extrema Epiro situm erat, ubi nunc Prevesa. Opus a primo ortu splendidissimis ornamentis auctum et condecoratum. At Epirus ex Romanorum divisione Graeciae ad Achaiam spectabat. Sunt etiam Graeci libri mss. quibus tantummodo traditum „ἐγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως“, ceteris omnibus resectis; neque Syrus et Arabs aliud legerunt. Nicopoli proximus est portus Κόμαρον, unde ad regionem litoralem maris Adriatici i. e. Illyricum coll. Rom. 15, 19. navigare potuisset Apostolus. Huius itineris interim tempus non definimus, Nicopolis locum ostendisse contenti. Cf. Cellarium, Geogr. antiq. II. 13, 5. t. 1, 879. L. G. Otto, die gesch. Verhältnisse der Pastoralbriefe. Leipz. 1860. p. 362. 7) Cf. C. Bertheau, diss. die Berichte der apostol. Gehülfen und Gefährten. Hamb. 1858. p. 12. s. 8) Sosipatro Rom. 16, 21. Beroensi Pyrrhi filio, Aristarcho, Secundo, Caio, Timotheo, Tychico et Trophymo ex Asia proconsulari oriundis. Act. 20, 4. 5.

Troade exspectarent. Exactis ea in urbe asymorum diebus, solvens venit ad eos in Troadem[1]; in qua urbe s. synaxim celebravit, mortuumque ad vitam revocavit[2]. Troade digressurus, commissis mari Luca cum ceteris itineris comitibus, ipse pedes iter facere maluit Assum[3], ubi reliqui nave eo pervenientes Paulum receptum Mitylenen[4] deduxerunt. Postridie Chium[5], sequenti Samum[6], tertia die Miletum[7] contendit; quo missis nunciis ad se accivit presbyteros Ephesinae et vicinarum Ecclesiarum. Cum novisset ab eorum nemine se amplius conspectum iri, cupiebat antequam Jerosolymas peteret, ubi vincula et tribulationes ipsum manebant, episcopos et sacerdotes[8] hortari, atque gravissima oratione illis valedicere[9]. Postquam vitae a se apud

---

[1]) Urbs in litore Hellesponti sita. [2]) Ibi hebdomada commoratus est. Primo hebdomadis die, i. e. dominico, discipulis ad sumendam Eucharistiam in unum collectis, Apostolus sermonem ad mediam usque noctem produxit. Hac opportunitate accidit, ut iuvenis quidam nomine Eutychus, qui fenestrae assedit, alto sopitus somno de tertia delapsus contignatione occumberet. Verum Paulus statim ad illum procurrens, mortuum amplexus vitae reddidit. Inde ad coetum regressus, cibo cum illis recreatus est, prorogatoque ad auroram colloquio, tandem discessit. Quo factum est, ut omnes, qui aderant, haud exiguo afficerentur solatio. [3]) Phrygiae minoris oppidum ad mare, haud longe a Troade remotum. [4]) Lesbi insulae clarissima urbs. [5]) Insula maris Aegaei, Smyrnensi sinui opposita. [6]) E regione Ephesi, quam urbem praeternavigavit. Act 20, 6—16. [7]) Celeberrima civitas ad oras et in provincia Cariae, mater innumerabilium coloniarum. [8]) Cf. S. Irenaeum, adv. haer. III. 14, 2. p. 498. „In Mileto convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus." Neque placet opinio J. Th. Beelen, comm. in Acta apost. II, 151. et 155. s. operose demonstrare adnitentis Act. 20, 17. et 28. intelligendos esse „sacerdotes secundi ordinis" nimirum hi, ait aevo apostolico promiscue nunc presbyteri nunc episcopi adpellabantur." Ut igitur omittamus longiorem hac de re disputationem, quam instituit C. R. Bellarminus, de Clericis I, 14. et 15. ed. Ing. Pr. t. V. Contr. p. 63. s. et Lorinus, in Act. 1, 20. p. 63. s. 4, 5. p. 181. s. 20, 17. p. 745. v. 28. p. 752., concedimus quidem Beelenio nomen presbyteri et episcopi fuisse commune omnibus sacerdotibus tam primi ordinis, qui nunc episcopi proprie dicuntur, quam secundi ordinis, quos nunc presbyteros adpellamus; quamvis res ac potestas distincta semper fuerit. Sed ut admittamus d. Paulum hoc loco solos presbyteros admonuisse, contextu verborum prohibemur. Verendum ne verbis „in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei" v. 28. vis inferatur haud toleranda; si ea non interpretati fuerimus de pastoribus primi ordinis, sub summo capite, qui praeest visibili Ecclesiae iurisdictionis usum habentibus. V. e. Aberle, exeg. Stud. Quartalsch. Tüb. 1863. p. 124. s. [9]) Noverat Apostolus, quam utile quin necessarium esset, ut cumprimis presbyteros, quos non ipse sed Timotheus creaverat I. Tim. 3, 1—13., ad sancta quaevis sectanda monere, ne ex falsis doctoribus in posterum exorituris detrimenti quid caperet Ecclesia. Porro Episcopos una congregatos cum simul compellaret, in Ecclesiarum quibus praeerant commodum plura fecit, quam

illos actae institutum exposuisset, eosque in testes assumsisset suorum laborum, perpessionum et lacrimarum, tandem significavit etiamsi non plane perspectum haberet, qui locus futurus esset, ubi sibi patiendum foret; certissime tamen se scire gravissima quaeque ac dirissima sibi tot iam aerumnis iactato instare. Nil tamen se remoraturum professus est, quin commisso sibi munere totus insisteret. Commendata deinde illis Ecclesia Dei [1], post fusas preces, post amplexus et oscula, supremumque vale tandem proficiscendi necessitate compulsus navigium conscendit [2]. Ultimo Jerosolymas ad Pentecosten rediturus recto cursu Coum, die postero Rhodum ac demum Pataram pervenit [3]. Hinc alia conscensa navi, quae in Phoeniciam traiiciebat, Cyprum legens Tyrum appulit. Per septiduum in ea urbe commoratus cum discipulis conversabatur. Quamvis autem moneretur ab eis, ne se Jerosolymas conferret, minime obsecutus et ad omnem eventum paratus, solvens Ptolemaidem deinde Caesaream delatus est. Hic pluribus diebus apud Philippum diaconum mansit. Versante Caesareae s. Paulo Agabus propheta sumto cingulo Apostoli sibi manus et pedes vinxit, atque eo modo d. Paulum in vincula a Judaeis tradendum praedixit. His visis auditisque omnes qui aderant, ei auctores erant ne iter prosequeretur. Quibus minime territus Apostolus, quod nec ignorabat, quae praemonebant, mortem ipsam pro Christo se libentissime passurum professus est. Iter proinde continuavit cum aliquot Caesareensibus et Mnasone Cyprio, dudum iam christiano, apud quem diversaturus erat, tandem Jerosolymas ingressus est [4].

Digressio, de urbe et superstitione Ephesiorum. Nulla Asiae Minoris urbs magis celebrata erat antiquitus quam Ephesus, Joniae metropolis. Et naturam fautricem ea habuit, et humana industria atque arte exculta fuit. Cum opportuno imprimis loco — in extremo Asiae Minoris litore — sita esset; per eam et ii iter faciebant, qui ex Syria atque Aegypto in Graeciam Macedoniam adiacentesque regiones navigabant, et qui ex Asia proconsulari Romam petebant, aut hinc eo redibant. Ephesum itaque commercium cum ingentem hominum numerum alliciebat, tum magnas divitias advexit. Veluti insigni et principali metropoli „νεωκόρος" Act. 19, 35. dictae, integrum erat Asiarcharum 19, 31. i. e. magistratuum principi loco habitorum auspiciis ludos solennes convocatis foederatis edere. — Cf. Siberii, diss. de Asiarchis in Thes. th. p. 488. s. Harduini, num. antiq. illustr. Op. sel. p. 145. Seldeni, not. ad Eutychis orig. Alex. p. 13. G. Coppland Perry, de rebus politicis Ephesiorum. Gott. 1837. Ern. Guhl, Ephe-

ipsa Epheso urbe adeunda efficere potuisset. Cf. H. Bouman, diss. de Pauli ad presbyteros Ephesiacos oratione valedictoria. Trai. a. Rh. 1829. p. 8. s. 165. s.

[1]) Quam Pater sui proprii Filii sanguine sponsam sibi iunxerat. [2]) Act. 20, 17—38. [3]) Lyciae urbs, quae Apollini Patareo apud Horatium l. III. od. 4. nomen dedit. [4]) Act. 21, 1—16.

siaca. Berol. 1843. — Erat quoque artium et philosophiae sedes laetissima. Sed non per mercaturam tantum, literas ludosque, sed per religionem etiam haec nobilitabatur urbs, in qua famosus Dianae imprimis cultus vigebat. Ibi Act. 19, 34. eius delubrum reperiebatur tam elegans tantoque splendore elaboratum, ut — ab Aristophane, nub. Act. I. sc. 6. — πάγχρυσος οἶκος dicebatur omniumque opinione totius terrarum orbis miraculum iudicaretur. Itaque longe meliorem famae suae rationem habuit, quam Herostratus homo vanus et stolidus, qui cum nominis sui monimentum perenne relinquere vellet, nefario facinore id se consequi posse putavit, fanumque Dianae incendit. Neque tamen haec calamitas fregit Ephesios, superstitionemque eorum impedivit sed auxit; namque reiecta Alexandri M. suis sumtibus id erecturo petitione, propriis expensis aedem tam splendidam instaurarunt: ut illa flamma exstitisse videretur, non quae deleret Dianae aedem; sed quae praeclarius magnificentiusque deposceret. Cf. J. N. Schulini, diss. de Diana Ephesia in Thes. th. p. 491. s. Adde Fr. Polcke, de magna Ephesiorum Diana. Lips. 1718. Hirt, Der Tempel der Diana zu Ephesus. Berl. 1809. M. Baumgarten, die Apostelgesch. III, 31. Quamvis simulacrum Dianae Ephesiae esset „χειροποίητον"; — Xenophontis quidem aetate aureum, de Cyri exped. V. 3, 13. ed. Thieme p. 272.; post incensum vero ab Herostrato templum ligneum teste Plinio, Hist. nat. XVI, 40. p. 742. — tamen d. Lucas s. Scriptor Actuum, qui ab Apostolis cognomentum acceperunt, 19, 35. populariter locutus „διοπετές" sc. ἄγαλμα vocat; id quod Suidas s. h. v. I, 1399. „ἐξ οὐρανοῦ κατερχόμενον" interpretatur. Qui apud Graecos statuas faciebant, credulitate hominum abutentes, ut eo magis fidem suo mendacio commendarent, docuere: simulacrum Artemidos Ephesiae a Jove demissum e coelo fuisse. Interim iam Plinius, l. s. c. eius artificem Canetiam nominat. V. c. diss. Ch. A. Siberii, Thes. Th. ph. p. 494. Grimm, Lex. p. 102. Venerationis cultusque indicium est, quod referente eodem Hagiographo v. 28. „μεγάλη ἡ ἄρτεμις" adpellatur. Notum est ex gentium mythologia, magnum habitum fuisse discrimen inter deos magnos, medios, et infimos. Nolumus rem pervagatam ulterius persequi. V. S. Deyling, Obs. s. III. 39, 5. p. 286. P. Zorn, Bibl. ant. et exeg. in univers. Script. Francof. 1724. I, 64. Hyde. Rel. vet. Pers. p. 92. s. Creuzer, Symbolik und Mythologie der alten Völker. Leipz. 1811. II, 164. s. G. Gesenii, Scripturae linguaeque phoeniciae monumenta. Lips. 1837. p. 115. Templi Ephesini typum procudere, et in aediculas seu thecas repositum vendere solebant artifices, quae a Deae cultoribus praesidii et religionis causa circumgestatae fuerant. Prae ceteris cives Ephesii artes superstitiosas profitebantur. D. q. l. Siberum, de περιεργία Ephesiorum in Thes. p. 484. s. C. F. Schurzfleisch, de litteris Ephesiis. Witt. 1698. Patrum qui ad huius rei interpretationem pertinent sententias enarrat J. C. Suicerus, Thes. p. 670. 806. Cf. e. Suidae, lex. s. v. ἐφεσία γράμματα I. 6, 673. Multos sufficientesque fuisse qui magiam ante conversionem ad sacra Christi profiteri non erubuerunt s. Lucas innuit, cum Act. 19, 19. referat plurimos, sponte sine Apostoli iussu, libros curiosa περίεργα tractantes diris devovisse. Calculum docentibus Ephesiis, idem porro Evangelista pretium horum librorum determinat adiiciens: pretium horum librorum, sive e materiae praestantia, sive ex auctorum fama sive ex scripturae elegantia ἀργυρίου — s. Lucas generali voce exprimit, V. denariorum — quinquaginta millia ascendisse. Recte plerique interpretes ad μυριάδας πέντε supplent δραχμῶν, nummum in Asia usitatissimum. Alioquin frequenter nomen

drachmarum ad vocem ἀργυρίου subintelligitur. Drachma — v. Schimko, de nummis biblicis II, 12. — nummus argenteus erat eiusdem cum denario ponderis, eoque tempore non nihil supra 22. xr. m. austr. valebat, itaque e nostra moneta summa 13125 fl. prodiret. De h. l. Lackemacheri, Obs. phil. II, 5, 5. p. 153. J. C. Ortlob, de Ephesiorum curiosis libris combustis, in Thes. n. p. 711. s. Wellenii, acta Pauli Ephesina. Grypsw. 1785. Plus mille annis haec superstitio Ephesiorum mentes occupavit, usquedum magistris s. s. Paulo et Timotheo relictis erroribus Christo Servatori nomen dederunt. Templum ipsum Dianae temporibus Gallieni a Gothis direptum incensumque funditus deflagravit. S. Timotheo mortuo, Joannes Apostolus eandem in urbem venit, et ad obitum suum usque commorans Asiae curabat Ecclesias. Unde, ut varia quae collegit Le Quien, Oriens chr. ed. Par. 1740. I, 663. antiquitatis ecclesiasticae documenta testantur, post praecipuas quatuor orbis christiani sedes: romanam, alexandrinam, antiochenam, hierosolymitanam, quinta censita fuit Ephesina, Asianae dioecesis caput et metropolis. Ephesus nobilis illa Asiae civitas, miserum in modum hodie prostrata iacet, ut neque civitas vel oppidum sit sed vicus, a Turcis Aiasoluk dictus; solis veterum monimentorum, quibus olim egregie ornabatur ruderibus et parietinis deformatus casulis et gurgustiis sordet. Cf. Th. Smith, Septem Asiae Ecclesiarum notitia. Trai. ad Rh. 1694. p. 44. s. Mannert, Kleinasien p. 309. s. Fellows, a Journal written during an excursion in Asia minor. Lond. 1838. p. 274. s. Bibl. Geogr. Calw. 1843. p. 274. s.

Digressio II. de Paulo cum bestiis pugnante. Quaenam fuerit pugna I. Cor. 15, 32.: „εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ" quaeritur. Circa loci huius, quo pugnae suae cum bestiis mentionem facit Apostolus, in duas interpretes abeunt sententias. Quidam sumunt bestias sensu metaphorico esse capiendas; de pugna quam Ephesi cum hominibus ferina indole praeditis suscipere debuit. Instituti nostri non est argumenta, quae opinioni isti confirmandae inservire possunt, recensere et examinare; quia utut non improbabiliter disputata, a multis tamen assensum non impetraverunt. S. Paulum proprie ad supplicium illud damnatum, vel saltem a plebe postulatum malunt alii. Quam opinionem rationibus non contemnendis adstruunt. Militat α. pro hac interpretatione textus, τὸ ῥητόν, quod sine urgente causa, qualis hic nulla esse videtur, deserendum non est. Favet β. contextus rite expensus, κ. ἀ. secundum hominem, coll. II. Cor. 1, 9. 10. I. Petr. 4, 6. significat decretum humanum. Homines rem decreverunt, sed Deus eripuit Apostolum periculo. γ. Ad haec Romanis non insolens fuisse hoc supplicii genus, docent Historiae Ecclesiae. Neque fugiat δ. attentos lectores loca I. Cor. 4, 9. Hebr. 10, 33. quibus Apostoli dicuntur facti „θέατρον" et „θεατρίζεσθαι." Quod neque in Actis Apostolorum, neque in Martyrologio, quod d. Paulus sibi ipsi II. Cor. 11, 23. scripsit, ea de re mentio fiat, metaphoricam θηριομαχίαν non evincit. Ut enim Evangelia non còntinent summam omnium dictorum et factorum D. N. J. C.; ita et Acta non sunt completa summa eorum, quae egerunt et passi sunt Apostoli. Martyrologium Apostoli l. c. itidem omnia eius calamitatum genera contexere frustra dicitur. Noluit repetere Paulus suum θηριομαχίας tormentum in ep. II. Cor., quoniam illud in I. exposuit. Huic sententiae favent: Tertullianus, de pudic. n. 22. p. 178. S. Cyprianus, ep. 5. ad presb. et diacon. ed. Goldh. 14. p. 33. s. Joannes Chrysostomus, in ep. I. ad Cor. hom. 40, 2. 3. p. 381. S. Augustinus, in Ps. 29. enarr. II, 5. p. 136. Theodoretus, interpr. ep. I ad Cor.

15. p. 247. „κατὰ ἄνθρωπον φήσι, λογισμὸν θηρίων ἐνέομεν βορά ἀλλὰ παραδόξως ἐσώθην." Nicephorus Callisti, H. E. II, 25. p. 175. 6. ex περιόδοις Pauli hanc pugnam multis describit. Non ignoramus librum, ceterum vetustissimum, profectionum Pauli, haberi pro apocrypho, et Nicephori fidem saepe vapulare. Attamen omnia in Historiis Nicephori νοθείας arguere, nimis temerarium foret. Inter recentiores interpretes sensus proprii partes tuentur: Cornelius a Lapide, Comm. ad h. l. ed. Antv. p. 327. Natalis Alex., comm. in ep. P. ed. Par. 1746. I. 494. Feuardentius annot. ad Iren. V, 13. II, 1047. A. Sandini, Hist. ap. p. 93. Wouters, dilucid. VI, 196. s. Tillemont, Memoir. I. n. s. S. Paul. XL. p. 560. Calmet, diss. ad h. l. p. 370. M. J. Kindler, diss. de theriomachia Pauli, Thes. th. p. 574. Hengel, Comm. in I. Cor. 15. Silv. Duc. 1851. p. 280. s. A. Hausrath, der Apostel Paulus. Heidelb. 1865. p. 88.

§. 77. Epistola s. Pauli Apostoli ad Galatas.

Cum intellexisset Apostolus fideles regionis, quae Galatia dicebatur, sollicitari, ne ipsi fiderent, necessitate compulsus Paulus initio huius epistolae ostendit: se a Deo accepisse praedicandi Evangelii facultatem. Nam cum de Legis a Domino per Moysem datae imbecillitate [1], tractare cogeretur; hac de re statuere absque divina auctoritate, inconsideratissimae profecto fuisset temeritatis [2]. Salutatis suo more Ecclesiis Galatarum, et enumeratis per summam quasi Redemtionis mysteriis, addit sincerae ac perpetuae veritatis notam ‚Amen.' Voto finito ab admiratione primam facit ingressionem seque vehementer obstupefactum dicit, quod tam cito a sincera fide et gratia Christi defecerint ad aliam disciplinam [3]. Ab huiusmodi perversa doctrina cavendum esse, horribili quadam et bis repetita formidabili exsecratione sanxit, qua nulla potest in terris gravior accidere [4]. Videor ne inquit, nunc in hac mea sanctione ad

[1]) Quod ad iustificationem attinet. [2]) In ipsa huius epistolae salutatione 1, 1—5., et qua ratione divinae suae legationis amplitudinem acceperit exponit: et non suo tantum sed et eorum omnium, qui cum ipso erant fratrum inscribit: quo sese illorum quoque consensu gaudere ostendat. [3]) Quamquam autem non prorsus alia videatur, duo secum incommoda fert; quorum ratione recte alia nuncupari potest. Primum quod ex disceptatione de Lege Moysis animorum variae oriantur perturbationes, quin etiam dissensiones; alterum quod his sermonibus germanum D. N. J. C. Evangelium depravetur. Cf. Chr. Bosen, unicum J. C. Evangelium a Paulo Ap. adversus oppugnantes et deserentes anathemate defensum, in Thes. th. p. 606. s. [4]) Quodsi vel ego, vel σύνεργοι mei, vel etiam Angelus e coelo deveniens diversum ab eo, quod non modo nos praedicavimus, sed et vos religioso cultu recepistis, Evangelium praedicaverit, esto anathema.

hominum, an ad Dei voluntatem meum accomodare sermonem? unius Dei mentem secutus sum. Nam si, ut hominibus carus essem, ad illorum sensum loquerer, Christi servus non essem [1]. Ut ex animis lectorum evelleret praeiudicium, non esse cur Pauli auctoritatem suspicerent; cum Jesu in terra versantis discipulus haud fuisset: res suae ad Christum conversionis enarrat [2]. Ex omni vitae suae instituto probat nulla alia via, nisi D. N. J. C. institutione, salutis optatissimam doctrinam se esse consecutum [3]. Ad

---

'Ανάθεμα, hebr. חֵרֶם, respondere docent interpretes. Cf. Fritzsche, ep. ad Rom. II, 247. Wieseler, Comm. ü. d. Br. an die Gal. p. 39. s. Trana, Pauli ad Galatas epist. Gothob. 1857. p. 17. Et intelligitur persona abominabilis, a cuius contactu et praesentia homines abhorrent. Unde Juris Canonici doctores pro maiore excommunicatione usurpant. Cf. F. Lucii Ferraris, Prompta Bibliotheca ed. Montis Casini. 1847. III, 450. Celebris est usus h. v. in Canonibus Conciliorum, quibus haeretici damnantur. Cf. Suiceri, Thes. I, 270. Hoc sensu anathema est excommunicatio i. e. Censura ecclesiastica, qua quispiam separatur a communione fidelium. Quam definitionem ipsum vocabulum importat. Habetque fundamentum in verbis C. Matth. 18, 17., et in usum deducta est a S. Paulo Apostolo. Coll. II. Thess. 3, 14. I. Timoth. 1, 20. Qui cum v. 8. et 9. c. n. excommunicationem et separationem exsecrandam urgeat, non de sola Galatica Ecclesia id intelligi potest; sed de Catholica; a qua per anathema semper separantur, quos maior ferit excommunicatio. Cf. ad Rom. 16, 17. Tit. 3, 10. I. Cor. 5, 1. 2. II. Cor. 2, 6. s. II. Joann. 10. L. Campegii Vitringae, de Synagoga Vetere. Franeq. 1691. III. 1, 9. p. 732. s. et cumprimis c. 10. p. 752. s. Fr. Windischmann, Erklär. d. Br. a. d. Galater, p. 20. 21. atque F. Kober, der Kirchenbann. Tüb. 1857. p. 35.

[1]) 1, 6—10. [2]) Insimulabant Judaizantes s. Paulum inconstantiae et arrogantiae. Inconstantiae, quod sua ad rem verba non conferret; cum ritus quosdam Mosaicos, post praedicatum quoque a se Evangelium servasse deprehensus fuisset. Arrogantiae, quod se aequaret atque adeo praeferret interdum summis Apostolis, intima cum Christo familiaritate coniunctis, qui Christum de facie numquam novisset, legatis a Deo legatus ab homine. Et primum quidem huius accusationis caput magna depulit efficacitate, cum dicit, quod semper ac ubique de quaestione super Legis necessitate pariter atque apud Galatas statuerit. Ad alterum se conferens calumniae caput, ut demonstret nihilo se inferiorem esse reliquis Apostolis, quandoquidem non modo legationem et Evangelium gentibus praedicandum accepisset, non ab homine aliquo sed a Domino Jesu Christo, quemadmodum et illi. 1, 11. 12. [3]) Dicit hoc ex ea vitae ratione, qua utebatur, cum in Judaeorum lege versaretur apparere 1, 13. 14. Idem efficit exinde, quod nullo quaesito humanae sive institutionis sive doctrinae adiumento, divino tantum afflatu J. C. intime sibi perspectum et cognitum annunciarit nationibus. Cum autem a rerum a se gestarum 15—24. narratione totius affirmationis quam Galatis probare contendebat, veritas pendebat; graviora quaedam quae enarranda restabant nonnisi iuratus voluit recensere, et propterea adiecit: quae vobis per

depellendas Judaizantium criminationes docet illud sufficere, quod Apostoli primarii, audito Pauli Evangelio, non modo nil repudiarint, sed potius totum confirmarint[1]. Ex eorum quae Hierosolymis et Antiochiae gesta sunt serie liquido constare, quam inanis fuerit calumniatorum accusatio, quasi non idem sentiret cum magnis Apostolis[2]; item quo loco habenda sit criminatio, quod Pauli verba rebus contraria esse viderentur. Quibus factis allatis concludit, ac suo docet exemplo, quid Christianis omnibus de Lege statuendum sit: ex fide Christi relictis Legis operibus iustitiam quaeramus[3]. Confutatis[4] obtrectatorum omnibus calumniis, ad instruendos nunc Galatas, quorum multi Legem fore perpetuam credebant, sermonem convertit[5]. Ostendit dolenter omnem illos prioris suae patientiae fructum perdidisse, nisi resipuerint[6]. Rationibus deinde et testimoniis ex S. S. V. T. id demonstrare aggreditur. Exemplo Abrahae infert illum ex auditu fidei non ex operibus Legis esse adeptum iustitiam[7]. Ad eius semen vero

---

literas refero, Deo praesente et audiente me dicere existimo, et ideo mentiri non auderem. Pergit deinde in fideli earum rerum narratione, quae postea illi acciderant. 1, 15. s.

1) Quae fuerit totius deliberationis conclusio inde potissimum patere. quod Titus, qui cum ipso toti consultationi interfuit, cum esset Graecus non fuerit coactus iudaicae legis ritu circumcidi: contra atque oportuisset, si absque illa ad salutem consequendam non sufficeret Evangelium. Cf. E. Elvert, annot. in l. Gal. 1, 1—10. cum ad obscuriora quaedam tum ad rationem spectantes, quae Paulum inter et christianos iudaicae rei faventes intercedebat. Heilbronnae. 1852. p. 9. s. 2) De quibus inter omnes constabat, a summo doctore Christo mysteria fidei edoctos fuisse. 3) Lex, ait Apostolus, quae facienda iubet, prohibetque contraria; et nullum tamen ad haec fert auxilium; coegit eum ut ipsi nuncium remitteret, et de illa tanquam ei mortuus ne cogitaret quidem ulterius. Ab omni peccati vetustate liberatus, vivo dicit Deo per Christum, in cuius gratia mortuus sum Legi, vivo non iam ego, sed Christus cuius minister sum, qui in me omnia efficit Deo grata et accepta. 4) c. 2. p. 1. 5) C. 3. et 4. Voce contumeliosa: „O insensati Galatae"! tanquam aculeo illos excitat, ut ad veritatem, a qua recesserant, incipiant revocare rationem. Quod leves essent et inconsiderati, non tam ipsis vitio dandum esse significat, quam illorum improbitati, a quibus praestigiis et fallaciis, cum ipsi decepti, tum sincerum J. C. Evangelium perversum fuerat. 6) 3. 1—5. 7) Fidei enim eius ratione Deus dignum illum habuit ad obtinendam iustitiam. Si igitur ad Abraham suas Galatae dirigerent cogitationes, confitendum illis esset; non ex operibus Legis, quam ne agnoscebat quidem, sed ex fide Abraham adeptum esse iustitiam.

illos pertinere, qui fide nituntur [1]. Item e verbo divino Prophetico [2] manifesto intelligi: iustitiam ex fiide esse, in qua vita promittitur [3]. A dura servitute Legis per Jesum Christum miserandae mortis poena affectum, nos redemtos esse sentire debemus. Redemtoris morte et illud factum esse: ut non modo Judaei, verum alienae quoque nationes iustitiam Abrahae promissam consequantur [4]. Quo divina et coelestia facilius caperent Galatae, facta testamenti humani collatione, docet: promissionem Dei Abrahae saepius repetitam Christumque, ceu prolem eius spectandum esse; veluti haereditatem quandam ad quam adeundam requiritur fides, non vero iustitia ex Lege. Sic quae recentior fuit Lex antiquiorem non sustulit, neque delevit promissionem [5]. Affert nunc quaedam, quae ab adversariis forte obiiciebantur, eaque prudenter dissolvit. Si ad iustitiam non perducit Lex, ut quid, inquit, eam ferre opus erat? [6] Lata fuit Lex ministrantibus quidem angelis [7], in manu mediatoris [8].

---

[1]) Id quod divino demonstrat oraculo. Gen. 13, 3. Evangelium Abrahae promissum hoc est, fore ut in semine suo omnes gentes salute donarentur. Et sane, quod Abrahae promisit Deus, illis efficit, qui promtam sequuntur Abrahae obedientiam et fidem. 3, 6—9. Contra vero omnes, qui ad iustitiam Abrahae promissam per Legis opera festinant; tantum abest ut ad Dei gratiam perveniant, in illis irascatur potius Deus et succenseat, tanquam ipsius Legis Deut. 27, 26. exsecratione damnatis. [2]) Quod est Hab. 2, 4. [3]) 3, 10—12. Cf. huc attamen caute Th. Dassovii, diss. ad Gal. 3, 13. in Thes. th. p. 614. s. Hofmann, die Schrift. d. N. T. II. 1, 62. s. Atque haec est exsecratio illa Legis, cui interpretandae iungatur doctrina S. Pauli ad Rom. 3., ubi multis Legis ipsius congruentibus testimoniis, omnes ad unum homines nocentes facit et reos discessionis a Lege. Ceterum et in aliis quam plurimis convenit argumentum huius epistolae cum ea quae ad Romanos inscripta est. V. Seripandum, ad h. l. p. 43. et passim. [4]) Ea in se continet fidem remissionis peccatorum ex immenso Christi merito; per quam datur credenti Spiritus S., quo duce opera fiunt Deo accepta. 3, 13—14. [5]) 3, 15—18. Quomodo computandi sint 430 anni, de quibus agitur 3, 17., dictum est in H. R. D. V. T. p. 52. [6]) De Legis officio, diuturnitate et latione disputat: in quibus solita illa sua augusta et concisa brevitate declarat, quae habentur 3, 19—27. [7]) De quo ministerio loquitur etiam S. Stephanus Act. 7, 38. 53., et Apostolus ad Hebr. 2, 2. [8]) In T. O. legimus 3, 20. „μεσίτης", quae vox mediatorem et conciliatorem atque omnem qui inter duas partes medium se interponit significat. Locus iste inter vexatissimos S. S. reputatur. Tercentum fere tentamina numerantur eiusdem sensum enucleandi, quae collecta et ad quasdam species revocata reperiuntur in Koppe, Nov. Test. gr. perp. ann. ill. v. VI. ed. 3. p. 128. exc. VII. Fr. Bonitz, plurimorum de l. P. Gal. 3, 20. sent. exam. Lips. 1800. Eiusd. Specilegium ad loc. Gal. 3, 20. ib. 1802. Th. Anton, l. Gal. 3, 20. cr. h. exeg. Vit. 1802. Th. Keil,

Omnis mediator autem unius esse non potest, sed necesse est duos dari, inter quos mediare possit. Deus autem unus est, non indiget mediatore; cui prorsus convenit cum eo quocum agit[1]. Et ita non usus est homine ad promissionem, sicut usus est ad ferendam Legem[2]. Obiectionem occupat, quae ultro se offert: si ex Lege peccatum abundat; ergo Lex est contraria divinae promissioni? Hanc consecutionem negat Apostolus et demonstrat, quis fuerit Legis usus: custodis nimirum, qui Judaeos in timore Dei contineret; eosque velut manu duceret ad Christum[3]. Huius

---

propon. exempl. iudicii de exam. var. int. Gal. 3, 20. sent. in opusc. ed. Goldhorn Lips. 1821. p. 211. s. G. B. Winer, excurs. III. p. 125. Schott, ep. ad Gal. p. 452. J. Schulthess, de G. Hermanno enodatore ep. Pauli ad Gal. Tur. 1835. p. 40. s. Gurlitt, ann. Stud. u. Kr. 1837, 805. s. 1843, 715. s. Matthias, exeg. Vers. ü. Gal. 3, 16. 20. Cassel. 1849. Eiusdem, der Galaterbrief. Cassel. 1865. p. 1. s. Holsten, Deutung d. W. Gal. 3, 21. Rost. 1853. J. E. Huth, de loco ep. Pauli ad Gal. 3, 19. 20. comm. Altenb. 1854. p. 15. s. Cassel, d. Mittler ein exeg. Vers. z. Gal. 3, 19. s. Erf. 1855. p. 17. s. Steinfass, in Zeitschr. f. l. Th. 1856. p. 237. s. W. Meyer, Kr. ex. Handb. ü. d. Br. P. a. d. Gal. Gött. 1857. p. 126. s. Wieseler, Comm. ü. d. B. P. an die Gal. p. 278. s. Hofman, l. s. c. p. 90. s. Reithmayr, Comm. z. Br. an die Gal. Münch. 1865. p. 281. s. Vogel, in ann. Stud. u. Krit. 1865. p. 524. s. Contextum huius loci obscuritate quadam premi e conciso Pauli scribendi genere oriundo nemo ibit infitias; attamen possumus m. s. fortasse sine omni artificio sensum reddere, attento inprimis loco parallelo ad Rom. 3, 30. Tim. I. 2, 5.

[1]) Siquidem intermediis apud eos egemus, quibuscum apud ipsos convenire non possumus. [2]) Idcirco Moyses non aequiparandus Christo, qui geminam habuit naturam, ut id efficeret; Moyses autem purus exstitit homo, et ideo a Christo multum differt. Haec tamen ratio h. l. non tangitur; recte autem prior exprimitur. Cf. S. Basilii, de Spiritu S. XIV, 33. III, 27. A.'Salmeron, disp. in ep. d. Pauli ad Gal. ord. t. XV, 130. s. Estius, ad h. l. p. 393. Ben. Justiniani, in omnes B. Pauli ap. ep. explan. Lugd. 1613. II, 51. G. Hermann, diss. de Pauli ep. ad Gal. tr. pr. cap. — in opusc. V, 129. s. — Lips. 1832. p. 11. s. G. F. Rink, lucubr. cr. in A. A. e. c. et Paulin. Bas. 1833. p. 173. s. Lücke, in ann. Stud. u. Krit. 1828. p. 83. s. id. ib. 1833. p. 521. Caspari, Strassb. Beiträge. 1854. p. 206. s. Windischmann, p. 85. s. [3]) Ex praecedenti demonstratione emergebat conclusio: Legem esse contrariam promissis. Hic iam reponit: Legis quidem officium fuit ad peccatorum cognitionem ducere. Nam ad illam, quam Abrahae promisit Deus, iustitiam consequendam, necesse fuit, ut illa se indigere homo agnosceret; unde promissioni non tantum non adversatur Lex, quin potius eius comparandae rationi maxime conducit. Qualis autem esset Judaeorum sub Lege conditio, aptissima et valde congrua imagine custodis et paedagogi describit, quorum vi et metu in officio sese continerent: sed quemadmodum custodiae, ab aliis nationibus, terminum defixit Deus universalem fidei annunciationem, ita et paedagogiae tempus praefinivit usque ad Christum; ex cuius fide illud perficeretur, quod perfici ex Lege

quidem missio fuit, ut qui Deus erat, divina virtute ex immaculata Virgine fieret etiam homo [1]. Ex missione Filii adoptionem nacti sumus, qua suscitamur, ut in intimis cordis nostri penetralibus nosmet ipsos Dei esse filios confiteamur [2]. Ab hoc statu, ne in priorem relaberentur, Apostolus monere incipit, et ad fraternas se confert preces; deinde subitam illam Galatarum mutationem, tanquam ab omni ratione alienam, reprehendit. Miro posthaec affectu exprimit singulare suum in Galatarum salute procuranda studium [3]. E recondito denique S. S. sensu [4], ostendit data ‚allegoria' duarum uxorum et duorum filiorum Abrahae, Christianos non esse sub servitute [5]. Repetita admonitione qua Galatae libertatem suam

---

nunquam potuisset. Postea vero cum ex fide iustitiam adepti sumus ex coniunctione cum Christo, ad salutem aeternam tendunt tam Judaeorum quam omnium aliarum gentium homines. Ad quos tanquam veros Abrahae filios pertinent promissa, quae Abrahae fecit Deus, sc. sempiterna vita. Optime s. Augustinus animadvertit: „Ille dedit Legem, qui dedit et gratiam; sed Legem per servum misit; cum gratia ipse descendit." Tract. III, 2. in Joann. 1, 17. p. 304. V. H. N. T. p. 59. s. Ad hos C. 4. congruenter accommodat similitudinem haeredis, cui per aetatem non licet adire haereditatem, sed curatorum tutelae subest usque ad tempus, quo paterna bona tenere licebit: ita et tam Judaei quam gentes tanquam pueri sub tutela Legis naturalis et Moysis vivebant, donec veniret tempore a Patre praescripto, quem ab aeternitate genuerat naturalem et sibi carissimum filium: Christus.

1) Cf. Chr. Ravii, de adventuali plenitudine Jesu C. in carnem., Th. n. p. 905. s. C. Schrader, de triplici ordine Comment. Vind. 1864. p. 144. J. F. Raebiger, Christologia Paulina. Vratislav. 1852. p. 16. s. 2) 4, 1—7. 3) 4, 8—20. 4) Quem Legis cultores frequentissime et avidissime audiebant. 5) Atque haec quidem „ἀλληγορούμενα" esse dicit Apostolus 4, 24. Missa h. l. etymologia h. v. in quam commentarius noster „de Sacra Scriptura eiusque interpretatione" inquiret, ut Pauli mens explicatior sit, divinam hanc allegoriam summatim exponamus. Rem omnem ad quam Apostolus Moysis narrationem Gen. 16, 15. 21, 1. s. transfert, declarat v. 24. „Haec enim sunt duo testamenta." In διαθήκαις ut alias saepe, notantur foedera Dei cum hominibus, ad horum salutem tendentia; quae duo dicuntur et discernuntur legale ab una, et evangelicum ab altera parte. Horum iam foederum unum testatur Abrahae esse a monte Sina, et generare in servitutem; cuius emblema erat Agar, quae servum peperit. Alterum e coelesti Jerusalem delatum, unde adoptionis gratia orta est. Huius imago Sara fuit, quae sub promissione vivens gignebat filios ad libertatem. — Cf. ad rem Philonem, de vita contempl. ed. M. II, 475—483. Vitringam, l. c. p. 677. Ch. Schöttgen, hon. hebr. et talm. in N. T. Dresd. 1733. I, 747. J. Marck, de allegorumenis ad Gal. 4, 24. Lugd. Bat. 1718. M. H. Teenke, de prisca Jeros. cuius cives sunt Christiani. Goett. 1749. Lakemacher, Obs. S. IX. 1, 3. s. C. A. Crusii, hypomn. ad Theol. proph. Lips. 1764. I, 44. s. n. Ewald, ü. d. Namen Hagar-Sinai

evangelicam constanter tueri iubentur, eos cohortatur: ut in libertate Spiritus et caritatis ambulent[1]. Vitiis reluctentur, se contra carnis motus arment[2]. Ne vero peccatis laborare pergerent Galatae, quibusdam eos praeceptis singularibus informat[3]. Ad exitum epistolae commendat literas suas, quas copiose et sincere propria manu scripsit. Ponderari vult quam diverso itinere a suis oppugnatoribus et Galatarum perturbatoribus incederet. Absit ait b. Apostolus, ut in alia re glorier, praeterquam in una pura praedicatione crucis D. N. J. C. Nam ad salutem nihil conferunt Legis cerimoniae, sed nova creatura; quae esse non potest, nisi vetus intereat. Optat omnibus huic doctrinae consentientibus pacem et misericordiam Dei. Eo tempore iam s. Paulus ferebat in corpore suo stigmata Domini Jesu[4].

---

in Jahrb. d. b. W. 1857. p. 200. s. Id. die Sendschr. d. Ap. Paulus. 1857. p. 493. s. — Vetus Testamentum una cum matre paterna domo eiectum fuisse, ut ad exemplum Isaaci, ex ingenua matre natis cederet haereditas. 4, 21—31.

[1]) Quam vero libertatem non eo valere dicit, ut vitae generi dissoluto operam dare liceat, sed concordiae et amori mutuo. [2]) Tantum abesse ut qui ad D. N. J. C. fidem vere pertinent, carnis desideriis obsequantur; ut eis maxime peculiare sit, totum quod in ipsis a natura corrupta est necavisse. [3]) Graviter adhortatur c. 5. ut alii aliorum onera suscipere et allevare studeant. Diligenter quisque examinet, quod sibi gerendum est ex caritatis lege negotium. 6, 1—5. Qui de Evangelio instruitur, et ipse vicissim doctorem suum participem faciat omnium bonorum. Illa quae de carnis et Spiritus inter se pugna praeclare admonuit, sic concludit, ut extrema utriusque ostendat, quo videlicet caro, quo Spiritus quemque deducat. De carnis operibus pernicies consequetur, de fructu Spiritus vita aeterna. [4]) Gal. 6, 4—18. „Στίγματα“ in N. T. ἅπαξ λεγόμενον, profanis scriptoribus graecis dicuntur puncta, quae instrumenti acuti ope infiguntur. Suntque notae, quales captivis poenae causa et servis inuruntur, ut si aufugiant agnoscantur; sed et in iis reperiuntur qui numini cuidam in perpetuum se consecrarunt. Cicatrices quoque vulneratorum militum stigmata audiebant. Cf. de usu loq. Zorn, Bibl. antiq. I, 458. n. Deyling, Obs. s. III. 48, 331. s. J. B. Hammericus, diss. de Stigm. C. in corpore P. Hafn. 1701. C. Hasaeus, de στίγματι Veterum. Brem. 1704. Aringhi, Roma subterr. II, 134. J. C. Wolf, cur. phil. ad h. l. II, 789. Ewald, in Apoc. Lips. 1828. p. 161. s. His accomode 6, 17. s. tr. στίγματα i. e. notae D. N. J. C. in corpore Pauli impressae, erant: „τὰ παθήματα“, quae in munere Apostolatus rite et constanter obeundo perpessus fuerat; quorum magnam partem altera ad Cor. ep. persequitur. 1, 5. 4, 10. 11, 23. Haec omnia, quae occultari nequeunt, animi signa sunt non Legi, sed uni D. N. J. C. confidentis. Iteratas igitur in posterum animi aegritudines deprecatur dicens: non est quod mihi molestias augeatis, qui ex frequentibus laboribus, fugis periculosis,

§. 78. Epistola prior ad Corinthios.

Nuncium de Ecclesiae Corinthiacae conditione per domesticos Chloes [1] acceptum [2]; aliaque, de quibus ipsi Corinthii, missis per Stephanum, Fortunatum et Achaicum literis [3], institui cupiebant capita Paulo occasionem praebebant, primam istam ad Corinthios dirigendi epistolam. Unde argumentum non unam sed multiplicem habet doctrinam, prout multa erant, de quibus admonendi fuerunt Corinthii [4]. Postquam ab exordio dicta Corinthiis salute, iis de gratia Dei et donis eximiis gratulatus fuisset Apostolus; ita tamen, ut maiora in dies exspectare a Deo se dicat [5] incrementa, indicat se nonnulla de dissidiis inter ipsos ortis cognovisse; quae partium studia retundit, et ut a schismatibus abstinerent enixe adhortatur. Fideles Corinthi cum non eodem omnes institutore Christi fidem amplexi essent, de suo quisque magistro gloriabantur. Fuere inter Corin-

plagis mortiferis, lapidationibus, vinculis aliisque cruciatibus etiam stigmata corpori meo impressa, tanquam notas Domini mei Jesu, cuius servum me profiteor, porto! Ita S. Joannes Chrysostomus, comm. ad h. l. X, 729. s. S. Hieronymus, comm. ad h. l. VII, 534. Doctor Angelicus, comm. ad h. l. ed. Neap. 1856. p. 139. et recentiorum fere omnes. V. e. g. J. S. Menochium S. J., Comm. tot. S. S. ed. Vienn. 1755. VIII, 149. Th. Erhard O. S. B., Isag. et Comm. in un. Bibl. S. Aug. Vind. 1735. II, 262. Winer, p. 102. L. Usteri, Comm. ü. d. Br. Pauli a. d. Gal. Zür. 1833. p. 213. Schott, p. 613. Windischmann, p. 170. Meyer, p. 255. Trana, p. 79. Wieseler, p. 515. Hofmann, p. 225. Sacra enimvero D. N. J. C. vulnera Pauli corpori infixa fuisse, ut olim fuerant S. Francisco Seraphico et S. Catharinae Senensi, nullus Veterum meminit. Cf. c. Theodoreti, interpr. ad h. l. III. 1, 396.

1) Nomen feminae Romanis usitatum, forte sumtum a dea Cerere, quae „Χλόη“ vocabatur. Cf. Horatii, III. ode 9, 19. 2) Paulus gratias agebat Deo pro fide Corinthiorum Evangelio habita, pro obsequio divinis praeceptis praestito, fiduciaque et amore; quibus plurimi eum prosequebantur. I. 4, 7. 6, 11. 11, 2. 15, 1. 2. At etiam certior factus de coetus illius discordiis vitiisque, gravissimum inde concepit dolorem, ita ut nonnisi cum summo animi angore et sollicitudine ad eos scriberet, imo ut inter scribendum lacrimas non teneret. 1, 8. 9. coll. II. 2, 3. 9. Ea autem Apostoli erat sentiendi agendive ratio, ut iste status ecclesiae non posset non ipsi accidere tristissimus, gravissimeque eum impellere ad occurrendum his dissidiis morumque corruptelis. 3) I. 7, 1. 16, 15. s. 4) Id quod ex summa partitione epistolae cognoscitur. 5) Quod satis apparet ipsius Christi testificatione, qui non testatur tantum, sed et contestatur homines eosque monet officii sui. Cf. C. Vitringae, diss. de testimonio Christi, in Thes. n. p. 757.

thios, qui a Cepha seu Petro[1]; alii qui a Paulo nomen sibi sumserant[2]. Alii ab Apollo, alii a Christo nomen suum derivabant[3]. Hos acerbius reprehendit, quod nihil magis Evangelio repugnet, quam concertatio ab inani sapientiae studio profecta. Quid enim absurdius est perversiusque: quam eos ad quos doctrina de Cruce perlata est, humana sapientia innixos de doctorum auctoritate inter se disceptare, neque omnis eloquentiae humanae oblitos in Christo solo acquiescere?[4] Plurimum autem a saeculi sapientia

---

[1]) Petrum Corinthi adfuisse affirmat Dionysius Corinthiorum episcopus apud Eusebium, Eccl. Hist. II, 25. p. 68. coll. IV, 23. p. 143. Quid vero causae esset, cur aliqua pars Petrinorum nomine gloriaretur, non una ratione explicatur. Cum Paulus 1, 14—17. tanta asseveratione affirmaret se paucis exceptis neminem apud Corinthios baptizasse; inde coniiciunt sectarum auctores horum nomina sibi imposuisse, qui eos baptizaverant. Recentiorum vero communis fere sententia est inter Corinthios fuisse factiones, quae opiniones suas hoc aut illo praeclaro nomine et auctoritate constabilirent. Petrinorum quidem partem iudaica stirpe prognatos homines effecisse, qui studio suo Legis mosaicae perverso, Pauli adversarios se gesserant. [2]) Paulinis accessisse videntur Apollonii fortasse solummodo doctrinae exponendae ratione a ceteris diversi. Has factiones causam Ethnico-Christianorum tuitas fuisse facile damus. [3]) Ex opinione nonnullorum e. g. Lund, specil. ench. exeg. p. 59. „haud probabili Petrinis adiunguntur „οἱ τοῦ Χριστοῦ", qui auctoritatem Jacobi f. D. sequebantur. Sed qui Christi tantum discipulos semet dicebant, illi non sine ratione sumuntur partem quandam neutram confecisse, quae ab reliquarum partium studiis abstinere voluit. Paulus 3, 22. Christi nomen omisit, quia adpellatio a Christo sumta, si in se spectetur, merito in omnes homines Christi doctrinam professos cadit. Quae alia de his factionibus ponuntur hypotheses legi possunt apud: C. Vitringam, de schism. et sectis Eccl. Cor. Obs. s. III, 21. I, 779. s. Storr, not. hist. Tüb. 1788. §. 4. in opusc. II, 252. s. Pott, N. T. ed. Koppe. ep. I. ad Cor. Gött. 1826. prol. p. 18. s. Hug. Einl. II, 359. Neander, Kl. Schr. p. 68. s. Baur, Paulus, p. 259. s. Jäger, Erkl. d. b. Br. d. A. Paulus n. Cor. a. d. G. d. vier Part. Tüb. 1838. D. Schenkel, de eccl. Cor. primaeva fact. turbata. Bas. 1838. Lücke, de Eccl. ap. p. 151. s. Goldhorn, die Christuspartei zu Cor. in Ilgen Z. f. h. Th. 1840. II, 121. Dähne, die Christuspartei. zu Cor. Halle 1841. Fr. Becker, die Parteiungen in der Gem. z. Cor. Altona 1842. Knievel, Eccl. Cor. vetustiss. diss. Gedani 1841. Räbiger, krit. Unters. d. h. B. d. a. Paul. an die cor. Gem. mit bes. Rücksicht auf die in ihr herrsch. Streitigk. Bresl. 1847. p. 214. s. Wette, K. Erkl. d. Br. a. d. Cor. ed. Mesmer. III. Leipz. 1855. p. 15. A. Maier, Einl. p. 256. Comm. ü. d. erst. Br. Pauli an die Corinther. Freib. 1857. p. 11. s. Schaff, Gesch. d. ap. Kirche p. 290. s. Meyer, Comm. p. 3. s. 21. s. Ewald, apost. Zeitalter p. 467. s. W. Beyschlag, de Eccl. Cor. factione chr. Hal. 1861. p. 16. s. Id. in ann. Stud. u. Krit. 1865. p. 217. s. [4]) Pereuntibus, qui verborum phaleras, orationis pigmenta et argutias quaerunt, crucis Christi praedicatio amentiae argumentum esse videtur; nobis

differt sapientia illa Dei, quippe quae Spiritus S. aculeis instructa, abscondita eius mysteria aperiat; eam quidem minus probari iis, qui nihil divinum cogitant, contra vero qui spiritum Christi acceperunt, intelligunt quae ille humanae sapientiae prorsus inscrutabilia patefecit [1]. Ad istos profanos aliqua ratione etiam Corinthios pertinere ex ipsorum concertatione colligit [2]. Haerendum esse uni Christo salutis auctori, quod Ecclesia aedificium sit Christo tanquam fundamento superstructum [3]. Dominum Jesum summi magistri loco

---

autem, qui salutem assecuti sumus, revera mirifica est. Quae sane non ita emineret, si ab artis vel sapientiae humanae praesidio penderet. Quam sapientiam abolendam praedixit Isaias. 29, 14. Quandoquidem ex admirabili mundi opificio, Deum universi artificem non agnoverunt homines; ille ipse bonorum omnium parens gratuita sua bonitate, stulta quodammodo minimeque diserta Evangelii praedicatione voluit pertrahere ad salutem eos, qui credidissent. Nam Judaei quidem rebus mirabilibus, quae in Veteri Oeconomia contigerunt assueti, prodigia expetunt; Graeci autem unam divinarum humanarumque rerum sapientiam suscipiunt. Nos porro praedicamus omnibusque colendum proponimus Christum cruci affixum; quem Judaei pro offendiculo habent, Graeci perinde ac rem a recta ratione alienam contemnunt. Cum tamen revera iis, qui ad efficacem vocationem pertinent, sive illi Judaei sint sive Graeci Christus Deus-homo divino cultu prosequendus videatur, vel ideo quod in eo mira Dei potentia sapientiaque eluceat. Illa enim crux, quae hominum iudicio amentia quaedam putatur, cuivis humanae sapientiae longe anteferenda est. Itaque quidquid hominum sententia eximium videtur, id iudice Deo humile censetur, et ea quae nullius pretii habentur, sapienter elegit; ut ea quae incredibilem existimationem sibi pariunt, in nihilum redigat. Inchoatam c. 1. disputationem prosequitur c. 2. ubi praeter eam, quam posuit rationem, quod per schismata dividatur Christus, aliam promit: quod indicium praebeant hominis carnalis. Cum docuisset Deum elegisse vilia, ut confundat fortes, ostendit doctrinam de Christo crucifixo non indigere artificiosa rhetorum vel philosophorum oratione; imo potius ab unius Dei divina vi ac potestate pendere, ne fides humanae scientiae et argumentorum momentis nitatur. I, 2, 1—5. Cf. G. Billroth, Comm. z. d. B. an die Cor. Leipz. 1833. p. 21. s.

[1]) 2, 6—16. [2]) C. 3. [3]) Benedictio et incrementum doctrinae est a Deo, non a Paulo, Apollo aliisque ministris, sui quemque laboris fructum aliquando relaturis. Quod ipsum adeo verum est, ut affirmare liceat omnes magistros esse tanquam adminicula, quorum subsidio a Christo ad Deum bonorum omnium largitorem subvehantur. Ut in ipsis rebus humanis, unde ducta est imago, fieri solet, cuius architecti probatum opus, is mercedem dignam ab eo cui aedificium struxit, accipit: ita quem in Evangelii opere bene sese gessisse in iudicio compertum erit, operae proemium liberalitate maxima a munificentissimo Domino esse consecuturum. V. Chr. Ludovici, de doctrinae traditae probatione per ignem, in Th. n. p. 763. s. Sed illud iuvat examinare an ex 3, 15. probetur existere purgatorium. Purgatorium ex hoc loco statuerunt P. P. in Concilio Florentino, apud

habeant, non vero eos, qui sunt nonnisi instrumenta salutis. Atque ut de Christi ministris suam aperiat sententiam [1], quibus peculiari Dei munere concredita est divinorum mysteriorum administratio, monet: nemo eorum suo officio desit; sed ut par est Domino primum, deinde muneri sibi credito fidum se exhibeat [2]. Praeter ea, quae hactenus Apostolus in Corinthiis reprehenderat, illud gravissimum videbatur: [3] quod incestuosum quendam [4] tolerarent, et cum ratio postularet, ut lacrimis tam dirum nefas prosequerentur, tumore potius elati, pro nihilo illud facere viderentur. Hunc incestuosum s. Paulus absens licet, spiritu tamen sese cum Ecclesia Corinthi coniungens, nomine et auctoritate D. N. J. C. ab Ecclesiae societate removit [5]. Ut salutari probro affectus resipisceret, maximum-

Hard. IX, 19. Haec interpretatio, — a qua praeter Acatholicos etiam Estius, Comm. in h. l. p. 153. et A. Maier, Comm. ü. d. e. Br. an die Cor. p. 82. catholici recedunt — praeterquam quod optime conveniat contextui, etiam ex Traditione probatur. Significat b. Apostolus eos, qui ambitiose Evangelium promulgant, non esse illos quidem aeternis suppliciis obnoxios, sed quia inanis doctrinae iactantia vitiosa est, non fore eos ab omni poena immunes, cum igne purgatorio expiandi sint. Haec est etiam constans S. P. et S. E. explicatio: S. Cypriani, ep. 55, 17. p. 114. Origenis, in Exod. hom. VI, 4. ed. Lomm. IX, 63. ib. X, 13. p. 125. S. Hilarii, tr. in Ps. 59, 11. ed. Par. II, 401. S. Augustini, in Ps. 37, 3. p. 295. S. Ambrosii, in Ps. 118. 20, 58. p. 1238. S. Hieronymi, in Isai. 66, 24. p. 832. in Amos. 4, 11. p. 276. S. Gregorii, dial. IV, 39. p. 444. Mittimus Theodoreti locum multum vexatum, ad q. cf. Noesselt, praef. ad. III, 1. op. et not. 9. ad interp. I. Cor. 3, 15. p. 183. Et cum P. P. et S. E. locum hunc de igne purgatorio, quem post mortem patiuntur illi, qui in iudicio particulari inveniuntur aedificasse lignum, foenum et stipulam, ita quoque hunc locum intelligunt viri doctissimi: C. R. Bellarminus, de purgatorio, I, 5. ed. Ven. 2, 288. B. Justiniani, explan. in omn. P. ep. I, 418. Leo Allatius, de utriusque Ecclesiae occ. atque orient. perpetua in dogmate de purgatorio consensione. Rom. 1655. p. 306. s.

[1]) C. 4. [2]) Hominum, qui falluntur, iudicia negligenda unum Christi pertimescendum. Neminem, quamvis multis et magnis donis praestet posse aut debere iure se efferre supra sese. Fastum Corinthiorum perstringens de se suoque ministerio humiliter loquitur, ita tamen ut suam in illos caritatem commendet. Cf. G. D. Ziegra, diss. Apost. ὡς περικαθάρματα in Thes. th. p. 520. s. Ceterum eorum erga se benevolentiam requirit, et si Deo placuerit non ita multo post adventum suum ad eos pollicetur. [3]) C. 5. [4]) Qui summa turpitudine patris sui uxorem polluere ausus fuerit. [5]) Traditque satanae 5, 5. Vehementiori metaphora coll. I. Tim. 1, 20. excommunicationis poenam describit, eodem enim haec pertinere monent interpretes. Consuevisse autem daemonem eos, qui sacris prohibiti essent, multis modis vexare, affirmarunt non pauci. Sed iidem scriptores tamen hoc loco agi de censura ecclesiastica, quae ad eius, qui peccavit, salutem refertur, constanter fatentur. Cf. Vitringae, de synag. vet. III. 1, 10. p. 757. H. N. T. p. 383.

que supplicium extrema iudicii die evitare mereretur [1]. Optabat etiam d. Paulus, ut fideles litigia omnia vitarent [2], vel saltem illa coram iudice infideli non agitarent; sed potius iubet lites suas amice in fidelium arbitrium remitterent, quibus a Deo vel iudicium de mundo, ac de ipsis quoque angelis reservatum est [3]. Revocat Corinthios a variis sceleribus proposita spe vitae beatae, ad quam nulli impio aditus patet [4]. — Missis ad Apostolum literis postulaverant Corinthii, quid in usu coniugii servandum esset. Hac data occasione d. Paulus solvit quaestiones ‚de matrimonio et virginitate' ita, ut matrimonium exposito mutuae cohabitationis officio, non modo permittat; sed etiam iis qui continentiae donum non habent, suadeat. Ceterum hoc se concedere, non iubere. Velle enim potius et cupere se ait, esse omnes similes sui; i. e. coelibes. Docet coniugia etiam fidelium cum infidelibus, si ‚citra Creatoris contumeliam' consistere queant esse indivulsa. Vetat ne Judaei credentes in Christum rursum attrahant praeputium [5], neve gentiles ad Christum conversi circumcisionem admittant [6]. Interim omnibus rebus moderate esse utendum. Commendat deinde virginitatem ac matrimonio longe praefert; viduam quoque si sic maneat, fore beatiorem affirmat, quam si rursus ad vota secunda transeat [7]. Docet Apostolus [8] de carnium idolis immolatarum esu; ostendit quousque homini christiano salva et religione et

---

[1]) Immerito ipsos gloriari, quasi prae ceteris excellerent, cum inter ipsos crimen adeo grave commissum sit. An non scirent, quod exiguum fermentum totam massam corrumpat? atque adeo improborum consortio reliquos inquinari. Suadet proinde quanta maxima diligentia fieri possit, fugerent fornicatorum, avarorum, idololatrarum, maledicorum et ebriosorum societatem, quibuscum ne cibus quidem sumendus sit. [2]) C. 6. [3]) Fore autem Sanctos in extremo iudicio una cum Christo indices; et D. N. J. C. auctoritate Matth. 19, 28. Luc. 22, 29., et hoc Apostoli testimonio apertissime probatur. Quidquid demum oggerat S. Arn. Noltenius, de Sanctis mundi et Angelorum iudicibus, in Thes. n. p. 789. s. improborum quidem damnatio iusta in die iudicii omnium Sanctorum suffragio probabitur, non aliter ac sanctorum angelorum beatitudo. Vis autem totius ratiocinationis 6, 23. h. e.: qui mundi iudices sunt constituti, non posse videri indignos, qui controversias litigantium componerent. [4]) Insectatur praesertim scortationis turpitudinem, hortaturque ad castitatem; cum ex quo Spiritum S. baptismo regenerati acceperint, corpus ipsorum sit templum quadam ratione Spiritus S. [5]) Quod facere consueverant, qui ad gentes defecere. [6]) Cf. G. Groddeck, de Judaeis praeputium attrahentibus, in Thes. n. p. 794. s. [7]) 7, 40. [8]) C. 8—11, 2.

benevolentia sedulo cavente, ne fratribus imbecillioribus offensa praebeatur, iis vesci liceat, quae idolis sunt immolata. Habendam esse eorum rationem, qui offenduntur, quorum saluti praecipue consulendum monet [1]. Hortatur Corinthios, ut eodem quo ipse studio Christum Dominum verae pietatis magistrum imitentur. Eos laudat: quod sua praecepta observent, inculcat attamen quam pie, caste, pudice uti alias ita potissimum in sacris sit versandum. Oportere viris sibi cavere ab ornamentis femineis, quibus virilis gravitas in muliebrem discingitur mollitiem. Velato capite divinis adstare, non esse virorum, sed mulierum. In primitivorum Christianorum s. conventibus, postquam Eucharistiae participassent, communia quaedam convivia ‚ἀγάπαι' celebrabantur. In piam hanc consuetudinem quosdam abusus Corinthi irrepere coepisse cognoverat Apostolus, quos [2] graviter vituperat [3]. Postquam d. Paulus

[1]) Caritatis huius se ipsum exemplum facit; liberum licet omnibus tamen, quoad eius fieri poterat sese accommodasse, ut cunctos pertrahere posset ad salutem. Ita quamvis liceret victum percipere ab iis, quibus divini Verbi doctrina traditur, se tamen abstinuisse, ut offendiculi amputaret occasionem. C. 10. Idolothytorum esum dissuadet ab exemplo veteris et ingrati populi Hebraeorum a Deo puniti, deinde vitandum monstrat a periculo etiam idololatriae: quia sacrificia gentilium communionem cum daemoniis important, sicut quando quis Eucharistiam sumit, consors fit Christi. Cf. G. Olearii, diss. ad I, 10. Th. n. p. 810. s. Concludit totam tractationem analemmate, ut non modo nos ipsi Dei quaeramus gloriam; sed id quoque agamus, ne alii quidquam contra gloriam Dei faciant. [2]) I. Cor. altera c. 11. parte a v. 17—34. [3]) Αἱ ἀγάπαι sic dictae a dilectione, quod vel caritatem commendarent, vel propter caritatem fierent, erant convivia sacra veterum Christianorum, quae inter aedes sacras in honorem Dei, aut memoriam martyrum, aut in exequiis parabantur. Christus ipse ultimam coenam agaparum exemplar fecit, atque ideo vel ipsis Apostolorum temporibus — coll. ep. S. Judae v. 12. S. Ignatii, ep. ad Smyrnaeos c. 8. p. 231. — huiusmodi convivia sive epulae cum Eucharistia coniungi solebant. Mensae autem divites accumbebant et pauperes, fratrum more una Christi dilectione seu agape populum coniungente. In hanc piam convivandi consuetudinem iam prima aetate, partim ambitione divitum, partim etiam vulgi copia irrepsere abusus. Quamobrem suum esse duxit gentium doctor Corinthios debiti officii admonere; idem praestitit S. Judas, qui agapas a Gnosticis commaculari animadvertit. Cum denique plurima in consuetudinem illam piam inveherentur vitia, satius visum est Ecclesiae ritum istum prorsus tollere, quam ullam pietati communionem cum vitiis relinquere. Quodsi quis agaparum ampliorem notitiam optet, adeat: L. A. Muratorii, disq. de agapis sublatis, in Anecd. gr. Pat. 1709. p. 241. s. Dom. Macri, Hierolex. s. h. v. p. 29. s. J. L. Selvaggii, Antiq. Chr. In. III. 9, 6. ed. Vercell. V, 170. s. Augusti, Denkwürdigkeiten a. d. chr. Archäologie IV, 124. s. 139. s. B. Stolberg,

Corinthios arguit, quod minus recte ea peragerent, quae ad agapas pertinerent; Christi de Eucharistia institutionem repetit, atque ob oculos ponit immanitatem sceleris eorum, qui communionem indigne sumere audent [1]. Etiam circa extraordinaria Spiritus S. dona abusus irrepserant. Vitia haec reprehendit [2]. Exponit donorum spiritualium auctorem esse Spiritum S.; pandit regulam illa cognoscendi, praescribitque legitimum usum [3]. Caritatis vero excellentiam commendat ceu linguarum et prophetiae dono, bonorum item erogatione potioris, et inter ea bona quae in altera vita manebunt praestantioris [4]. Cetera inter dona Spiritus S. prae linguis sequendam dicit prophetiam, utpote qua homines magis aedificantur; quid vero de omnibus censendum sit, non sine aculeo tradit. Absoluta disputatione de donis extraordinariis Spiritus S. [5], agit de resurrectione mortuorum. Ostendit Christum vere resurrexisse, et ad eius instar nos omnes resurrecturos. Quaerebant aliqui,

de vet. Chr. agapis. Witt. 1673. F. Creitlov, de veteri agaparum ritu. Lips. 1690. Suiceri, Thes. I, 24. s. J. Th. F. Drescher, de vet. christian. agapis. Giess. 1821. A. Kestner, die Agape, Jen. 1819., quem refutavit Eichstädt, diss. Lucianus num scriptis suis adiuvare voluerit rel. chr. Jen. 1820. Binterim, die vorzügl. Denkw. d. chr. kath. Kirche. II. 2, 3. s. G. Böhmer, die chr. k. Alterthumswiss. Bresl. 1839. II, 390. Guerike, Lehrb. d. chr. k. Arch. p. 283. s. M. F. Rampf, der Brief Judae. Sulzb. 1854. p. 394. s. A. F. Kiefer, sur les agapes. Str. 1835.

1) 11, 17—34. V. p. 112. s. 2) C. 12—14. p. 1. 3) Similitudine corporis demonstrat per charismata Ecclesiam i. e. corpus Christi non scindi, sed ad illud unum perficiendum dirigi debere. 4) Nunc nos veluti in speculo, obscure tantummodo divina intueri, ubi autem advenerit, quod omni ex parte perfectum est, tunc perspicue atque aperte omnia cognoscemus. Sumta metaphora est 13, 12. a speculis, quae non rem ipsam sed eius imaginem intuentibus obiiciunt. Interpretes antiqui omnes v. ἐσόπτρου speculum intellexerunt, donec L. Bos, exerc. phil. in N. T. Franeq. 1713. p. 147. eiusque vestigia legens J. Chr. Harenberg, de specularibus Veterum in Thes. n. p. 829. s. aliique permulti sumerent lapidem specularem, radios transmittentem, pellucidum, quo antiqui usi sunt in conficiendis fenestris, ut trans ea conspicerent, quae essent foris posita. Verum ἔσοπτρον constanter apud Graecos et Judaeos graece scribentes significat speculum, materia pellucida appellari solet διαφανές. Cf. Ikenii, diss. phil. th. Lugd. B. 1749. I, 555. s. A. G. Holmann, animadv. ad c. 3. et 13. ep. P. I. Cor. Lips. 1819. 39. L. G. Pareau, comm. cr. et ex. in Paul. ep. pr. ad Cor. c. XIII. Trai. ad Rh. 1826. p. 337. s. Meyer, ad h. l. p. 288. Grimm, Clavis N. T. p. 172. Erant autem veteribus specula non e vitro sed e metallis, praesertim ex aere, chalybe, confecta, quae adeo etiam si pura essent minus claram neque luculentam rerum imaginem referrent. V. J. Jahn, Bibl. Archäologie. Wien. 1796. I, 2. 155. Winer, R. W. II, 496. 5) C. 15.

quanam ratione mortui suscitantur, quali corpore praediti resurgent? Istis quidem concedit, commune corpus humanum [1] resuscitatorum esse non posse; at simul edocet eos, quemadmodum in terra et coelis varia corpora sint, sic etiam corpus esse animale et spirituale, atque spirituali quidem indutum iri resuscitatos [2]. In epilogo [3] orat: ut stipem in fratres pauperes colligant, post adventus sui promissionem Timotheum commendat, Apollum et alios quosdam laudat, salutationes nonnullorum adscribit; tandem voto gravissimo epistolam finit [4].

Digressio I. de praecepto Apostoli quod ad vinculum coniugii attinet. Apostolus 7, 10. 11. „de repudio" agit, cum enim illud passim a gentilibus usurparetur, et apud Judaeos lege permissum esset, quaesierant indubie Corinthii numquid fas esset Christianis aliqua de causa uxori nuncium mittere? Eapropter utramque partem, marem atque feminam — respiciens ad mores Graecorum et Romanorum, penes quos etiam sequior sexus viro matrimonium renunciare poterat. V. M. Rossali, diss. de sent. P. I. Cor. 7, 12. s. n. 11. in Thes. n. p. 801. — interdixit potestate rescindendi coniugium; non ex suo sensu, ut ait, sed ex Domini effato Matth. 5, 32. 19, 9. Inito et consummato coniugio, nullo iure nullave ex causa eius vinculum solvi posse; et parem esse viri ac feminae habito respectu huius nexus conditionem. Coll. Marc. 10, 2—12. Luc. 16, 18 ex quibus tria videntur posse colligi. Primum: quicunque dimiserit uxorem suam, quod non licet quacumque ex causa, sed nonnisi ob gravissimam, qualis est fornicatio, et aliam duxerit, moechatur. Alterum: nefas esse cuiquam alterius uxorem a viro seiunctam, illo superstite ducere. Tertium ac postremum: universum moechatur omnis, qui dimissam ducit. Hisce coniugalibus D. N. J. C. praeceptis omnes, quotquot in Ecclesia matrimonia inibant, sese submittere oportebat. Attamen rara adhuc erant, quae ad hanc legem inter Corinthios nuper conversos coaluere connubia. Neque qui ante matrimonio iungebantur coniuges, ambo simul et una Christo nomen dederunt. Eiusmodi coniugia intestinis malis laborabant. Praeterea quod sacrorum dissimilitudo religione coniugis Christiani officeret, eamque discrimini exponeret, passim etiam infidelibus causas divortii

---

[1]) Quippe quod sepultum in putredinem abierit. [2]) Utrumque iam in Christo cerni. Adiicit deinde nonnulla, quibus explicat antithesim Christum inter et Adamum atque mysterium futurae resurrectionis. Denique praeclara adhortatione labentes erigit. 15, 29—58. Cf. J. F. Raebiger, de Christologia Paulina c. Baur. comm. Vratisl. 1852. p. 33. s. [3]) C. 16. [4]) Si quis D. N. J. C. non amat, anathemate percutiatur, quippe Domini adventui ingratus, dignus est qui suppliciis adiudicetur aeternis. Gratia D. N. J. C. vos perpetuo servet incolumes. Ego autem vos caritate complector in C. J. Amen. Comma 22. interpretati sunt: S. Bochartus, l. c. p. 1036. Witsius, in Miscell. Op. II, 65. Lightfootus, op. I, 778. Suicerus, Thes. I, 268. 604. Weihenmajer, in Th. th. p. 578. s. Renner, ib. p. 582. Leger, in Th. n. p. 879.

subministrabat. Utrumque Apostolus pro rei gravitate expendit 7, 12—17. Paulus qui sciebat sibi „quantum ad haec", non constare de Verbo Domini scripto; tamen non dubitat ea fidelibus proponere, quid iis agendum sit, qui coniugem haberent infidelem. Sententiam si pensitemus, non facit d. Paulus potestatem: ut fidelis mulier infideli nubat, vel contra vir fidelis uxorem ducat infidelem; sed tantum iubet, qui ante suscepta Christi sacra matrimonium inierant, coniugum in infidelitate persistentium imbecillitatem tolerare, proposita spe salutis ipsorum. Saltem addit, filii ex hoc coniugio nati regeneratione Christo nomen dabunt, quod non fieret, si uno credente dissociaretur coniugium. Cum itaque matrimonium Christiano dirimere nequaquam liceat, quid a fideli agendum, si infidelis deserat fidelem? Deserere autem censetur infidelis, quoties conatur fidelem pertrahere ad impietatem; tunc ad fidem converso potestas fiat a priore coniugio recedendi, et secundum cum fideli ineundi. Ne tamen forte ipsi Christiani discordiis ansam praeberent, atque adeo divortium concitarent, eos obtestatur: ut qualem unumquemque voluerit esse Deus talem se quisque exhibeat, divinaeque vocationi pro virili respondeat. Verum haec amplioribus disputationibus expediunt: Christianus a s. Ursula, de coniuge infideli facto fideli. Bamb. 1782. A. Jaeger, Unt. ob die Ehescheidung n. Lehre d. h. Sch. u. d. Kirche ält. Gesch. erlaubt sei. Rudolfstadt. 1804. J. Kistemacker, Exeg. Abh. über Matth. 16, 18. 9. u. 19, 3—12. Münst. 1808. J. A. Braun, diss. utrum matrimonii vinculum in casu adulterii... insolubile sit. Düsseld. 1807. p. 113. s. J. L. Hug, de coniugii chr. vinculo. Frib. 1816. p. 18. s. Binterim, ü. Ehe u. Ehescheidung. Düss. 1819. Id. De libertate coniugis infidelis factae fidelis qu. retract. Confl. 1834. p. 7. s. J. Zenger, n. Versuch e. g. Erkl. der St. d. h. Sch. welche v. d. Ehescheidung handeln. Straub. 1819. J. Werner, in Pletz n. th. Zeitschr. 1839. XII. b, 273. s. et in Seitz, Zeitschr. d. Kirchenr. Reg. 1843. II. 2, 135. s. atque Ü. d. neutest. Ehetrennungsgrund. Reg. 1845. p. 46. s. Schleyer, ü. d. neutest. Lehre v. d. Unauflösb. d. Ehe. Freib. 1844. A. de Roskovány, de matrimonio in Eccl. cath. Aug. Vind. 1840. II, 152. s. 184. s. J. Perrone S. J., de matrimonio christiano. Rom. 1858. III, 162. s. a. Frenzel, de indissolubilitate matrimonii. Paderb. 1863. p. 15. s. 39. s.

Digressio II. b. Pauli monitum, ut mulieres in Ecclesia sint velato capite. Non idem fuit inter gentes habitus mulierum in publicum prodeuntium; apud plerasque tamen ingenuae ac virgines velatae incedebant. Cum d. Paulus cognovisset feminas Corinthi nudo capite in coetus prodire; id vehementer eas dedecere scribit, monetque ut velatae ad publicas orationes accedant. I. Cor. 11, 3—16. Connexio huius loci difficillima sic habet: Apostolus 11, 3. quo rem suam fortius evincat, sententiam praemittit; quod vir Christum pro capite agnoscere debeat, quatenus ipse immediate a Christo, cui Pater regnum in manus dedit, regitur. H. s. mulier Christum non habet pro capite; quatenus non immediate a Christo, sed mediate i. e. per virum regitur. Atque e praemisso effato v. 4. infert, quod vir omnis, qui preces aut prophetias dicturus „κατακάλυμμα" in capite gerat, suum caput dedecorat. Proinde vir velatus esse non potest, quin suo ipsius capiti i. e. Jesu Christo ignominiam causet; quoniam capite muliebriter instructo, quasi in feminam se transformet. Ex eodem porro effato colligit v. 5. quamvis mulierem si caput haud cooperiat, non modo indecenter se gerere, sed etiam semet quasi in virum commutando, necessariam in suum

caput i. e. virum derivare contumeliam. Quod autem subiungit Apostolus in fine v. 6. et s. optimum est argumentum, quo praecedens ratiocinium fortius adstringitur. Nimirum ita argumentatur divus Apostolus: Si vere turpe esset mulieri, in eo imitari virum, quod tonderetur; nec illud turpitudinis posse absolvi quod non velata in publicum prodeat. Neque enim differre quidquam, utrum mulier si mores viriles sequi non gravetur, in tonsione an in denudatione capitis viri imitatricem se gerat. Atque huic quod optime procedit argumento v. 7. superaddit novum, quo eadem res confirmatur: non posse id ipsum quod comari viris haud permittatur, eo absurditatis trahi, quasi ita dignitati virili aliquid praeiudicetur, hoc a vero abesse quam longissime. Scilicet virum qua talem esse κ. ἐ. imaginem et gloriam Dei; ut qui in eo quod mulieris sit caput, pulcherrimam maiestatis et imperii divini referat imaginem. Proinde si fascinato incederet capite non virum sed mulierem se praestaret. Eamque ob causam honorem suum, quem comando capite affectabat, adeo non promoveret, ut contra eo ipso perderet. Mulieri id decorum reputari; nam cum mulier sit ex viro, non vir ex muliere, ultro sequitur, quae ipsi sunt gloriosa in virum redundare. Adeoque ex maiore feminarum quam virorum ornatu, de virili praestantia decedat nihil; idcirco τὸ comari licere debet, idque „διὰ τοὺς ἀγγέλους." v. 10. Obtinent mulieres capitis velandi facultatem, non tantum propter homines, sed et propter reverentiam Angelis debitam. Sunt enim Angeli ubique nobis praesentes, maxime ubi sacra mysteria celebrantur. Ut vero sexum femineum aliquatenus depressisse videatur, Apostolus v. 11. et 12. porro docet: virum aeque constare per mulierem ac mulierem per virum. Quemadmodum enim mulier sit ex viro, si ortus respiciatur primae, ita etiam vir sit per mulierem si naturalem humani generis propagationem attendamus; cum tandem universa ab uno Deo dependeant auctore. Atque ita Corinthiis per argumenta convictis, tandem in hoc negotio ad ipsorum iudicium provocat v. 13. 14. 15. ita, ut suam ac Ecclesiae Dei ab ista litigandi consuetudine, quam nonnulli Corinthiorum amabant, aversionem profiteatur v. 16. Atque haec de contextu dixisse sufficiat, non enim constituimus operosum examen facere criticum in lucubrationes super l. n. Lege quae praeter interpretes observarunt: J. E. Reichardt, de velamine veterum. Jen. 1694. J. G. Pagendarm, rit. cap. in sacris operiendi. Vitemb. 1693. Th. Raynaudus S. J., de capitis tegminibus tam sacris quam profanis, in Thes. Antiq. Roman. Ven. 1732. VI, 1238. s. Lakemacher, de ritu capitis in sacris velandi. Obs. III. 2, 209. s. G. G. Zeltner, de munimento capitis foeminei propter angelos, in Thes. n. p. 820. s. E. R. Roth, de velamine cap. virilis in Thes. th. p. 545. s. G. de Haes, de Paulino mulieris velandae praecepto. Trai. ad Rh. 1761. C. Salmasii, ep. super c. XI. prim. ad Cor. de caesarie virorum et mulierum coma. Lugd. B. 1644. Gurlitt, expl. c. XI. ep. pr. ad Cor. Hamb. 1817. C. G. Anton, conv. l. I. Cor. 11, 3—15. et voc. ἐξουσία n. interpr. Görl. 1832. D. J. Pott, comment. in l. P. I. Cor. 11, 10. Gött. I. II. 1831. et 34. Hitzig, in ann. theol. Jahrb. 1854. p. 129. s. Düsterdick, ein feiner Zug paulin. Mystik, in ann. Stud. u. Krit. 1863. p. 707. s.

Digressio III. annotationes in c. XV. epistolae d. Pauli prioris ad Corinthios
Apostolus cum audivisset, de quibusdam Corinthiorum ex ethnicis Christianis, qui non tam immortalitatem animae, quam resurrectionem corporum in dubium vocarent, hanc ita explicat, ut accuratius et copiosius expositam nusquam

inveniamus. Cf. C. E. Scharling, de Paulo Apostolo eiusque adversariis. Havn. 1836. p. 159. Ex abrupto cum affectu orationis initium faciens: quid inquit vobis magis cordi esse debet, quam Evangelium illud, quod vobis praedicavi, quod et olim suscepistis et perseverantes nunc tenetis? Hoc autem recordemini quaeso, qua via ingressus sum, quonam fundamento posito fidem annunciarim? nonne erat Christi pro peccatis nostris mortui, redivivi nuncium. Sed non contentus resurrectionem D. N. J. C. simpliciter commemorare, quoniam in ea tota, quam contra eos, qui resurrectioni fidem denegarunt, argumentatio innititur; testimonia quibus stabiliebatur, ut maxime ad rem probandam facere credit, ita adscribenda existimavit. Postquam addidisset hunc esse communem omnium, quos Evangelii praecones misit Deus docendi modum v. 12.; ipsam pugnam cum adversariis conferens dupplicem instruit aciem. 13—29. Apagogico, quod vocant, argumento usus, Corinthios eousque perduxit, ut iam sibi desperandum esse viderent; quando resurrectione in universum negata, Christi quoque in vitam reditus negaretur. Cum Christus id, quod negari nullo modo potest, a mortuis resurrexerit, sequitur ut homines omnes resurgant. Accidit deinde ad laetissimum de hac re nuncium directius exponendum. Ex Christi resurrectione, omnium resurrectionem asserit; assertamque pluribus adumbrat; quaenam sit vis doctrinae huius ad homines aeterna vita beandos egregie declarans ad summa extollitur, neque subsistit, nisi in extremo quem cogitando assequi potest fine, ubi Deus futurus sit omnia in omnibus. Cf. A. Calmet, diss. de mortuorum resurr. p. 352. s. P. G. Curtius, de loco pr. ad Cor. ep. 15, 1—29. Berol. 1855. Jesus, addit Apostolus cum omnes inferorum vires atque impetus fregerit, magno cum honoris incremento Deo Patri tradet regnum. Oportet enim eum hoc tantisper administrare, dum omnes adversarios sibi subiiciet; inter quos est etiam ipsa mors, quae omnium postrema abolenda est; illa videlicet communi omnium mortalium anastasi, quam certo futuram credimus. Alioqui si mortui non resurgunt, quid faciunt ii qui in mortuorum resurrectionem baptizantur? Quae quidem verba 15, 29. nugis quibuscunque, suspicionibus, iniuriis levium interpretum missis, tantos experiuntur eruditissimorum virorum conatus, ut eligenda quae potissimum sit explicatio, neque nunc in proclivi sit constituere. Sed si quid dicere interest, a vero propius abesse ea videtur sententia, quam protulit B. Justiniani, in h. l. p. 646 „ut pro mortuis baptizari sit, ad eos sublevandos nonnihil laboris suscipere et molestiae subire." Atque haec opinio multis vel ideo probatur, non solum quia quae molesta tolerantur in vita, baptismi nomine censentur. Marc. 10, 39. Luc. 12, 50.; sed etiam quia idoneo hoc argumento resurrectio mortuorum probatur. Quorsum enim pro mortuorum expiatione oramus, ieiunamus, aut eleemosynas largimur, si nihil illis prosunt? Sin vero prosunt, profecto mortuorum animae superstites sunt; atque adeo aliquando assumtis corporibus reviviscent. V. A. Bosii, de Clinicis E. v. Jen. 1657. p. 27. s. Bocharti, Op. II, 1027. s. J. Harduini, de baptismo. q. t. in op. sel. p. 217. F. Spanhemii, Op. III, 578. s. D. Grade, in Th. th. p. 559. J. H. Mülleri, ib. p. 563. s. Calmeti, diss. p. 377. s. Deyling, II. 44, 389. Jehne, de resurr. interp. c. 15. I. Cor. in Velthusen comment. II, 233. s. D. Gerdes, isag. et exeg. c. 15. ep. I. Cor. Grön. 1759. J. G. Wurm, de adversariis c. 15. ep. I. Cor. impugn. Tüb. 1823. L. J. Rückert, loci Paulin. I. Cor. 15, 29. expositio Jen. 1847. p. 10. s. G. Otto, dekalog. Unters. n. e. Anh. ü. d. Todtentaufe in Korinth. Hall. 1857. p. 170. s. A. E. Krausz, th. Komm. zu I. Korinth. 15. Frauenfeld, 1864. p. 125. s.

§. 79. Epistola altera ad Corinthios.

Quos acrius castigatos ad meliorem sanioremque mentem rediisse audierat Apostolus, data ad eos secunda epistola vere paterno amore solatur atque christianae pietatis institutis et praeceptis informat[1]. Laudat Corinthios quod incestuosum eiecissent, cuius salutari poenitentia permotus, ei illorum gratia poenam reliquam indulget[2]. Modeste sui Apostolatus instruit apologiam; ita ut potius suum ministerium, quam se ipsum commendet. De sua praedicandi ratione locutus, subinde interserit sermones de primis doctrinae christianae capitibus[3]. Magnifice disputat de doctrina Evangelica, quae cum probos beatosque reddat homines, nulloque unquam tempore sit interitura, longe praestat Mosaicae; quae si gloriosa fuerit, multum superatur ab eximia maiestate N. T[4]. Ipsam tamen Evang. praedicationem si non omnibus aeque prosit, id a coeca nonnullorum ignoratione et errorum tenebris repeti debere[5].

---

[1]) Salute dicta 1, 1—7. Paulus pro pietate sua a laudibus Dei exorditur, eumque propterea celebrat, quod calamitatibus Ephesi pressum inverit; unde factum ut eas vicerit; si autem a Deo recessum, hoc precibus Corinthiorum abs se tribui. 8—11. Neque se his indignum fuisse, ut qui simplicem semper et sincerum apud ipsos se semper gesserit; unde parum recte levitatis accusari, quod non ea qua spoponderit celeritate consilium invisendi ad usque exsecutus sit. 16—24. Pepercisse se pudori et imbecillitati Corinthiorum ne si ante peractam poenitentiam advenisset, in quosdam eorum gravius animadvertere cogeretur. [2]) 2, 1—13. Exemplo d. Pauli et auctoritate sibi in Apostolis a Christo collata, merito Ecclesia catholica: peccatoribus iusta intercedente causa, poenas pro peccatis debitas „indulgentiis" remittit. [3]) Ac de se quidem hoc commemorat, ob sinceritatem qua in docendo agat, neminem ipso ad hoc munus magis idoneum: neque hanc esse semet admirantis vanitatem; cum bene norit, si quid possit, id se per Deum posse. 2, 14—3, 6. [4]) 3, 7—18. [5]) 4, 1—7. Quamvis autem multa patiatur adversa, semper tamen divinum se experiri patrocinium. Cumque sciat a Deo se sustentari, quo diutius commodis Corinthiorum possit servire, item et leves aerumnas aeternam manere felicitatem; continenter ardere se desiderio in patriam redeundi. Quo circa et anniti ita vivere, ut cum ratio aliquando Domino sit reddenda, cursus vitae ei probetur. 4, 8—5, 10. Cf. ad h. l. Fritzsche, de nonnullis post. Paul. ad Cor. ep. loc. diss. I. Lips. 1823. p. 47. J. F. Krause. animadv. in II. ep. ad Cor. Regiom. 1—5. 1815—18. Id. annot. ad. v. P. II. Cor. 5, 2. Tüb. 1817. J. Ph. Gabler, nov. curae in II. Cor. 5, 14—21. Jen. 1805—7. Non ideo tamen haec fusius commemorando sibi humanam laudem arrogare: sed ut habeant Corinthii, quod dicerent externarum rerum iactatoribus. Cui

Uberius suam in illos caritatem commendat; monet ut omnem pravum affectum deponant, suamque doctrinam et vivendi rationem probent. Se nullius unquam bona affectasse, summo tamen perfusum esse gaudio relatione Titi, qui rediens Corintho plurima de ipsorum pietate narrabat; atque durius scribenti unice fuisse in consilio: ut illos probis sensibus imbueret, non ut tristitia affligeret[1]. Provocat Corinthios claro Macedonum exemplo ad largas eleemosynas in pauperes conferendas[2]. Ad sui apologiam regressus Apostolus[3] obiectionibus calumniatorum, quasi cum aliis Apostolis ne conferendus quidem videretur, respondet; qua occasione de suo Apostolatu multa scribit, suamque in Corinthios caritatem declarat, atque pseudodoctores suis pingit coloribus[4]. Veniam quodammodo precatur, quod rei necessitate compulsus muneris sui dignitatem tueatur; et se contra obtrectatores iis in rebus, in quibus gloriari poterant, cum Apostolis comparans: prorsus nulla re inferiorem, veluti stirpe ac genere aeque clarum, aerumnis autem pro Christi nomine passis et laboribus exantlatis superiorem exstitisse indicat[5]. Suum proinde munus efferens divinas revelationes sibi factas commemorat; nolle tamen se coelestia visa iactare, ne inanis gloriae studio elatus plus sibi adscriberet, quam christianae modestiae ratio pateretur: partim ideo quod adiectus sit ei aculeus carnis,

---

Deo refert dignitatem Apostolicam, cetera vana esse omnia. 11—21. Quapropter etiam hortatur Corinthios, ut acceptae gratiae respondeant, fugiant gentilium flagitia et sordes. 6, 1—18.

1) C. 7. 2) Ut quod optat, facilius impetret blanda oratione lectores demulcet. C. 8. Deum large in beneficos congesturum esse dona, c. 9, 1—11. ipsorum autem liberalitate mirum in modum causam Dei promoveri; cui singularis habenda est gratia ob ineffabile suum munus, quod nullius dicendi facultate explicari queat. 12—15. 3) C. 10—13. 4) Turpiter, ait 10, 1—6. eos falli a quibus ignavus habetur; cum tamen ad quosvis rei christianae adversarios impugnandos paratus sit; nec alium se absentem, alium praesentem ore et vultu gessisse. Perspicuum omnibus esse, nihil Apostolum ultra modum gloriari, aut alienas laudes sibi arrogare, verum ad unius Dei laudem referre quidquid gratiae divinitus accepit. 10, 7—18. V. J. C. Gubitii, de τῷ βαρεῖ καὶ ἰσχυρῷ II. Cor. 10, 10. Paulino, in Thes. n. p. 883. s. Wineri, spic. observ. in loc. Paul. II. Cor. 10, 1—12. Erl. 1829. Fritzsche, diss. II, 33. Praeterea si quid de se praedicet, id a se spectari, ne corruptae aliquorum Corinthiorum mentes degenerent a simplicitate, quae eos decet, qui Christi nomen profitentur. 11, 1—4. Nihilominus perfecta eum docuisse dogmata, quae summi Apostoli alios docuere. 5) 11, 18—33.

ut importunis ipsum malis urgeat [1]. His nonnulla addit de amore suo in Corinthios, deque integritate, qua ipse cum sociis inter eos egerit. Suum denuo Corinthiis adventum pollicetur, rogatque ut corrigant vitia quae adhuc apud ipsos reperiebantur [2]; talesque se praestent, quales ab Apostolo cum potestate venturo velint inveniri. Sedulam itaque navarent operam, ut Apostoli adventus sit benignitatis non irae. Optat etiam atque etiam perfectam Corinthiorum virtutem, sitque una atque eadem universorum sententia. Pacem conservare studeant, et Deus pacis atque caritatis auctor erit cum ipsis. Denique omnes suo et sociorum nomine salvere iubet [3].

---

1) II. 12, 1—10. V. p. 340. s. 2) Aemulationes, irae, obtrectationes, foedae impuritates. 3) C. 13. Non potuit autem Apostolus tam multos, qui in coetu Corinthiaco invaluerant abusus vitiaque penitus tollere; aliquot enim post annis d. Clemens, S. Petri discipulus, Romanus Pontifex, eosdem rursus Corinthios ambitionis, superbiae, contentionum et dissensionum, celeberrima ad eos data epistola coarguit. Cf. epistolae S. Clementis I. c. 3. 4. 5. p. 59. s. c. 13. 14. 15. p. 73. s. c. 38. s. p. 107. s. c. 57. p. 133. Dicendum etiam est *de scribendi genere huius epistolae*, quod paulo durius deprehenditur ab eruditis. Cum d. Paulus fervidiore ingenio praeditus esset, et ad longiores argumentationes, natura non magis quam disciplina, qua imbutus erat, pronus fuerit; quando concitatius loquentem excipientis calamus sequi non posset, factum ut periodi ampliores, digressiones, anacolutha, antapodota aliaque huius generis singularia in scriptis Pauli orirentur. Ad ista accessit animus variis de causis gaudii dolorisque diversis affectibus commotus. Gaudium quidem, quo Apostoli animus perculsus fuit, tota prae se fert epistola; huic autem iungebantur affectus admirationis, spei, amoris. Sed dominatur praeterea doloris sensus ex Corinthiorum vitiis, dissidiis, iris, pseudoapostolis, e necessitate texendae sibi apologiae; quia quóties Paulus de se fari debet, toties ingrato et molesto sensu vexatur. Itaque non mirum has potissimum literas II. ad Corinthios incomtum et asperum dicendi genus exhibere. *Est porro in quaestione positum utrum tres epistolae fuerint ad Corinthios scriptae?* i. e. an I. 5, 9. „ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ“; de alia ante primam epistola, quam ad Corinthios scripserat, quae postea intercidit? Ipsam hanc epistolam nostram supponi arbitratur S. Joannes Chrysostomus, hom. XVI. in ep. I. ad Cor. n. 1. p. 134. et Theodoretus, interpr. ad h. l. p. 193. „οὐκ ἐν ἄλλῃ, ἀλλ' ἐν ταύτῃ“; dicuntque Apostolum ad v. 2. et 7. eiusdem capitis respicere. In eandem interpretationem abierunt J. Faustius, in exercit. de ep. I. ad Cor. Argent. 1671. Tirinus, ad h. l. II, 203. Fabricius, cod. apocr. p. 920. Wolf, cur. phil. et crit. ad h. l. p. 372. Guerike, Neutest. Isag. p. 291., atque illi provocant ad similem phrasim I. Thess. 5, 27. Rom. 16, 22. Coloss. 4, 16. Neque obstat illud „νυνὶ δὲ“ v. 11. utpote quod non semper nota est temporis, sed transitionis; a. d. scripsi vobis hac praesente epistola, propterea ne fornicariis communicetis. Non intellexi ethnicos, qui ferendi vobis sunt, sed

§. 80. Prima ad b. Timotheum d. Pauli epistola.

Beatum Timotheum Ephesinae Ecclesiae episcopatum primum gessisse narrant Veteres[1]. Illud vero notatu apprime dignum est: tantae gravitatis munus Timotheo valde adhuc iuveni[2] ob egregias dotes contigisse; unde factum est, ut Apostolus ipsum prae aliis exactius instrueret de officiis muneris sibi demandati, ad Ecclesiam bene regendam: ita ut in illo omnes Ecclesiarum Antistites, officii sui recte gerendi praecepta acciperent. Itaque[3] valde sollicite monet Timotheum iniunctae vigilantiae et sollicitudinis contra doctrinae Evangelicae corruptores; hortatur eum ut Ephesiis iniungeret: ne animum adiiciant ad fabulas, quae potius contentionum materiam suggerunt, quam divinam fidem ullo modo promoveant. Unde qui haec studia sectantur non Evangelio modo, sed et Legi, quam magnopere praedicant, repugnare inveniuntur[4].

---

loquor de christianis. Certe quidquid sit tota antiquitas praeter duas hasce ad Corinthios aliam nec vidit, nec admisit unquam. Quam enim armenice scriptam typis mandarunt Wisthoni filii in editione Mosis Chorenensis III. libr. hist. arm. Lond. 1736. et Carpzov, Lips. 1776., spuriam esse docuerunt disquisitiones cr. Ullmann, in d. Heidelb. Jahrb. 1823. n. 34. et Guerike, l. c. p. 290. s. Haud pauca occurrunt in hac epistola ab P. Aucher, Grammar. armen and engl. Ven. 1819. p. 177. et F. Rink, das Sendschr. der Cor. an d. Ap. P. u. d. dritte Sendschr. Pauli an d. Cor. Heidelb. 1823. editis, quae neque coetui Corinthiorum, neque Pauli ingenio et indoli conveniant. Cf. e. F. Stosch, de epist. Ap. non deperditis. Gron. 1753. atque J. G. Müller, de tr. P. it. Cor. suscept. de epistolisque ad eos non deperditis. Bas. 1831. p. 23. s.

1) Eusebius, Eccl. Hist. III, 4. p. 73. atque S. Chrysostomus, in ep. I. ad Tim. c. 5. hom. XX, 2. „palam res est, ait, quia Timotheo ecclesia concredita fuerat, imo tota fere gens asiatica" XI, 637.; et cum his testimoniis conspirant, quae Constitutiones Ap. VII, 46. p. 387. v. et n. 7., Acta Conc. Chalcedonensis, ap. Hard. II, 558. et Photius, Bibl. Cod. 254. Op. ed. Migne IV, 102. de Timotheo, episcopo habent. Alia adhucdum testimonia v. in Bollandi, Act. S. ad d. 24. Jan. II, 262. s. Quod perperam negat Witsius, exerc. XVI. de vita Timothei n. 26. s. p. 557. s., concedit Otto, die gesch. Verhältnisse der Pastoralbriefe. Leipz. 1860. p. 67. s. et Leo, Pauli ep. I. ad Timotheum, Lips. 1836. prolegom. p. 11. 2) Coll. I. 4, 12. II. 2, 22. Forte vitae suae 25. anno cathedrae episcopali admotus est. Ingenia hominum non ab annis sed a prudentia aestimanda esse, multis hanc in rem adductis exemplis demonstravit Lorinus, Comm. in Sap. 4, 8. Mog. 1608. p. 110. 3) C. 1. 4) Ei inquam doctrinae adversantur, quae est iuxta Evangelium, quod Apostolo est concreditum, quoque certe cognoscitur Deum

Commendat, ut in inchoata militia fortiter persisteret Timotheus, servata fide bonaque conscientia; qua sive reiecta, sive contemta, non pauci facto veluti fidei naufragio perierunt; quorum ex numero erant Hymenaeus et Alexander, quos d. Paulus ideo excommunicavit[1]. Quae cum ita sint, carissimo sibi discipulo[2] suadet, ut ante omnia det operam, quo preces fiant a fidelibus suae curae commissis[3]. Porro[4] sermonem facit de dotibus veri Episcopi cuius officium describit. Ad χειροτονίαν, ordinum collationem, quod attinet, oportere in eo, qui ecclesiasticis muneribus praeficiendi sint spectari, ut communi omnium suffragio integri nullique culpae affines deprehendantur. Eadem ratione delectus viduarum instituatur[5]. Haec se paucis ad Timotheum scribenda duxisse, quia propediem adfuturus esset. Cum tamen fieri possit, ut hic adventus vel retardetur, vel omnino prohibeatur: haec interim breviter voluit indicare; nescius ne esset, quam vivendi rationem in Domo Dei q. e. Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis susciperet[6]. Non satis esse, episcopum vera et salutaria docere; nisi possit etiam refellere contraria. Itaque Apostolus Timotheum[7] contra

---

gratis impium iustificare. Gratiam se Paulum propterea Jesu C. D. N. habere pro suo apostolatus munere.

1) Multum disputarunt interpretes, utrum Hymenaeus et Alexander I. Tim. 1, 20. iidem sint, qui II. 2, 17. et 4, 14. commemorantur. Eosdem esse a vero non abhorret. Quod autem porro affirmant Buddeus, Eccl. ap. p. 306. Otto, l. c. p. 98. s. Alexandrum, quem Apostolus II. 4, 14. appellat „τὸν χαλκέα", non diversum ab Ephesino illo Luc. Act. 19, 33. fuisse, aegre poterit demonstrari; imo magis probabile est illum Alexandrum de quo II. 4, 14. fit mentio, s. Paulum Romae persecutum esse. Capitalis istorum haereticorum coll. II. 2, 18. 19. error erat: quod resurrectionem mortuorum et in genere omnem futurae beatitudinis spem prorsus negarent. Cf. M. J. Mack, Comm. ü. d. Pastoralbr. d. Ap. P. Tüb. 1836. p. 471. 2) C. 2. 3) Harum veluti formam ac rationem praescribit. Vult viros ira et disceptatione semotis, puras manus ad Deum attollere; itidem mulieres honesto amictu indutas, illum maxime quaerere ornatum, qui deceat feminas, quae pietatem profitentur et colunt. Inde sumta occasione docet mulierem, omni ex parte viro subesse: nam si ad humani generis origines animus referatur, hic maris in feminam principatus perspicue deprehenditur. 4) C. 3. 5) Ad. q. cf. Ginella, de auth. ep. P. past. p. 165. s. V. p. 378. 6) Profecto mira eloquentia exclamat gentium Doctor: magnum est pietatis mysterium, quod nos cunctis gentibus praedicamus, Deum immortalem huius nostrae corporeae molis obiectu apparuisse; cuius honor et gloria coelestibus praeconiis celebratur. 7) C. 4. p. i.

futura schismata et instantes haereses instruit[1]. Juvenis licet Timotheus sit, tamen exemplum se praebeat fidelibus[2]. Post haec praecipit[3], quomodo cum variae conditionis hominibus singillatim agendum sit[4]. De presbyteris iniungit, qui strenue laborant, magno honore habeantur; provideat ne adversus eos accusationem recipiat, nisi ubi duo vel tres fuerint testes[5], nemini vero cito manus imponat[6]. Ad rem domesticam et civilem Christianorum, et ad servorum quoque conditionem[7] conversus, exponit pietatis fructus, avaritiae periculum. In calce epistolae[8] s. Paulus graviter inculcat depositum fidei servare, pseudo — scientiae fallaces oppositiones devitare; cum enim nonnulli penes se veram scientiam habitare iactant, fidei iacturam fecerunt. Precatione demum gratiae consueta literas claudit[9].

Digressio, de haereticis s. Apostolorum epistolis impugnatis. Constat vehementissime disputari de haereticis ab Apostolis repressis, atque praesertim de pseudodoctoribus in epistolis s. Pauli q. d. „pastorales" impugnatis; quibus haud exigua est similitudo cum iis, qui in epistola ad Colossenses et Ephesios atque a d. Joanne castigantur. Videamus quinam sint errores, quos in his epistolis refutat. Compertum erat Apostolo, homines origine Judaeos, praecipuam culpam perversae doctrinae sustinere. I. Tim. 1, 4. 7. Tit. 1, 10. 14. 3, 9. Col. 2, 16. Isti praeter abstinentiam a cibis quibusdam, summis laudibus continentiam extollentes, addiderunt praeceptum de fugiendo matrimonio. I. Tim. 4, 3. 8. Tit. 1, 15. Studebant Christianis obtrudere fabulas et vanas traditiones, quas nomine „τῆς γνώσεως" venditabant I. Tim. 4, 7. 6, 20. II. 2, 16. Tit. 1, 14. Videntur hae nugae vel ad hypermysticam Legis mosaicae explicationem, vel ad angelologiam phantasticam spectasse. I. Tim. 1, 4.

---

1) Ut autem iis quae dicturus est, maiorem auctoritatem conciliet, divini Spiritus oracula profert. 2) In sermone, convictu, caritate, fide ac puritate. Interim cum Apostoli ad eum iter differtur, daret diligenter operam lectioni, adhortationi, doctrinaeque; curaret suscepti abs se Ordinis gratiam. Hac enim ratione et sibi et aliis optime consulet. 3) C. 5. 4) Jubet seniores moneat ut patres, iuniores ut fratres, mulieres natu grandiores tamquam matres, adolescentiores quasi sorores. Viduas quo decet honore prosequatur; illis attamen denunciet, ut eam vitae rationem ineant, quae nulli iustae reprehensioni pateat. Jam enim quod magnopere dolendum est, nonnullas a recto tramite deflexisse. 5) Hinc apparet a temporibus Apostolorum sacra fuisse Episcoporum tribunalia controversiis dirimendis, et cognoscendis muniendisque criminibus instituta. Neque enim de correctione fraterna loquitur s. Paulus, sed de illa quae auctoritatem usurpandi iuris exigit. 6) In parenthesi 5, 23. interiicit ne quod 3, 2. 3. antecesserat monitum de abstinentia a vino, ita intelligat Timotheus: ut mero aquae potu imbecillitatem corporis sibi adsciscat. 7) C. 6. 8) 6, 11. s. 9) Qua nihil potest esse optabilius.

Tit. 3, 9. Ecquidem cum iis facimus, qui h. l. nomine „γενεαλογιῶν" intelligunt: placita perversa de origine et emanatione naturarum coelestium. Coloss. 2, 18. Cf. Dähne, in Stud. u. Krit. 1833. p. 1008. Mangold, die Irrlehrer der Pastoralbriefe. Marb. 1856. p. 64. s. Cum in his disputationibus metaphysicis, quae captum humanum excedebant, suum quisque sequeretur arbitrium, non mirum est, maximas inde ortas esse altercationes de quaestionibus non necessariis. I. Tim. 1, 4. 6. 6, 4. II. 2, 23. 4, 3. Tit. 3, 9. Mores quod attinet, eorum imaginem, ut hominum variis sceleribus implicitorum, atro carbone notat. I. Tim. 1, 9. s. q. l. hypocritarum hoc genus animo Apostolo obversabatur; item 6, 5. II. 3, 5. s. Tit. 1, 10. 11. Quae si conferas cum iis, quae ad Coloss. 2, 8. s. et ad Ephes. 4, 14. 5, 6. et imprimis 2, 8—22. leguntur, bene cohaerere cernuntur. Sed nunc oritur quaestio difficillima, et ob penuriam monimentorum istius aetatis vix solvenda, quo nomine isti delirantes insigniendi sint? Re bene perpensa hoc primum monemus, non adeo liquida constare omnia illa, quae congessimus ab omnibus pseudodoctoribus sparsa fuisse. Ut solet accidere, cum novae quaedam doctrinae fautores nanciscuntur, novis aliis rursus ortum dent, quae magis aut minus inter se discrepantes reperiuntur; ita et errores quos in mente habuit Apostolus variam putamus pro locorum et personarum diversitate induisse speciem. Essenorum vestigia in istorum pseudodoctorum doctrina et disciplina, multis probare studuit Michaelis, Einl. II, 1050. s. Sed huic sententiae, ut alia linquamus, repugnat, quod in urbibus maioribus sequaces acquirerent. Gnosticos coll. I. Tim. 6, 20. spectare nonnulli putarunt. E. g. Mayerhoff, der Brief an die Colosser mit vornehmlicher Berücksichtigung der Pastoralbriefe kr. gepr. Berl. 1838. Fr. G. Ginella, de authentia epistolarum s. Pauli Pastoralium. Vratisl. 1865. p. 161. At veremur, ne si quis existimet haereses, quales deinde apparuerunt, Apostolorum iam aevo exstitisse, contradicat historiis. V. Eusebii H. E. III, 32. p. 104. Judaeos fuisse recentissime subtiliter propugnabat Otto, l. c. p. 113. s. 138. s. Negari sane non potest esse primo obtutu, quae hanc opinionem suggerant. Verum ne suspicioni plus tribuatur quam veritati, observandum est; si illi homines fuissent Judaei, ad sacra christiana nondum conversi, qui Ethnicochristianos ad apostasiam seducere vellent, longe aliter argumentatus fuisset S. Paulus. Licet etiam cum Rheinwaldo, de Pseudodoctoribus Coloss. Bonn. 1834. p. 9. quaerere quomodo quis affirmare pergat, nos ipso Paulo melius cognoscere malos istos doctores; adeo ut eos iure Judaeos vocemus, cum ipse Apostolus hoc fieri non iubeat? Sed ne diutius in hac quaestione variis nobilitata disquisitionibus — C. Streso, medit. in P. Ap. ep. ad Coloss. per quas seductores, contra quos ep. directa est, deteguntur. Amst. 1708. s. J. M. Lang, Diss. de genealog. in Thes. phil. p. 633. F. Buddei, eccl. ap. c. 5. p. 297. s. J. F. Flatt, Obs. ad ep. ad Coloss. pertin. I. II. in op. Gott. 1826. p. 491. s. Hug, Einl. II, 427. s. J. H. Kistemaker, Sendsch. d. Ap. Münst. 1822. I, 567. s. G. Böhmer, Isagoge in ep. a Paulo Ap. ad Coloss. dat. Berol. 1829. p. 56. s. Fr. Junker, h. kr. Comm. ü. d. Br. Pauli a. d. Coloss. Mannh. 1828. p. 43. s. Schnekenburger, app. ad h. l. ü. d. Alter der jüd. Proselytentaufe. Berlin 1828. p. 213. s. in Ann. Stud. u. Krit. 1832. p. 841. s. Neander, Gesch. d. Pfl. u. Leit. d. chr. Kirche. ed. II. Hamb. 1841. I, 438. s. 469. s. Scharling, de Paulo Ap. eiusq. advers. p. 161. s. A. Wiesinger, d. Br. d. Ap. P. an Tit. Tim. Kön. 1850. p. 160. s. Huther, die Br. an Tim. u. Tit. Gött. 1859. p. 52. s. Myrberg, comm. in ep. Joh. pr. Ups. 1859. p. 8. s. — moremur, nos istos pseudo-

doctores mysticoasceticos „Ἰουδαΐζοντας" habemus — de nomine ceterum, quo insigniantur pugnare nolumus —, qui cum Legis Mosaicae studio, theosophismi quandam rationem iungebant et in profitenda religione christiana mysticismi colorem prae se ferebant, in severiorem disciplinam asceticam propendentes. Quantumvis enim disputatum sit de nomine et notione philosophiae, quae ut a graeca distingueretur, orientalis adpellatur, hoc omnino fide historiarum constat: tempore Augusti et sequentium imperatorum Romanorum praecipue in Asia Minori sapientiae quoddam genus divulgatum fuisse, quod in originem et naturam geniorum superiòrum inquireret; nec non media, imprimis ascetica, commendaret, quorum ope homines consortii cuiusdam horum spirituum participes fieri possent. Hinc somnia Neoplatonicorum inter gentiles, Gnosticorum inter Christianos emanarunt.

§. 81. Argumentum epistolae d. Pauli ad Romanos.

Sanctus Petrus Apostolorum Princeps etsi Romanae Ecclesiae foret Episcopus, saepissime tamen ut Pastor ovium et agnorum aberat, cum oporteret ipsum variis in locis constituere Ecclesias. Absente iam praesule[1] d. Petro, gravis et perniciosa inter fideles, qui id temporis Romae erant, — partim ex Gentibus partim ex Judaeis ad Christum conversis — orta est controversia; utri potius meriti fuerint conversionem ad fidem? Cumque Judaei[2] magnificentius loquerentur de maiorum suorum meritis,—in quorum persona ipsi fuissent peculiarius in Dei populum electi — Gentiles etiam gloriosius iactarent suorum sapientum doctrinam, illustrium legislatorum virtutem[3]: utrique de ‚gratia iustificationis' non recte sensere. Quippe quam non habuere, ut debuissent pro dono Dei gratuito, verum suis suaeque gentis meritis arrogarent. Istius modi aemulationibus et dissensionibus in dies gliscentibus d. Paulus pro munere suo Apostolatus gentium[4], occurrendum sibi esse ratus;

[1]) Quae occasio Apostolo oblata fuerit ad hanc epistolam scribendam, parum essemus curaturi, nisi eius notitia ad consilium Literarum accuratius definiendum, viam nobis pararet. Grata autem mente agnoscendum est, in ipsa epistola passim reperiri vestigia occasionis ad eam exarandam suppeditatae. Quomodo in Urbe corruptissima effloruerit tam celebris tamque pulchre ordinata Ecclesia, quis semen Evangelii primus ibi sparserit, quis irrigaverit, ut ne moremur in rebus, de quibus diximus, penitus mittimus. V. p. 343. s. [2]) Contentionis, uti quidem videtur, auctores. [3]) Multaque alia suis a maioribus praeclare gesta efferebant. [4]) V. p. 340. 376.

istas ad Romanos pastore in praesentia destitutos, misit literas. Unde quod epistolae consilium sit, facili negotio intelligitur: docere, neutri parti fas esse sua merita extollere, gratiam Christi datam esse tam Judaeis quam Ethnicis; et quidem non propter eorum praecedentia merita et opera sua sive legalia sive moralia, sed gratis ob meram Dei benignitatem oblatam esse. Obtingere autem per fidem [1]. — Leni ingressu [2] a sententia generali: quod Evangelium mira quadam vi praeditum, salutem aeternam afferat credentibus, primum quidem Judaeis, tum vero etiam Graecis [3]; exordium sumens Apostolus commentationis suae: totus in eo est, ut utriusque partis litigantium fastum deprimeret. Ostendit omnes sub peccato esse: unde consequebatur, neutros ex merito operum iustificari [4]. Multis quidem nominibus meliorem fuisse

1) Quae tamen ibi habeat non rationem causae meritoriae, sed sit simpliciter conditio, sine qua nemini possit illa gratia obtingere. Illa ceteroquin divinitus offertur, nullo gentis aut hominum discrimine, cuicunque credenti. 2) Commodam aeque ac brevem Epistolae huius partitionem instituemus, si eandem in modum Theodoreti bipartitam faciamus, Interpr. ep. ad. Rom. p. 11. theoricam et ethicam. Theoricam C. 1—11. antecedit praefatio 1, 1—17., qua more suo s. Paulus Romanis salutem optans, sui muneris dignitatem ab illustri argumento suo, quod agit tum de D. N. J. C. persona tum de beneficiis, describit. Deinde affectum suum declarat encomio Romanorum, quibus singularem fidei laudem gratulatur. Interposito iuramento contestatur, se continuas pro illis preces Deo adhibere, atque inter alia et hoc ab illo exorare: ut sibi aliquando liceat eos invisere, nam magno se eos videndi desiderio teneri. Se iam saepe numero coepisse consilium illos adeundi, tametsi per varias et multiplices occupationes hactenus exsequi non licuerit. Quod quidem quam verum sit inde probat, quia cum Graecis — Cf. M. H. Knobloch, de distinctione P. in Judaeos et Graecos in th. ph. p. 501. s. — aeque ac Barbaris, sapientibus et insipientibus Evangelium praedicare deberet, proclive sibi esse quam maxime ad hoc etiam illis, qui Romae sunt praestandum. L. W. Beyschlag, de Ecclesiae Romanae statu q. Pauli ep. respicit diss. Hal. 1862. p. 6. s. 3) Quam definitionem Evangelii v. 16. cum v. 17. explicat, simul aperit praecipuum totius partis theoricae argumentum, de iustificatione in Evangelio revelata; veluti dono Dei ultro absque ullis praecedentibus meritis collato. Illud autem esse inaestimabile, idemque beneficium iustificationis, quale a Tridentinis P. P. definitum fuit Sess. VI. eruditissime confecit A. Vega, de iustificatione. V, 2. Col. 1572. et C. Fr. Toletus, S. J. in ep. B. Pauli ad Romamos comm. Mog. 1603. p. 152. s. 4) Itaque probaturus, quod assumserat; primo loco negat 1, 18—32. ethnicos per opera naturae iustificari; tum quia lumine naturae in poenam turpissime abusi Deum naturae auctorem, quem rerum admirabilis pulchritudo et species praedicat, impio reli ionis cultu prosecuti sint; tum quod est longe gravius, quia in foeda

Judaeorum conditionem quam Gentilium, sed aequam utrorumque quod ad iustificationem [1]. Quamquam gaudet suis populus Judaeorum praerogativis [2], quas nemo negare potest; nihilominus omnes tam Judaeos quam gentiles peccato esse obnoxios [3]. Cum igitur tam Graeci quam Judaei [4] sub reatu haereant, infert Apostolus necessitatem iustificationis. Unde porro conficit: iustificationem esse acceptam referendam divinae gratiae [5]. Ea quidem per fidem Jesu Christi ad cunctos homines pertinet sine distinctione, qui rite recteque credunt [6]. Quae cum ita sint, inde sequi, fide iustificari omnes homines,

---

flagitia adversus se et alios promerint, ob quae interitus reos Dei iustitia illos fecerit. Sunt haec, ut ex tota orationis serie patet, non solum de philosophis ethnicis, sed universe de omnibus Gentilibus dicta. V. Toleti S. J., comm. p. 59. s. J. Th. Beelen, comm. in ep. ad Rom. Lov. 1854. p. 48. s. Möhler, gesammelte Schriften und Aufsätze. Regensb. 1840. II, 146. s. 151. s.

[1]) C. 2. Nihil habere Judaeos, qui vulgo gentiles condemnabant, de quo spem impunitatis sibi facere possent; potius eos ob impoenitentiam suam sibi divinae irae veluti thesaurum aliquem accumulare in diem illum, quo Deus iudicaturus esset sine respectu personarum, et unicuique redditurus pro suo merito praemium aut poenam. Obiectiones deinde contra hanc sententiam pergit removere. Dicere poterant Judaei, nullum ipsis instare iudicium, quod Legem observarent et circumcisi fuerant? Hos convincit de defectu iustitiae. Non enim Deum externi tantum cultus atque cerimoniarum habere rationem, sed ex propria cuiusvis voluntate cunctos metiri; et interdum Gentilem Legis praeceptorumque ignarum, si modo legi cordi ipsius inscriptae vivendi ratione et moribus consentiat, Judaeo quamvis in Lege plurimum versato longe anteferri, quippe qui Deo mentium inspectori, non hominibus probaretur. De v. „νόμος" varia significatione et ratione, qua se d. Paulus gesserit circa Legis vim l. J. Hergenröther, de Ecclesiae Catholicae primordiis. Ratisb. 1851. p. 77. s. 87. s. [2]) Illud enim palmare Judaeorum esse privilegium, quod eis eloquia Dei atque vaticinia concredita sint 3, 2. [3]) Id quod de Judaeis allatis S. S. testimoniis probat. [4]) Ob transgressiones Legis, quae cognitionem peccati dedit; sed vires non suppeditavit, ut observaretur. V. p. 384. [5]) De diversis v. „χάρις" significationibus in N. T. singulari specimine hermeneutico exposuit J. J. Scholten, Trai. ad Rhen. 1805. Huius viri eruditio neminem latet; sed conceptum gratiae dedit iuxta ideas acatholicas. Adeundus est de catholica notione „χάριτος" Simar, Theol. d. h. Paulus p. 191. s. [6]) Etenim universi homines peccaverunt, et ob id ab ea, quam maxime cupiunt, gloria Dei cadunt. Gratis autem iustificantur percepta divina gratia, eiusque Redemtionis beneficio, quae a D. N. J. C. peracta est. Quem Deus palam omnibus proposuit, ut proprio sanguine fuso, placamentum esset illud, quod olim Lege V. F. significabatur, nunc vero prodest omnibus credentibus. C. 3, 25. s. illustrantur a J. L. Zimmermann, Comment. exeg. de vi atque sensu formulae δικαιοσύνη Θεοῦ. Marb. 1832. ed. 2. p. 24. s. Tischendorf, doctrina Pauli de vi mortis Christi satisfactoria. Lips. 1837. p. 16. s. Winzer, diss. in Rom.

cuiuscumque generis aut nationis sint, idque sine operibus Legis. Et sane unus atque idem Deus est, qui circumcisos ex fide, eos autem, qui circumcisione carent, per eandem fidem iustificat[1]. Ut beneficium Redemtionis per D. N. J. C. magis illustret S. Paulus, origines prodit[2] peccati in genere humano; atque eius imperium describit[3]. Enarrata iam probataque doctrina iustificationis, de effectu, sive de fructibus illius δικαιώσεως exponit[4]. Proposito amore Dei, in morte Christi conspicuo, Apostolus inde deducit, quid a Deo Patre tam benigno exspectare liceat. Magnitudinem reconciliationis commonstrat: instituta oppositione inter Adamum primum noxae et mortis, et Adamum secundum gratiae et salutis auctorem; efficitque Christi gratiam plus multo hominum generi profuisse, quam obfuerit Adae peccatum. Ex occasione autem datae Legis, factum est, ut delictum abundaret[5]. Amplius explicare

3, 21—8. I. II. Lips. 1829. Grimm, de Joanneae Christologiae indole Paulinae comparata. Lips. 1833. p. 119. s. In quibus scriptis penes recte observata farrago legitur erratorum, quae penitius examinare ab instituto nostro alienum est. Vide rursus quae habet Simar, l. c. p. 114. s. et passim.

[1]) Hanc suam doctrinam C. 4. confirmare pergit S. Literarum testimoniis: veluti de iustificatione Abrahami Gen. 15, 6. Davidis Ps. 32, 1. 3., nec non promissionum Abrahae factarum, unde concludit; gratuitam fuisse huius Patriarchae iustitiam. Quod sibi propositum erat demonstravit Apostolus: iustitiam uni fidei acceptam referri, nulla vel Legis vel circumcisionis ratione habita; sed gratuito vi solius pollicitationis Divinae, quae circumcisionem ac Legem antecedit. Id quod non ob ipsum tantummodo Abrahamum S. Literarum monimentis consignatum est, sed etiam nostrum omnium causa, quibus idem acceptum ferendum est, credentibus sc. in eum, qui excitavit D. N. J. C. a mortuis, quem quidem morti propter delicta nostra adiudicatum, propter nostram vero iustificationem resurrexisse a mortuis constat. [2]) C. 5. [3]) De ep. Pauli ad Rom. cap. 5, 1—11. disputarunt H. de Greef. Amst. 1845. W. Mangold, der Römerbrief. Marb. 1866. p. 117. s. Uterque eruditionis suae specimen scriptor exhibuit; sed Heterodoxorum more aequivocationibus usi, in dogmaticis se non sinceros praestiterunt. [4]) Sic ut primum quosdam primarios fructus recenseat, qui sunt: pax, spes gloriae, laetitia in adversis, amicitia Dei, adoptio in filios, et merces vitae aeternae. Nec timendum est, ne vana deludamur spe, quippe cuius tantus est amor in nos; ut Spiritum S. in nos effuderit, nosque cum adhuc peccatores essemus per mortem Filii sui reconciliaverit. Cf. A. Scholz, de inhabitatione Spiritus S. Wirc. 1856. [5]) Dixerat Apostolus Christi obedientiam ex adverso respondere peccato primi parentis. Potuisset quis credere, Lege Moysis fuisse humani generis calamitatem sublatam. Apage istud, — ait d. Paulus 5, 20.; tantum enim abest, quod communi malo quidquam Lex levamenti attulerit, ut ipsa potius addiderit incrementum. Legis enim occasione factum

pergit[1], quam vim habeat illa Dei gratia, iustificatos esse plane mortuos peccato, et novam Deoque dicatam inchoasse vitam[2]. Ne quis perperam intelligeret, quod docuerat d. Paulus, non estis sub Lege[3]; urget[4] fideles liberatos a peccato per Christi gratiam factos esse servos iustitiae, et in hac nova servitute ipsis manendum esse[5]. Postquam naturae aegritudinem graphice descripsit, adhortatur Romanos: ut in accepta iustitia progrediantur, vitiisque suis resistere pergant; nam post iustificationem manet in homine concupiscentia, quam acuit Lex[6], vincit vero gratia. Repetita oratione[7] de iustificatione per Christi gratiam verba facit[8]. Loquitur

---

est, ut gravius homines peccarent; non ex indole Legis, sed ex vitiatae naturae concupiscentia. „Lege data, ait S. Thomas, in ep. ad Romanos c. 5. lect. VI. ed. Neap. 1856. p. 53., consecuta est abundantia dilectorum dupliciter. Uno quidem modo quantum ad peccatorum multitudinem; lex enim licet peccatum demonstraret, peccati tamen concupiscentiam non auferebat. Cum autem alicui prohibetur id quod concupiscit, vehementius in concupiscentiam illius exardescit. Secundo superabundavit delictum lege superveniente, quantum ad gravitatem reatus; gravius enim fuit peccatum, ubi accessit praevaricatio non tantum legis naturae, sed etiam legis scriptae." Cf. Toleti, comm. p. 319. s. A. J. Hammerster, diss. de Lege ex Pauli sententia. Gron. 1838. p. 73. s.

[1]) C. 6. De cap. sexto epistolae S. Pauli ad Romanos disp. exaravit P. H. Hugenholtz. Trai. ad Rh. 1821. Calvinismum profitetur, et ideo ob errores dogmatis ex industria stabilitos parum ab illo discere licet. [2]) Exercitium sanctimoniae asserit a sacramento Baptismi, significantis esse nos mortuos peccato et sepultos cum Christo, atque ad novam vitam excitatos. Resurrectionis Christi vi ethica cumprimis insistit Apostolus. Adducti homines ad novam vitam atque a Lege mosaica per Christum liberati, sciant se vivere oportere non peccato sed Deo. Cf. G. Wernsdorf, de morte ac vita fidelium cum Christo. Vit. 1703. [3]) 6, 15. [4]) 6, 16. s. [5]) Accuratius dilucidiusque C. 7. explicat comparatione coniugii, qui nexus Legem et positivam et naturalem inter atque peccatum humanum intercedat. [6]) Quamvis enim homines, quoad Lege tenebantur, et ratione et voluntate ducti, divinis obsequi tentabant mandatis, vires tamen deficiebant; tantaque erat carnis et peccati potentia, ut ad Legem migrandam vellent nollent abriperentur, sed vero superat peccatum Christi gratia. V. de notione vocabulorum σῶμα et σάρξ in N. T. interpretatione distinguendis disp. exeg. th. Th. J. Griethuysen Amst. 1846. p. 40. s. [7]) C. 8. [8]) Extollit gratiae beneficium, quia immunitatem a damnatione praestat et Filiationem Dei, per quam Spiritu adoptionis accepto in spem certam consequendae haereditatis erigimur; a qua nullo prorsus impetu dimoveri poterunt ii, qui Christo penitus adhaeserunt. Cf. sed caute adhibe, quae de Spiritu teste fidelium interno scripsit G. Wernsdorf, de Spiritu teste fidelium interno. Witt. 1703. — Recte „Novimus .... omnia cedere in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt; hi autem sunt qui diligunt Deum sanctitatemque sectantur. Etenim quos tales fore Deus praenovit, eosdem et praedestinavit: praedestinavit vero ad

de praedestinatione ad gloriam, dicitque sub quanam conditione fient Christi gloriae cohaeredes. Magnitudinem praemii felicitatis probat ex desiderio huius gloriae, quod universae creaturae inest: quae veluti exserto capite exspectat magnificam illam filiorum Dei gloriam [1]. Ex vehementi creaturarum etiam rationis expertium exspectatione lectores ad patientiam hortatur [2]. Absoluto praecipuo argumento suae epistolae de gratuita iustificatione per fidem [3], sermonem facit: de Judaeorum plerorumque exclusione a gratia, deque Gentilium ad eandem admissione [4]. Confitetur se vehementissime tristari propter Judaeorum, tantis olim beneficiis [5] a Deo ornatorum, reprobationem. Eam dolens confitetur d. Paulus; sed non admittit consecutiones, quae inde possent contra veritatem et iustitiam Dei inferri. Ex plurimorum Judaeorum reiectione non sequi promissiones Abrahae factas irritas evasisse; quia hae non pertinent ad filios carnis sed promissionis [6]. Utriusque decreti causam refert ad Dei volun-

---

referendam in se imaginem filii Unigeniti carne facti, ut ipse in filiatione et haereditate princeps, ceteri secundas obtineant. Quos autem aeterna praescientia praedestinavit ad fraternitatem cum Christo, ad filiationem adoptivam, ad haereditatem, quae illam consequitur, hos in tempore et vocat ad gratiam et fidem, quique vocati respondent divinae vocationi, eosdem iustificat, et transfert ex statu irae ad statum benevolentiae et e conditione servorum peccati ad conditionem filiorum Dei: quos autem iustificat eosdem et glorificat tum uti filios tum uti haeredes iure ac denique facto actuque ipsa gloriae collatione.“ Schrader. de praedestinatione Comment. I. Frib. 1863. p. 11.

[1]) Cf. J. C. Danhaweri, diss. de gemitu creaturarum, in Thes. th. ph. p. 504. s. F. W. Fischer, ad loc. ad Rom. 8, 18—34. diss. Witt. 1806. G. Ch. Grimm, de voc. κτίσις Rom. 8, 19. s. comm. Lips. 1812. G. Reiche, de natura gemebunda Rom. 8, 19. obs. I. II. Gött. 1830—32. J. A. Gadolin, Rom. 8, 28—30. explic. peric. Helsingf. 1834; et quos H. R. D. V. T. p. 17. n. 2. laudavimus. [2]) Cum ergo Deus pro nobis sit quis tandem nocere possit? An accusaturus sit Deus eos quos iustificat? an condemnaturus D. N. J. C., quos suo sanguine redemit; quis impedire potest, quominus Christus nos constanter diligat? Nemo plane, efficere potest, ut cesset Deus diligere quos iustificavit; modo illi constanter eum diligant. [3]) C. C. 9—11. [4]) Visus erat Apostolus quaedam dicere contra Oeconomiam V. T. populumque electum; igitur ne forte suspicio oriretur ea de re sermonem instituere ex odio suorum popularium, ut a quibus acerbissima quaeque fuisset perpessus; iure iurando 9, 4. interposito testatur sibi gentem iudaicam esse carissimam. [5]) Quantum et quale beneficium illis contigisset, inter quos Christus „κατὰ σάρκα“ nasceretur. Cf. J. F. Raebiger, de Christologia Paulina p. 26. s. [6]) Quod in exemplis Isaaci et Ismaelis, Jacobi et Esaui probat. Duplex esse Abrahae semen naturale et supernaturale; ad hoc porro solum referri promis-

tatem, Deus enim cuius vult miseretur, et quem vult indurat [1]. Non leviter increpatos populares suos [2], rursus benigne alloquitur. Affirmat Apostolus se ex animo bene velle civibus suis, Deumque orare pro eorum salute; sed perpaucos Judaeorum Evangelio paruisse: gentes autem pene innumerabiles, iis ipsis videntibus, Christi castra secutos [3]. Futurum interim praedicit, ut ad extremum et ipsi, fide Gentium provocati, D. N. J. Christum aliquando recipiant [4]. Ad morum instructionem deinde transit d. Paulus [5], qua in universa vitae christianae pietate instruit Romanos. Hortatur eos ad officia moralia Deo et proximo debita; inculcat caritatem eiusque exercitium in amore et honore fratrum, concordi societate, spe et hospitalitate [6]. Instituit, quomodo se respectu superiorum bonus

---

siones divinitus factas, quas assequerentur omnes, quicunque secundum Isaaci typum natales suas non carni et sanguinibus deberent, sed ex Deo essent.

[1]) Id quod 9, 15. tum ab effato Moysis Exod. 33, 19., tum ab exemplo indurati Pharaonis ib. 9, 16. comprobat. Sicut figulo in vas suum plena competit potestas, ita Deo in elargienda sua bona. Nihil suppetere Judaeis, quo de sua reiectione conquerantur, cum tamdiu divinam patientiam experti fuerint, eamque contemserint. Filios promissionis esse non modo Judaeos, verum etiam ex Gentibus plurimos iuxta vaticinia prophetarum: Oseae. 2, 25. Isai. 10, 22. 23. Judaeos funesto illo casu reprobationis sapere docet. Ut adeo verum appareat quod scriptum est Isaiae 1, 9. 8, 14. Offenderunt enim in Christum, quem amplecti noluerunt, et ad illum veluti ad lapidem allisi contriti sunt. Huius cap. comm. exhibet Cl. Schrader S. J., de Praedestinatione Comment. II. Vind. 1864. p. 23. s. [2]) C. 10. [3]) Praepostere Judaeos agere cum neglecta iustitia fidei, suam quae posita est in observatione Legis velint statuere. Ubi vero ad veram iustitiam quae oritur ex fide Christi beneficio cunctis non solum Judaeis, sed etiam gentibus pateat aditus. Unde omnibus Evangelium esse promulgandum. Quod infert ex Isai. 52, 7. 53, 1. Scilicet per Verbi divini praedicationem existere fidem, praedicationem autem institui ex divino mandato. Sed gentibus credentibus Judaei, Moyse atque Isaia id praedicente Deut. 32, 21. Isai. 63, 1. 2., contradicentes Christo credere noluerunt. Quae de Judaeorum reprobatione dixerat C. 11. fusius explicat. Definit eius limites tam ratione temporis, quam ratione personarum. [4]) Ut olim sacri vates annuntiarant Isai. 29, 10. Ps. 69, 22. Idcirco gentes, quae tanquam oleastri in nativam olivam — L. ad h. l. M. Hiller, Hierophyticon. Trai. 1725. p. 58. s. p. 183. s. Matthias, d. Oelbaum des Römerbr. in ann. St. u. Kr. 1866. p. 519, s. — insertae sunt adhortatur, ne adversus Judaeos glorientur; quia in fine mundi, cum plenitudo gentium intraverit, omnis Israel salvus fiet. Consilium hoc universum de vocatione Judaeorum et Gentium admiratione dignissimum esse, et facere ad illustrandam gloriam sapientiae Dei. Quemadmodum a Deo incepit, sic ad Deum redit oratio. [5]) Parte

christianus gerere debeat[1]; porro etiam exponit, quomodo ratione aequalium sese habere debeant[2]. Regnum Dei non esse positum in cibo et potu; sed in iustitia et gratia, in pace cum proximo,

---

ethica ep. C. 12—15, 14. [6]) C. 12. Monentur in specie ad rectum usum charismatum. 12, 6. De hac re nos alibi dicemus. Analogiam attamen fidei h. l. non spectat, ut perperam intulit G. Wernsdorf, loc. Rom. 12, 6. de anal. fidei a novat. cav. vind. Wit. 1732.

[1]) Officia ipsa, quamquam dura sunt, una formula Apostolus comprehendit nempe: τοῦ subditum esse potestatibus sublimioribus. Unum igitur illud universum et reliqua continens officium a Paulo laudatum, est obedientia a Christianis praestanda iis, qui ea potestate utuntur, qua ipsis ut civibus praesint. Nam de nulla alia potestate 13, 1., quam quae in Civitate exercetur, loqui Paulum ex sequentibus v. 2—7 perspicuum est. Itaque divinam potestatis originem aperit inobedientiam sanctione omnium maxima punit, et incitamenta praebet omnium efficacissima, queis cives ad obsequium et obedientiam compellantur. Eadem fere habet S. Petrus I, 2, 13—15. Cf. P. A. Borger, diss. de parte ep. Pauli ad Romanos paraenetica. Lugd. Bat. 1840. p. 133. s. Ecclesiae de civili societate curam v. in C. Schrader S. J., de Unitate Rom. comm. Frib. 1862. p. 51. s.
[2]) Praecipit ut Christiani nemini cedant in officio mutui amoris praestando. Caritas, sicuti iam in Lege praeceptum erat praecipuum; ita imprimis in religione Christiana principem occupat locum. Omnem praeterea operam darent, ut per temperantiam, continentiam, modestiam erga se ipsum, induti D. N. J. C. vitam sic degant, ut carnis curam negligant. Quae 13, 8. s. de amore mutuo dixerat Paulus propter Judaeo-christianos 14, — 15, 14. explicat; ubi mandatum generale: „infirmum in fide assumite", uberius declarat. Mutuae concordiae augmentum multum praestare observationi rerum ἀδιαφόρων, in quibus hic vel ille ob opinionum suarum mediocritatem aliquid poneret pretii. De modo prudentia et sapientia pleno, quo hic utitur Paulus, egregie commentatur D. Chrysostomus, in ep. ad Rom. hom. 25. n. 1. „Multi ex credentibus Judaeorum erant, qui legis conscientia detenti, etiam post acceptam fidem, ciborum adhuc observantiam custodiebant, nondum audentes a Lege omnino recedere. Deinde ne reprehenderentur. a suillis carnibus abstinere tantum, ab omnibus deinceps carnibus abstinebant. et olera tantum comedebant, ut illud magis ieiunium videretur, quam legalis observatio. Alii rursum perfectiores erant, qui ab horum nullo abstinebant. quique illis talia observantibus onerosi ac molesti erant, exprobrantes, incusantes et in moestitiam coniicientes. Timens ergo Paulus, ne paululum quid emendare volentes, totum subverterent; neve dum vellent eos ad ciborum indifferentiam deducere id efficerent, ut illi a fide resilirent.... vide quanta utatur prudentia et quomodo cum solita sibi prudentia utrique parti providere curet. Neque enim increpantibus audet dicere, perperam agitis, ne illos in suis observationibus firmaret; neque rursus dicit illos probe facere, ne vehementiores accusatores redderet, sed cum mensura correptionem instituit. Et videtur quidem fortiores increpare, sed totum in illos alios effundit, dum priores alloquitur." IX, 701. V. H. R. D. N. T. p. 354. 394.

et in gaudio, quod a Spiritu S. proficiscitur[1]. Subiuncto voto[2], absolvit epistolam conclusione[3]. Duo in epilogo agit Apostolus, ut semetipsum Romanis redderet acceptum, excusat suam ad eos scriptionem; quod tanquam gentium doctor audacius ipsis scripserit[4]. Disponit iter in Hispaniam, spemque facit in transitu Urbem invisere[5]. Postremo missa Romanis salute[6], tandem δοξολογία ad Deum finit[7]. Dicendi genere in his Literis Apostolus utitur gravi, membrorum concinnitate[8] suisque ornamen-

[1]) 14, 17. s. Ad eas res, quas Apostolus per se spectatas innocentes esse dicere non dubitavit, a quibus vero ratione aliorum habita, interdum abstinendum esse censuit, pertinebat etiam esus „τῶν εἰδωλοθύτων"; de quo conformiter ad decretum concilii Hierosolymitani v. p. 353. docuit: nullum cibum esse immundum, unde in fide firmum debere infirmum fovere, nec invicem in hoc posse iudicare, sed unusquisque in suo sensu abundet; nemo tamen aliquid possit manducare per quod proximus scandalizetur, nec infirmus agere contra conscientiam, quia non ex fide. 14, 23. sc. manducat. Graeca scholia recte monent voce „πίστις", quae etiam persuasionem significat, h. l. non denotari fidem circa dogmata. Repetit hanc suam doctrinam, ut firmiores infirmiorum imbecillitatem sustineant, et confirmat ab exemplo Christi; utpote qui seipsum humiliavit atque gratiae minister exstitit et Judaeis — quos ex promissione ad fidem suscepit — et Gentibus — quos ex misericordia recepit — ut divinis oraculis proditum est. Ex animorum consensu non mediocris orietur Dei eiusdemque J. C. D. N. parentis gloria. Cf. formulae dicendi Θ. ὁ. π. I. Χρ. in N. T. brev. exposit. Gott. 1810. p. 8. [2]) C. 15, 13. quo Romanis exoptat: faxit Deus, qui spei nostrae certitudinem cordibus nostris infudit, ut omni gaudio in spe consequendae salutis abundetis beneficio Spiritus S. [3]) Quae eximium praebet specimen sapientiae Paulinae. [4]) Commonstrat effectus muneris sui inter gentes; quidquid attamen sermone et factis perfecerit, id per Christum effectum esse. [5]) Postea ubi collectas in pauperes distribuendas Jerosolymas pertulerit. Rogat ut sui itineris successum precibus Deo commendent, et vicissim iisdem pacem precatur. 15, 33. Phoeben diaconissam, cui has literas perferendas tradiderat, Romanis impense commendat. Salutari iubet amicos, qui Romae degebant, admonet de cavendis seductoribus, qui dissensiones et offendicula faciunt. [6]) Speciatim a Timotheo, et a Tertio discipulo qui ei erat ad manus in hac epistola exaranda. Qui utique iussu d. Pauli θεοπνεύστου manum his literis consignandis admovit. Est vero Tertius 16, 22. perinde ac Quartus v. 23. nomen latinum, unde Hugo Grotius, annot. ad h. l. op. theol. III, 764. dicit, utrumque fuisse civem Romanum, sed Corinthi illo tempore negotiatum. Cf. i. J. J. Rambach, Introd. h. th. in ep. P. ad Rom. Hal. 1730. p. 14. s. Briegleb, d. quae Tertium scribam b. Pauli sistit. Jen. 1754. [7]) Tantum veritatum complexum d. Paulus sine phaleris fucatis quidem eloquentiae humanae, at verbis a Spiritu S. subministratis et subtili, quod tractatur argumento, convenientissimis proposuit. [8]) Ut ferebat epistolaris scribendi ratio. Apostolus liberiori quadam ratione secutus est leges Parallelismi d. q. i. comm. de S. S. e. interpr.

tis [1] nequaquam destituto, vividissimo praestantissimo ac piis affectibus animato [2]. Denique quamquam non omnes tempore praecesserit, primum locum haec epistola inter Pauli scripta obtinuit. Datum est id dignitati Ecclesiae Romanae [3], et argumenti excellentiae [4].

Digressio, de origine peccati ex Rom. 5, 12—14. Confert u. v. Doctor gentium iustitiae atque peccati fontes, argumentumque suum proponit ostensa similitudine oppositorum 5, 12. Propterea sicut per — causa — unum hominem — Adamum parentem nostrum — peccatum — ἡ ἁμαρτία exhibet προσωποποιῶς certum suique nominis peccatum, illudque in peccatore ipso non sistens, sed porro dimanans — in hunc mundum intravit — h. e. ut ipse Paulus explicat in omnes — et per peccatum mors — eadem ratione qua peccatum —, et ita — modum effert, quo mors ut effectus et ἡ ἁμαρτία uti causa ad omnes pertransiit — in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt. Mors idcirco omnes perimit, quia nemo est liber a culpa, sed universi mortales peccato inquinati eiusdem sunt sceleris cum primo parente participes; quia „ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον." Verum quid proprie referat relativum ἐφ' ᾧ, disputant interpretes. Attenta orationis serie necesse est referre vel ad v. Adam, aut v. ἁμαρτία, vel v. θάνατος. Sed ad peccatum referri non potest, cum sit generis feminini; nec ad mortem. Licet enim mors in graeco sit generis masculini; tamen certum, est non peccare homines in morte sed in peccato, et propter peccatum mori; atque ita relinquitur, ut referamus ad Adamum. Proinde duobus incisis 5, 12. una eademque sententia, sed inversa ratione exprimitur. Probaturus autem Apostolus primi parentis peccato universos homines morti esse obnoxios, v. 13. sumit id, quod negare nemo poterat: ante Legem Moysis fuisse hominum plurima eaque gravissima scelera: non tamen ob illa fuisse quemquam morte mulctatum, quandoquidem divina auctoritate nonnisi Lege Moysis peccato poena mortis infligitur. At etiam ante Legem, omnes omnino homines ne illis quidem infantibus exclusis, qui propria actione peccare non poterant, i. e. actuali praevaricatione, quotidie moriebantur: necesse igitur erat, communem aliquam esse noxam, cui mors tanquam poena

loquemur. V. i. A. M. Snouck Hurgonse, spec. herm. th. de membrorum concinnitate in Pauli ad Rom. ep. Trai. ad Rh. 1837. p. 10. s.

[1]) Ubi res ita postulavit. [2]) Linguam, qua in hac epistola scribenda Paulus usus est graecam fuisse, hodie omnes fatentur. A. Salmeron, prolegom. XXXV. I, 433. et J. Harduinus, comm. in N. T. p. 430. latine scriptam fuisse hanc epistolam contenderunt. Merito Cornelius a Lapide, Comm. in ep. d. Pauli ed. Antv. 1665. p. 26. hanc sententiam reiicit ex argumentis internis et externis. [3]) Ut ex P. P. testimoniis confecit acatholicus J. H. Maius, in examine historiae criticae N. T. R. Simonis, Giess. 1074. p. 175. [4]) Quae cum de praecipuis fidei articulis ita agat, ut universae Theologiae quasi medullam contineat non sine causa catechismi nomine quibusdam adpellatur. Disertus est S. Augustinus, de spiritu et litera, c. 7. s. in excellentia huius epistolae laudanda X, 91. s.: quae „fatiget quidem legentis intentionem, sed tamen fatigatione utili et salubri, et interioris hominis magis exerceat membra, quam frangat."

responderet. Itaque fateri oportet imperium mortis a primi parentis peccato originem ducere, ut una cum ipso cuncti mortales censendi sint divinum praeceptum violasse, adeoque mortis et poenae fuisse socios, qui fuerant eiusdem culpae participes; ac protoparentis culpa originariam quandam labem et una cum illa mortis necessitatem hominum genus pervasisse. Unde omnes homines non modo similitudine naturae, sed etiam turpitudine peccati, primum illum parentem referunt, qui est forma futuri, „ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος." Fuit autem Adam typus et figura Christi multis modis. a. Ut Adamus fons omnium malorum; ita bonorum omnium auctor est Christus. b. Ut Adamus vi seminis omnium nostrum parens censendus est; ita Christus ortu quodam spirituali nos ad novum vitae genus procreat. c. Gratia Christi absque ullo merito nostro tribuitur; ut ab Adamo absque propria actione originale peccatum contrahitur. Quodsi ita Pauli institutum consideraverimus, similitudo inter Christum et Adamum, quamquam in diverso genere, hoc potissimum continetur: quod uterque fuerit quasi persona publica, periodi ethicae cuiusdam generis humani princeps et dux. Comparationis vero vis mere formalis est, quippe quae ab utroque aliquid ad omnes homines transiisse ostendat: re ipsa toto coelo eos differre videmus, ut non tam coniungi, quam disiungi debeant. Attamen amplior huius loci tractatio ad Dogmatum expositores proprie pertinet. Consuli etiam poterunt: F. X. Patritius S. J., comm. tr... de peccati originalis propagatione a Paulo descripta. Rom. 1851. p. 26. s. Aberle, ü. Röm. 5, 12—14. in ann. Tüb. Quart. 1854. p. 458. s. Schlünkens, das Wesen der Erbsünde. Regensb. 1863. p. 108. s. Simar, Theol. d. h. Paulus p. 52. s. · — · F. W. C. Umbreit, commentatio die Sünde, Beitrag z. Theol. d. A. T. Hamb. 1853. ipsa interpretandi ratione monstrat, scriptorem a s. d. Rationalistis vix unquam dissidere.

§. 82. Summarium Epistolae ad Titum.

Quamvis non sit dubitandum, quin s. Paulus Titum [1] coram et monitis et doctrinis instruxerit, et quanquam Titus sponte sua morem gesserit; tamen et rei magnitudo [2], et conatus adversariorum [3] Apostolum movit, ut id ipsum denuo per literas faceret [4].

[1]) Nomen „Τίτος" a τίω, honoro, ortum trahere, et virum honoratum significare probabile videtur G. E. Schmidio, comm. de Tito τέκνῳ γνησίῳ Pauli. it. 1, 4. Jen. 1741. p. 4. s. V. p. 274. n. 2. [2]) Quae Apostolo curae erat. [3]) Isti ecclesias Creticas adhuc teneras turbare conabantur. [4]) Qui Cretam insulam Pauli Ap. aetate inhabitabant Judaei, moribus magnum partem erant pessimis, cum multa admodum traxissent ex mala Cretensium, quos inter versabantur, indole; scriptoribus quoque profanis graviter vituperata. Quidquid vitiorum improbis, perfidis, fraudulentis, ignavis, mendacibus immorigeris impostoribus usque semper lucri studiosis inesse potest, id in ipsis reperiebatur. Illud praesertim tolerandum videbatur Apostolo, quod cum omni improbitate sua virtutis affecta-

Praemissa more solito salutatione testatur, Paulus: se Christi esse Apostolum ad hoc missum; ut doceat veram fidem et spem vitae aeternae, quam ab aeterno promisit Deus, nunc autem per sui praedicationem manifestavit. Inde instruit ipsum de modo Episcopos et presbyteros ordinandi [1]. Jubet Titum studiose hoc episcopis quos constitueret, inculcare, ut ipsi sanam doctrinam profiteantur tueanturque; acriter vero reprimant contradicentes Judaizantes ad decipiendum Cretenses, inertes et mendaces [2], valde astutos. Nec

---

rent speciem, Legisque divinae assertores strenui haberi vellent; peculiaribus sed attamen traditionibus fidem corrumperent, et iis qui ad Christi sacra transierunt legalia decreta accurate servanda iniungerent: imo etiam ea quae licita essent prohiberent. Hac emergente causa, et cum non posset Apostolus aliis laboribus quam maxime occupatus, amplam Cretensium Ecclesiam per se ordinare; Titum, quem totius Insulae praefecerat Episcopum, sibi informandum esse putavit, qualiter bene exerceat officium suum. L. M. C. Schmidt, de Cretensium vituperio ex Tit. 1, 12. Lips. 1672., quae reperitur etiam in Thes. th. ph. II, 723. V. i. e. Ch. F. Blau de genuina eorum verborum indole, quibus P. ep. ad Tit. praefatur Long. 1846.

1) Episcopos 1, 6. 7. intelligit iure divino tam iurisdictione quam ordine presbyteris superiores. Cum autem Apostolus 1, 5. dicat: constituas per civitates presbyteros, et statim v. 7. addat, oportet enim episcopum sine crimine esse, acatholici e. g. E. Hunnius, Ep. d. Pauli ad Titum expos. Marp. 1587. p. 15. s. Vitringa, de synag. vet. l. II. c. 2. p. 478. s. C. Th. Kuinoel, explic. ep. ad Tit. u. Velthusen comment. th. I, 296. Huther, ad I. Tim. 3, 1. p. 116. Wiesinger, Pastoralbriefe Einl. p. 181. s. Tit. 1, 5. p. 284. s. aliique pessime inferunt: episcopum non esse maiorem presbytero, atque de iure divino in nulla re differre. Initio Ecclesiae presbyteros fuisse aequales episcopis „quoad nomen" concedimus: quoad rem negamus. Enimvero Apostolus cum de Episcopis eorumque per „χειροθεσίαν" ordinatione I. Tim. 1, 17. 19. 3, 1. 2. Tit. 1, 5. mentionem facit: episcopatum a presbyteratu distinguit. V. Hergenröther, de Eccl. Cath. primor. p. 128. s. Ceterum Episcopi delineatio in utraque ep. ad Tim. et Tit. iisdem describitur fere ductibus. Cf. H. G. van den Es, disp. de Pauli ad Titum ep. cum eiusdem ad Timoth. ep. duabus composita. Lugd. Bat. 1819. p. 65. s. 2) S. Paulus 1, 12. poetae cuiusdam in Cretenses vituperium, in medium proferre non dubitavit: „dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malae bestiae ventres pigri." Quis sit vituperans non exprimit? sed indefinite loquitur. In bivio autem hic versantur scriptores. Plurimi hunc versum adscribunt Epimenedi Gnossio, atque adeo Cretensi, — v. Fabricii, Biblioth. gr. ed. Harles. Hamb. 1790. l. I, 6. p. 33. — petitumque habent ex eius opere „περὶ χρησμῶν". Alii quidam Callimachum poetam Cretensem intelligunt. S. J. Chrysostomus, in ep. ad. Tit. c. 1. hom. 3, 1. XI, 744. S. Hieronymus, Comm. in ep. ad Tit. VII, 706. d. Paulum ex Epimenedis oraculis allegare firmiter affirmant. Qui Callimachum intelligunt, haud vera utuntur persuasione, ut ostendit Chr. Schmidt, diss. de Cretensium vituperio, in Thes. th. p. 724. Hunc Epimenedem Apostolus

attendant fabulis iudaicis praeceptisque de vana observantia in ciborum delectu [1]. Deinde ad morum praecepta accedens [2], eadem fere omnia, quae ad Timotheum [3] de eruditione fidelium singulorum, secundum status diversos, iniunxit, graviter commendat [4]. Et quia in moralibus magis movent facta quam verba, ideo scribit Tito: ut istas institutiones faciat non tam ore, quam exemplo. Ad officium subiectionis exhortatur servos, sumto argumento inde quod ita officio suo functi Religionis Christianae gloriam et decus tueantur [5]. Omnium vero praedictorum rationem subdit, singulare

---

adpellavit „ἴδιον αὐτῶν προφήτην". Quo autem sensu disputant interpretes. Gentilitas poetas vates dicere solebat, non ob afflatum dumtaxat „ἔνθεον", quo poetae gaudent, teste Ovidio, fast. VI.; sed et quia fatidici, qui fantur de futuris, quasi praefatores habebantur. L. S. Isidori, Etymologiarum, VII, 8. ed. Migne IV, 283. s. Cf. e. J. C. Gottschalk, diss. de Epimenede propheta. Altorf. 1714. J. S. Menochium S. J., trattenimenti eruditi, nei quali si dichiarano molti passi oscuri della S. S. Ven. 1675. V, 516. Vituperati dicuntur mendaces, ut qui perversis forent moribus, perfidia et mendacio insignes. V. h. d. r. W. Stegerum, de Cretensibus mendacibus. Lips. 1684. D. Pfeffingerum, de Cretensium vitiis. Argent. 1673. Höck, Kreta. Gött. 1829. III, 494. s. Alterum quod illis obiicitur est ferocitas; propterea quod magis feris, quam hominibus similiores viverent. Vocantur denique „γαστέρες ἀργαί". Ingeniose de v. „ἀργός", significatione disquirunt interpretes Suidas, Lex. s. h. v. I, 695. Wolf, in cur. p. 556. Kuinoel, l. c. p. 303. Quidquid vero huius erit: notantur eiusmodi homines, qui nonnisi ventri saturando student instar suum, Comedones desides. Interim totum versum ab Apostolo laudatum carmine latino ita reddidit Erasmus, Adagiorum Chil. II. Cent. 8. prov. 78. „Cretenses vani usque malae ferae, alvi inertes." Op. ed. Lugd. Bat. 1703. II, 657. Ceterum „Κρήτη" est altera maximarum, quae ad Graeciam sunt insularum; inter Aegeum et Cyrenaicum mare, a Peloponneso pene usque Asiae fines protensa. Cf. L. Cl. Gratz, Schauplatz der H. Schrift. Münch. 1858. p. 488. s. Rüetschi, in Herzogs R. E. VIII, 51. Not. t. s. geogr. p. XXI.

[1]) Mundis omnia sunt munda, coinquinatis autem et infidelibus nihil esse mundum. Horrent quidem Judaei cibos quosdam tanquam impuros, remque se facturos credunt Deo gratissimam, si ab eorum usu studiose abstineant. At si tanta eos tenet munditiei cura, cur non de eo solliciti sunt, ut animum gerant mundum ac vitam puram? Sed haec parum curant, quin potius in omni genere vitiorum volutantur. Unde fit, ut ipsos abominetur Deus tanquam carnem sacrificam detestabilem, et veluti foedas hostias. Cf. ad h. l. Lakemacher, Obs. s. III. 5, 279. s. [2]) C. 2. [3]) V. p. 405. [4]) Senes admonetur Titus adhortari, ut sint graves, sobrii, pii; anus — i. e. feminas provectioris aetatis — ne mundanum exemplum sequerentur illarum, quae vestitu et habitu vitae honestatem parum curabant. Debet etiam mulieres iuvenes docere pietatem erga Deum, obsequium in maritos. Adolescentes similiter sobrie vivere. [5]) Praepostera de religionis Christianae indole iudicia homines servilis conditionis facile impellere poterant,

planeque divinum exemplum Christi; qui ad hoc in mundo apparuit, ut eius beneficio salutari gratia iuvante optima quaeque aggredi et perficere possimus; exspectantes beatam illam vitam, quam speramus; et adventum illustrem magni Dei et Salvatoris Nostri D. N. J. C., qui dedit semet ipsum pro nobis; ut nos ab omni iniquitate vindicaret, sibique adscisceret populum bonarum actionum quam maxime studiosum [1]. Jubet Christianos, ut obsequantur magistratui etiam ethnico; lites vitent, neque blasphement alienos a fide [2]. Inanes quaestiones et contentiones coerceret Titus, haereticos devitaret [3]. Demum more suo s. Paulus epistolam terminat in salutatione et apprecatione gratiae Dei [4].

§. 83. Vincula d. Pauli Hierosolymis et Caesareae.

Hierosolymas perveniens Apostolus una cum Mnasone [5] libentissime est a fratribus exceptus, et cum altera die adiisset s. Jacobum [6], narravit

---

ut debitam heris obedientiam praestare recusarent. Hinc officia huius generis hominibus incumbentia, dilucide Apostoli proposuerunt. Cf. I. Tim. 6, 1. Ephes. 6, 5. s. Coloss. 3, 22. s. I. Petr. 2, 18.

1) Fac igitur addit, Tite! ut haec doceas eaque omnibus persuadeas. Reliqua morum praecepta c. 3. persequitur. 2) Ideo quod et ipsi fuerint aliquando increduli et errantes; nec ex operibus iustitiae, quae fecimus nos magis salvi facti sumus dicit quam illi: sed gratia immensa planeque divina Christi, qui per Baptismum lustratos Deo quodammodo peperit; et coelesti d. Spiritus numine instauravit, ut bonis actionibus quam diligentissime operam demus. 3) Dogmatum perversores post primam et secundam correptionem a consuetudine sua penitus amoveat, certo persuasus eum, qui hoc vitio laboret non animi imbecillitate peccare, sed eversum suopte iudicio condemnatum esse. 4) Vocat ad se Titum cum Zena et Apollo, sed non antequam Artemam aut Tychicum ad eum praemittat; ne Cretenses sine cura spirituali relinquantur. Quod ceterum multo brevius ad Titum quam ad Timotheum scripserit Apostolus, in eo virtuti atque prudentiae ipsius testimonium praebuit. Judice d. Chrysostomo, in ep. ad Tit. c. 1. hom. 1. p. 730. „Brevem porro scribet epistolam et merito. Hoc autem virtutis Titi erat indicium, quod verbis non egeret multis sed ceu aliqua monitione.“. S. Titi vitam ex Menaeis l. apud Bollandum, ad d. IV. Jan. I, 163. Cf. e. G. E. Schmid, de Tito p. 10. s. G. Walch, de Tito viro apostolico, in Miscell. s. Amst. 1744. p. 708. s. 5) Sive Mnesone Act. 21, 16. Μνάσων, i. q. in memoriam revocaturus, dorice pro Μνήσων. Patria Cyprius, apud quem Paulus sociique hospitio erant excipiendi. 6) Urbis episcopum, qui unus tunc facile ex universis Hierosolymis versabatur; cuique presbyteri aderant.

ordine singula non tam quae ipse patravit, quam quae ipsius ministerio Deus fecerat [1]. Illi in laudem Dei eruperunt, Paulique doctrinam et facta comprobarunt. Divi Jacobi seniorumque consilio, ad eluendam calumniam, Paulum Judaeos ad Christum conversos ab observatione Legis absterrere; votum Nazareatus fecit, unde colligerent Judaei ipsum Legem Moysis etiamnum observare [2]. Interim nihil ea observatione d. Paulus assecutus est; Judaei in eum Templum adeuntem irruerunt [3], nec mora iniectis

[1]) Cuius unius gloriae cuncta in solidum adscribi voluit. [2]) Ubi fama percrebuerat Apostolum, doctrinae christianae causa regiones exteras peragrantem, Judaeis auctorem esse suasoremque: ut a Lege mosaica deficerent; non poterant non etiam illi, qui nomen quidem Christo dabant, at quibus avitorum rituum et suae potissimum gentis amor imis infixus mansit medullis, gravius commoveri. Istam animorum commotionem, qua erant prudentia s. Jacobus cum ceteris presbyteris sopiendam statuerunt, ne magno Ecclesiae cum detrimento glisceret; et ideo d. Paulo consilium dabant, ad eluendam calumniam, qua Legis mosaicae hostis audiebat; probaret omnibus documento aliquo publico, falsum esse rumorem de ipso sparsum, seque nil minus cogitare, quam ut cerimonias damnet. Documentum huiusmodi edi posse censent: si et ipse Nazareum se faciat, et in alios sumtus ad hoc votum impendat. Adiungeret se viris quatuor voto obstrictis, et simul cum iis sacra faceret, unde colligerent Judaei ab eo Legem etiamnum observari. Aegris Judaeorum mentibus medendum esse censuit; at fideles ex gentibus quod attinet, se iis quidquam imponi non passurum praeter id quod concilium Jerosolymitanum imposuit, existimavit d. Paulus. Verissimum sane est Judaeo — Christianos, quos Jacobus suo Episcopatui subditos habuit, fuisse „ζηλωτὰς τοῦ νόμου". Act. 21, 20. coll. II. Mach. 4, 2. Nec vero s. Paulus eos in eiusmodi vitae genere aggressus est hostiliter. Docuerat quidem circumcisionem et rituum observationem nullam habere vim ad salutem consequendam, sed novam quandam vitae rationem viva sc. fide constantem. Gal. 6, 15. V. p. 384. Idem tamen inserat infirmos in fide Rom. 14, 1. s. non esse reiiciendos, sed patienter ferendos; atque ipse inter Judaeos se Judaeum gesserat, quo plures eorum lucraretur. I. Cor. 9, 20. V. p. 394. 413. Numquam mandavit Judaeis: ut Legalia abiicerent; contentus docuisse, inania esse, non vero prava, nisi iis solis tantummodo, qui ea ad salutem necessaria affirmarent. Paulum has Nazareatus peregit cerimonias ex quadam veluti „ἐθελοθρεσκεία", i. e. libere suscepta religione; quas cum ut non illicitas et tam pio fine usurpavit, ut paci Ecclesiae consuleret, atque ad honorandum etiam Deum — V. p. 61. coll. Hist. R. D. V. T. p. 160. — non potest hypocriseos accusari. Cf. Lorinum, in Act. Ap. comm. p. 782. Lakemacher, Obs. VI, 5. p. 366. s. Lücke, de Eccl. ap. p. 134. s. v. Heyst, de Judaeo-Christianismo, p. 129. s. Scharling, de Paulo Ap. ei. advers. p. 50. s. Kuinoel, ad h. l. p. 714. Beelen, Comm. in Act. Ap. II, 173. Hergenröther, de Eccl. Cath. primord. p. 97. Baumgarten, Apostelgesch. III, 147. Enimvero Paulus recogitans tam pium finem, audientem sese dicto s. Jacobi presbyterorumque sine mora praestitit. [3]) Templum ingressus cum quatuor suis Nazareis, pro quibus sumtus facturus erat, indicavit sacerdotibus diem illum quo expletum foret voti tempus i. e. septidium, quo lapso

manibus Apostolum comprehensum foras trahunt. Prope erat, ut ab iis confestim trucidaretur, nisi a superveniente Claudio Lysia Romanae cohortis tribuno saevientium manibus ereptus fuisset, in castra deducendus. Populus autem tribunum postulabat, ut Paulum occideret, tantaque vi ipsum comprimebat, ut de eo portando consilium milites inirent. Ventum erat ad gradus arcis Antoniae, cum Apostolus a tribuno veniam dicendi impetrat ad concionem [1]. Sinente tribuno, ut verba faceret [2], patrio sermone orationem habuit ad populum, qua omnem vocationis suae et missionis ad gentes rem enarravit. Hac Judaeorum animi adeo exacerbantur, ut tollendum e medio hominem istiusmodi clamarent, non enim convenire eum inter vivos relinquere. Tribunus cui ignotus erat Hebraeus sermo, ea quae Apostolus dixerat minime assecutus, ratusque ex populi tumultu proiicientis pallia et pulverem iactantis, aliquid ab eo in gentem suam vel Legem prolatum; iussit s. Paulum in castra ducere, flagris coacturus innocentissimumvirum fateri, quo tandem sive vero sive temere credito crimine Judaeorum in se iras usque adeo accendisset. Praesto iam erat quaestio, cum d. Paulus ad torturam alligatus se Romanum civem professus, e vestigio vinculis solvitur [3]. Ut vero seditionis causam exploraret tribunus, postridie causam coram synedrio dicere iussit. Apostolus postquam fandi sibi esset copia, intentis in consessum oculis: omni bona conscientia ad eum usque diem conversatum se esse ante Deum protestatur [4]. Ananias vero summus pontifex non ferens istam in reo loquendi facultatem, Apostolum ab apparitoribus in os caedi iussit. Quam iniuriam d. Paulus gravi oratione increpavit. Cum autem animadverteret Synedrii assessores partim esse Sadducaeos, partim Pharisaeos; opportunum censuit, si inter sese illos committeret, quo bonam suam causam tueretur. Exclamavit se Pharisaeum esse, qui in ius traheretur; quia resurrectionem mortuorum doceret [5]. Ea

---

dies voti sui pariter laberentur cum diebus hominum illorum, qui aliquanto ante Nazareatum vovissent. Quod momentum temporis ubi instaret quidam ex pervicacibus Judaeis asiaticis, qui ad festum ascenderant, Paulum in Templo conspicati tumultum concitaverunt; magnis et inconditis clamoribus vociferantes, quod inducto in illud Trophimo, homine ephesio et incircumciso, sacratissimum locum polluisset.

[1]) Ubi graece loquentem Apostolum audiisset tribunus interrogavit: numquid Aegyptius ille esset, qui nuper tantum turbarum dederat? Negat d. Paulus affirmans se Judaeum religione, civitate vero Tarsensem, urbis non obscurae in Cilicia civem esse. [2]) Indicto manu silentio. [3]) Narrantur Act. 21, 17 — c. 22. p. i [4]) Act. 23, 1. [5]) Paulus quomodo votum adhuc facere poterat, eo modo poterat et Pharisaismum profiteri. Laudabile erat Pharisaeorum dogma de resurrectione mortuorum. Ex Jesu resurrectione Evangelii veritas pendet, et Sadducaei iniquiores erant sine dubio Christianis; eo quod illi resurrectionem mortuorum

voce audita, tanta inter synedros, Paulo plaudentibus Pharisaeis, Sadducaeis contra illos aeque ac Paulum tumultuantibus, orta est contentio [1]; ut tribunus metuens periculum, ne inter certantium manus discerpenetur raptum Apostolum in arcem reducere iusserit. Interim Dominus Jesus Christus afflicti sui servi non obliviscebatur, sed nocte superveniente bono animo esse iussit; non enim periturum ista hominum iniquitate, foreque ut quod fidei Jerosolymis dederat testimonium, illud etiam Romae adhiberet. Sequente die Judaeorum amplius quadraginta, diris caput devoverunt: siquid cibi potusque degustarent, antequam Paulum interficerent. Sed tribunus cognitis insidiis [2], tertia hora noctis eum [3] Caesaream ad Felicem misit, ad quem etiam hac de re literas dedit. Urbem postridie ingressus, a Felice praeside provinciae [4] iussus est in Herodis praetorio [5] servari; audiendus cum adfuerint accusatores [6], qui non diu desiderari se passi sunt. Etenim quinta post adventum Pauli die Ananias summus sacerdos cum aliquot proceribus Caesaream pervenerunt eumque in iudicio habito [7] seditionis atque impietatis accusarunt. Has autem calumnias depulsurus s. Paulus, innocentiam suam egregie probavit [8]. Felix utraque parte audita causae definitionem ad Lysiae adventum distulit; intereaque Apostoli accu-

---

melius multo ipsis Pharisaeis tuerentur; qua admissa de Sadducaeismo actum erat. Doctrinae quoque, quam Paulus praedicabat, et ob cuius praedicationem eum Judaei persequebantur, caput praecipuum erat, Jesum in vitam rediisse, eiusque exemplo mortuos in vitam vere redituros esse. Cf. N. Serarii, trihaeresium seu de sectis iudaicis. l. III. 2, 5. Mogunt. 1611. I. J. Ph. Pfeiffer, diss. ad Act. 23, 8, in Thes. n. p. 714. s.

1) Disputationibus scilicet et litigiis iuxta illud Poetae: „scinditur incertum studia in contraria vulgus"; cum non videret alium modum causam suam defendendi, quia nulla reperiebatur iuris vel aequitatis ratio apud tales iudices, discordiam inter ipsos male in malum concordes seminabat. Nec est hoc illicitum, ut praeter S. Gregorium, Moral. XXXIV. c. 4, 9. I, 1120. et Angelum Scholae, Sec. Sec. q. 37. art. I. ad sec. VII, 750., observant interpretes Lorinus, p. 808. Fromondus, II, 198. Kuinoel, 748. Beelen, II, 191. Baumgarten, III, 200. 2) Ab Apostoli ex sorore nepote. 3) Militum firmo praesidio septum iumentoque impositum. 4) De Felice, liberto Antoniae matris Claudii imperatoris, scribit Tacitus Hist. V, 9.: „Felix per omnem saevitiam et libidinem, ius regium servili ingenio exercuit." III, 217. 5) Cf. J. Perizonii, disq. de praetorio tum alibi tum maxime in urbe Roma eiusque praetorii praefecto. Lugd. Bat. 1696. p. 30. s. 6) Act. 23, 2—35. 7) Apostolum turbarum inter Judaeos per imperium romanum sparsos concitarum, et templi Jerosolymitani polluti, oratore Tertullo detulerunt. Tertullus ex artis suae praescripto ante omnia profusis laudibus et indigna adulatione iudicis benevolentiam captat. 8) Cf. D. Schrader, exerc. iur. de iurisprudentia Pauli apostoli. Hal. 1695. p. 48. s.

satores dimisit[1]; ipsum vero libera custodia servari iussit[2]. Satis intelligebat Felix d. Paulum confictis criminibus urgeri, homo tamen avarus[3] gratis ipsum absolvere noluit. Hinc ea lucri captandi spe in vinculis retinuit[4]. Saepius interim Paulum in gratiam uxoris Drusillae[5] ad colloquia vocavit; sed Apostoli verbis de Christi fide, de iustitia, continentia[6] et extremo iudicio perterritus, plura ab illo audire renuit. Cum nihil aeris Felici erogaretur a d. Paulo, integrum biennium vinculis mancipatus est; quo elapso Porcius Festus successor Felici datus fuit, cui Paulum iudicandum reliquit Felix[7]. Festus Felice nihilo aequior, cum Judaeorum gratiam inire vellet, a Paulo quaesivit an de re, cuius postulabatur Jerosolymis iudicari in animo esset? Verum Apostolus cui non ignotum erat, quo consilio id rogaret[8], abnuit, et innocentiae suae fiducia Caesarem appellavit[9]. Ad quae Festus, de iudicii sententia, respondit. Caesarem appellasti, ad Caesarem ibis![10]. Interea cum exspectatur opportunitas s. Paulum mittendi Romam, Agrippa iunior[11] et Berenice eius soror, Caesaream veniunt: salutaturi de more Festum novum provinciae praesidem. Praeses animo dubius, quae in causa Pauli contigerant, iis narravit iudaicae quippe religionis peritis. Agrippa autem ab ipso Apostolo se rem libenter auditurum respondit. Tum postridie eius diei Festus illis s. Paulum ampliore in conventu stitit. Cum perorasset de vocatione sua ad Apostolatum, et de doctrina sua Moysi et Prophetis congrua, Agrippa dixit: potuisse illum dimitti, nisi Caesarem appellasset. Constitutum igitur est, ut Paulus cum aliis quibusdam vinctis Romam mitteretur[12].

---

1) Sperabant Judaei Felicem persuasum iri, ut reum ipsis a tribuno ereptum eorum iterum libidini subiiceret. 2) Cf. Geib, Gesch. des röm. Criminalprocesses. Leipz. 1842, p. 288. 561. s. 3) Audierat Apostolo eleemosynas fidelium creditas fuisse. 4) Pecuniarum, quas a vincto exspectabat, quam iustitiae cupidior. 5) Drusilla Felicis uxor, quae ethnico licet nupta, sacra Judaeorum retinuerat, erat filia Herodis Agrippae Maioris, de quo Act. 12, 23. sermo est, soror Agrippae Minoris qui eam Azizo Emesenorum regi collocavit; quo relicto ad Felicem transiit. Cf. Josephum, Ant. XX. 7, 1. 2. p. 969. 6) Quae apud homines, quales Felix et Drusilla erant contrariis vitiis immersi, perquam iudicabat Paulus esse necessaria. 7) Act. 24, 1—27. 8) Nimirum ut Judaeorum manibus traderetur. 9) Cf. J. C. Santorocci, de ap. Pauli ad Caesarem appellatione. Marb. 1721. Krebs, de provocatione Pauli ad Caesarem, in opusc. acad. p. 145. Baumgarten, l. c. III, p. 258. 10) Act. 25, 1—12. 11) Agrippa Minor, Herodis M. abnepos, Agrippae Maioris filius. D. q. v. Noldium, de vita et gestis Herodum, apud Havercampium Op. J. Flavii ed. app. II, 386. s. Deylingium, Obs. s. II. 26, 26. 27. p. 263. s. 12) Act. 25, 13—26. p. i.

§. 84. Iter et praeconium d. Pauli Romanum.

Post varios casus multaque discrimina rerum d. Paulus cum Luca et Aristarcho Thessalonicensi, aliisque quibusdam vinctis traditus est Julio legionis augustae centurioni [1]. Conscensa nave Adrumetina Asiam petenti, Caesareae pelagus ingrediebantur [2]. Cum Sidonem [3] pervenissent, Paulus [4] christianos illius urbis invisit; rogaturus ab eis res itineri necessarias. Sidone adverso vento devecti per mare [5] Myram [6] pervenerunt. Ibi cum centurio invenisset navem Alexandrinam [7] Italiam adeuntem, ei captivos imposuit; ut quam primum fieri posset, Romam ipsos transferret [8]. Sed quia partim nautae moras necterent, partim iter ob nimium pondus lente procederet, partim etiam ventus resisteret, quominus cursum circa eam Cretae partem, in qua erat Salmone [9], citius conficeretur; in id tempus incidit navigatio, quo grave coelum, subito exorti turbines, imbres frequentes frigusque, iter periculis exponerent; et manifestum tum navis, tum vitae,

---

1) Cf. Schwarz, de cohorte ital. et august. Altorf. 1720. 2) Navibus a patria ubi constructae erant, aut unde veniebant, nomen dari solebat. Quaeritur autem quaenam sit urbs Adrumetina? Act. 27, 2. Walchius, Antiq. naut. ex itinere Pauli rom. coll. Jen. 1767. p. 5. Adramythium Mysiae maioris celebre oppidum intelligit. 3) Promontorium Carmeli scopulis sub aequore sparsis periculosum. 4) Permittente centurione, cui deducendi eum cura credita fuit. 5) Quod est iuxta Ciliciam et Pamphyliam. 6) Quanam via, utrum recta infra Cyprum; an obliqua circa partem orientalem insulae inflexo, Myra delati sint, quaeritur? J. H. Larsen, tent. exeg. cr. in iter Pauli Apostoli Caesarea Puteolos. Arhusiae Cimbrorum. 1821. p. 6. s. demonstravit: navim viam circa partem Cypri occidentalem confecisse. 7) Ita dicta ab urbe Alexandria. Quomodo haec navis Myram Liciae pervenerit, explicat Jac. Hasaeus, de navibus Alexandrinis d. Paulum in Italiam deferentibus, in Thes. n. p. 720. Ceterum haec navis frumentum aliasque merces Persicas et Indicas Romam erat advectura. Act. 27, 6. 9) Salmonium vocant Mela, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, quod promontorium est insulae Cretae in latere Orientali. Cum restitissent venti, que brevissima via per creticum mare permitterent directo pergere in Italiam, rre praetervecti Gnidum — urbs Cariae Veneris cultu eiusque simulacro a axitele sculpto celeberrima. Cf. Mannert, Geogr. VI. 3, 234. s. — sub Cretam — lie Candia insula in mari mediterraneo, d. q. v. J. Meursium, Creta, Rhodus, prus s. de harum insul. antiq. Amstel. 1675. — vela retrorsum dare coacti Boniportus — eundem esse locum putant qui hodie Limenes kali dicitur. Hoeck, Kreta I, 439. J. Smith, the voyage and Schipwreck of St. Paul. nd. 1848. p. 44. — litora assequi potuere prope Lasaeam; cuius nulla ceterum d geographos fit mentio. Cf. Larsen, iter Pauli maritimum, p. 19. s. qui urbem sos· Plinii, mediterraneam haud procul a portu Libeno intelligit.

tum bonorum discrimen subeundum esse minarentur. Quae mala omnia divino imprimis nutu et longo rerum usu praesagiebat d. Paulus. Quamvis autem ea omnia Centurioni in memoriam revocaret, nihil tamen suis monitis saluberrimis effecit; cum gubernator et nauclerus contra niterentur, quorum verbis maiorem fidem Julius adhibebat quam Apostolo[1]. Centurione assentiente ad Phoenicen[2] portum ire statutum est. Interea levis ex austro oritur ventus, quo tempestive usi, anchoris sublatis solverunt, legebantque oram Cretae meridionalem; securi austro flante portum exoptatum facile advectos iri: cum subito exorta procella ab oriente septemtrionali, navim quae amplius regi non poterat ad insulam Caudam[3] impulit, unde abrepti et vehementi tempestate huc et illuc iactati altera die merces, et tertia demum armamenta etiam navis in mare proiicere coacti sunt, nec tamen periculum cessavit. Tandem tempestate non remittente, omnis spes salutis evanuit; sed missus ad Pauli preces Angelus nunciavit fore, ut tamen Caesari sisteretur, omnesque qui secum navigabant incolumes evasuros. Quam visionem cum revelasset sociis, iis animum addidit. Nocte igitur decima quarta cum iam locum dithalassum attigissent, senserunt[4] nautae terram quampiam in propinquo esse, ad quam orto die dum appellere conarentur; dissoluta navi effunduntur ad Melitae[5] insulae litora omnibus[6] partim natatu, partim tabulis subvectis. Paulum sociosque gelu et aqua rigentes benigne Melitenses exceperunt, accensoque igne, illos recrearunt. Mirati incolae quod Apostolus sarmenta igni imponens,

---

1) Celebratum iam tum fuit solenne ieiunium die expiationis, incidens in exeuntem Septembrem vel ineuntem Octobrem. Atticum ieiunium Act. 27, 9. S. Lucam respexisse, vel inde veri speciem amittit; quod sermo ille nec Paulo loquenti nec personis, quibus imminens periculum praedicabatur, nec tempori convenire videatur. Cf. P. A. Boysen, de difficili Pauli itinere, in Thes. n. p. 729. s. 2) Ptolemaeo, in extremo Cretae latere est φοινικοῦς λιμνή, et prope illum φοίνιξ πόλις. Cf. Cellarium, de amoen. geogr. p. 1197. 3) Claude creditur, quae hodie Gozo appellatur, ad austrum Candiae obiecta. Cf. R. Pococke, Morgenland. Erl. 1754. II, 347. 4) Mari bolide tempestive explorato. Act. 27, 27. 5) Sed quaenam ista Melita? huius nominis una est Illyrica in mari Dalmatico, altera Sicula inter Siciliam et Africam. Interim fuisse Siculam, cursus inde itineris ad Syracusas et Rhegium ostendit. Porro ut ad Melitam Illyricam venirent, per fretum inter Calabriam et Epirum ferri necesse erat. Sed hoc angustum fretum nave perferri improbabile habetur. Cf. J. G. Meissner, peregrinatio Pauli transmarina. Witt. 1679. p. 7. s. Pro Melita Sicula pugnant J. Fr. Wandalinus, de Melita Pauli, in Thes. n. p. 739. s. Kuinoel, l. c. p. 844. Gratz, Schaupl. d. h. Schr. p. 514. J. H. Larsen, iter P. maritimum, p. 79. s. Beelen, II, 250. Meyer, p. 459. Melita Illyrica paucos habet defensores, inter hos cl. Rhoerium, de Pauli ad insulam Melitam naufragio. Trai. ad Rhen. 1743. 6) Numero 276. Coll. Act. 27, 37.

viperam [1] manus illius ambientem sine damno in ignem excussisset, ut Deum habebant [2]. Eo in tractu erant praedia Publii cuiusdam, principis in insula viri, apud quem s. Paulus cum sociis per triduum diversatus, eius patri febri et dysenteria laboranti valetudinem restituit [3]. Hoc prodigio audito Melitenses insulae aegrotos omnes nec frustra ad Apostolum tulerunt; quotquot enim erant, curati sunt. Tribus, hyemis causa, in insula actis mensibus, conscendentes aliam navim Alexandrinam [4] ad oras Siciliae progressi, devecti sunt Syracusas [5], Rhegium [6], Puteolos [7], inde vero Romam [8]. Cum fideles qui Romae erant de adventu Pauli sociorumque audivissent, eis in occursum alii usque ad forum Appii [9], alii ad tres tabernas [10] prodierant. Sic tandem Paulus Urbem vinctus quidem ingressus

---

1) Act. 28, 3. „ἔχιδνα“, vulgo viperam reddunt Aegypto imprimis propriam. Larsen, l. c. p. 102. colubrum Berum Linnaei vocat, in Europa australi frequentem, fusco-canescentem, venenatum. 2) Melitenses hic temere sententiam praecipitarunt, qnod nemini mala accidere existimarunt, nisi qui antea criminis graviter fuisset reus. Communis quidem coll. Ovidii A. III, 8. I, 258. hic error erat gentilium. Cf. J. G. Erlmanni, diss. de Melitensium iudicio περὶ τῆς δίκης, in Thes. phil. p. 499. 3) Qui Publius Act. 28, 7. „πρῶτος“, V. princeps vocatur, erat magistratus romanus, sed inferior a praetore Siciliae pendens. Coll. Cicerone, a. II. in Verrem IV, 18. 4, 21. Vetus inscriptio apud Cluverium, Sicilia antiqua cum Sardinia et Corsica. Lugd. Bat. 1619. p. 443. de Lucio quodam Caii filio equite romano habet: πρῶτος Μελιταίων. 4) Haec cum παρασήμῳ et quidem Διοσκούρων ornata fuisse narratur. Act. 28, 11. Διόσκουροι, Castor et Pollux, quod navigantibus succurrere crederentur coll. Horatio, carm. I. 3, 2. 4, 8. 31. in prora navis pingebantur, vel collocabantur. Ponebantur haec tutelaria numina in navibus ideo, ut orta tempestate ad placandam procellam precibus invitarentur. Cf. J. Hasaeum, de navibus Alex. c. 3. p. 722. s. 5) Urbium Sicularum clarissima amplissimaque, d. q. v. Meisner, l. c. p. 10. s. 6) Olim Brutiorum, nunc „Reggio“ Calabriae inferioris oppidum. Notamus pari itinere usum Titum, quando deletis Jerosolymis in Italiam tendebat, narrante Suetonio, Vit. Titi. c: 5. ed. Argent. p. 349. 7) Puteoli in Campania h. „Pozzuolo“ alexandrinis navibus consuetus erat portus, quo plenis velis navigabant, ubi ad similitudinem alexandrinae Pharus exstructa erat. 8) Quae omnia pluraque habentur Act. 25, 13. — 28, 14. Ῥώμη ἡ κορυφὴ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ; τῆς εὐσεβείας μητρόπολις. „Roma nobilis, orbis et domina; cunctarum urbium excellentissima; roseo martyrum sanguine rubea; albis et virginum liliis candida“; ut habet antiquus hymnus s. eo peregrinantium. Quanti et quae diligentissimi studii ista Urbs digna! 9) Oppidum ad celeberrimam viam Appiam Roma per portam Capenam Brundusium ferentem. Forum constitutum in agro Latino, ubi nunc est „Casarillo s. Maria“; et magna visuntur deleti oppidi vestigia. 10) Tres tabernae creverunt in oppidum eiusdem nominis. V. S. Gregorii ep. II, 50. Op. 2, 614. Collocant locum in via Appia, ad 33. ab urbe lapidem. Appii forum vero in agro Sentino ad 51. l. ab urbe positum erat. Cf. Schwarz, de foro Appii et trib. tabern. Altorf. 1746. Itinerarium Anto-

est; sed Verbum Dei non erat alligatum, cuius vi de Romanis triumphavit. Ad quos cum venisset, a centurione praefecto praetorii tradebatur. Attamen Apostolo permissum est, veluti nullius sceleris convicto, in libera custodia habitare [1].

Tertio ab adventu suo die [2], s. Paulus pro more suo convocatis, qui erant Romae Judaeorum primoribus, enarravit causam cur Romam vinctus missus esset. Constituto deinde die, quo ad illum venientes [3] de rebus Christi disputantem audirent, eum habuit [4] successum; ut alii quidem [5] se Christo traderent, alii autem acriter veritati obluctarentur. Paulus, malignitate Judaeorum contemta, similes illos esse dixit maioribus, quos Isaias propheta [6] pertinaciae olim convicerat; ideoque se iis missis ad Gentes conversum iri, quos norat Evangelio credituros. Quo dicto litigantes inter sese Judaei discesserunt [7]. Toto biennio, quo Apostolus Romae vinctus versatus est Evangelium annunciavit. Neque Romanis tantum ad fidem adducendis erudiendisque incubuit; sed et scriptis Ecclesias quae quam longissime abessent docuit; data ad Ephesios, Colossenses, Philemonem et Philippenses epistola.

§. 85. De s. Lucae Actis Apostolorum.

Hactenus Librum S. S. N. T., qui inscribitur „πράξεις τῶν ἀποστόλων“, latine Actus sive Acta Apostolorum, fontem accuratum Historiarum nostrarum habuimus; eiusque res ad fidem referre

---

nini aug. ed. Parthey. Berol. 1848. p. 49. viae Appiae loca ita computat: „item ab urbe Appia via recto itinere . . . Aricia mpm. XVI. Tribus Tabernis mpm. XVII. Appi foro mpm. X.“ Occurrerunt Romani Paulo veluti triumphatori ultra quinquagesimum lapidem. Hinc colligere licet, quantus fuerit Christianis Romanis in s. Paulum amor et obsequium, quibus impulsi tam longo itinere occurrebant.

1) Custodiae hic erat modus, ut captivus in conducta sibi domo degens catena dexteram haberet innexam, cuius extrema parte altera laeva militis praetoriani manus colligaretur; ut ubicunque esset etiam in foro et in plateis simul incederent. Ibi autem fuisse d. Pauli hospitium, ubi nunc est „diaconia S. Mariae in via lata,“ docet C. Baronius, Annal. ad 59, 6. p. 557. 2) Tam felicis faustique diei, quo Apostolus in Urbem advenit, apud Usuardum, Martyrologium ed. J. B. Sollerii S. J., in A. S. S. Boll. Jun. VII, 383. recolitur memoria sexta Julii. Verum cum verno tempore Melita solverit, et coll. Act. 28, 11. s. paucis diebus iter confecerit; haud videtur verisimile d. Paulum ineunte mense Quintili Romam ingressum esse. 3) A matutino tempore ad vesperam. 4) Quem saepe expertus est. 5) Et nominis fama et eruditionis vi clari. 6) Cap 6, 9. 7) Act. 28, 15—31.

studuimus. Ut autem idoneum de rerum a nobis expositarum iudicium fiat, de Libri istius indole et auctoritate disquirendum est. Titulum quod attinet vox ‚πράξεις‘ dicta et facta involvit, id quod hodie plerumque gesta dicitur[1]. Universae Ecclesiae fide omniumque aetatum testimoniis, scriptor Actuum A. est idem cui tertium Evangelium debemus: S. Lucas, d. Pauli socius[2]; idem

[1]) Sic „πράξεις Κύρου", res Cyri gestae apud Xenophontem, Cyropaed. l. 3, 1. ed. Thieme I, 17. Philippi acta, apud Q. Curtium, VIII, 1. ed. Lond. 1746. II, 74. leguntur. Ceterum quamvis verum nomen, quo priscis saeculis insignitus fuerat Liber, esset „πράξεις"; tamen secunda inscriptionis pars admodum variabat; sicuti docent R. Simon, Hist. cr. du texte du N. T. c. 2. p. 19. Suicerus, Thes. II, 822. et Fabricius, not. ad s. Hieronymi de vir. ill. c. 7. p. 47. Latini P. P. vulgo „Actus" reddunt, nomine etiam singulari numero usurpato; sunt tamen qui etiam „Acta" interpretantur; nostra quidem sententia perinde est, quo ex his duobus vocabulis utamur. Probe ex Varrone notavit Scaliger, actum latine dici, quod alii barbare tractatum appellant; sed graeca inscriptio horum commentariorum dilucide testatur: actus n. l. ea significatione esse sumenda, qua veteres accipiunt: acta publica et diurna populi romani, acta Urbis e. s. c. Erant quidem illi libri, in quos non res quaelibet; sed eximiae, graves, scitu dignissimae ad posterorum memoriam transmittebantur. Alterum vero nomen „ἀποστόλων" data opera fuit adhibitum, quia non solum Petri et Pauli; sed et reliquorum Apostolorum, licet non singulorum, res gestae in his commentariis describuntur. Unde iniqua est Wette, Einl. p. 241. Ebrard, die Apostelgesch. Königsb. 1862. p. 6. reprehensio, qui inscriptionem Libri haud accuratam existimant. Concedimus maxime s. s. Petri et Pauli res tradi; sed nonne et reliquorum c. c. 1—9. 11. 15. alibique fit mentio. Mittimus non addi in titulo πάντων τ. α.; sed τῶν ἀποστόλων, a potiori, ut est in proverbio, fit denominatio. [2]) Jam quaedam ...ca P. P. apostolicorum ita comparata sunt, ut Actus Ap. respexisse videantur. — Cf. S. Clementis, ad Cor. I, 18. coll. Act. 13, 22. p. 81. S. Ignatii, ad ...myrn. 3. coll. Act. 10, 41. p. 227. S. Polycarpi, ad Philipp. l. p. 259. coll. ...ct. 2, 24. Papiae, apud Euseb. H. E. III, 39. p. 112. Epist. Vienn. et Lugd. ...pud eund. V, 2. p. 167. Dionysii Cor., ib. IV, 23. p. 144. S. Justini M., ...polog. I, 49. p. 115. coll. Act. 13, 27. 48. S. Irenaei, adv. haer. III, 14. I. p. 497. ... I. p. 501. Clementis Alex., Strom. V. p. 696. Tertulliani, de ieiuniis. c. 10. ... 190. Origenis, contra Cels. VI, 11. XIX, 320. coll. Act. 5, 36. 37. Eusebii, H. E. ..., 17. p. 54. III, 4. p. 73. S. Hieronymi, de vir. ill. c. 7. p. 47. Lambecius, bibl. ...nd. II, 511. exhibet imaginem vetustam s. Lucae in genibus scribentis Actus. ...nonicam huius libri auctoritatem ex rationibus dogmaticis reiecerunt: Cerinthiani, ...te Eusebio, H. E. IV, 29. p. 150.; Ebionaei, iuxta S. Epiphanium, haer. XXX, ... p. 140.; Severiani, v. Theodoreti, haer. fab. I, 21. p. 313. Marcionitae, apud ...rtullianum, a dv. Marcion. V, 2. p. 259.; Manichaei, referente S. Augustino, de ...litate credendi c. 2, 7. VIII, 49. — S. Joannes Chrysostomus, hom. I. in Act. ap. ...rrat. IX, 1. queritur: „multi perinde ignorant an hic Liber exstet et quis sit ...s auctor, quae mihi potissimum causa fuit ut hoc opus aggrederer, quo huius

comprobat ipsius Commentarii A. A. prooemium, atque indoles utriusque aequalis. a. Actus et Evangelium per prooemium arcte cohaerent; eidemque Theophilo [1] dedicati sunt. b. Eundem δεύτερον λόγον, quem πρῶτος λόγος habere auctorem, prodit dicendi genus aequale in utroque Libro; sive singulas voces scriptori tertii Evangelii cumprimis familiares, sive totum sermonis habitum attenderimus [2]. Denique c. e dispositione quae inter formam Evangelii et Actuum intercedit, iure colligitur unus idemque scriptor [3]. Si omnium, qui historias scribunt, officium esse constat: ubique certa et vera proponere; a Scriptore rerum inspirato prae ceteris requiritur, ne quae minus certa et extra dubitationem posita tradat, neve ullo partium studio ducatur. In eo iam quod tractamus Lucae Commentario, historiarum bene exaratarum virtutes mirifice servatas esse, officioque suscepto diligentissime satisfecisse scriptorem, nemo aequus rerum iudex denegabit. Qui enim ἀκριβῶς inquisiverat in facta apud testes fide dignissimos, nihil dubii vel falsi prodit [4]. Consilium quo in Actuum libro exarando rege-

---

rei ignaros instituerem, ne tantum thesaurum negligerent." Haec autem verba de indoctis esse dicta quivis facile intelliget. Photius quidem q. 123. ad Amphilochium ed. Migne I, 716, nobis adversari videtur, quando refert: „Scriptorem vero actuum alii Clementem Romanum appellant, Barnabam alii, alii vero Lucam Evangelistam;" continuo attamen addit „Ipse vero Lucas rem definit, quando primo quidem in limine libri praemonet, quod aliam commentationem Domini gesta complectentem scripserit".

[1]) V. p. 288. s. [2]) Cf. e. g. Act. 1, 10. 3, 4. 12. 6, 15. 7, 55. 10, 4. 11, 6. 13, 9. 14, 9. 23, 1. cum Ev. 4, 20. 22, 56. Item 9, 27. 16, 19. 17, 19. 18, 17. 21, 30. 33. 23, 19. coll. Ev. 9, 47. 14, 4. 20, 20. 26. 23, 26. Porro 18, 27. coll. Ev. 2, 15. 8, 22. Nec desunt voces, quae Lucam medicum arguunt. V. 3, 7. 13, 11. 28, 8. [3]) Cf. e. g. recapitulationes 2, 42. 5, 12. 11, 19. 14, 21; et respectus ad priora v. c. 12, 25. et 11, 30. 15, 38. et 13, 13. 18, 5. et 17, 15. 21, 29. et 20, 4.; quae omnia cum Evangelio egregie congruunt. Lingua graeca, qua nemine quod sciamus contradicente Actus scripti sunt, cum oratione Evangelii convenit. Fatentibus id ipsum et demonstrantibus: Gersdorf, Beitr. p. 160. Credner, Einl. I, 132. Meyer, Apostelg. p. 3. Beelen, prolegom. in A. A. p. 3. s. Lekebusch, l. i. c. p. 37. s. [4]) Cernitur summa d. Lucae accuratio in notandis locis, ubi res acciderunt, ubi et temporibus, quibus gestae sunt. Ubi res postulare videbatur, ipsas pro Christi causa dicentium orationes diligenter persequitur; nec negligit eorum dicta, qui Ecclesiae haud favebant. Fusius narrat, quibus interfuit ipse — Act. 16, 10. s. u. v. Cf. praesertim 20, 5—21, 7. item 27. et 28. —; neque tamen aliquid curae remisit in iis, quae aliis, qui rerum gestarum spectatores et auditores fuerant, accepit. Legat cui volupe est Act. 12. Ceterum uberrime hoc argumentum tractarunt:

batur s. Lucas sibi fixisse; quod ut assequeretur certa quaedam praetermissis aliis selegit, dabunt omnes. In definiendo Actuum consilio duo imprimis sunt momenta attendenda, quorum alterum est in Libri huius prooemio, alterum in eius argumento. Ingressione sua respicit Lucas scopum, propter quem antea de Christi rebus in Theophili gratiam scripserat[2]: ut sc. Theophilo, iisque qui cum eo veram profiterentur religionem, summam traderet eorum, quae ipse de Christi doctrinae ab Apostolis — cumprimis a s. Paulo — horumque sociis per orbem propagatione, vel propria experientia et usu didicerat; vel ab aliis fide dignis cognoverat

---

Riehm, diss. cr. th. de fontibus Actuum Apostolicorum. Trai. a. Rh. 1821. p. 75. s. et A. C. de Meijier diss. in th. de Lucae ἀξιοπιστίᾳ. Hag. Com. 1827. p. 14. s. Quae refert s. Lucas simplici exponit ratione abstinens ab omni artificio. Profecto non semel oblata est Actuum scriptori ornandi res opportunitas, quae a narratore laudis magis quam veritatis sudioso cupide fuisset arrepta; cui tamen nullam impendit operam. Sedatum quoque est dicendi genus, alienum a grandiloquis rhetorum phrasibus, naturales plerumque periodi, verbaque haud insueta. Cf. Koppe, N. T. ed. Heinrichs, Gött. 1809. s. v. III. prol. p. 43. s. Ingenuum porro se praestat scriptor, ubi id commemorat, quod vitio ipsi sit vertendum coll. 21, 10. s. Quanta vero industria et fides in S. Luca d. Paulum comitante cogitanda sit, res ipsa docet. Utitur 16, 10—17. 20, 5—15. 21, 1—18. 27, 1—28, 6. per omnem narrationem rerum, quas spectavit, prima persona numeri pluralis. Ubi vero 21, 18—27, 1. eam scribendi formam missam facit, referuntur ea, quae ad unum pertinebant Paulum. Ast falso inde deduxit Schleiermacher, Einl. p. 347. Bleck, in ann. Stud. u. Krit. 1836. p. 1025. s. 1046. s. Ulrich, ib. 1837. p. 367. s. 1840. p. 1003. s. Wette, Einl. 245. Mayerhoff, Einl. in die petr. Schr. Hamb. 1835. p. 6. s. partes Actuum „οἱ ἡμεῖς" insignitas, e Timothei commentario sumtas esse. In rebus adversis describendis summa usus est s. Lucas moderatione, animum ab ira et odio cohibuit. Singula quae ab aliis dicta factaque refert, ipsis apprime conveniunt dicentibus et facientibus. Apta reperitur causarum et eventuum connexio, initiorum et progressuum continuatio. Cunctae denique Historiae ita sunt compositae, ut sibi invicem apprime respondeant, neque adeo aliis contradicant. Quas sibi in narrationibus Lucae pugnas reperisse visus est Wette, l. c. dissolvit Beelen, prol. p. 4. s.

[1]) Nostra enimvero aetate, quae tales disquisitiones maximi ponderis habet, ad satietatem usque et fastidium de hoc A. A. consilio actum est. [2]) Qui igitur Evangelio praemittitur prologus, eatenus quoque ad Actus pertinet, quatenus salvo utriusque argumento, ad hunc Librum accommodari potest. Professus fuerat s. Lucas, 1, 1—4. se omnibus inde a prima origine diligenter examinatis, res Christi ordine voluisse tradere; ut Theophilo de certa veritate eorum quae didicerat constaret. Peracto hoc opere, aliud aggreditur Theophili nomine inscriptum; nonne igitur sponte intelligitur, eadem mente d. Lucas ad posteriorem accessisse Librum, quam in prioris testabatur prologo.

testibus. In promtu est, narrationem d. Lucae, ad eum usque locum, ubi subsisteret[1], pervenire non potuisse: ante finem anni secundi captivitatis d. Pauli romanae primae; annumve insequentem. Silet s. Lucas de martyrio d. Pauli; unde illo tempore quo commentario suo extremam manum admovit, Apostolum in vivis fuisse, recte concluditur. De s. Paulo a Nerone extremo supplicio affecto, sine dubio non tacuisset d. Lucas. Post vastatas demum Jerosolymas Actus absolutos; nullo idoneo argumento probari potest[2]. Cum denique s. Lucae apud d. Paulum captivum Romae versanti, et otium suppeteret; et varii generis praesidia ad manum forent, licet omnino[3] summa cum verisimilitudine colligere: ipsum tunc in eadem urbe Actus conscripsisse, atque Romae ut depositum fidei christianae reliquisse. Haec si vere disputata sunt, profecto Actus quam maxime lectione scituque sunt necessarii[4]. Quare publice recitatus est hic Liber ab olim in Ecclesiis, a tempore Paschae usque ad Pentecosten[5].

---

[1]) C. 28. v. 31. [2]) Ex 8, 26. tempus colligi nequit, ut enim bene monuit Wieseler, Chronol. d. apost. Zeitalters. p. 400. n. 1. v. „αὕτη ἐστὶν ἔρημος“ accipienda sunt de via deserta, — duplex enim fuit frequens et deserta — propterea quod Philippus de via, qua ipsi eundum esset, certior faciendus erat. [3]) Cum s. Hieronymo, l. s. c. [4]) Quandoquidem haec Historia quid aliud est quam Evangelii pars, eaque non minima. Siquidem illic describitur, granum frumenti solo conditum, hic describitur, qua ratione optime fuerit enatum, suasque paulatim aperiens ac proferens opes sistitur. Quod ni per Lucam cognovissemus, quibus modis Christus reliquerat terras; ubi, quo loco, quando advenerit promissus ille Spiritus, quibus initiis coeperit Ecclesia, quibus pollnerit, quibus creverit rationibus, nonne bonam Evangelii partem ignorassemus. Sic Erasmus, N. T. Op. VI, 433. [5]) Teste s. Chrysostomo, in princip. Act. 4, 85. s. „Quod igitur Dominicae resurrectioni maximam fidem facit, hoc statim post crucem et vitae largitricem resurectionem Patres legi statuerunt. Hanc igitur ob causam dilectissimi, statim post crucem et resurrectionem miracula legimus apostolorum, ut manifestam et indubitatam resurrectionis probationem habeamus.“ n. 6. p. 90. Paria habet Euthalius, Actuum apostol. et XIV. s. Pauli aliarumq. VII. catholicarum ep. ed. Rom. 1698. c. A. Zacagnio ed. in Coll. mon. v. E. g. p. 443. Eundem morem in Ecclesia Latina observatum, apparet ex S. Augustini Ep., in Joann. Evang. c. t. tract. VI. num. 18. p. 337. „Actus Apostolorum testes sunt, ille liber canonicus omni anno in Ecclesia recitandus. Anniversaria solennitate post Passionem Domini nostri librum illum recitari.“ Hic forte et id non displicebit annotasse, Actus Apostolorum dari apocryphos; qui quidem non tam ecclesiasticis traditionibus complendis, quam haeresibus stabiliendis inventi, fictaque apostolica auctoritate inserviebant. D. h. v. Comm. de S. S. e. interpretatione s. l.

Digressio, de recentiorum quorundam sententiis circa consilium l. Actuum A., earumque falsitate. Quod divo Lucae in exarandis Actis A. dedimus consilium; id oppositum est variis recentiorum interpretum sententiis. Proxime superiori aevo Actuum scriptoris consilium accuratius expendere voluit Königsmann, de fontibus commentariorum sacrorum qui Lucae nomen praeferunt, deque eorum consilio et aetate. Alt. 1798. rep. in Pott, syll. comm. theol. Helmst. 1801. III, 231. Non uno vero haec exercitatio laborat vitio. Idem suscepit Paulus, commentatione, de consilio quo scriptor in actibus apostolicis concinnandis ductus fuerit. Jen. 1794. et in Introd. N. T. cap. sel. p. 283. s.; qua statuit esse „historicam Pauli a superstitione iudaizantium alienissimi apologiam.“ p. 298. Frisch, diss. de ratione dicta factaque Jesu et Apostolorum commemorandi, qua Lucas in utroque Commentario usus est, in Rosenmüller, comment. theol. I. 1, 325. s. scribit „constat Lucam cum Pauli causam contra adversarios et obtrectatores defendere vellet, maius sibi aliquid proposuisse, idque ut Judaeis et Judaeochristianis persuaderet de maiore Jesu Messiae dignitate, quam qua Moses ipse gavisus esset, de divina N. F. initiatione deque Dei voluntate ut omnes omnino homines evangelicae salutis participes fiant.“ Recentissimi quid ea de re sentirent interpretes, quia nimis longum foret audire singulos, intelligere compendio licebit. Ex his unius eorum disertissimi, quem longo agmine theologi maxime inter se dissidentes sequuntur, coniecturam adscribamus. M. Schnekenburger, in opere: über den Zweck der Apostelgeschichte, zugleich eine Ergänzung der neueren Commentare. Bern. 1851. p. 49. s. de consilio Actuum sic disputat: liber iste nihil est nisi Pauli defensio contra adversarios eius Christianos ex Judaeis ortos, eaque hac mente suscepta, ut horum odio et inimicitia iniurias sibi illatas esse ostenderetur. Deinde totam narrationem a s. Luca sic institutam esse, ut Paulum Petro, et in miraculis perficiendis, et in omni vita vitaeque honore parem fuisse, appareret. Inventa est haec sententia quidem a Baur, Tüb. Zeitschr. 1838. III, 143., repetita ab eodem: Der Ap. Paulus p. 95. Vorles. ü. Neutest. Theol. ed. F. F. Baur. Lips. 1864. p. 331. s.; Schnekenburger vero opinionem hanc exornavit et defendit, quia difficultates ex libri indole ac natura profectae, ipsi hac una via inita solvi posse videbantur. Placuit haec hypothesis plus minusque H. Thiersch, die Kirche im apost. Zeitalter. Erl. 1852. p. 95. A. Schwegler, das nachap. Zeitalter. Tüb. 1846. II, 74. s. Zeller, die Apostelgesch. in ihrem Inhalt u. Ursprung kr. unters. Stuttg. 1854. p. 322. Hilgenfeld, Paulus und die Urapostel, in ephem. f. Wiss. Theol. 1860. II, 101. s. III, 205. s., aliisque pluribus. Sed hoc commentum d. Lucae non minus, quam s. Paulo derogat. Historiarum scriptori, qui sibi fidem dari postulat, cautum esto res non simpliciter prouti gestae sunt enarrare; sed unius personae parti totum se tradere, Apologiae vero a discipulis susceptae, plerumque suspicionem movent advocato virum indiguisse; nec sibi ipsum sufficere potuisse. Illud igitur consilium si habuisset divus Lucas, sibi et s. Paulo non profuisset, sed obfuisset. Accedit fundamentum huius opinionis attenta Libri lectione penitus elevari. Enimvero constat, ut Christus s. Petrum Ecclesiae visibile caput constituit; ita illum in Actis non tam dici, quam demonstrari supremum gregis dominici pastorem. V. p. 317. s. Accedit per totum Actuum contextum s. s. Petrum et Paulum non inter se; sed cum divinissimo Magistro, qui similia patraverat, conferri. V. 5, 15. 19, 12. Totum hoc recens commentum ita conformatum est, ut plurima e rebus

incertissimis, fere diceres nugis, superstruat. Cum veteres aureum Actuum opus iuste miris celebrant laudibus; horum dierum scriptores quis plura s. Lucae peccata probro vertere, quis propter ea, quae aut scripserit aut omiserit malitiosius et odiosius eum reprehendere possit, inter se certant. Copiose de his aliisque nostri temporis παρερμηνείαις, que non sine fastidio legi possunt, disputant: G. Meyer, Apostelgesch. Einl. p. 8. s. A. Maier, in ann. Frib. theol. Zeitschrift. VI. 1, 82. s. XIX. 1, 36. s. Ebrard, wiss. Kritik p. 695. E. A. Schwanbeck, über die Quellen der Apostelgeschichte. Darmst. 1847. p. 94. s. Hergenröther, de Cath. Eccl. primordiis p. 4. s. G. Secchi, la Catt. Aless. di s. Marco p. 162. s. E. Lekebusch, die Composition u. Entstehung der Apostelgeschichte. Gotha 1854. p. 236. s. Schaf. Geschichte der ap. Kirche p. 593. s. Ranke, de libris hist. N. T. p. 24. s. P. H. Mertian, S. J., de la valeur historique des Actes des Apotres, in Etudes rel. hist. et lit. Par. 1862. p. 577. Refutantur et convelluntur istae sententiae cumprimis ex Libri argumento, quod cuiusmodi sit historiarum nostrarum series docuit. Postquam — ut paucis summam rei in memoriam revocemus — Christi in coelos reditum, promissamque in eius discipulos effusionem Spiritus S. narraverat scriptor; refert quam accommodate ad D. N. J. Ch. voluntatem Ecclesia orta, maximis subito incrementis aucta et stabilita fuerit. Huius vero fata primum Jerosolymis atque in Judaea, deinde in Samaria, post inter alienigenas tradit. Concedendum tamen est, quod supra iam concessimus, s. Lucam exactam saeculi apostolici historiam elucubrari noluisse. Hoc inde manifeste patet, quod multa quae in Pauli epistolis leguntur, silentio praetermittantur in Actis Ap.; porro tacet s. Jacobum a Judaeis morte affectum; neque mentionem facit haereseon, quas tamen exstitisse Apostolorum literae testantur. Sed ad unum omnia proferre, nullo modo ei necessarium fuit. D. Aberle, qui in dissertatione peculiari eaque satis ampla — Theol. Quartalschrift. Tüb. 1855. über den Zweck der Apostelgesch. p. 137. seq. — doctrina sagacitatisque plenissima, de hac re commentatur, consilium libri in vindiciis ponit religionis christianae, quoad eas relationes attinet, quibus ceu institutio externa cum Judaeis et magistratu romano in contactum veniebat; ita ut Judaei accusatores, Romani iudices fuerint. Proxime autem s. Lucam inservire voluisse defensioni d. Pauli contra capita criminationis Romae Plura l. in Protheoria n. 19. et 20.

§. 86. Epistola ad Ephesios.

S. Paulus Apostolus praevidens spiritu prophetico periculum quod Ephesiis a falsis doctoribus imminebat [1], neve pudore vinculorum, quibus Romae pro Evangelio tenebatur, a fide et pietate declinarent: impulsus suo in Ephesios amore, has dedit ad illos literas. In istis quidem praecipua mysteria religionis christianae et perfectae vitae praecepta, tam subtili scribendi modo exposuit:

[1]) Coll. Act. 20, 29. 30. V. H. N. T. p. 378.

ut communi interpretum iudicio e ceteris Apostoli epistolis una sit, et verbis et sensibus maxime involuta. Dogmatica parte epistolae [1], s. Paulus Ephesios hortatur ad constantiam fidei [2]. Eloquio quodam exuberanti totam Salutis, quae contigit nobis Oeconomiam pandit. Ubi ponit effectus redemtionis, qui sunt: gratia sanctificans, filiatio adoptiva, peccatorum remissio, et per consequens gloriae aeternae adeptio [3]. Ut vero intelligerent lectores differentiam inter conditionem priorem, a qua vocati fuerint ad praesentem; comparationem instituit status infidelitatis et fidei; ut ex hac discerent: quod multum tenentur Christo esse grati, per quem translati sunt ab illo statu ad istum [4]. Quapropter ait [5]: se devotissimam fundere orationem, in qua postulat a Deo; ut det Ephesiis virtutem fidei illum in finem, ut amore corroborati plenitudinem donorum Spiritus S. consequantur [6].. Ad morum accedens doctrinam, Ephesiis regulas impertitur ad vitam bene instituendam. Monet eos imprimis ad unitatem Spiritus [7]. Jam aliis

---

1) C. 1—3. 2) Dicta, ea qua solet ratione, salute lectoribus 1, 1. 2., pii gratissimique animi motu fertur Apostolus, ut laudibus Deum celebret; propterea quod Ephesiis augustissima quaeque beneficia per Christi religionem obvenerant. 3) Idcirco se non desinere pro iis gratias agere, atque simul precari, ut habeant illuminatos oculos mentis ad cognoscendum: quantam haereditatem sint nacti, quali potentia Deus erga fideles vigeat, eadem plane ratione qua viguerit erga Christum: quem in vitam revocaverit a mortuis, revocatum autem in coelos evexerit, cui omnia subiecit; quem caput dedit Ecclesiae, quae est corpus eius et plenitudo πλήρωμα, in quam sic iugiter influit, ut ad finem usque foveat, novisque incrementis locupletet. 1, 3—23. 4) Etenim differunt sicuti vivum et mortuum. Nam status paganismi 2, 2. s. est status mortis, propter peccata in quibus vivunt gentiles; status autem fidei est status vitae, propter gratiam qua convivificavit nos Deus in Christo, et conresuscitavit et eduxit in coelos. Cessare discrimen inter gentiles ex una parte, et Deum ac populum testamenti ex alia parte. Cf. J. Chr. Dares, de pariete intergerino per Christum destructo in Th. n. p. 918. s. Qui enim prius fuerant alieni a Deo et extranei, per Christum facti sunt propingui et domestici; non esse eos dicit amplius hospites et alienos; sed cives eodem iure fruentes superaedificatos in domo, supra fundamentum ab Apostolis et prophetis iactum, quae Christo tanquam angulari lapidi incumbit, in quo copulatum totum aedificium crescat in Templum Domini sacrosanctum. 5) 3, 1. 6) Recurrit ad Deum Patrem, ut suppleat preces pro illis susceptas. Huic autem sententiarum contextui s. Paulus plura alia interseruit 3, 2—13., de seipso et munere sibi credito; ubi et hortatur eos ne affligantur quod pro Christo in vincula datus fuerit Apostolus. 7) 4, 1—16. Omnes Christi fideles unum tantummodo corpus

quidem alia obtigisse charismata [1], sed unitati propterea nihil derogari, quoniam haecce donorum munerumque diversitas inservire debet ad adiuvandum corpus Christi mysticum; usque cum nos omnes ad fidei cognitionisque unitatem perveniamus [2]. Loquitur deinde de diversis virtutibus: humilitate, mansuetudine, castitate et patientia [3]. Porro singulos homines [4] — uxores, maritos, parentes, proles, dominos, servos — officii quosque sui diligenter commonet.

---

efficere, una spe omnes vocatos esse, unum esse omnium Dominum, unam fidem, unum baptisma, unum Deum omnium et Patrem. Cum ascenderet Christus in coelum post suam resurrectionem, cepit ab hoste diabolo omnes electos, quorum animae tunc in lymbo captivae detinebantur, coll. Ps. 67, 19. et abduxit secum ad coelos; reliqui continuato quasi agmine sequuntur usque ad finem saeculi. V. H. R. D. N. T. p. 178. Omnes universi regiones, imam, summam et mediam perambulans, iure suo tanquam Dominus. Ex quo contextu 4, 8—10. patet quam inepte Ubiquitarii — quorum sententiam probat H. G. Hoelemann, Bibelstudien. Leipz. 1860. II, 127. — ex hoc loco colligant: Christi corpus esse ubique, non minus quam eius divinitatem.

[1]) Quae enumerat I. Cor. 12, 28. Hic autem 11, 12. ea sibi commemoranda duxit, quae data fuerant principalibus Ecclesiae membris ad eius aedificationem. Meminit Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Pastorum, Doctorum; non tamen erat Paulo propositum omnes Hierarchiae ecclesiasticae gradus recensere, nec fuit proinde necesse meminisse Primatus s. Petri. [2]) 4, 11. s. Ut tunc non simus amplius imperiti, qui vacillent omni vento doctrinae in ludo hominum; sed ut tenaces veritatis in amore crescamus ad eum, qui caput sit Christus, e quo totum corpus, coniunctum variis partibus, quae suum quadque efficiant, promoveatur ad aedificationem ipsius in caritate. [3]) Revocat iterum 4, 17—24. Ephesiis in memoriam, quales fuerint antea gentiles, cum vitiis dediti veteri homini servirent, qualesque modo oporteat esse a peccato purgatos et novum hominem induentes. Propter quod dicit 4, 25. — 5, 2. sermo eorum sit verus, affectus irae moderandi, furtum vitandum, eleemosynae elargiendae, virtus benignitatis servanda in corde et ore ad exemplum Christi. Immunditia atque impudicitia, stultiloquium atque scurrilitas, haec vitia tantopere esse fugienda; ut ne nomine quidem sint fidelibus cognita, potius sectandam esse gratiositatem. Sciant enimvero, quod si aliquis istis flagitiis indulgeat, talem profecto non futurum esse regni divini participem. Ne falli se patiantur, si qui aliter de his rebus loquantur, revera propter haec vitia iram Dei exardescere. Cum officium lucis sit, aliam lucem manifestare, ipsos luce doctrinae et exempli debere manifesta facere opera turpia gentilium, ut ignorantes forte convertantur. Itaque quoniam dies mali sunt, caute et circumspecte versentur. Fugiant ebrietatem et intemperantiam, sed et operam dent sobrietati, contemplationi et laudibus Dei. 5, 3—20. Cf. J. Z. Hilliger, de Psalm. hymn. atque od. s. discr. in Thes. n. p. 935. s. [4]) 5, 21—6, 10.

Unus alteri se subiiciat in timore Christi [1]. Ad extremum Ephesios tanquam ad militiam Christi adscriptos, armis instruit spiritualibus — cingulo continentiae; lorica iustitiae; scuto fidei; gladio spiritus; galea salutis. — adversus insidias diaboli; qui minatur subvertere credentes a fide et a moribus [3]. Orarent, implorat Apostolus pro omnibus, qui in eadem acie stant, cum ipsis adversus communem hostem et pro se Paulo; ut vel in vinculis robur atque Evangelii annunciandi virtutem a Domino consequatur. Tychicum de se quid gerat, quomodo se habeat fideliter relaturum, commendat; atque duplici precatione finem literis imponit [4].

Digressio, sistens argumenta, quibus probatur „Epistolam Ephesiis" fuisse scriptam a divo Paulo. Epistolam hanc non fuisse Ephesiis inscriptam, ex praetensa νοθείᾳ I. v. 1. „τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ", praeter rem multi recentiorum existimant. Longam interpretum seriem, qui ut suam opinionem de Epistola encyclica firmarent, lectionem „ἐν Ἐφέσῳ" infringere conati sunt, dabit G. C. A. Lünemann, de epistolae quam Paulus ad Ephesios dedisse perhibetur authentia, primis lectoribus, argumento summa ac consilio. Gott. 1842. p. 43. Cum ab authentia harum vocum imprimis pendeat sententiae veritas: epistolam hanc Ephesiis reapse fuisse datam; operae omnino pretium fuerit, aliter sentientium rationes examinare. Has voces in antiquis exemplaribus non legisse dicunt S. Ignatium l. i. c., Tertullianum, adv. Marc. V, 17. p. 303., S. Basilium, adv. Eunomium II, 19. I, 254. 5. et S. Hieronymum, ad Eph. 1, 1. VII, 545. Ast nos quidem opinionis, quae sumitur, ne vestigium quidem apud s. Ignatium l. c. reperimus. Tertullianus vero aperte ad veritatem i. e. traditionem ecclesiasticam ipsa in-

---

[1]) Uxores servent ad viros virtutem reverentiae, quam habet Ecclesia ad sponsum suum Christum; viri autem diligant uxores suas, quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam, atque pro ea se tradidit in mortem, quod maximae dilectionis fuit signum. Subdit matrimonium viri et feminae, esse signum magnae rei sacrae si referatur ad Christi et Ecclesiae coniugium per amorem et incarnationem. Unde coniuges mutuo se diligere iubet. Liberi vero obsequantur parentibus. Probat hoc per mandatum Dei, quod est primum, cui additur repromissio Exod. 20, 12. Parentes sint benevoli, neque fiant prolibus asperi, sed educent eas ratione vere christiana. Servi obediant Dominis animo religioso et fideli. Perpenderent Christum remuneraturum esse bonum quodcunque aliquis praestitit, sive servus sive liber sit; domini autem sint humani et tolerantes, reputarent secum quod communem habeant in coelis Dominum, apud quem non est acceptio personarum. [2]) 6, 10—20. [3]) Sint igitur expediti eo quod succincti veritate induerint loricam iustitiae, assumserint praeterea scutum fidei, galeam salutis atque gladium spiritus, quod est Verbum Dei scriptum ac traditum, quo docemur quid sequendum, quid fugiendum. Addit non tamen satis esse militem bene armatum incedere, sed etiam animo et viribus indiget ad pugnandum, illud vero a Deo impetrandum esse. [4]) 6, 21—24.

scriptionis forma confirmatam provocat; idque contra Marcionem, Laodicenos in locum Ephesiorum substituentem, urget. Remanet s. Basilius, ad cuius verba: „Sanctis qui sunt et fidelibus in C. J. Sic enim et qui ante nos fuerunt tradiderunt et nos in antiquis exemplaribus legimus;“ observamus: 1. S. Basilius non dicit defuisse verba „ἐν Ἐφέσῳ“, quod omnino fuisset dicendum. 2. Voces has ideo non addidit, quoniam initio suae argumentationis scripsit: „Sed et Ephesiis cum scriberet, eos per excellentiam nominavit ἰδιαζόντως“. 3. Usus est s. Basilius codice mss., in quo art. τοῖς ante οὖσιν deerat, tamquam qui argumentandi suae rationi ingeniosae faveret. 4. Si s. Basilius eo quod Critici statuunt consilio, verba illa controversa omiserit, tanquam in antiquis exemplaribus praetermissa; mirum omnino est, quod codices omnes qui aetatem tulerunt, versiones item antiquissimae, latina, syriaca, persica, arabica, aethiopica, lectionem hanc exhibeant? Desunt quidem in cod. B. et LXVII. Sed quoniam ab eodem, qui totum mss. Vaticanum exaravit teste Hug, de antiq. cod. Vat. Frib. 1810. p. 26. — cui inspicienti et diligenter exscribenti cur fides propter Tischendorfii negationem in ann. St. u. Kr. 1847. p. 133. derogetur, nulla est causa — „in margine pari elegantia et assiduitate ac reliqua pars operis“ sunt addita; codex vero 67. ad summum s. XII. sit tribuendus: unanimis testimoniorum consensus pro lectione „ἐν Ἐφέσῳ“ testatur. S. Hieronymum, l. c. S. Basilio adversari, fatetur eruditissimus editor Oper. Bas. Jul. Garnier, l. c. „Et vero Hieronymus Basilium petere videtur atque sententiam eius confutare.“ Sed omissio verborum saepefatorum, reiicienda est etiam propter argumenta interna; etenim non potuerunt viri docti aliter sentientes lectionem hanc explicare, ut s. Paulo conveniat. Cf. I. Cor. 1, 2. II. 1, 1. Rom. 1, 7. Philipp. 1, 1. Novissime Meyer, d. Br. a. d. Ephes. Einl. p. 1. s. Harless, Comm. ü. d. Br. P. an die Eph. ed. 2. Stuttg. 1858. Einl. p. 1. s. Reuss, die Gesch. der h. Schr. p. 102. lectionem receptam erudite vindicandam susceperunt. Idem iam olim praestitit J. Lenfant, in Bibl. sel. J. Clerici, XVI, 301.

Literae quae in Canone Divinarum Scripturarum N. F. „ad Ephesios“ missae perhibentur, ita sunt comparatae; ut illud luce sit clarius: voluisse scriptorem Paulum haberi Apostolum. Nam diserte nomen eius non solum statim ab initio legitur 1, 1. verum orationi etiam 3, 1. inseritur; ubi et vinctus Christi Jesu adpellatur coll. 4, 1. 6, 20., atque is esse dicitur, cui mysterium illud creditum est: gentes aeque ac Judaeos esse cohaeredes promissionis. 3, 3. s. Sed sententiae quoque prorsus sunt Paulinae, non minus scribendi ratio quae ut subtiliter monuit Chrysostomus, argum. XI, 2. „ὑψελῶν σφόδρα γέμει τῶν νοημάτων καὶ ὑπερόγκων.“ Ab antiquissimis autem temporibus, quod a Paulo ephesia scripta sit epistola, una erat vox omnium. Praeter s. Ignatium M. d. q. i., iam etiam s. Polycarpus, allegat eam ad Philipp. n. 12. coll. Ephes. 4, 26., idem facit s. Irenaeus, additis verbis „πρὸς Ἐφεσίους,“ adv. haer. V. 2, 3. p. 719. et 14, 3. p. 756. Clemens A., Strom. IV. citat Ephes. 5, 21. s. praemittendo „ἐν τῇ πρὸς Ἐφεσίους γράφει.“ p. 592. Valentiniani, aqud Hippolytum, refut. omn. haer. VI, 34. ed. Duncker, p. 284. attexun Eph. 3, 14. 16 — 18. Origenes, de princ. III, 4. ed Lomm. XXI, 349. et apud Cramer, Caten. in S. Pauli ep. Oxon. 1842. p. 102 s. Tertullianus, u. i., Novatianus, de Trin. c. 25. ad edion. Tert. Pam. Col. 1677. p. 738. Unde Eusebius, H. E. III, 25. p. 97. summo iure illam inter „τὰ ὁμολογούμενα“ retulit. Quamvis enim non desint, qui γνησιότητα harum literarum in dubium

vocent, temere tamen et nullis idoneis, ad id dicendum moti, causis hoc faciunt. Adversarii authentiae sunto: De Wette, Einl. p. 313. s. Schwegler, nachap. Zeitalter. II, 330. s. Baur, Paulus p. 418. s. Ewald, Sendschr. d. Ap. Paul. praef. p. 12. B. Weiss, Petrin. Lehrbegriff. Berol. 1855. p. 426. Weisse, philos. Dogm. Leipz. 1855. I. p. 146. Hos attamen interpretes qui Scepticismum exegeticum invehere et provehere omni modo conantur, refellebant: Meyer, der B. a. d. Eph. ed. III. Einl. p. 25. s. Räbiger, de Christologia Paulina. II, 42. Harless, Einl. p. 66. s. Bleek, Einl. p. 450. Reuss, l. c. p. 104. A. Kloepper, de origine epistolarum ad Ephesios et Colossenses a Criticis Tubingensibus e Gnosi Valentiniana deducta. Gryphiae. 1853. p. 8. s.

Sed etiam male quidam sumunt *epistolam hanc fuisse ad plures Asiae Ecclesias quasi encyclicam* datam. Quod encyclica fuerit, ideo sumendum esse putarunt; quia sic optime naturae et indoli epistolae respondeatur. Nam cum Ephesiis arctissimo fuerat d. Paulus amoris familiaritatisque coniunctus vinculo, in lectores Ephesios non quadrare 1, 13 — 16; ubi Apostolus ait: se quod paulo ante Christi fidem susceperint, audiisse. At nihil inde sequitur, non enim solum recepisse dicuntur Evangelium; sed postquam credidissent, signatos esse Spiritu sancto, atque sic in fide et caritate permansisse. Hoc ipsum s. Paulus, Romae per nuntium intelligens, magni beneficii loco habebat; pro quo et gratias agere Deo, et ut perpetuum esset, precari non desistebat. Cf. Gal. 3, 4. II. Cor. 6, 1. Sed admonitiones 2, 11. 13. 19. 3, 1. 2. 4, 17. videntur datae esse ad Ethnico-Christianos; Ephesiorum autem Ecclesia haud minori numero ex Judaeis constitit. Porro istud argumentum decretorium adpellant contra eos, qui defendunt, epistolam ad Ephesios solos, quos s. Paulus instituerit datam. Largiamur l. c. Apostolum Ethnico-Christianos alloqui; id propterea fecit, ut de dignitate aequali, qua Ethnico-christiani cum Judaeo-christianis censendi essent, dicere possit. Deinde tamen et talia commemorat, quae in Judaeos cadunt. E. g. 1, 9. 10. 2, 3. 20. s. 3, 6. s. Ad muneris autem sibi crediti memoriam, apud alios quoque et speciatim Romanos, apposite excitavit lectores. 3, 2. Ast levibus quas pro charactere Epistolae huius encyclico adferunt coniecturis — e. c. A. Bisping, Exeg. Handb. z. d. Br. d. A. P. Münst. 1855. II. 2, 9. —, repugnant ea; quae in hac ad Ephesios proprie spectare dignoscuntur. Videlicet de rerum magicarum studio 2, 2. 5, 11.; de effraeni morum licentia 4, 19. 5, 3. s.; de philosophorum praeposteris doctrinis 5, 7.; quae cuncta ad Ephesios pertinere caret dubio. V. p. 380. Unde et s. Ignatius M., in ep. ad Eph. 12. eos vocat: Pauli symmistas, qui tota epistola memor eorum esset in Christo Jesu. Op. ed. Hefele p. 176. Cf. et inscript. ep. p. 155. Mirum porro non est, quod Apostolus ad Ephesios scribens, nil quidquam eorum quae se praesente Ephesi gesta sunt; imo nihil eorum quae Romae agerentur, commemorarit. Quod enim ad prius attinet, non indicavit id expedire; posteriorum vero non meminit, quia Tychicus, ad quem provocat 6, 21., exponere omnia disertius poterat. Quae sententiae de scripta ad Ephesios obiectiones et dubia opponuntur, solvi possunt. Plura dabunt J. C. Wolf, cur phil. ed. II. p. 6. s. N. Morus, acroases in ep. P. ad Gal. et Ephes. Lips. 1795. p. 279. s. G. Fr. Rinck, d. Sendsch. der Cor. an d. A. P. u. d. III. Sendschr. P. a. d. Cor. Heidelb. 1823. p. 31. s. J. Fr. Wurm, in ann. Tüb. Zeitschr. f. Th. 1833. I, 97 s. Harless, l. c. p. 54. Meyer, l. c. p. 13. s. Wieseler, Chronologie d. apost. Zeitalters, p. 443. s.

Sunt et viri docti, qui hanc epistolam Laodicenis potissimum destinatam, quin et qui Laodicenis speciatim inscriptam esse opinantur: Usserius, de epist. ad Laodic. diss., in Hist. dogm. de Script. c. s. v. Lond. 1690. p. 300. s J. Millius, proleg. N. T. ed. Küster. p. 8. s. p. 77. s. Vitringa, diss. s. ed. Venema Franeq. 1731. p. 247. J. M. Wuerffel, epist. ex Laodicea in Encycl. ad Ephes. adservata. Erl. 1751. G. Paley, horae Paulinae, ed. Henke. Helmst. 1797. p. 214. s. J. J. Wetsten, N. T. Amst. 1752. II, 238. Holzhausen, Br. d. Ap. P. an die Ephes. Hann. 1833. p. 13. s. Raebiger, Christologia Paulina II, 48. R. Anger, ü. d. Laodicenerbrief. Leipz. 1843. p. 126. s. Bleek, Einl. in d. N. T. p. 457. s. Hoc quidem sub titulo dicunt exstitisse in catalogo S. S. Marcionis; atque hanc esse illam ipsam, cuius s. Paulus, Coloss. 4, 16. meminerit. Quae autem isti viri attulerunt argumenta in utramque quaestionis istius partem, talia sunt visa plerisque, ut assensum impetrent. Lünemann, de ep. P. ad Ephes. p. 46. s. et Wiggers, in ann. Stud. u. Krit. 1841. p. 412. hanc epistolam contendunt: non ad solam Ecclesiam ephesiam datam, sed et ad alias quae huic vicinitate locorum et necessitate fuerant coniunctae. Haec sententia neque argumentis internis neque externis gaudet. Etenim cogitari nequit Apostolum simul atque ad plures scripsit, consilium suum reticuisse. Quae cum ita sint rerum necessitate coacti, neque circulares, neque ad Laodicenos datas literas, sed ad Ephesios fateantur oportet. Scientia ipsa iubet, ut viri undecumque doctissimi in contrariam opinionem non coniecturas, sed argumenta quae rem conficiant adferant.

§ 87. In Epistolam ad Philippenses.

Postquam primo statim captivitatis Romanae anno nuncium de vinculis Apostoli ad Philippenses; ab his vero caritatis munus Urbem pertigerat: Paulinae literae per Epaphroditum Philippensibus missae fuerunt. Praemissa salutatione, declaratoque impensissimo suo erga Philippenses amore [1]: eosdem edocet, vincula quae Romae gereret Evangelio plus prodesse, quam obesse; et quamquam sibi optabile videatur, ut moriendo mox ad Christum veniat, confidit tamen fore, ut propter rem christianam periculo capitis eripiatur, iterumque Philippensibus reddatur [2]. Deinde flexa ad cohortationem oratione verbis ad movendum aptissimis monet, adinstar sui fortiter in fide standum esse [3]. Tum hortatur ad concordiam, caritatis mutuae aliarumque virtutum matrem atque nutricem; deinde erigit mentes omnium ad illustre exemplum Christi Jesu, qui cum in forma Dei esset, sui veluti oblitus, semetipsum

---

[1]) 1, 1—11. [2]) 1, 12—26. [3]) 1, 27—30.

exinaniverat, formam servi acceperat humanam naturam assumendo; in eaque perfectissimum praebuerat humilitatis exemplar, cum non dubitasset obedire praecepto D. Patris maxime arduo, de subeunda morte ignominiosissima[1]. Quia autem Christus ita se humiliavit; hinc vicissim Pater reddens illi congruum tantae obedientiae praemium, exaltavit Filium.[2] Porro commune secum vinculorum haberent gaudium; praeclare enim agi cum Apostolo, si suo sanguine veluti libationem addere possit sacrificio, quod Philippenses fide sua Deo offerunt[3]. Spem facit rursus adventus sui. De Timotheo nunciat, se constituisse eum mittere, per quem res Apostoli cognoscant; in praesentiarum vero Epaphroditum ideo misisse ait, ut laetarentur de eius recuperata valetudine[4]. Interea de unius Christi communione gavisi, vitarent homines iudaizantes; qui captata e vinculis Pauli occasione Judaismum suadebant Philippensibus. Veram iustitiam non a Lege, sed a fide esse repetendam[5]. Nunc duabus matronis Evodiae et Syntychae concordiam in peculiari commendat, et quendam muneris sui socium provocat, ut iis

[1]) 2, 1—9. Quam diversa ratione effata huius periochae exponere instituerint interpretes v. apud: Lakemacherum, Observ. phil. VII. 2, 135. s. C. M. Pfaffium, de exinanitione et exaltatione C. Tub. 1727. T. J. A. Schütz, prol. qua var. int. l. c. ad. Philipp. 2, 6—11. exp. Weissenfels. 1776. J. C. Kesler, obs. in ep. P. ad Philipp. in Thes. n. II, 957. Keil, in opusc. acad. p. 173. s. Stein, in ann. Stud. u. Krit. 1837. p. 165. s. Hoelemann, Comm. p. 123. s. Wessel Alb. van Hengel, comm. perp. in ep. Pauli ad Philippenses. Lugd. B. 1838. p. 137. s. Tholuck, disput. christolog. de loco Paul. ep. ad Phil. c. 2, 6—9. Hal. 1848. p. 12. s. Ernesti, in ann. Stud. u. Krit. 1848. p. 858. s. 1851. p. 595. s. Lünemann, l. i. c. p. 7. s. B. B. Brückner, l. i. c. p. 14. s. app. disp. de Christi praeexistentia Paulo probata p. 48. s. Raebiger, Christol. Paul. II, 76. Meyer, Comm. p. 56. s. A. Wiesinger, d. B. d. Ap. P. an die Philipp. Kön. 1850. p. 68. s. Kähler, in ann. Stud. u. Krit. 1857. p. 99. s. J. Th. Beelen, comm. in ep. S. Pauli ad Philipp. Lovan. 1852, p. 58. s. Weiss, d. Philipp. Br. ausg. u. d. Gesch. s. Auslegung krit. darg. Berl. 1859. [2]) V. p. 179. Remuneratione Christi, quae obedientiam eius secuta est, collaudata; Philippenses excitat, ut sicut semper hucusque Christum imitati iussis divinis obsequebantur, ita porro studerent per obsequium Deo praestitum sollicite suam operari salutem: ut integritate sua et simplicitate tanquam lumina in tenebris luceant, sibique causam afferant gloriandi ad iudicii diem. 2, 10—16. [3]) 2, 17. 18. [4]) 2, 19—30. [5]) Multis recenset, quid ipse olim sectatus sit, et quid nunc sectetur. Sequidem in stadio vitae christianae ad propositum praemium graviter currere; imitentur ipsum eosque, qui vitam instituunt ad exemplum, quod d. Paulus illis praebuisset; pseudodoctorum vivendi rationem carnem, suam vero spiritum sapere. Hos seductores observent, ne a Christo discedant. c. 3—4, 1.

opituletur [1]. Ita ab universis ad singulos transgressus videtur; sed tanquam e diverticulo in viam redit, et lectores in genere motivis efficacibus ad conversationem coelesti civitate dignam instituit [2]. Nec liberalitatem Philippensium praetermittere volens, gratias iis agit pro dono quod accepit. Denique ipsis bona veri nominis precatus, laudatione Dei et salutatione literas claudit [3]. Faciliori oratione, atque animo magis tranquillo, hanc inter ceteras exaravit epistolam Apostolus, qua sui amantissimi cordis in Philippenses documenta sane exhibet eximia.

Digressio, de conditione coetus Philippensium. S. Pauli ad Philippenses literas inspicientibus mox patet, Apostolum singulari eos amore animique benevolentia prosecutum esse. — Hoc argumentum diffuse persecutus est J. Hoog spec. acad. inaugur. de coetus Christianorum Philippensis conditione primaeva ex ep. iis ab Apostolo P. scripta praecipue iudicanda. Lugd. Batav, 1825. p. 62 s. — Statim inscriptione praemissa in coetus Philippensis laudes excurrit, atque tenerrimam suam erga illos caritatem blandissimis verbis declarat. Huius amoris effectus erat, quod saepius eorum meminisse solebat, nec non pro eorum salute Deum precibus adire; simul vero ob religionis christianae inter eos incrementa fervidas Eidem gratias agere. Unde et Philippenses adire eorumque consortio frui maximopere desideravit. Qui singulari Apostoli amori dignos se praestiterant Philippenses, iidem Paulum quoque magni faciebant, atque studii sui erga eum prae ceteris documenta dedere luculentissima. A primo inde tempore, quo a. Christi sacra transierant, iam ipsis factis hoc probarunt, Eius legatos summopere a se aestimari, atque eorum necessitati et commodo inservire, primarium sibi esse officium. Coetus Philippensis homines percepta misera rerum Pauli conditione per Epaphroditum succurebant. 4, 10. 11. 18. Quis autem Epaphroditus ille fuerit certo dici nequit. „Ἐπαφρόδιτος“, Venustus, nomen apud Romanos non infrequens — v. Tacitum, Annal. XV, 55. II, 153. Svetonium, Domitiani 15. p. 368. Josephum βίος §. 76. p 39. Inscriptiones ed. Böckh. C. i. 1811. 2562. A. G. Hoelemann Comm. in ep. P. ad Philipp. Lips. 1839. p. 203. minus recte interpretatur Felix. — Plures praeeunte Grotio, annot. in ep. ad Philipp. 2, 25. III, 914. eundem habent cum Epaphra ad Coloss. 1, 7. 4, 12. Philem. 23., sola similitudine nominis ad id sumendum inducti. Tarracinae in Italia episcopum faciunt tabulae ecclesiasticae. Cf. Acta S. S. Bollandi, Mart. III, 369. s. Cfr. p. i. J. G. Heineccium, de ministris Caesarum gentilium christianis. Hal. 1712. p. 13. s. J. A. Siep, comm. de Epaphrodito Philippensium apostolo. Lips. 1741. J. D. Strohbach, de Epaphra Colossensi Lips. 1710. Klotzsch, de occasione et indole ep. ad Philemon. Vit. 1792 p. 7. Philippenses Doctori gentium subsidia allaturi per Epaphroditum u. v. miserunt donum sane insigne. Quid proprie fuerit? non dicitur; quia commemoratione haud indiguit, Philippensibus enim notum erat quodnam miserint munus Verisimiliter pecunias obtulerunt ei Fortunam secundam aeque ac ad-

[1]) 4, 2. 3. [2]) 4, 4—9. [3]) 4, 10—23.

versam, experientia doctus Apostolus, uti et humilem conditionem sic paupertatem tolerare poterat; J. Christo ea omnia subeundi vires Paulo largiente. Etiam si vero talibus non indigeret adiumentis, ut laete atque alacriter munere sibi demandato fungeretur; tamen Philippenses recte fecisse censendi sunt, ysmbolas illas s. Paulo mittentes: utpote qui Apostolum maximi faciebant, quique eius afflictiones minuere omni meliori modo conabantur. Non modicum igitur ex hac Philippensium liberalitate commodum in s. Paulum redundabat, qui ideo nunc sine curis vivendi facultate gaudebat. Omnino vero maius erat lucrum, quod ipsi Philippenses ex illa ferebant; remunerationem qua Deus eorum in doctorem suum amorem abunde compensaret. 4, 17. coll. Hebr. 13, 16. Epaphroditus uti Romam pervenit, omni ardore se totum Apostoli obsequiis impendit; quare neque vitae suae parcens, in gravem morbum incidit. Convalescentem Epaphroditum cum hac epistola, in qua pro acceptis beneficiis gratias ageret, Apostolus ad suos commendatum redire iussit. Utitur autem pro more suo simul opportunitate ad gravissima quaedam religonis capita et praecepta moralia, nec non paterna monita iis tradenda. 2, 25. s.

Hanc excellentem summis a s. Paulo laudibus ornatam Ecclesiae Philippensis conditionem, sequenti aevo haud imminutam testatur S. Polycarpus, ep. ad Philipp. n. 1. ed. Hefele p. 259. „Magnopere congavisus sum vobis in D. N. J. C., quod verae caritatis imagines suscepistis .....; et quod firma fidei vestrae adix, ab antiquis temporibus annuntiata usque adhuc permanet et fructum affert in D. N. J. C.“ Sed et saeculis sequioribus temporibus Ecclesiam et Episcopatum Philippis floruisse novimus. Cf. Tertulliani, de praescr. haer. c. 36. . 25. Socratis, H. E. VI, 18. gr. p. 326. Authentia huius Epistolae sat superque nternis argumentis, quibus externa concinunt, in tuto collocatur. Nostra aetate uidem reperti sunt: Baur, Paulus p. 458. Schwegler, nachapost. Zeitalter II, 33. s., qui scriptorem harum literarum Gnosticum fuisse; proinde a s. Paulo nge diversum praetenderent. Cavillationes autem ab iis prolatas plane refelebant: G. C. A. Lünemann, P. ad Philipp. ep. c. Baur def. Gott. 1847. p. 24 s. . Resch, de l'authenticité de l'ep. aux Philipp. Strassb. 1850. B. B. Brückner, ep. d Philipp. Paulo auctori vind. c. Baurium Lips. 1848, p. 15. s. 81. s. Meyer, omm. p. 4. s. Beelen, Comm. p. 8. s. Tholuck, l. s. c p. 15.

§ 88. Epistola ad Colossenses.

Colossenses, quorum gratia ὁ τῶν ἐθνῶν ἀπόστολος literas exavit, incolae erant illarum Colossarum, quae haud exiguum rygium fuerunt oppidum inter Laodiceam et Hierapolim, prope itum Lyci in Maeandrum sitae [1]. Omnes fere interpretes [2] con-

[1]) Cf. Smith, Septem Asiae eccles. notitia, p. 39. Cellarii, geogr. ant. II, . Mannert, Geogr. d. Gr. VI. 3, 148. s. [2]) Si demas ex antiquis Theodoretum, . ep. ad Coloss. III. 1, 472. C. Baronium, Ann. 60, 14. p. 567., et e recentioribus Schulz, in ann. Stud. u. Krit. 1829, p. 535, s. H. A. Schott, Isagoge h. cr.

veniunt S. Paulum licet Phrygiam bis adierit[1]; tamen numquam Colossas se contulisse[2]: verum etiam discipulum Apostoli Epaphram ἀμέσως constituisse ecclesiam; quem d. Paulus primum et praecipuum vocat[3] Evangelii apud Colossenses ministrum[4]. Ecclesiam Colossensem ex christianis antea ethnicis, coaluisse dubio caret[5]. Ex quo Colossenses Christi fidem susceperunt[6], inque melius mutati essent per Epaphrae ministerium[7], accessit bona Ecclesiae constitutio[8]. Verum ubi pseudodoctores quidam supervenirent, exitiosos spargere coeperunt errores, et reapse plures a sincera doctrina christiana averterunt[9]. Epaphras posteaquam pericula, quae imminerent, cerneret; probe tenuit: salutare ac praesens remedium, quo malis Ecclesiarum mederetur, ab Apostolo gentium esse requirendum. Itaque ἑκουσίως ad divum Paulum in vinculis Romae detentum perrexit; nihil curans Urbem plus quam CCLXX mill. Colossis distare. Romae s. Paulo fide digna retulit, fausta et infausta de conditione harum Ecclesiarum. Nuntiis per Epaphram Laodicensiumque ad se missam epistolam acceptis; eorumque votis, qui miro in Paulum caritatis affectu flagrabant, permotus[10] videtur Apostolus: ut pararet literas ad Colossenses, quas et Laodicensibus recitatas vellet[11], utrisque quippe in eadem discrimina vocatis. Utramque enim urbem pseudodoctores[12] turbabant: Legalia et cultum Angelorum ubique persuadere conati. Vicissim monet Colossenses, ut et epistolae a Laodicensibus ad s. Paulum

---

p. 268. s. Wiggers, in ann. Stud. u. Krit. 1838. p. 165. s. Neudecker, Lehrb. d. h. kr. Einl. p. 513. s. G. Montin, num P. Colossis docuerit. Hels. 1843. Vaihinger, in Herzog, R. E. IV, 80.

1) Act. 16, 6. 18, 23. 2) Coloss. 2, 1. 3) 1, 7. 4) G. Böhmer, Isagoge in ep. a Paulo ap. ad Coloss. dat. theol. hist. crit. Berol. 1829. p. 41. non sine veri specie docet: inter eos „πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν 'Ασίαν", Act. 19, 10. qui Paulum Evangelium annunciantem audivere, versatum esse Epaphram Colossis, haud ita longe ab Epheso remotarum, oriundum. 4, 12. S. Paulo iubente Epaphras iam Christi sectator, reversus Colossas Evangelium annunciavit et coetum collegit. Cf. J. D. Strohbach, de Epaphra Colossensi. Lips. 1710. Neander, Gesch. d. Pflanz. u. Leit. I, 236, s. n. 2. Leon Montet, introd. in ep. ad Coloss. Mont. 1841. J. E. Huther, Comm. ü. d. Br. P. an die Colosser. Hamb. 1841. p. 23. s. 392. s. J. Borlini, exeges. in ep. d. Pauli ad Colossens. Patavii. 1854. p. 6. s. 50. 5) Coll. 1, 24. 25. 3, 5. 7. 6) 1, 6. 2, 6. 7. 12. 3, 1. 3. 7) Qui et in vicinis civitatibus Laodiceae et Hierapoli Evangelii semina sparsisse videtur. 4, 12. 13. 8) 2, 5. 4, 17. 9) 2, 18. V. p. 440. 10) 2, 1. 11) 4, 16. 12) V. p. 447. s.

scriptae exemplar peterent, cum hac ratione suas literas melius intelligerent. Sicuti omnes fere epistolae S. Pauli, ita quae ad Colossenses scripta est, commode bifariam dispescitur, in didacticam [1] atque paraeneticam [2]. Posita inscriptione, ac salute Colossensibus dicta, ait innotuisse sibi per Epaphram, susceptam ab iis alacriter Christi religionem. Gratias agere Deo perpetuas Apostolum pro fide Colossensium, item caritate eorum, quam exercerent erga omnes; coelestem eapropter ipsis manere felicitatem. Traditam autem ab Epaphra doctrinam divinam esse; ideo quod a Paulo et aliis in permagna τῆς οἰκουμένης parte promulgata sit, et quod illic pariter atque inter Colossenses fructus tulerit uberrimos. Testatur cognita ipsorum in se benevolentia, non cessasse Deum optimum continuis adire precibus, ut Colossenses tali affluenter instruat cognitione et sapientia, quam sequuntur virtutes [3]. Gratias agens Deo, quo auctore facti sint participes sortis Sanctorum, quae sita est in lumine [4], sc. fidei in terris et gloriae in coelis; ingressum sibi facit ad id, quod proprie intendit in hac epistola: exponere et confirmare evangelicam de D. N. J. C. Salvatore doctrinam ad haereticorum errores refellendos. Magnifice disputat de excellentia Christi super Angelos. Nos non per Angelos sed per Christum qui est imago Dei invisibilis, primogenitus [5] omnis creaturae [6], — cunctorum prorsus creator etiam angelorum, Redemtor omnium, etiam gentilium, caput Ecclesiae, primatum tenens in omnibus — Deo Patri reconciliari. Deo, inquam, qui et sanguine a Christo in cruce effuso, pacem instauravit inter ea, quae super terram et ea quae in coelis sunt [7]. Quae in genere dixit de omnibus in specie applicat ad Colossenses, quos pariter Christus fecit amicos Dei; non per angelos, sed per semetipsum, nempe morte quam in corpore carnis pertulit; dummodo in fide et caritate

---

[1]) C. 1. et 2. [2]) C. 3. et 4. [3]) 1, 1—12. [4]) J. e. clara Dei visione. [5]) Πρωτότοκος 1, 15., non dicit πρωτόκτιστος primum creatus. [6]) Genitus ante omnes; etiam ante tempus, i. e. ab. aeterno. [7]) 1, 13—20. L. J. A. Ernesti, diss. de coniunctione rerum coelestium et terrestrium, in opusc. theol. p. 441. s. A. Schott, observ. ad orac. Pauli Col. 1, 15—17. Tub. 1769. J. F. Raebiger, de Christologia Paulina p. 51. s. S. Hofmeyr, spec. dogm. exeg. de πρωτοτόκῳ in ep. ad Coloss. 1, 15—20. expos. Trai. ad Rh. 1856. p. 23 s. 113. s.

D. N. J. C. constantes persistant[1]. Caveant sibi a novis theosophorum et iudaizantium commentis[2]. Cur superstitiose colerent angelos, quasi religioni adhuc imperfectae addicti[3]? cum per Baptismum tamen mortui sint, simulque cum Jesu in novam vitam suscitati, appeterent, quae sunt in coelis, ubi Deo dexter assidet Christus[4]. Hoc attendentes, facerent opera novae in Christo vitae[5]. Rediens ad officia omnibus communia, cunctos hortatur ad perseverantiam in oratione[6]. A Tychico huius epistolae baiulo, et ab Onesimo cognoscent, quae circa Paulum Romae agantur. Suas sociorumque[7] salutationes addit. Salutat etiam fideles Laodicenos, imprimis Nympham[8], eamque quae in domo eius congregatur

---

1) Quae fides in plurimas quaquaversum praedicata est regiones. Declarat se per Dei voluntatem constitutum esse Evangelii ministrum ad patefaciendum Gentibus mysterium hactenus incognitum, pro quo Paulus in gentibus plene et perfecte annunciando multo gaudio et gloria potitur. 1, 21 — 29. Cf. F. Lücke, expl. loc. Coloss. 1, 24. Gott. 1833. Suam s. Paulus pro Colossensibus et Laodicensibus sollicitudinem aperit. Scire velim dicit, quanta teneat me vestri, Laodicensium aliorumque, qui aeque ac vos me nunquam viderunt de facie, cura. Haec quidem eo spectat, ut plane instructi sitis, circa ea quae ad cognitionem Dei unius et Trini, nec non mysterii incarnationis D. N. J. C. pertinent. In quo Christo Jesu Deohomine abditi continentur omnes thesauri sapientiae et scientiae. Admonet ut quemadmodum ab Epaphra Christum edocti fuerint, ita hanc nonnisi vitam degerent, et in fide proficiant. 2, 1—7. 2) A Christo Deo, omni ordini spirituum superioris, in Ecclesiam recepti, ad quid observarent Legalia? 3) 2, 8—23. 4) Cogitarent quae sunt superna, despicerent terrestria. Mortificarent veteris illius hominis membra, i. e. vitia omnia tum quae corpore, tum quae corde, tum quae lingua committuntur. 3, 1—9. Induerent novum hominem, cuius si consideretur indoles, nihil discriminis intercedit inter ethnicum et Judaeum, barbarum et Scytham — quia vox Ἕλλην in causa religionis Judaeo opposita, sedem iam occuparat, vitandae obscuritatis causa posuit Scytha. Cf. H. Trierenb, diss. de barb. Scyth. oppos. ad Coloss. 3, 2. in Thes. th. ph. p. 622. s., — servum et ingenuum, omnes Christiani unus sunt Christus; Christus illis omnibus est omnia. 3, 11. 5) Sint misericordes, sustineant infirmitates, condonent offensas; super omnia caritatem habeant et paci studeant, assidue intendant doctrinae christianae, hymnis et canticis spiritualibus ad vitam sanctam se mutuo excitent, quodcumque demum agerent, ad Dei gloriam referant. 3, 12 — 17. Ad singulos porro conversus Apostolus: coniuges, parentes, liberos, dominos, servos sua docet officia eadem plane ratione ut ad Ephesios. 3, 18. — 4, 1. 6) Precarentur Deum, ut Apostolo occasio detur ad intrepide annunciandum Evangelium; singulatim Incarnationis mysterium. Jugem vinculorum suorum iniungit memoriam, commendat sermonem gratia et prudentia conditum. 4, 2 — 6. 7) Aristarchi, Jesu Romani cognomine Iusti, Epaphrae, Lucae atque Demae nomine. 8) Νυμφᾶς abbreviatum ex Νυμφόδωρος; non est nomen

Ecclesiam. Archippum [1], qui Colossenses verbo et sacramentis pascebat, monet: attendere ad ministerium quod, accepit a Domino. Denique propria manu subsignans epistolam, vinculorum suorum [2] meminit; ut in fide, pro qua Apostolum tantum videbant pati, magis atque magis confirmarentur. Optatione gratiae, omnis salutaris et boni fonte, literas absolvit.

Digressio, qualis epistola fuerit, de qua Coloss. 4, 16. Paulus mentionem facit, quaeritur. Antiqua haec est quaestio, an Apostolus scripserit quoque ad Laodicenses? S. Joannes Chrysostomus, in epist. ad Coloss. homil. XII, 1. XI, 413. nullam putat a Paulo datam esse ad Laodicenses epistolam; ea sc. ratione „οὖ γὰρ εἶπε τὴν πρὸς Λαοδικέας ἀλλὰ τὴν ἐκ Λαοδικείας φησὶ γραφεῖσαν." Neque aliter Theodorus Mopsvestenus, comm. ep. Coloss. ed. J. L. Jacobi. Hal. 1858. p. 24. „Dicit autem eis, ut et illam quae ex Laodicea est legant, non quia ad Laodicenses scripsit." Hanc sententiam sequuntur: Theodoretus, ad h. l. p. 501. Baronius, Annal. 60, 13. p. 567. Cornelius a Lapide, p. 642. Estius, p. 498. Tirinus, comm. ed. Ven. II, 236. Menochius, Comm. tot. S. S. VIII, 192. Erhard, Comm. in univ. Bibl. S. II. 272. C. G. Küttner, Hypomnem. in N. T. Lips. 1780. p. 438. Fromondus, p. 330. Basnage, ad ann. 60, 26. p. 709. Tillemont, Mem. I, 576. Witsius, de vita Pauli XIV, 8. in Mel. L. p. 243. Fabricius, Cod. apocr. N. T. II, 853. s. Wolf, cur. ph. p. 346. Storr, diss. in ep. Pauli ad Coloss. in ep. II, 120. s. Fr. Junker, h. kr. u. ph. Comm. ü. d. Br. P. an die Coloss. Mannh. 1828. p. 4. Baumgarten Crusius, exeg. Schr. z. N. T. III, 1. Jen. 1847. Borlini, p. 133. aliique. Verba S. Pauli 4, 16. „καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε", quae tot diversas interpretum explicationes experta sunt; nihil continent, quod lectorem attentum perplexum merito reddere posset. Nec inter interpretes, quos dedit prisca aetas, reperietur unus, qui verba illa alio modo explicuerit. Ita Syrus reddidit: „et eam quae scripta est ex Laodicensibus." V. Reusch, interpr. Syr. p. 270. Vulgatus vero: „et eam quae Laodicensium est, vos legatis." Epistola enim, ut praeclare advertit Bernardinus a Piconio, ep. B. Pauli triplex expos. Par. 1860. II, 470., eius est, a quo scripta fuit; ut Ciceronis, Plinii, non item eius ad quem scripta est. Est in graeco ellypsis, sed quam res ipsa clare docet ita supplere: „τὴν ἐκ Λαοδικείας γεγραμμένην." Propria „τοῦ ἐκ" significatio, epistolam ex urbe Laodicensium scriptam fuisse determinat; seu prior Apostolus literas ad eos miserit, seu illis rescripserit. Quod tamen non est verosimile: nam si uno et eodem tempore ad Laodicenses scripsisset, 4, 15. non rogaret

---

mulieris, prout multi latini interpretes intellexerunt, sed viri; sicuti aperte colligitur ex pronomine gen. masc. αὐτοῦ.

[1]) Episcopum Ecclesiae Laodicenae facit auctor Constitut. Apost. VII, 46. ed. Cotel. p. 388. Sed iam Theodoretus, interpr. ad. Coloss. 4, 17. contradixit. J. D. Michaelis, Einl. in die göttl. Schriften d. N. B. ed. III. Gott. 1777. p. 1076. opinatur Philemonis filium fuisse; quod etiam Böhmero, Isagog. p. 53. placuit. Quare? non dixerunt isti duumviri. Cf. c. J. O. Dietelmeier, de Archippo. Altorf. 1751. [2]) Jam tertia in hoc capite vice.

Colossenses, ut suo nomine Laodicenses salutarent. Nihil dicimus de sententia Wieseler, comm. de ep. Laodicena quam vulgo perditam putant. Gott. 1844. et Chronol. d. ap. Zeitalters p. 450. s., quando certissime illis, qui epistolam ad Philemonem legunt, constat: frustra in ea quaeri, ex quo perspici poterat ratio quorundam quae Paulus ad Colossenses scripserat. Verum ut rem finiamus epistolam commentitiam illam, quam praemissis veterum et recentiorum censuris ediderunt: Fabricius, l. c. III, 710. et Anger, ü. d. Laodicenerbrief. p. 155. s., merito iam reiecisse Erasmum, qui ann. p. 898. affirmavit „Non Pauli esse. Non est cuiusvis hominis Paulinum pectus effingere, tonat, fulgurat, meras flammas loquitur Paulus. At haec praeterquam quod brevissima est, quam friget, quam iacet. Jam etiam stultum etiam est, non solum impudens, quod pleraque ex hac ipsa — Colossensi — collegit epistola, quisquis hanc effinxit." Caret spiritu apostolico, et nonnisi segmenta ex aliis Pauli epistolis congesta continet, caret signo Apostoli, de quo Paulus loquitur II. Thess. 3, 17., caret denique testimonio primitivae Ecclesiae; ut primum in lucem prodierat, fuit reiecta a S. Hieronymo, de vir. ill. c. s. p. 36. et Concilio oecumencio VII. s. Nicaeno II. act. VI. „Etenim divi Pauli ad Laodicenses fertur ficta epistola — πλαστὴ ἐπιστολή — in quibusdam libris Apostoli iacere quam Patres nostri reprobavere, ut alienam ab ipso, „ὡς αὐτοῦ ἀλλοτρίαν". Harduini Act. Conc. IV, 391. De epistola ad Laodicenses praeterea plura dabunt: Jablonsky, in opusc. s. III, 202. C. J. Huth, ep. ex Laodic. in encycl. ad Ephes. ass. Erl. 1741. Satori, ü. d. Laodicenserbrief. Lüb. 1853. Bleek, Vorles. ü. d. B. an die Kolosser. Berl. 1865. p. 147. s.

Saepe numero sponte congruunt ambae Epistolae ad Ephesios et Colossenses: in singulis et vocibus et formis dicendi, in sententiis praesertim, quibus priva Pauli indoles se manifestat. Unde epistola ad Colossenses magno cum commodo adhibetur in interpretatione epistolae ad Ephesios, cui cognata est, et vice versa. Crebro sane, quorum literis ad Colossenses memoria fit, religionis christianae capita expositione magis diffusa reperiuntur tractata; quamquam et in epistola ad Colossenses habeantur quaedam copiosius explicata, quam in epistola ad Ephesios. E. g. de divinitate D. N. J. C.; de perversis pseudodoctorum placitis. Huius affinitatis ratio — Cf. Col. 1, 2. 1. Ephes. 1, 2. C. 1, 3. 4. 9. 11. et 1. E. 15 — 19. 1. C. 10 et 4. E. 1. 1. C. 11. et 6. Eph. 10 — 17. e. s. p. v. A. van Bemmelen, diss. exeg. cr. de ep. ad Ephes. et Colossens. inter se collatis. Lugd. B. 1803. Huther, Comm. p. 435. seq. Böhmer, Isagoge p. 168 s. — non inepte inde repetitur, quod Paulus in utraque epistola, scribenda, idem propemodum habuerit consilium; et quia circumstantiae in quibus versabantur Ephesii, multum similes erant illis Colossensium. Gnoseos Valentinae, quam Schola Neotubingensis — v. Baur, Paulus p. 417. Schwegler, nachap. Zeitalter II, 326. s. — in hac epistola sibi deprehendisse videtur, nulla ibi contineri vestigia evicerunt H. G. Meyer, Comm. Gött. 1859. p. 160. s. Raebiger, de Christologia Paulina. II, 42. A. Klöpper, de origine epistolarum ad Ephesios et Colossenses a criticis Tubing. e gnosi Valentiniana deducta. Gryphisw. 1853. Reuss, Gesch. p. 107. s.

Epistola ad Colossenses data, earum numero reponenda, quarum ratione Joannes Chrysostomus in ep. ad Rom. hom. VII, 4. IX, 488. dixit: „Vide quanta sit Pauli virtus et vis ingenii, et cum quanta facilitate ea quae vult probat." De authentia huius epistolae — quam dubiis nullo fundamento innixis sollicitarunt: C. Th. Mayerhoff, der Brief an die Colosser mit vornehmlicher Berück-

sichtigung d. Pastoralbriefe krit. geprüft. Berl. 1838. p. 45. s. H. Ewald, die Sendschreiben des Ap. Paulus. ü. u. e. Gött. 1857. p. 467. Weisse, phil. Dogmatik. Leipz. 1855, p. 163. s. nihil laborandum putamus; quia testimoniis antiquissimis quatuor primorum praesertim saeculorum conficitur — v. Böhmer, Isagog. p. 143 s. — et internis argumentis egregie sustentatur. Lingua, dicendi genus, οἰκονομία reapse Paulina sunt. Quemadmodum in ceteris hic quoque reperiuntur Hebraismi, dictiones haud artificiosae, verborum relationes implicitae, frequentia anacolutha, et quae alia politi scribendi modi regulas produnt neglectas. Obviae sunt in his literis loquendi formulae Apostolo peculiares. Cernitur Pauli facundia, si minus solum, at praecipue in ampla copia et flumine veloci sublimium sententiarum, quae moveant lectorum animos aculeumque relinquant. Lubenter hac de re s. Praesulis Hipponensis, quem constat olim docuisse rhetoricen, verba adscribimus, de Doctr. chr. 4, 7. ed. Bruder. p. 122. „Sicuti ergo Apostolum praecepta eloquentiae secutum fuisse non dicimus, ita quod eius sapientiam eloquentia secuta sit non negamus."

§ 89. Epistola d. Pauli ad Philemonem.

Philemonem [1] cui haec epistola scripta est, natione Phrygem eundemque Colossensem civem fuisse, omnes putant. Christianus redditus cum uxore Appia [2], inter suos nobilis atque insigni pietate conspicuus fuit. In eius aedibus Christi asseclae ad conventus sacros [3] convenire solebant [4]; quam plurimis benefacere, et praesertim egentibus subvenire, Philemoni proprium erat [5]. Philemonem dominum propterea deseruerat servus Onesimus [6], quia aliquas res abstulerat

[1]) Nomen Φιλήμων, amator, apud Phryges frequens est. Ex eadem gente certe et Philemon clarus poeta comicus fuit. Cf. Sc. Gentilis, in d. Pauli Ap. ad Philemonem ep. comm. Norimbergae 1598. p. 15. An noster Colossas an Laodiceam habuerit patriam? incertum. Post versatum Colossis ex Col. 4, 9. recte efficitur. Videtur Philemon opera s. Pauli ad sacra christiana conversus; ast illud neque Colossis neque Laodiceae accidit, quas civitates illo saltem tempore, quo Philemon e gentili christianus factus est s. Paulus nondum vidit. V. p. 444. Forte Ephesi eum convertit. Act. 19, 20. Graecae Ecclesiae Menaea ferunt Philemonem episcopum Gazae evasisse, et ad extremum imperante Nerone μαρτύριον pertulisse. Cf. Tillemont, Memoir. I. not. s. S. Paul 66. p. 574. [2]) De hac v. Demme, Erklärung d. Briefes an Philemon. Bresl. 1844. p. 10. [3]) Ad Synaxes agendas. [4]) Unde suum ipsius συνεργὸν v. l. vocat. d. Paulus; [5]) Quae omnia non poterant non laetitiae causa Apostolo esse. V. 5. et 7. [6]) Familiare servis inter Graecos et Latinos Ὀνήσιμος, utilis, nomen; quod patet ex inscriptionibus variis a V. Chimentellio collectis ad marmor Pisanum de honore Biselli c. 8. in J. G. Graevii, Thes. antiq. ed. Ven. 1735. VII, 2052. Est autem Ὀνήσιμος idem ac Χρήσιμος, quod utilem et commodum indicat. Natione Phryx erat, de his notissimum illud „Phryges sero

et heri, quando furtum pateret, poenam reformidabat iustissimam [1]. Non sine Dei providentia, Onesimus infami fuga se subducens, Romam contendit; cum Apostolus primis ibi teneretur captivus vinculis. In urbe imperii capitali aliquamdiu moratus, d. Paulo sese [2] applicaverat, et ab Apostolo christianae religionis mysteriis initiatus, salutarique unda tinctus; eiusmodi J. Christi cultor evasit, qui Paulo in summis deliciis esset [3]. Mire enim hunc novum discipulum diligebat [4]. Itaque tam Christo quam Domino fidelem, cum epistola hac ad Philemonem remisit; qua Onesimum hero variis modis commendat et rogat: ut servo peccati veniam daret, eumque benevole reciperet. Neque verbis solum ac precibus sibi pro eo agendum putavit, sed cum rei familiaris non modicum damnum perpessum Philemonem sciret, soluturum se pro eo omnia spondet [5]. Sperabat fore, ut Deus precibus fidelium annuens ipsum captivitate sua brevi liberaret, rogat ideo Philemonem, ut sibi hospitium pararet. In tesseram sui affectus praeter salutationes sociorum [6] omnem quidem, maxime animae, salutem adprecatur. Quamvis inter omnia, quae nobis divus Paulus reliquit scripta, nullum reperiatur, quod minus foret [7] quam Apostoli ad Philemonem epistola: qui tamen illam bene expenderit, varia ubivis, cum ingenii scriptoris elegantissimi, tum utilitatis indicia facile inveniet [8].

---

sapiunt," proverbii rationem habuit. Phryges porro existimati ii, qui non pudore, non monitis, at verberibus redderentur meliores. Cuinam non continuo in mentem venit Ciceronis pro L. Flacco n. 27. V, 83. dictum „Utrum igitur nostrum est an vestrum, hoc proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem". Martyrologia antiqua Onesimum discipulum s. Pauli depraedicant. Graeci in magnis Menaeis 15. Februarii, Latini 16. e. m. eum in Martyrologiis colunt. Episcopum Ephesi in Asia floruisse a. C. 107. ex ep. S. Ignatii ad Ephesios c. l. p. 156. infert G. Henschenius, S. J. celeberrimus hagiographus, ad d. 16. Febr. II, 857. Beroeae ἐπίσκοπον censuit Cotelerius, ad Const. ap. VII, 46. n. 7. p. 388. item s. Ignatii l. c. n. 3. II, 12. Martyrio Romae consummatum testantur tabulae Martyrologii Romani. V. e. C. Baronii, Annales ad a. 110, 10. ed. Luc. II, 65.

1) 11. et 18. 2) Evangelium Christi illic magna virtute docendi. 3) Phil. v. 10. coll. Coloss. 4, 9. 4) Quem et filium dilectissimum, v. 10. carissimum fratrem, v. 16. socium suum, v. 17. et viscera sua v. 20.; adeoque ipsum se adpellat. 5) Queis nihil efficacius dici potest aut ardentius. 6) Epaphrae, Marci, Aristarchi, Demae et Lucae. 7) Continet enim nisi 25 commata. 8) *Indoles epistolae.* Nihil sane a S. Paulo reperitur literis exaratum, tot tantisque efficacibus dicendi modis opportune appositis adeo affluens; quam sunt Apostoli etsi succinctae ad Phile-

monem literae. Regnat in hac epistola familiaris orationis perspicuitas; elucet suavis grataque simplicitas; conspicitur purum nobileque scribendi genus; amoena porro in verbis locutionibusque varietas, quam singularis nitor commendat; nec abest argumentandi gravitas cum hilaritate coniuncta. De elegantia dictionis et vi sermonis harum literarum disputarunt: Gentilis, comm. p. 2. s. C. Klotzsch, de occasione et indole ep. ad Philem. 1792. Th. Chr. Harles, de ornatu atque artificio ep. ad Philem. prolus. recusa in opusc. p. 7. s. D. H. Wildschut, de vi dictionis et sermonis elegantia in epistola Pauli ad Philemonem conspicuis. Trai. ad Rhen. 1809. p. 87. s. H. Niemeyer, in ep. Pauli ad Philemonem. Hal. 1802. R. Hagenbach, Pauli ad Philemonem ep. interpr. Bas. 1829. M. Rothe, Pauli ad Philem. epist. interpr. hist. exeg. Brem. 1844. aliique. *Utilitates plurimas maximasque* huius epistolae exponit vere aureus doctor S. Joannes Chrysostomus, contra eos qui hanc epistolam superfluo adiectam putarunt; quando et pro re adeo parva et pro uno homine scripta est. — Argumento suarum in eam homiliarum XI, 773. s. — Ac primo quidem exemplo s. Pauli, qui tanta sollicitudine fugitivi causam egit, discimus ait: diligentiam circa omnia et omnes adhibendam. Secundo quod de nullius, quantumvis ad extremum nequitiae devenerit, salute desperandum sit. Tertio servos etiamsi ad Christum convertantur, non esse invitis heris auferendos; quare et Apostolus, qui ita Philemoni confidebat, Onesimum sibi commodum ad ministerium sine Domini consensu noluit retinere. Docet nos denique ad quam minuta demiserit se apostolica sublimitas, modo exigeret caritas; et quam spirituali oratione res etiam huius saeculi tractaverit Apostolus. Nec minore amore pro hac epistola loquitur disertissimus Latinorum interpres S. Hieronymus, — Praef. in comm. ep. ad Philem. VII, 742. s. — adversus eos „qui nolunt inter epistolas Pauli eam recipere", i. e. haereticos qui Paulina omnia spernerent. — Eorum commenta recoxit nostra aetate Baur, Paulus p. 476. — Ceterum ab antiquissima Ecclesia non minus sine ulla haesitatione *authentica et inspirata* habita est, quam reliquae Apostoli literae. Transtulerunt eam vetusti interpretes; et a primis inde temporibus in suis monimentis allegarunt huius epistolae dicta s. Patres et Scriptores ecclesiastici. Cf. S. Ignatii, ad Ephes. c. 2. p. 157. ad Magn. c. 12. p. 187. Can. Muratorii, Antiq. III, 853. Tertulliani, adv. Marc. V, 421. p. 316. Origenis, in Jerem. hom. XIX, 2. ed. Lomm. XV, 359. S. Epiphanii, haer. 42, 9. p. 310. S. Cyrilli, Hier., catech. IV, 36. p. 69. Catal. J. S. Assemani, in Bibl. Orient. Rom. 1725. III, 8. S. Gregorii Naz., carm. I. th. 12. v. 35. ed. Migne. III, 473. lib. II. histor. VII. v. 306. p. 1597.

CAPUT SECUNDUM

HISTORIAS APOSTOLORUM A MARTYRIO S. S. PETRI ET PAULI USQUE AD OBITUM D. JOANNIS ENARRAT.

§ 90. Ultimi s. s. Apostolorum Petri et Pauli labores, eorumque Martyrium.

Annis fere quatuordecim antea [1] convenit s. Petrus cum s. Paulo, ut Petrus, Jacobus et Joannes Hebraeis potissimum [2]; Paulus cum Barnaba autem potissimum gentibus [3] Evangelium praedicaret: et idcirco nascente Ecclesia [4], Apostolorum principes sponte inter se partitos esse, non quidem potestatem auctoritatis, sed operas tantummodo, ita ut Petrus Judaeis, quibus carus erat convertendis, Paulus quia iis invisus praecipue ethnicis ad Christum adducendis operam dare pergeret. Sane quamdiu Doctor gentium libertate fruebatur, hoc pactum utrinque observabatur. Sed postquam d. Paulus in vincula coniectus fuerit, et Evangelium Hebraeis longe lateque annunciatum a plerisque eorum reiectum erat; tempus aderat, quo s. Petrus et s. Joannes d. Paulo subvenire, et curam Ecclesiarum ab illo conditarum ex parte suscipere deberent. Etsi vero quae a d. Petro hisce annis gesta sunt in Divino Codice N. T. non memorentur; ea tamen paucis ex fide sincerorum testium perstringere possumus. E septem et triginta annis, quos Petri Pontificatus implevit, partem aliquam

---

[1]) Cum Jerosolymis haberetur concilium. V. p. 351. [2]) Quin gentes negligeret. [3]) Quin Judaeis deesset. [4]) Cum adhuc Judaei a gentibus abhorrebant.

consumsit docens in Asia, Ponto, Galatia, Cappadocia [1]; sed alias quoque regiones a d. Petro in Christi lege institutas fuisse facile damus. Id quidem honoris Corinthiis contigisse testatissimum est [2].

Doctor gentium acto in libera custodia Romae biennio; vinculis solutus [3], Italia excedens Hispaniam petiit. Inde cum Evangelium annunciasset, in Asiam navigavit, Colossas aliasque urbes Orientis invisit. Altero anno cum Troadem venisset, paenulam suam [4] reliquit, et membranas, Troade Miletum venit, qua in insula remansit Trophimus aegrotans [5]. Contendit sub haec Corinthum, ibique ex eius discipulis substitit Erastus [6]. Timotheum suum [7], quoque invisisse non est quod dubitemus [8]. Cum adhuc in Italia versaretur S. Paulus scripsit ad Hebraeos, spem faciens se quam primum ad eos cum Timotheo venturum [9]. Interea temporis s. Petrus variis exantlatis laboribus Romam venit, unde ad Christianos Asiae Minoris a Paulo eiusque sociis conversos, instante procella persecutionis Neronianae

---

[1]) Quod ex ipsius epistola ad Christianos illarum regionum eruit Eusebius, H. E. III, 1. p. 71. et diserte S. Epiphanius, haer. 27, 6. p. 107. S. Hieronymus, de vir. ill. c. 1. p. 18. et S. Leo M., serm. 80, 5. p. 84. Simeon Metaphrastes † 904., sive quisquis demum auctor sit Commentarii de s. s. Petro et Paulo; quem ex mss. medicaeo graeco R. C. et J. Sirleti interpretatione mss. in Biblioth. Vat. ed. D. Papebrochius S. J., A. S. ad. d. 29. Junii. V, 2. p. 413. s. Idem porro Simeon M. longam texit seriem urbium et provinciarum, quas Petrum Episcopis suis donasse, et prodigiis illustrasse comminiscitur. Verum haec meliore scriptore indigent, ut credantur. [2]) Dionysius, Corinthii episcopus, qui medio saeculo secundo floruit, in epistola ad Romanos Soteri scripsit: „Ita et vos ex tanta admonitione plantationem Romanorum et Corinthiorum a Petro et Paulo factam commiscuistis. Ambo enim in Urbe nostra Corintho plantantes — φυτεύσαντες — nos similiter docuerunt, similiter autem et in Italia audacter docentes circa idem tempus martyrium passi sunt“. Citavimus ex interpretatione M. J. Routh, Reliq. s. ed. II. Oxon. 1846. I, 191. Totum attamen Dionysii testimonium non modo dubium, sed prorsus falsum esse pronuntiavit C. Schrader, der Ap. Paulus I, 239.; praecipitando imo audaciter loquendo et in hac, et in aliis quaestionibus iudicavit. Praeterea multae etiam sunt urbes cumprimis Italiae, quae quibusdam peculiaribus traditionibus fultae, d. Petrum olim sibi excepisse suadent; sed de his tacere malumus, quam longas instituere disputationes: quod inde ab hoc tempore usque ad illud iter Romanum, quod vitae ultimum fuit, eius res gestae minus certae sint. Quae maioris fidei testimoniis probare licet sunt: Apostolorum principem et Ecclesiae caput neque tempore, quò epistola s. Pauli ad Romanos data est, neque annis, quibus Paulus in vinculis servabatur, Romae fuisse
[3]) Vide Digress. p. 457. s. [4]) Vestem exteriorem. II. Tim. 4, 13. [5]) II. Tim. 4, 20. [6]) Qua de causa latet. [7]) Cui id olim promisit [8]) I. Tim. 3, 14. coll. II. 1, 4. Quae illae lacrimae hic melius cogitari possunt, nisi quas optimus Timotheus fudit, in ultimis magistri sibi carissimi amplexibus. [9]) Hebr. 13, 23. 24.

binas misit literas, brevi temporis intervallo inter se disiunctas[1]. Post haec omnia, d. Paulus Urbem regressus est, ut cum d. Petro[2] afflictae nimis a Nerone Ecclesiae succurreret. Videntes gentiles et Judaei continua principum Apostolorum praedicatione clarescere in dies Evangelium, furorem tandem Neronis adversus eos excitarunt[3]. Ex praecipuis quos supplicio affecit principes Apostolorum fuere, quorum uterque instantem sibi vitae exitum praedixit. Petrus quidem de vitae suae fine clarissime locutus est secunda sua epistola[4]. S. Paulus, altera, quam non multo ante obitum scripsit, ad Timotheum tunc absentem, omnium postrema epistola[5]. Et Paulus quidem cum reliquis Christianis notior esset, in carcerem coniectus est et arcta custodia tenebatur; ita ut Onesiphorus ex Asia ubi multum Evangelio inservierat Romam profectus, nonnisi postquam sollicite quaesivisset, eum invenerit[6]. E vinculis in iudicium vocatus primam dixit apologiam[7] i. e. defensionem, in qua tanta erat rerum suarum angustia; ut omnes qui Apostolum amicitia et gratia iuvare poterant, eum desererent, et nemo fere illi adesset[8]. Quamvis autem Paulum dereliquerint homines.

---

[1]) Uno eodemque igitur fere, tempore quo gentium Apostolus Hebraeis et Hebraeorum Apostolus gentium ecclesiis scripsit, alter alterum in officio adiuvantes et sustentantes. [2]) Qui iam ibi aderat. [3]) Exstincto tum iam Burro, ut auctor est Tacitus, Annal. XIV, 51. p. 115. 6. praefectos duos praetorianis cohortibus imposuerat: Fennium Rufum, ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat. Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus; quae illi pro cognitis moribus fuere. Validior Tigellinus in animo principis, ex intimis libidinibus assumtus: prospera populi et militum fama Rufus, quod apud Neronem adversum experiebatur. Et ad eum magistratum criminum inquisitio spectabat et milites mittere ad plectendos reos. Nero tyrannorum immanissimus exutus omni humanitate indutisque moribus belluinis, ut caedibus afflixit rempublicam: ita et crudelissime in eam saeviit, primusque ex romanis principibus fuit, qui ferro et igne Christianos perderet. Cf. Tacitum, Annal. XV, 44. p. 147. Tertullianum, apologetic. c. 5. p. 62. Causam crudelitatis quaerentibus urbis incendium occurrit, quod Nero ad declinandum civium odium in Christianos coniecit. Ad gloriam igitur Christianorum pertinet, quod prima eorum atrocissimaque persecutio ex innocentia fuerit orta. Reos enim incendii substituit Nero, qui rei non erant. Testante id ipsum Tacito, l. s. c. [4]) II. 1, 14. [5]) II. 4, 6. Cf. Pearson, diss. de successione primorum Romae episcoporum 9, 8. Lond. 1687. p. 80. Deyling. Obs. S. II, 46. p. 411. s. [6]) II. Tim. 1, 17. [7]) II. Tim. 4, 16. [8]) Reliquerat Apostolum Demas, qui in priori custodia fidus Apostolo comes fuit, ne si partes illius susciperet in eadem foret causa. Marcus quoque in secundis vinculis aberat, ideoque Apostolus Timotheum monet, ut Marcum secum Romam adferat. II. Tim. 4, 9. 11. Lucas quidem et Onesiphorus animo toti Paulo adhaerebant, sed Alexander quidam aerarius captivi Apostoli causam apud adversarios exagitavit, tanquam hominis seditiosi. Ib. 4, 14. 15.

Deus tamen ei adfuit, suaque gratia confortavit; ut passiones alacriter ferret et praedicationis opus perficeret [1]. Quod ceterum vehementi studio optarat Apostolus, ut corpore quasi carcere liberatus esset cum Christo [2], id obtinuit. Nero tandem in suos perinde ac peregrinos saevus, S. Petrum tanquam alienigenam ac barbarum, prius fustibus caesum in crucem [3] agi, S. Paulum [4] vero capite [5] plecti iussit [6]. Testantur id Scriptores et Tabulae, tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiae. Loca ubi eorum corpora honestissime tumulo illata fuere, inter ipsas persecutionum procellas veluti nobilissima trophaea victoriae a Christicolis summo honore habita sunt. Ut adeo diem emortualem et sepulchra Apostolorum: Petri in Vaticano, Pauli in via Ostensi; notiora quam ipsius Alexandri M. affirmare non dubitet S. Joannes Chrysostomus [7].

---

[1]) II. Tim. 4, 17. [2]) Phil. 1, 23. [3]) Impleta sic diserta praedictione Christi apud Joannem 21, 18. 19. Porro ipso S. Petro volente et petente, ita cruci affixus fuit, ut pedes in sublime elevatos haberet, caput vero deorsum versum. Testes sunt: Origenes, apud Euseb. H. E. III, 1. p. 71. S. Ambrosius, in Ps. 18. expos. n. 21. p. 1245. „Non fuit opprobrium Petro crux Christi, quae ntum ei gloriae dedit, ut inversis Christum honoraret vestigiis; metuens ne si specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur." adem plane cecinit poëta christianus Prudentius „περὶ στεφάνων" XII, 11. 246. [4]) Civitate romana donatum. V. p. 327. 8. [5]) De Reliquiis, sepultura, cclesiis, locisque Romae ob memoriam Apostolorum Petri et Pauli sacris regie commentati sunt: Arringhius, Roma subterranea, l. II, 6. 1, 232. s. et III, 3. p. 411. s. C. Gotti, Ver. rel. chr. tr. VI. 1, 15. p. 500. et 2, 24. p. 543. Papebrochius, Act. S. Jun. V, 429. s. ib. VII. 2, 37. St. Borgia, Vaticana nfessio s. Petri p. 7. s. aliique viri doctissimi. [6]) Qua de causa Nero d. Petrum Paulum interfecerit, non una est scriptorum sententia. S. Clemens, ad Cor. 5. ed. Hef. IV. p. 61. insinuare videtur: „propter zelum verbi praeco factus;" od et in carcere detenti Christum praedicarent. S. Ambrosius, serm. c. Aux. 13. II; 866. et S. Joannes Chrysostomus, hom. 46. in Acta n. 3. p. 349. Paulo nini esse datum tradit; quod Neronis pellici christianam fidem castitatemque serit. S. Clementis verba uberius exposuit Lactantius, de mortibus persecum. c. 2. ed. Baluzii p. 30. S. S. Petrum et Paulum Romae esse mortuos ita rum et testatum est, ut Basnage pertinax scriptor sectae Calvini fateri debuerit: que ulla unquam traditio fuit, quae maiore testium numero cingatur, ut itari non possit, quin omnia historiae fundamenta convellantur". Annal. pol. . a. 64, 9. p. 727. Ideoque scriptores acatholici — e. c. Schaff, Gesch. der apost. he, p. 367. s. — ipsi nobis otium faciunt in refutatione perditissimorum corum, hoc factum inficias euntium. Lege ceterum Fogginium, de Rom. d. i itinere exercit. XV. p. 367. s. Fr. Windischmannum, Vindiciae Petr. p. 56. s. — egie olim iam Eusebius, Hist. eccl. II, 25. p. 67. „Quam quidem narrationem ide confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in urbis iae coemeteriis etiamnum visuntur." [7]) „Ubi enim quaeso, ait, Alexandri

Digressio, qua monstratur d. Paulum eo biennio, cuius meminit s. Lucas Act. 28, 30. vitam non finiisse; sed in libertatem assertum Roma discessisse. Historiae s. Pauli, quas d. Lucas contexuit, perductae ab eo sunt usque ad Apostoli e vinculis biennalibus excessum. Et in eis quidem quae Paulo per biennium quo in carcere Romae detentus fuerat contigerunt, s. Lucam ducem habemus, qui cum S. Paulo in epistolis de se ipso testante, nos a vero aberrare non sinit. Quid ab eo tempore Paulus egerit, an et qua occasione, quave ratione vinculis solutus sit? quid item postea rerum et ubi gesserit? ob quam rem Romam redierit ibi martyrio afficiendus: hoc acriter inter eruditos controvertitur. Nempe sunt qui doceant: S. Paulum bis Romanis constrictum fuisse vinculis, quorum priora evaserit, posterioribus necatus fuerit; ubi per aliquot adhuedum annos Evangelium praedicasset. Nominari possunt, ut multos minoris auctoritatis viros praetermittamus, C. Baronius, Annal. 61, 1. s. p. 583. s. L. Capellus, Historia apost. illust. Salmurii. 1683. p. 29. s. G. Henschen, ad d. XVI. Februarii II, 857. J. Wesselius, or. de laudibus Ap. Pauli ad. c. diss. s. Leidens. Lugd. B. 1721. p. 542. Sandini, Hist. ap. p. 90. J. Pearsonius, Annal. Paulini ed. Dodwell. Londin. 1688. p. 19. s. P. E. Jablonsky, diss. de ultimis Pauli ap. laboribus ab Luca praetermissis, opuscul. III, 292. s. G. Fr. Gude, vind. vincul. P. posteriorum eiusque martyrii in comment. de Ecclesiae Ephesinae statu. Lips. 1732. p. 211 s. Mosheim. Erkl. d. beid. Br. Pauli an d. Timotheus. Hamb. 1775. p. 609. s. Saccarelli, Hist. Eccl. II, 117. Danz, diss. de loco Eusebii H. E. II, 22. qui de altera P. A. captivitate Rom. agit. Jen. 1816. J. P. Mynster, de ultimis annis muneris apostolici a Paulo gesti. disq. Havn. 1815. p. 8. s. 65. s., repet. in eius d. kl. th. Schr. Kopenh. 1825. p. 291. s. Hug, Einl. II, 322. s. Heinichen, ed. Eusebii I, 162. n. 3. Wocher, die letzten Reisen und Schicksale der Apostel Petrus und Paulus, in ann. Theol. Quartalschr. Tüb. 1830. p. 626. s. Schott, Isag. spec. p. 198. s. Mack, Comment. üb. die Pastoralbr. p. 527. s. Neander, Gesch. d. Pflanz. ed. 3. Hamb. 1841. I, 453. s. Aberle, in Frieb. Kirchenlex. VIII, 255. s. Döllinger, Chr. u. Kirche p. 79. s. A. Maier, Einl. p. 208. s. Guerike, Gesammtgesch. d. N. T. p. 53. s. Bisping, Römerbrief. Münst. 1854. p. 58. s. A. Wiesinger, die Briefe des Ap. P. an Tit. Tim. Königsb. 1850. p. 575. Huther, Einl. in die Pastoralbriefe. Gött. 1859. p. 24. s. Leo, Pauli ep. alt. ad. Tim. p. 12. s. Bucher, zur Chron. Oest. V. 1863. p. 587. P. B. Gams, Kircheng. v. Spanien. Reg. 1862. I, 5. s. Bleek, Einl. p. 465. 484. s. Volkmar, in Credner Gesch. d. neutest. Kanon. Berl. 1860. p. 52. s. F. Werner, in öst. Vierteljahresschr. 1863. p. 321. 1864. 1. s. Sepp, Gesch. der Apostel p. 280. s. Ginella, de auth. ep. s. Pauli past. p. 120. s. Lange, apost. Zeitalt. II, 374. Herzog's R. E. XI, 144. s. Secus sentiunt alii, qui duplicem modum carceris romani praestruunt,

---

tumulus est? ostende mihi et dic quo die mortuus sit? At Christi servorum tam splendida sepulcra sunt, ut quae urbem praestantissimam occuparint, et dies noti atque clari, qui festi a toto orbe celebrentur." Hom. XXVI. in ep. II. ad Cor. n. 25. p. 625. Consueverant Christiani inde a primis temporibus; non tantum qui Romae erant, sed ex remotissimis Orientis quam Occidentis partibus, ipsaque adeo Perside, Romam petere: ut tumulos Apostolorum inviserent et venerarentur: „In regia urbe Roma, ait idem s. Chrysostomus, hom. quod Chr. sit Deus, missis aliis omnibus ad sepulcrum piscatoris et tentorium opificis accurrunt imperatores, consules, exercituum duces". I, 570.

atque Paulum numquam vinculis solutum opinantur. Uti faciunt: M. Mauduit, analyse des epitres d. s. Paul. Par. 1691. II, 564. s. M. Spier, diss. qua P. P. V. primorum saeculorum sent. de Pauli in Hispaniam itinere labefactatur. Witt. 1740. Reuss, la seconde captivité de St. Paul, in ann. Argentor. Revue de théologie II, 150. Id. Gesch. d. h. Schr. p. 123. s. Schenkel, in Stud. u. Krit. 1841. p. 53. s. Schrader, der Apostel Paulus, I, 233. N. Fogtmann, de auth. past. Pauli Ap. ep. p. 17. s. Baur, der Apostel Paulus. p. 212. Wieseler, Chron. d. apost. Zeitalt. p. 521. s. Mathies, Erkl. der Pastoralbriefe. Greifsw. 1840. p. 186. s. Reithmayr, Einl. p. 498. Ebrard, wiss. Krit. d. ev. Gesch. p. 752. s. Schaff, Gesch. der ap. Kirche p. 383. s. Otto, die gesch. Verhältnisse d. Pastoralbr. p. 169 s. A. O. Kunze, praecipua Patrum eccl. testimonia, quae ad mortem Pauli Apostoli spectant. Gott. 1848. p. 3. s. p. 22. s. C. Bertheau, die Berichte über die apost. Gehülfen. Hamb. 1858. p. 20. s. Sed vero rationes nec numero paucae, nec leves pondere suadent, ut cum prioribus statuamus: s. Paulum libertati restitutum fuisse, reperirique in S. S. et Traditione testimonia, ex quorum attenta et diligenti collatione, pars illa extrema rerum Pauli, eiusque itinerum et laborum, non sine aliquo certitudinis sensu quadamtenus resarciri potest. Perperam scriptores qui unam captivitatem Romanam statuunt, in eius historiis coniungunt res, quae in illis diversissimi temporis et fortunae Paulinae epistolis, tanquam variis temporibus novae et recens gestae, ab ipso S. Paulo nunciantur. Quae cum ita se habeant scire equidem nostra refert qua occasione Apostolus vinculis solutus fuerit? Et quidni ad iucundissimas vias divinae providentiae attendamus, Paulo in commodum et salutem Ecclesiae tam sollicite invigilantis; earumque vestigia luculenta hic legamus. Si ea quae *ad s. Pauli processum* ex eiusdem literis et Veterum testimoniis pertinent, ordine disponimus haec fere sunto. Non diu postquam Romam appulit Apostolus; eo venit Timotheus, cuius nomen cum suo praescribit Paulus epistolis ad Philippenses, Colossenses 1, 1. et Philemonem s. Adfuerunt praeterea s. Lucas, qui et „συνέκδημος“ v. p. 425. Apostoli fuit Col. 4, 14. Philem. 24. coll. II. Cor. 8, 19.; Aristarchus, quem „αναιχμάλωτον“ vocat Coloss. 4, 10., et Tychicus Roma ad Colossenses missus. Eph. 6, 21. Col. 4, 7. Quibus addendi Marcus Barnabae „ἀνεψιὸς“, cuius nomine Colossenses salutat 4, 10; Jesus cognomine Justus, 16. Epaphras ib. 4, 12., Demas ib. 14., Epaphroditus, Phil. 2, 25. 4, 18. et Onesimus. Philem. 10. Ad gubernacula imperii Romani sedebat tunc Nero, in quo praeter externam speciem nihil humani inerat; qui tamen adhuc non erupit in tantam, ut postea crudelitatem. Neronis sententia Paulo standum nunc erat. At vero quia Deus Pauli ministerio in ampliorem Ecclesiae suae propagationem etiam porro uti decreverat, facile ipsi erat omnia illa tristissima omina, in gloriam Evangelii et Pauli salutem vertere. Igitur causam suam ad tribunal dicere iussus, defensionem suam felicissime instituit, superstite adhuc Burro praefecto praetorio, iustitiae et aequitatis studioso viro. Cf. Tacitum, Ann. XIV, 51. II, 115. „Civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis.“ Nulli se captivo Apostolo accusatores opposuerunt, qui litem apud Caesarem urgere ausi fuissent. Neque de libertate sua dubius pendebat Apostolus, Philippensibus quippe scripserat: Quod me attinet, cuius conditionem vobis non minus cordi esse gratus agnosco, resciscere hisce vos volo fratres dilectissimi: quod quas per se haud exstitisse felicissimas nostis, res ad me pertinentes omnes etiam magis quam antea contigerat, in incrementum Evangelii

cesserunt. Qui laetior rerum mearum successus is adeo fuit, ut vinculorum quibus constringor ratio manifesta facta sit, tum intra omne praetorium tum extra. Vox πραιτώριον Philipp. 1, 13. magna eruditis controversiarum ansa fuit. Cf. H... comm. ad h. l. p. 45. Modo milites, modo locum, significasse doceat Anti... Romanarum scriptores. Castrum ubi Romae tendebant Praetoriani, unde submittebantur cohortes, quae per vices ad palatium Caesarum stationes agerent, fuisse liquet e Svetonio, Tiberius, 37. p. 150. Nero, 9. p. 256. Ibi ante ... innotescere poterat iusta Apostoli causa, quippe qui custode nunquam ... uteretur uno de militibus; qui ubi plures mutatis vicibus apud Paulum ... facillime potuere ex eo audivisse res Christi, auditasque in omni praetorio ... persisse. Neque ambigendum, quin Julius Centurio, bene in S. Paulum ... non soli praefecto praetorio, sed et aliis bene multis ea Pauli narravit ... imprimis miracula, quorum testis ipse fuerat. Ut adeo ad figmenta ... relegandum, quod tradit S. Hieronymus, de vir. illustr. c. 2. p. 66. — cui S. Augustinus, ep. 153, 4. II. 529. assentitur — Senecam Neronis praeceptorem commercium cum Paulo habuisse. Quae vero in ed. Epistol. d. Pauli Ven. 152... et saepius vulgatae fuerunt Epistolae Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam apocryphae merito habentur, uti iam demonstrarunt C. W. Löscher, de epist... Senecae ad Paulum hypobolimaeis. Witt. 1694. et J. C. Weidner, de iisdem ... e. a. Christicolarum circa Pauli res sollicitudinem, testantur verba sequentia Luciani: „quin etiam ex asiaticis quibusdam urbibus, Christianorum ... publico, venere quidam adiuturi virum, et advocati eius futuri consolaturique. Incredibilem enim alacritatem ostendunt, si quid tale fiat publice. Ut enim breviter dicam nulli rei parcunt. Itaque etiam Peregrino tum multae ab illis venere vinculorum causa pecuniae, eumque reditum sibi habuit non mediocrem." De morte Peregrini. §. 13. ed. Bip. 1791. VIII. 290. Idem porro Apostolus ... refert, quod plures fratrum confisi hac rerum et vinculorum suorum conditione, ausi fuerint intrepide profiteri et eloqui sermonem Evangelii. Philipp. 1, 11—14. In Caesaris in palatio ex praetorianis cohortibus plures ad Christi fidem conversi sunt Ib. 4. 22. Speravit etiam s. Paulus, ut mox in libertatem assertus, proficisceretur Philippos 2. 24.; et adeo petit ex Philemone v. 22., ut sibi propediem Colossas venturo paret hospitium. Hebraeos quoque se invisurum declaravit. Hebr. 13. 23. Denique conclusio Actuum Apostolorum 28. 30. 31. similis illi, qua Evangelium tertium terminatur 24. 51—3. si quid videmus, non inepte ita explicatur: ... Lucam si post finem biennii illius, ad opus Missionis redierit, adeo ut nova itinera pericula, conamina exantlanda fuerint; scribendi finem fecisse. V. p. 452. Quae postea gesta erant alii tempori vel alii narratori exponenda linquens; vel maxime quod nondum sciret, quem exitum habitura esset vita Pauli tam diu exagitata. Solutas fuisse Paulo catenas vel propterea existimamus; quod Apostolus aliorum criminum a nemine convinci posset: nisi dissensus a reliquis Judaeis, in non nullis doctrinae capitibus et cultus sacri ritibus. Quomodocunque vero res se habuerit: sive iudices eum plene, sive ab instantia absolverint; Paulus libertati restitutus iter sibi per Italiam in Orientem instituendum esse putavit, quod ex Epistola ad Hebraeos, in itinere Italico exarata non obscuris colligitur indiciis. Roma per Italiam iter faciens, Palaestinam repetere in animo habuit. Ardebat enim desiderio revisendi beatos illos in Oriente coetus, quos aut per gratiam Dei plantaverat, aut labore indefesso D. N. J. C. incrementum benignissime concedente.

irrigaverat; et qui nunc tempore afflictissimo consolatione, adhortatione et corroboratione, quam maxime indigebant. Colossas, Philippos, imo et Hispaniam adiisse creditur; quo suis staret promissis. Fidem in se receptam ut liberasse S. Paulum credamus quamvis nullum ἀναντίῤῥητον — quod facile largimur J. J. Spierio, hist. crit. de hisp. Pauli itinere Rom. 15, 24. 26. Witteb. 1742. p. 10. s. — e S. S. suppetat argumentum; tamen facile credi potest, quia id habet constans S.S.P.P. et S.E. traditio. Audiamus primum testem s. Clementem romanum, virum apostolicum et ab aevo Pauli parum remotum, qui in ep. ad Cor. I. 5. ed. Hefele IV. 1855. p. 61. testatur quod „ὅλον τὸν κόσμον καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν“ in iustitia instruxerit. Iam Clementem per „τέρμα τῆς δύσεως“, Hispaniam, ut passim interpretes huius epistolae sumunt — v. Gams, l. c. Werner, l. c. —, cuius propositum adeundi habuisse liquet ex epistola ad Rom. 15, 24. 28., intellexisse satis certe est verisimile. Nam per terminum Occidentis designari Hispaniam et res ipsa loquitur, et Veterum consensus declarat. Loca ipsorum producta legi possunt iam apud Baronium, Annal. a. 61, 2. 3. p. 583. s. Caveum, Antiq. ap. Vit. Pauli 7, 7. p. 480. Gams, l. c. Mature satis Christum in Hispania annunciatum esse testimoniis s. Irenaei, adv. haer. I. 10, 2. p. 120. s. Tertulliani, adv. Judaeos c. 7. IV, 303. s. Cypriani, ep. LXVII. Felici pr. et pleb. consist. ad Legionem et Asturicae ed. Goldhorn p. 180. s. evincitur. Nolumus itaque piae Antiquitati, s. Pauli ope in Hispania fundatam fuisse Ecclesiam, refragare; neque Apostolo debitam detrahere laudem. Sed si vel maxime incerta essent, quae de hoc itinere traduntur; valerent tamen reliqua omnia argumenta, quae ex monimentis pretiosissimis et fide dignissimis pro liberatione d. Pauli ex captivitate Romana prima dedimus.

§ 91. Ad quos scripta sit epistola ad Hebraeos.

Ordine non tempore, ultima inter Paulinas recensetur epistola ad *Hebraeos*; ‚πρὸς Ἑβραίους‘, ut habet ἐπιγραφή. Insigniuntur hoc nomine non omnes Judaei toto orbe dispersi; sed maxime fideles e circumcisione ad sacra Christi conversi in Palaestina, et peculiariter Hierosolymis versantes atque hebraice s. aramaice loquentes [1]. His enim a. potissimum Hebraeorum nomen convenit [2]; his b. non aliis per omnem mundum diffusis promittere scriptor potuit, venturum se ad eos invisendos [3]; his item c. maiores ac reliquis per varias provincias late dispersis vexationes perferendae erant. d. Ipsum d. ex universa Epistolae summa colligitur, cuius ea est species et singularum partium ratio; ut unaquaeque fere earum doceat, in illorum usum esse scriptam: qui tenaces erant rituum mosaicorum, qui splendorem cultus divini in templo admirabantur; et de quibus verendum erat, ne a christiana religione cuius exercendae modus simplicior esset, desciscerent et ad avita sacra redirent. Quae omnia non quadrant in lectores extra terram Urbemque sacram; accommodata vero sunt Palaestinensibus, et iis quidem Solymaeis.

---

1) V. H. R. D. N. T. p. 217. s. 2) Coll. Act. 6, 1. 3) Hebr. 13, 23.

Ad alios e. datam esse epistolam, antiquis testimoniis comprobatur nullis; Judaeos Palaestinae autem primos eiusdem lectores Veteres habent omnes. Adde f. in hac epistola nullam fieri mentionem Christianorum ex ethnicismo conversorum; ecclesiam ad quam haec epistola missa est, fuisse dudum fundatam [1]; atque g. iuxta vetustissimam et testatissimam traditionem S. S. P. P. et S. E. et interpretum initio lingua Hebraeorum vernacula exaratam.

Digressio, qua sententiae variae de primis epistolae „πρὸς Ἑβραίους“ lectoribus recensentur. Innumerabiles fere sunt opiniones de primis epistolae huius lectoribus. Illud vero concedunt fere omnes, lectores primos, ad quos data est epistola, fuisse prius, quam ad Christum accederent, e numero Judaeorum. E quorundam sententia hae literae datae sunt ad Judaeochristianos per totum orbem dispersos. J. Braun, comm. in ep. ad Hebr. Amst. 1705. p. 29. Heinrichs, ep. ad Hebr. perpetua annot. illustr. Gott. 1823. prol. p. 12. s. Schwegler, nachap. Zeitalter II, 304. Verum quae 13, 18. 23. 24. leguntur, satis demonstrant, certae particulari Ecclesiae fuisse missas. Nonnisi coniecturis, et quidem vagis ducuntur alii, qui Christianis de Macedonia, imprimisque Thessalonicensibus, destinatam propugnant. Ita censuit J. A. Noesselt, opusc. ad interpr. S. S. Hal. 1795. I, 278. Corinthiis scriptam fuisse putabat Mack, ü. d. urspr. Leser d. Br. an die Hebr., in ann. Tüb. Quart. 1836. p. 422. s. et recentissime F. Bachasse, l' hypothése de M. Chavannes sur l'épitre aux Hébreux. Strassb. 1856. p. 9. s. Non moramur commenta: Storrii, de consensu ep. Pauli ad Hebraeos et Galatas. Tub. 1792. p. 16. s., qui Galatis; E. M. Roethii, qui peculiari demonstratione ad Christianos genere gentiles et quidem ad Ephesios datam esse dixit. Francof. 1836. p. 263. „ad confirmandam debilitatam Ephesiorum spem regni Messiani.“ Opinionem e qua lectores Judaeo-Christianos Alexandrinos habent: Wieseler. Chron. d. apost. Zeitalters p. 479. s. Eine Untersuchung ü. d. Hebräerbr. nam. s. Verf. u. s. Leser. Kiel. 1861. I, 51. s. II, 11. s. Credner, Gesch. d. n. K. p. 161. 182. 394. Bunsen, Hippolytus u. s. Zeit. Leip. 1852. I. 365. s. Schneckenburger. Stud. u. Krit. 1859. p. 296. s. argumentis non magni ponderis gaudent. Refellitur autem aetate epistolae. Damus per mercatores ultro citroque cursantes nuncium religionis Christi ad Alexandrinos perlatum, sed Ecclesiam aliquam ante s. Marci eo profectionem collectam, nulla auctoritate evincitur. Cf. G. Secchi, la Cattedra Alessandrina p. 159. s. Contra lectores Alexandrinos facit, quod scriptor de cultu et sacerdotio tam operose disputans, nusquam ne verbo quidem respiciat Templum Heliopolitanum; quod ad lectores Alexandrinos commemorare vix omisisset. Ecclesia, de qua quaeritur, instructa et confirmata fuit ab Apostolis; fideles eiusdem religionis causa iniurias et calamitates patiebantur. Quod utrumque momentum quantum contra Alexandriam testetur, non attinet multis dicere. Quod autem scriptorum Alexandrinorum vetustissimorum elogiis celebretur: id quidem ex duplici causa accidit: primum quod mature ibi innotuerit, et deinde quia argumenti ratione maxime commendaretur. Neque illa ratio aliquid valet, epistolam, quae in Canone Muratorii ad Alexandrinos nomine Pauli inscribitur.

[1] 5, 12. 10, 32.

esse nostram ad Hebraeos. Apud Veteres enim constanter Hebraeorum adpellatione est insignita. Cf. quae adhucdum monuere: Delitzsch, über Verf. u. Leser d. Hebräerbr., in ann. Z. f. l. Th. 1849. II, 250. s. Comm. z. Br. a. d. Hebr. Leipz. 1857. p. 28. Lünemann, disp. de liter. q. ad Hebraeos inscrib. prim. lect. Gött. 1853. p. 7. s. Id. Kr. exeg. Handb. ü. d. Hebräerbr. Gött. 1855. p. 24. s. Bleek, d. Br. an d. Hebr. Berl. 1828. I, 24. s. Einl. p. 529. s. Langen, die ersten Leser d. Hebräerbr., in Tub. Quart. 1863. p. 383. s. Nostram sententiam validissime propugnarunt praeter modo laudatos Hug, Einl. II, 452. A. Maier, h. kr. Untersuchungen ü. d. Hebräerbrief. Frib. 1861. Comm. ü. d. Br. a. d. Hebr. ib. 1861. p. 1. s. Id. Einl., p. 361. s. Wette, K. Erkl. d. B. a . . . d. Hebr. Leipz. 1847. p. 122. s., Einl. p. 352. Thiersch, de epist. ad. Hebr. comm. h. Marb. 1848. p. 6. s. Stengel, Erkl. d. Br. a. d. Hebr. Karlsr. 1849. p. 13. s. Riehm, der Lehrbegriff d. Hebräerbr. dargestellt. Ludwigsb. 1858. I, 38. s. Reithmayr, Einl. p. 653. s. A. Bisping, Erkl. d. Br. an die Hebr. Münst. 1854. p. 24. s.

§ 92. Epistola ‚πρὸς Ἑβραίους‘ hebraice exarata.

Hebraico sermone epistolam editam affirmant testes uti vetustissimi ita gravissimi [1]. Sic sentire ipsa res iubet. Maluit α. s. Paulus uti sermone, quo passim omnes illius gentis homines loquendo scribendoque utebantur [2].

---

[1]) Clemens Al. apud Euseb. H. E. VI, 14. e libris ὑποτυπώσεων „Epistolam autem ad Hebraeos Pauli quidem esse affirmat, sed hebraico sermone utpote ad Hebraeos primum scriptam fuisse; Lucam vero eandem graeco sermone studiose nterpretatum.“ p. 215. Nicephorus Callisti E. H. 4, 33. I, 333. de eodem Clemente Epistolam sane ad Hebraeos Pauli esse censet Hebraeis Hebraico sermone scriptam, Luca autem ambitiosa splendide versam lingua Graecis esse expositam.“ De utographo hebraico non dubie loquitur Eusebius, H. E. III, 38. p. 110. „Cum enim d Hebraeos patrio sermone scripsisset Paulus, alii Lucam Evangelistam, alii lementem epistolam illam esse interpretatum ferunt“. Neque minus aperte d. Hieronymus, de vir. ill. c. 5. „Scripserat ut Hebraeus Hebraeis Hebraice i. e. no eloquio disertissime, ut ea quae eloquenter scripta fuerant in Hebraeo, loquentius verterentur in graecum et hanc causam esse, quod a ceteris Pauli pistolis discrepare videatur.“ p. 36. Idem habent Theodoretus, arg. ep. ad Hebr. 544. „Scripsit eam lingua hebraica. Ferunt autem Clementem interpretatum se.“ Euthalius, Pauli aliar. VII. cath. ep. edit. in ὑπόζ. ad Heb. ap. L. A. acagnium, collect. mon. vet. Eccl. gr. p. 668. S. Joannes Damascenus, in ep. II, 258. Cosmas Indicopleustes, Chr. opinio de mundo sive Topogr. chr. l. V. Montfaucon, Coll. n. P. et S. Gr. Par. 1707. II, 255. Rhabanus Maurus, in ep. l. XXVII. V, 538. Angelus Scholae, proloq. expos. ep. ad Hebr. ed. Neap. 1856. , 4. aliique; quos vide ap. Fr. Bleek, Versuch einer vollständ. Einl. in d. Br. die Hebr. Berl. 1828. p. 8. 9. [2]) Quod ex Act. 21, 40. 22, 2. intelligitur. Cum im a Lysia militum romanorum praefecto captus, libertatemque ad Hebraeos erosolymitanos verba faciendi nactus esset: auditores dicuntur hoc magis uisse quod eum hebraice se alloquentem audirent. V. p. 422. Hebraice itaque vel

Itaque in proclivi est inde concludere, quod epistolam hanc ipsis missam, vernacula dialecto scribere voluerit; ut eam gens, cui inscripta erat, et legere et in usum suum convertere posset. Eadem igitur causa adduci poterat, ut aramaice scriberet ad Hebraeos, qua ut eadem lingua ad eosdem verba faceret, Jerosolymis se passus est permoveri [1]. Hebraicum autographum demonstrant β. plura harum literarum loca [2]; quae commode ex aramaico textu explicantur. Cum ergo hac in re nihil sit absurdi, vel inconvenientis: imo vero Hebraeorum in Judaea, ad quos scribebat, conditio γ. postularet ut aramaice scriberet; nihil causae videtur, cur non illud Antiquitatis testimonium, a nemine in dubium olim vocatum, recipiamus. δ. Quae huic sententiae opponuntur, in illis nulla veri species deprehenditur. Quod enim hodie plurimi interpretes magno conatu probatum eunt: Veteres ex eo iudicasse hebraice esse scriptam epistolam, quia ad Hebraeos erat data, et sic gentem cum lingua confudisse, in eo nullis iustis de causis suspicione moventur.

Digressio, qua respondetur argumentis interpretum, quibus docent, quod graece exaratae sint Literae ad Hebraeos. Rationes contra linguam aramaicam prae ceteris sunt sequentes: Obvertitur 1. graecum textum versioni non esse similem; alioquin enim perpetuos exhibiturum esse Hebraismos. Facilis est ad haec responsio. Interpres enim epistolae ad Hebraeos, sive d. Lucas ille sit, sive Clemens; scriptis suis non dubiis graecae linguae notitiam abunde testatam fecerunt. Quemadmodum s. Lucas sermones D. N. J. C., vel S. Pauli aramaice factos; graece eleganter expressit: ita parem se ostendit epistolae ex eadem lingua in graecam aeque bene convertendae. Obiicitur 2. quod V. T. non secundum contextum hebraicum, sed secundum LXX afferat. E. g. Hebr. 10, 5. coll. Ps. 40, 6. Hebr. 11, 21. coll. Gen. 47, 31. Sed in his ne species quidem argumenti apparebit illis, quibus compertum est; textum graecum esse versionem, cuius auctor exempla illa V. T. eodem modo, quo ipse ea excitavit, exhibebat. Hae interpretationes a translatore graeco profectae sunt. Urgetur 3. si epistola haec aramaice fuisset scripta, fieri non poterat ut Apostolus de „Testamento" ea quidem, qua id factum esse videmus, ratione disputaret. Cum enim inquiunt, vocem „διαθήκη" nunc in significatu foederis, nunc in significatu Testamenti vel ultimarum tabularum adhibet 9, 16.; talis certe ambiguitas a voce hebraica ברית exulat, quae numquam Testamentum sed semper foedus infert. Sed potuit scriptor adhibere vocem קימא vel דיתיקי, coll. Lex. Syr. ed. G. H. Bernstein Lips. 1836.

---

aramaice — cum hanc dialectum illa aetate inter Judaeos receptam fuisse ex N. T. tabulis pateat Cf. 217. s. — eam linguam tanquam sibi propriam et vernaculam optime intelligentes assequebantur. Act. 1, 19.

1) V. p. 422. s. 2) E. g. cap. 3, 1. ubi Christus „ἀπόστολος" adpellatur: quod egregie convenit scriptori hebraice scribenti הַשָּׁלִיחַ. Cf. Biesenthal, אל העברים אגרת ep. Pauli ad Hebraeos cum rabb. comm. Berol. 1858. p. 20. Item 12, 22. 23.

p. 440. 110. quo posito ambiguitatem etiam in rem suam convertit. Dicunt porro: 4. Si hebraice esset exarata epistola, non opus erat futurum, ut scriptor epistolae voces hebraicas interpretaretur; quod fieri videmus: Hebr. 7, 1. Cum in tota fere epistola Jesus Christus, ut iustitiae et pacis auctor apud Deum describitur, patet non sine singulari consilio hanc expositionem additam fuisse; ut lectores utriusque nominis Melchisedech, Rex pacis, originem et significationem attente recolerent. Afferunt 5. et hoc: Epistola haec elegantissimis graecae linguae formulis quoque et paronomasiis abundat; quibus in lingua aramaica nihil respondet. E. c. 5, 8. 10, 34. Ex paronomasiis eiusmodi argumentari non licet, nisi appareat eas a scriptore data opera fuisse quaesitas. Saepe enim praeter consilium et expectationem usu veniunt. Speciatim vero in versionibus frequenter occurrunt etiam tum, cum nihil eiusmodi in textu originali legatur. Coll. Matth. 16, 18. et Act. 23, 3. Cum vero in graeco textu epistolae nulla paronomasia reperitur, quae quaesita ab auctore studio dici potest: infirmum est argumentum, quod vocum affinitati debetur. Quaedam paronomasiae ab interprete vix evitari poterant. Ultimo 6. dicunt: nullum eius epistolae exemplum unquam vel lectum vel fando visum, vel acceptum a diligentissimis quibuscunque fragmentorum antiquorum collectoribus. Hic vero observandum est, quando Veteres isti testes expressis verbis epistolam hanc hebraice — ut ea aetate vocari solebat aramaica — scriptam esse testantur: idem hoc sit, ac si profiteantur se de exemplo in illa lingua inaudiisse. Cum vero Jerusalem octo annis post everteretur et Hebraei, quorum usibus potissimum erat destinata, hic inde essent dispersi; factum est ut hebraicum originale, archetypum, non esset obvium; praecipue cum graeca illa interpretatio authentica — a S. Luca vel Clemente conversa — communiorem usum omnibus Christianis praestaret. Pro epistola aramaice concinnata praeter Veteres pugnant: J. Hallet, conat. ad detegendum op. ad Hebr. script. linguamque qua scripta primum est. in app. ad J. C. Wolfii, cur. phil. et crit. in X. posteriores P. ep. ed. II. p. 831. s. J. D. Michaelis, Erkl. d. Briefes an die Hebr. Frankf. 1762. I, 29. s. L. Bertholdt, h. k. Einl. VI, 2971. Goldhagen, Introd. in S. S. I, 248. s. Reitmayr, Einl. p. 684. Haneberg, Gesch. d. bibl. Off. p. 634. Güntner, Introd. p. 269. Ungarelli, Prael. de N. T. p. 44. s.

§ 93. Utrum epistola ad Hebraeos d. Paulum habuerit auctorem?

Quod in pictis tabulis, aerique incisis imaginibus curare periti solent; idem in lectione librorum eruditi inter prima quaerunt: a quo auctore profecta sint opera? Falsis praesertim magnorum scriptorum nominibus imponi sibi nemo fert; et ut quisquam scriptorum est celeberrimus, ita diligenter a criticis cautum est, ne quid ei non suum perperam tribuatur. Ea cautio si in quocumque genere librorum laudabilis, omnium profecto iustissime in Divinis Libris usurpatur: quorum sicut dignitas et gravitas eminet, ita summam prae reliquis curam sibi dari poscunt. In universo autem Sacrorum Voluminum N. F. catalogo, nullus est de cuius scriptore

sive tractationis oeconomia respiciatur: elucescit Paulinus ille genius[1]. Solet Paulus in literis suis Christo quaedam elogia sibi priva tribuere, quae et in fronte atque limine epistolae huius coacervata observari possunt. Amat V. T. oracula prophetica, pro sua subtilitate et eruditione, explicatione quadam mystica i. e. spirituali ad Christum trahere; in qua re nemo tam frequens est ac scriptor epistolae nostrae. Et quod in scriptore nostro stupent alii religiose; carpunt alii impie: minus recte trahi ad Salvatorem nonnulla effata V. T.; idem alibi in s. Paulo iidem peragunt. Atque hoc argumenti genus magnum pondus habere, fatentur adversarii ipsi; nihilominus ad nauseam usque diversitatem dicendi generis urgent[2]. Succe-

1) Nam res ipsa omnium convenit cum iis quae ad Galatas et Romanos leguntur; ipsa vero tractatio eadem est peculiaris; ut in literis quas d. Paulus ad Galatas, Romanos, Ephesios, Colossenses dedit. Incipit doctrina, e qua practicas infert consequentias. Ubique emicat Paulina methodus didactica et paraenetica. Sed non in materia tantum Paulum inter et scriptorem epistolae convenit: sed in sententiarum et dicendi formularum usu frequenti. Et quidem quod imprimis notandum, reperiuntur etiam rariores solique Apostolo propriae verborum significationes. Quod argumentum uberrime prosecutus est Fr. Spanhemius, de auct. ep. ad Hebr. p. II. Miscell. ad s. Antiq. et Eccl. Hist. pert. l. II. op. 2. 21. cuius rationes accurate concinnavit H. Witsius, prael. de vita Pauli s. XII. p. 1... Iungantur Halletus, diss. s. l. p. 807. s. Braun, Comm. p. 2. s. C. F. Smid, Hist. antiq. et vind. Can. S. V. N. T. Lips. 1775. p. 660. s. Klee, Ausl. p. 13. et passim. Lomb, comm. p. 12. s. 2) *Cuius sint roboris argumenta contraria illorum, qui ... d. Paulum fuisse scriptorem; vel plane epistolam ad Hebraeos ex Canone Divinarum Literarum reiecerunt:* patebit ex examine praecipuorum. Omitti obiiciunt 1. in hac una epistola in principio praeter consuetudinem nomen scriptoris, eiusdemque in fine subscriptionem. Sed de nominis omissione iam optime advertit S. Hieronymus l. c. „quia Paulus scribebat ad Hebraeos et propter invidiam sui apud eos nominis titulum in principio salutationis amputaverit." Idem 2. de subscriptione respondendum, et conclusione namque ep. 13, 23. s. facile fuit Paulum agnoscere scribentem. Desunt etiam in prima S. Joannis ep. nomen, inscriptio, et salutatio. Quod vero 3. a doctrina 6, 4—6. obmovent; quasi non solum contradiceret Rom. 2, 4. II. Cor. 7, 9. 10. 12, 21. verum etiam rectae fidei adversaretur; temere supponitur. Respondemus nihil in allegatis locis reperiri, quod rectae fidei Paulo que scriptori adversetur, modo rite explicetur. Vult namque monitos lectores: ut in accepta Baptismi gratia, quae praeteritas culpas omnes abluat, perseverent. Hoc autem docendo non exclusit alia instrumenta conferendae gratiae, atque non negavit in genere spem poenitentiae, verum illam tantum quae fundatur in receptione baptismi: eadem ratione baptisma Ecclesiae opponit lustrationibus Judaeorum pro lubitu iteratis. Est et alia instantia: 4. non esse S. Paulo Hebraeorum doctissimo adscribendum opus, in quo incongrue quaedam ad Messiam referuntur 2, 6. e Ps. 8, 5. Sed hoc probandi genus Paulo familiare apud Hebraeos validum esse, visuri sumus in comm. de S. S. eiusq. interpr. 5. Quod ad criminationem attinet, scriptorem Hebr. 9, 2. inepte et contra veritatem facti scripsisse; La-

III. argumentum historicum; ad quod spectat mentio vinculorum [1]. Huius epistolae scriptor comitem sociumque indivisum habuit Timotheum [2]; quem Romae cum Paulo captivo fuisse, exordia quoque epistolae ad Colossenses et Philemonem docent. Idem porro meminit perpessionum, quas cum gaudio Hebraei sustinuerant [3]. Quod ipsum Apostolus fecit scribens ad Thessalonicenses [4]. Quam belle in d. Paulum quadrat locus, quo data est epistola: Italia; unde salutat [5]. Quid magis in s. Paulum valet, quam consolatio; qua [6] fideles Hebraeos in eam spem erigit, ut brevi illius bearentur aspectu. Consuetus denique Paulo ordo claudendi epistolas voto, salutatione, signaculo [7] in his quoque literis sese prodit. Quod superest IV. maxima s. s. P. P. et S. E. pars d. Paulo epistolam hanc adscripsit; Concilium Tridentium quatuordecim esse epistolas d. Pauli decrevit, et inter has epistolam ad Hebraeos recensuit; utraque demum Occidentalis et Orientalis Ecclesia in suis divinis Officiis nusquam aliter ac nomine s. Pauli, lectiones ex his literis recitare consuevit. Si igitur argumenta omnia ponderentur, quaecunque de aliis praeter s. Paulum scriptoribus harum literarum dicuntur, gravioribus longe premuntur incommodis [8].

retorsimus iam in H. R. V. T. p. 136. Urgent 6. scriptorem 2, 3. profiteri se discipulum Apostolum. S. Paulus phrasi „εἰς ἡμᾶς“ ex prudentiae et modestiae ratione se non distinguit ab aliis; quamvis ab ipso Christo de omnibus ad Revelationem pertinentibus fuerit institutus. Prolixae traditionis et taediosae lectionis foret alias enarrare arbitrarias sententias: D. Schulz, der Br. an d. Hebr. Bresl. 1818. p. 52. s. Schwegler, nachap. Zeitalter II, 317. C. R. Köstlin, Joh. Lehrbegriff. Berl. 1843. p. 399. s. Baur, d. Christenthum u. d. Kirche d. e. Jahrhunderte. Tüb. 1833. p. 99. s.; qui doctrinam huius epistolae nihil aliud reputant esse, quam genus quoddam sublimius Judaismi. Sed si τὸ πρῶτον illud ψεῦδος attenditur, opinionum istiusmodi virorum, corruent fabulae, quas de origine S. S. excogitarunt. Aliquae denique, ut rem concludamus aut etiam plures loquendi formulae in ceteris epistolis Paulinis non expressae, non possunt elevare vim singularis conformitatis, quoad centenas alias. Neque mirum esse debet contineri in hoc scripto peculiaris quid et individualis, cum didascalica sit elucubratio.

[1]) C. 10, 34. Nam et vinculis meis „τοῖς δεσμοῖς μου“; Vulgata „τοῖς δεσμίοις“ legens vertit „et vinctis“ compassi estis. [2]) 13, 23. [3]) 10, 32. 33. [4]) I. 2, 14. [5]) 13, 24. [6]) 13, 23. 24. [7]) 13, 24. 25. [8]) Cf. H. Olshausen, diss. de auctore ep. ad Hebr. in opusc. ad cris. et interpr. N. T. pert. Berol. 1834. p. 89. s., qua Bleekii errores in recensenda traditione detexit; in eo tamen aberrans, quod nulla idonea causa motus dicat, scriptorem nomine corporis presbyterorum, cuius membrum fuit, quasi instrumentum et ministrum scripsisse. p. 121. Haec hypothesis, sine testibus et monimentis, ambiguis quibusdam conclusionibus nixa, sane se non commendat. Digna sunt, quae h. l. adscribantur verba G. Estii, proleg. in ep. ad Hebraeos p. 622. „censeo quidem cum Theologica facultate Parisiensi, cumque Melchiore Cano, temerarium esse, si quis epistolam ad Hebraeos negaret esse Pauli Apostoli, sed haereticum ob id solum pronuntiare non ausim“.

§ 94. Occasio, scopus, argumentum epistolae ad Hebraeos.

Invaserat Christianos e Judaeis conversos dubitatio et cura: quod sibi male consuluissent veterem disciplinam Moysis cum nova illa Christi commutando. Offendebantur eo, quod haec interpretem habuerat hominem supplicio affectum; cum illa per Angelos promulgata esset, interprete Moyse, quo nihil mortalium venerabilius noverant. Angebantur vero insuper ea de re, quod sacrificiis et expiationum V. T. solenniis loco suo motis; via quae ante unice noverant colendi Deum, et exposcendi peccatorum veniam, non amplius sibi pateret. In his igitur offendiculis et incitamentis apostasiae tollendis, d. Paulus in hac epistola totus quantus versatur. Etenim argumentum universae epistolae est: ostendere eminentiam Legis Novae supra Veterem, quae legislatore Christo, mediatore Novi non tantum praestantioris sed perfectissimi Foederis, in V. T. tam verbis quam typis praeformati, vere divino data est. Qui ideo omnibus quotquot mediatores Dei et hominum fuerint, infinite praestaret. Praecellere item N. T. in ritibus et sacrificiis, bonisque spiritualibus et aeternis quae mundo attulit. Subiungit nonnulla Apostolus de vi beneficia rerum adversarum; nec non de amabiliore specie Christianae Religionis quam Judaicae. His autem omnibus operam dabat; ut Hebraeis constantiam de retinenda fide Christi persuaderet atque virtutes Nova Lege dignas commendaret [1].

Quantam igitur laudem et commendationem meretur insignis haec ad Hebraeos scripta epistola; quippe quae Christi doctrinae utroque Testamento traditae, quoddam compendium est; nobisque consensum Prophetarum in Veteri et Evangelii in Novo Foedere circa summa fidei capita ob oculos ponit! — Ut illum quem sibi Apostolus propositum habuit scopum contingat: parte priore [2] exhibet D. N. J. C. mediatorem N. F., qui longe antecellit Angelis et Moysi, ministris abrogatae Legis [3]. Postquam ostendisset D. N. J. C.

[1]) Quod consilium recte a nobis expositum, demonstrabit succincta recens. huius epistolae. [2]) C. 1—4. [3]) Asserit 1, 1—14. dignitatem Christi prae Angelis: Jesus qui novissimus inter Prophetas locutus; eo potissimum nomine, quod Filius Dei sit, isti vero legati et ministri praestat. Neque obstare excellentia

quem Legatum confessionis peccatorum nostrorum et verum expiationis sacerdotem adpellat[1], Deum esse; monstrat Moysem mediatorem Antiqui Testamenti, Christo longe inferiorem existere[2]. Ille creator, hic creatura; ille Filius Dei, hic famulus est. Unde iubet Hebraeos magnitudinem istam perpendere; ne a fide deficientibus idem contingat, quod patribus eorum in deserto, qui a promissa sibi felicitate sunt exclusi[3]. Ne forte desperarent, aut nimium timerent, incidere in eandem cum maioribus suis infidelitatem lectores exhortatur: quod Pontificem misericordem habeamus, qui possit infirmitatibus nostris compati et gratia sua nobis auxiliari. Adeamus ergo intrepide amoris et orationis passibus, talem in coelis intercessorem[4]. Prosequitur[5] singulari artificio et elocutione sermonem facere: de Christi munere sacerdotali et beneficiis. Docet Jesum Christum a Deo Patre constitutum sacerdotem, vere omnia praestitisse, quae sunt Pontificis[6]. Quantum autem ad relationem inter Christum et pontifices aaroniticos; D. N. J. C. est sacerdos secundum ordinem Melchisedech[7]. Demonstrat praerogativam sacerdotii „κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ"[8]. Pergit extollere sacerdotium Christi, qui est pontifex

---

Christi quod homo fuerit, et homines docente S. S. minores sint Angelis 2, 6—8.; nam maior est secundum imperium. Deinde decuit Christum propter nostram salutem, ita se humiliare 2, 9—18. Hoc autem mire conducebat ad confirmandos Judaeochristianos, ut maiori studio curarent mandata Novae a Christo et Apostolis promulgatae, quam Veteris per Angelos ministratae Legis. Lectu digna sunt quae de c. I. et II. habent J. Lund, specileg. enchir. exeg. Havn. 1802. p. 90. s. et C. B. Moll, Christologiae in ep. ad Hebr. scr. propos. P. II. Jesus Messias propheta qui locum Filii Dei tenet. Hal. 1855. et P. III. Jesus Messias filius Dei super angelos elevatus ib. 1859. Item Griesbach, de imag. auct. ep. ad Hebr. opusc. I, 416. s.

1) In qua adpellatione elucidanda occupatur J. R. Sachlin, diss. de eo quod Salvator Paulo dicatur „ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν", in Thes. n. p. 964. 2) 3, 1—6. 3) 3, 7—4, 13. 4) 4, 14—16. 5) C. 5—10. 6) Id autem probat ex officio sacerdotis, quod est offerre dona et sacrificia pro peccatis. 5, 1—9. 7) 5, 10. Addit Apostolus hanc de Pontificia Christi dignitate doctrinam esse prorsus sublimem; sed enitendum Hebraeis Abrahami instar ad perfectiora. Quare non esse repetendam doctrinam de lustrationibus, impositione manuum, resurrectione mortuorum et de iudicio aeterno, cum istae omnibus Christianae notae esse debeant. L. d. h. A. Wild, exercit. exeg. hist. de forma catecheseos Paulinae Varn. 1731. p. 15. Concludit pro praxi huius doctrinae; ut studeant perfectioni 5, 11—6, 19. 8) Ostendit sacerdotium Christi in Melchisedech prae-

immortalis, sedens ad dexteram Patris in coelo; ubi non offert don[a] terrestria sed coelestia. **Unicum Christi sacrificium** suffic[ere] ad nostram omnium redemtionem [1]. Exhibita autem superioritate et aeternitate sacerdotii Christi, pronum fuit S. Paulo cessationem sacerdotii et Legis V. T., in qua illud fuit constitutum, colligere [2] et Novum Foedus, quod Prophetae praedixerant Christi [esse] religionem ostendere, in qua unicum ipsius sacerdotium vigeat [3]. Collatione rituum A. F. cum ritibus N. F., probat **excellentiam Novi Testamenti prae Vetere**; quatenus cerimoniae mosaicae Legis Novae veluti umbrae, ad hoc tantummodo ordinatae fuerant ut mysteria Novi Foederis praesignificarent. Omnia V. F. institu[ta] fuisse infirma ad sanctificandas animas; ideoque opus alio Chri[sti] sacrificio [4] excellentiori et praestantiori [5]. His doctrinis et institutionibus aspergit Apostolus assidue; quae faciant ad suadendam perseverantiam in fide christiana, et ad absterrendum ab apostasia. Moerore afflictos Christianos hortatur [6], ne talem ac tantum sacerdotem [7] relinquant. Perdurent in tribulationibus, quibus Christus brevi finem est impositurus [8]. Adfert apposite exempla Justorum V. T., qui fide Deo placuerunt; totusque versatur in laudibus fidei [9]. Revocat Hebraeis in mentem Christum magistrum d[e]

---

figuratum luculentissime Aaronitico, cui substituendum erat, longe praestan[tius]. Melchisedech enim Aaroni multo superior est, quod eruendo mysteria latentia in historiis Abrahae Gen. 14. eximie confirmat 6, 20—7, 19. Cf. J. Wessel, Diss. s. Leid. Lugd. Bat. 1721. I. de silentio S. myst. in hist. Malcitsedeki. p. 222. s. E. Klüpfel, Christus sacerdos sec. ordinem Melchisedech. Frib. 1772. C. A. Auberlen, Melchisedeks ewiges Leben u. Priesterthum, in ann. Stud. u. Krit. 18[5]7 p. 453. s. V. H. R. D. V. T. p. 49. s.

[1]) C. C. 7, 20—8, 5. V. Thalhofer, die Opferlehre des Hebräerbriefes und die kath. Lehre vom h. Messopfer. Diling. 1855. p. 10. s. [2]) Hac tamen conclusione praetermissa, antecedens tantum exsequitur Apostolus. [3]) 8, 6—13. [4]) 9, 1—14. [5]) 9, 15—10, 18. Cf. N. Nonnen, disp. de rebus tabernaculi typis coelestium. Brem. 1750. J. Wilkens, functio pontif. m. in adyto anniversaria ad dictum Hebr. 9, 7. in Thes. th. phil. p. 749. s. H. R. D. V. T. p. 134. s. [6]) Itaque 10, 19. transit ad genus exhortatorium gravissimum. [7]) Quem dulcissima consolatione iis in memoriam revocat. [8]) Adducit fundamenta constantiae in fide, motivaque retrahentia ab apostasia. 10, 20—39. [9]) C. 11. p. i. Quae quantam vim habuerint ad Hebraeorum movendum flectendumque animum inquisivit: P. J. L. Huet, spec. acad. de antiquissimo Dei cultorum qui in epist. ad Hebr. c. 11. memorantur fide. Amstel. 1824. p. 25. s. Exposita definitione, obiecto, utilitate fidei, 11, 1—3., tamquam virtutis a patriarchis, prophetis, sanctisque V. T., quorum longum texit catalogum

coelis missum, cui adhaeserunt; item aeternae remunerationis praemium [1]. Postremo capite in moribus formandis versatur [2]. Rogat ut aequo animo excipiant has literas; atque postulat Hebraeorum preces, quibus vice versa gratiam divinam apprecatur [3]. Haec summa literarum Apostoli ad Hebraeos, similior sermoni exhortatorio [4], quam epistolae; et quae universim considerari possunt instar apologiae, genio Hebraeorum aptatae, pro Lege Nova

singulariter cultae; enarrat victorias ope fidei ab istis heroibus reportatas. Infert proinde dignam esse virtutem, quae omnibus viribus ab Hebraeis custodiatur. 11. 4—40.

[1]) Animat exemplis praeclarissimis, et praesertim Christi, ut in adversis constantes maneant. 12, 1—4. Explicat 12, 5—29. multis quodnam officium susceperint; qui a prisca et imperfecta Legis observantia ad perfectissimam disciplinam Evangelii transierunt. [2]) Praebet institutiones 13, 1—17. quae ad officia civilia, familiaria, religiosa attinent; iniungit maxime virtutes tolerantiae, constantiae et caritatis. [3]) 13, 18—25. Interpretes Acatholici E. g. Hunnius, exeg. ep. ad Hebr. Franc. 1589. p. 220. s. J. Braun, comm. in ep. ad Hebr. p. 640. s. J. Fr. Winzer, de Sacerdotis officio, quod Christo tribuitur in epist. ad Hebraeos comm. I. II. Lips. 1825. Bleek, der Br. an. d. Hebr. III, 1011. A. Tholuck, Beil. z. d. Comm. ü. d. B. a. d. Hebr. ü. d. Opfer. u. Priesterbegriff im A. u. N. T. ed. 4. Gotha. 1854. p. 102. s. Lünemann, der Br. an d. Hebr. p. 369. Delitzsch, Comm. z. Hebraeerbrief. p. 687. 747. suos de sacrificio Novi foederis errores locis 10, 14. et 13, 10. tuentur; atque Paulum doctrinae Catholicae de Missae sacrificio omnino adversari dicunt. Affirmant Christum una oblatione, quam in cruce peregit, pretii infiniti omnia peccata delevisse; et plenam perfectamque iustitiam induxisse. Ergo inferunt multiplicare tot missae sacrificia, nihil aliud est: ac negare virtutem sacrificii crucis, ac si perfectae aeternaeque redemtioni minime sufficeret. Quibus respondemus: nos non celebrare Missam, ut sacrificium crucis perficiatur; quin docente ita s. Conc. Tridentino sess. 22. de sacrif. Missae c. 2. affirmamus, unum idemque esse sacrificium crucis et Missae. Enimvero in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit. „Ut una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa." Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Ut igitur fructus illius beneficii, quo redemtio continetur nobis in particulari applicetur, et mandato Christi satisfiat, Missam celebramus. V. p. 106. s. Cf. Anonymi — Scholz? — diss. ad 13, 10., in Zeitschr. f. Philos. u. kath. Theol. Köln. 1835. XV, 200. s. [4]) V. A. Seyffarth, l. de ep. q. d. Hebr. indole maxime peculiari. Lips. 1821. p. 24. s. Sermo „λόγος τῆς παρακλήσεως" 13, 22. ad exhortandum; non ut Thiersch propugnat, comm. de ep. ad Hebr. p. 8. d. Kirche in apost. Zeitalt. Franc. 1852. p. 212., consolatorius est admixtis admonitionibus. Cf. 6. 4. s. 10, 29. s.

adversus cultores Legis Veteris, quorum rationes prudenter et attemperate refutantur. Hebraei has literas apostolicas non sine fructu perceperunt; constat enimvero, quamvis in extremam egestatem redigerentur, diversisque persecutionibus divexarentur, eos in fide atque professione christiana constantes perstitisse.

§ 95. Prima s. Petri epistola.

Instituta iam a Principe Apostolorum s. Romana Ecclesia tantum abfuit, ut reliquas antea abs se constitutas neglèxerit: ... eas imo luculenta scriptione curaverit. Priore enim epistola sua ... egit, ut fideles per Asiam minorem dispersos, ex Hebraeis conversos[1], non minus quam ex ethnicis, in professione susceptae christianae religionis confirmet. Hortatur ad fidem vita et moribus exornandam, ita fiet ut coelestem haereditatem, ad quam vocati sunt, consequantur[2]. Praemissa salutatione solenni[3], gratias agit Deo, quod fideles regeneravit ad spem vivam per resurrectionem Christi, ad haereditatem immarcescibilem post mortem futuram iis, qui in fide perseverent[4]. Plenius deinde effert institutionem, qua regeneratis vitae ratio sancta praescribitur. Consistit haec in depositione omnis malitiae. Sint christiani sicut infantes recens nati innoxii atque doli, simulationis, invidiae, detractionis prorsus nescii[5]. Propter hoc docente, Scriptura qui ad Christum lapidem

---

[1]) Cf. Fr. L. Steinmeyer, disq. in d. Ap. Petri ep. prior. prooemium. Bonn. 1854. p. 1. Th. Schott, der erste Brief Petri Erl. 1861. p. 325. s. [2]) Argumentum huius epistolae varium est mixtumque, non simplex unumve; nunc dogmaticum nunc paraeneticum. [3]) 1, 1. 2. [4]) Ea quidem salus, cui et Prophetae et Angeli oculos adiecerunt, iam in lectorum manus venit. Quo pacto Prophetae oracula divina de Christo passuro posteaque ad gloriam evehendo edocti, non sibimetipsis sed nobis ea ministrare iussi sunt. 1, 3—12. V. Steinmeyer, l. c. p. 39. s. Quare monet lectores, ut qui sanguine Christi redemti essent tum sanctitatem Dei, tum Christi exemplum imitarentur; ut decet homines, plane aliud nactos ingenium; haud quidem naturali modo nascendi, sed Deo procurante per Verbum, quod nobis annunciatur et regenerationis nostrae causa est secundum Divinitatem principalis; secundum Humanitatem instrumentum primarium, quoad meritum et efficientiam. Ita Didymus, apud N. Serarium S. J., Comm. in omn. ep. can. Mog. 1612. p. 27. [5]) Exponitur eximia Christianorum dignitas, consistens in quam maxima, quae fieri potest, unione cum D. N. J. C., veluti s. aedificii partium

vivum accedant credentes, honorem reportare; sicut e contrario damnum hi, qui per fidem ad id aedificium convenire nollent[1]. Generalia virtutis praecepta[2], honestae inter gentes conversationis, adcommodat porro s. Petrus ad varias vitae humanae conditiones[3]. Tum sequitur cohortatio ad religionem christianam coram omnibus intrepide profitendam. Corroborat exemplo passionis D. N. J. Christi[4] innocentes fideles persecutionem passos[5]. Loquitur de salute, quam per baptismum recipimus in similitudinem eorum, qui arca Noae servati sunt, atque de praedicatione Jesu Christi in limbo[6]. Urget Christi sanguine redemtos, renovatosque baptismo, ut qui sese antea vitiis[7] dederunt, ea deinceps diligenter caveant. Erit quando Deus de peccatis repetat poenas in futuro iudicio, quod inde cognoscitur; quoniam Christus[8] propter hanc ipsam causam voluit ad inferos descendere[9]. Ingruet extremus vitae finis, ad quem nos paratos esse oportet[10]. Subiiciuntur rursus egregia

---

cum fundamento; in quo aedificio ipsimet coaedificati quodam fungantur officio sacerdotis, offerantque uni Deo gratissimas hostias per eiusdem cui cohaerent Salvatoris merita. Vox „αὐξηθῆτε“ 2, 2. ansam dedit integrae allegoriae ducendae. Namque per hanc ipsam s. Petrus defertur ad cogitationem aedificii, iacto fundamento altius exstruendi. Agnoscitur in hac omni 2, 4—10. imagine fervidum ingenium Petri, ex una idea statim aliam quandam concipientis. Additur 2, 6—8. Isaiae 26, 16. asperso Ps. 118, 22.; loci unanimi Judaeorum consensu de Messia explicare soliti interpretatio.

1) Elogiis quae olim de Judaeis pronunciata erant Exod. 19, 5. Deut. 4, 20. 7, 6. 10, 15. Ps. 134, 4. Isai. 62, 12. Oseae 2, 23. 4., ornat et amplificat descriptionem dignitatis Christianorum. 2) 2, 11. 12. 3) Commendat vehementer 2, 13—18. obedientiam adversus magistratus, cuius est praemiare ac punire. Tradit 2, 18—25. officia servorum, quos exhortatur ad obsequium dominis etiam obliquis praestandum; et ut afflictiones ad imitationem Christi ferant. Uxores viris subiiciantur; viri quo scientia magis valent et auctoritate, prudenter vivant cum uxoribus, neque potestate sua in mulieres abutantur. 3, 1—7. Redit ad unum mutui amoris mandatum, ad quod omnium hucusque commemoratorum officiorum ambitum revocat. 3, 8. 9. Testimonio Psalmi 33, 13. maledicentiam, quae vitae aeternae aditum intercludit, vitandam esse docet. 3, 10. Statim vero commatibus sequentibus 3, 11—14. relabitur ad generale virtutis studium commendandum. 4) De qua toties ac tanto animi affectu loquitur; nominans etiam 5, 1. se testem passionum eius. 5) 3, 15—18. 6) 3, 19—20. V. p. 152. s. Volentibus intra Ecclesiam manere eique obedire satagentibus, salus et sanctificatio obtingit; sed extra illam constitutis, vel eius mandata non exsequentibus, damnatio et perditio. 3, 21. 22. 7) Quorum nonnulla paulo magis externa gravioraque recenset. 8) Cui commissa est iudicandi potestas. 9) 4, 1—6. 10) 4, 7.

praecepta morum[1]. Orat pastores[2], ut suo tam gravi, sedulo vacent ovium pascendarum muneri; a subditis autem[3] exigit, ut illis obediant. In omnibus requirit, ut humilitati studeant, et sortem suam divinae providentiae prorsus committant[4]. Ut denique maxima in Christi fidelibus inter vexationes et molestias excitetur fiducia. d. Petrus opportuna doxologia epistolam claudit[5]; addita salutatione[6] Ecclesiae, quae est in Babylone coëlecta[7], i. e. Romanae. et voto discipuli sui s. Marci[8].

---

[1]) Et quidem loquitur de caritate fraterna, atque initio praesertim Ecclesiae necessaria hospitalitate 4, 8. 9.; de gratia „χαρίσματι“ pro ratione ea, qua sua quisque acceperit, cum aliis communicanda: ut in Domini, cuius est gloria cedat honorem. 4, 10. 11. Commonet posito argumento ab exemplo Christi, ne quisquam impatienter ferat calamitates et persecutiones propter fidem; 4, 12—14. fugienda vero esse omnia maleficia, pro quibus meritae debentur legibus poenae. In tribulationibus Deo, sine cuius permissu nihil fit, animas nostras quarum potior ratio est habenda quam corporum, commendemus. 4, 15—19. [2]) 5, 1—5. [3]) Quos iuniores nominat. [4]) 5, 6. 7. Vigilandum, ne intercipiamur adversarii nostri diaboli, omnes nocendi vias sagaciter quaerentis, insidiis. „Id quidem necesse, inquit S. Bernardus, in Ps. 90. qui habitat. Serm. 11, 1. II. 2, 186. Non enim dormit neque dormitat qui custodit Israel. Et sicut ipse sollicitus est nostri, et ipsi cura est de nobis, sic ille sollicitus est ut nos mactet et perdat et una ei cura, ne forte qui aversus est revertatur.“ Adversus tanti adversarii periculum fides et sobrietas sunt pro remedio. „Sancti, ut docet d. Gregorius Mor. l. IV. 21, 42. I, 157. viri quamdiu in hac vita sunt, semet ipsos sollicita circumspectione custodiunt ne leo circuiens insidiando subripiat.“ Deus autem abunde vires suppeditabit, quibus postquam constanter adversa, quae sunt, aliquin per se et comparate ad aeterna gaudia levia toleraverint, hi qui vocati sunt, ad coelestis felicitatis valeant adeptionem pervenire. [5]) 5, 8—11. Nominat 5, 12. Silvanum, cui tradidit deferendas literas; ut certiores fiant abs se scriptas simulque subiicit earum consilium esse: ut ipsos in suscepto confirmaret instituto. [6]) Fovetur enim inter alia, mutuis caritas salutationibus. [7]) Qua adpellatione Ecclesiam romanam τροπικῶς designasse d. a. l. [8]) Tota Epistola apostolica sapientia plenissima reperitur. Dicendi genere utitur d. Petrus brevi et concise sed sublimi, verba et phrases prorsus ad eas accedunt, quas de iisdem rebus in Libris Historiarum loquens adhibuit. Ubique elucet summi Pastoris auctoritas et apostolica dignitas, fervidum Petri ingenium cum eximia caritate coniunctum. Cf. J. Pott, ep. Cath. gr. perp. ann. illustr. Gott. 1810. II, 163. G. Steiger der I. Br. Petri m. Ber. d. g. b. Lehrb. ausg. Berl. 1832. p. 5. s. Mayerhoff, Einl. in d. Petr. Schr. Hamb. 1833. p. 132. s. Authentiae huius epistolae nemo prudens ab antiquissimo inde tempore ad nos usque derogare ausus est. „Quod ad Petrum attinet, scribit Eusebius, H. E. III, 3. p. 71., una eius epistola quae prior dici solet tamquam germana ab omnibus sine controversia admittitur.“

§ 96. Posterior d. Petri epistola.

Certior per divinam revelationem de vicina morte d. Petrus, iisdem lectoribus quibus primam, misit epistolam secundam [1]. Prospicere voluit supremus pastor animarum, ne fideles a falsis doctoribus inter eos latentibus, quorum vita aeque detestabilis erat ac doctrina, abriperentur; tum ad errores perniciosissimos, tum ad flagitia christiano homine indigna. In hoc argumento amplificando sic versatur: Praemissa epigraphe [2], conciliat sibi lectores; cum eos pares in eadem fidei ac iustitiae communicatione facit, sub eodem capite Christo; cuius intima consuetudine gavisus fuerit. Loquitur de fide Christi a Prophetis praenuntiata; monet ut in accepta fide permanerent, et per bona opera certam facerent suam vocationem et electionem [3]. Inde quod Scripturam Sacram — quippe quae a viris Spiritu Divino afflatis exarata sit — non uniuscuiusque lubitu explicari posse affirmaverit; ad eorum qui

---

[1]) Ex eadem Urbe unde prior data fuerat. [2]) Qua nomen et munus suum exhibet. [3]) Initium II. 1, 2. s. ducit a cohortatione ad obsequium doctrinae Christi praestandum. Exponit rationes cur ipsis hoc tantopere commendet, quae sunt: quia mors sibi brevi futura sit; et doctrina a se proposita vera atque a Christo tradita esset. Id quod confirmat sua autopsia. Exigit ut sibi tanquam testi oculato credatur; utpote qui in transfiguratione contemplatus fuerit gloriam Christi, neque supponi posse eum allaturum in medium nisi res omnino veras et certas. Ostendit non modo quam tradebat ipse, Doctrinam roborari mirabili illa visione, de qua proxime meminit; sed quoniam eodem comprobetur publico Prophetarum antiquorum testimonio firmissimo; in cuius qui studium incumbant recte omnino faciant; utpote lumen inde accipientes in huius vitae obscura caligine, donec perveniant ad Dei visionem claram. Utilissimam autem Prophetarum lectionem esse, sed ut qui eos legunt intelligant, divina gratia opus habent. Nam sicut auctore sunt Deo, ac inspiratore sacrae conditae Scripturae, ita ut apprehendantur divina necessaria est gratia. Opportune d. Petrus 1, 20. 21. monuit, postquam v. 19. S. Scripturas „lucernae" nomine adpellasset; ne quis id ita intelligeret, quasi certe illuminaret, etiam secundum privatam cuiusvis interpretationem. Ideo addidit graviter: ut hoc primum omnes animadverterent, interpretatione propria S. S. non percipi; sed illa ipsa auctoritate, qua condita est, et in Ecclesia reperitur; quae dictae lucernae ministra est, et lumen ipsum illius demonstrat et proponit. Haec nos, ut omnino Sess. IV. Concilii Tridentini decreta, paucis commemorare voluimus. Copiose praeter theologos polemicos hac de re disputat J. Lorinus S. J., in cath. tr. b. Joannis et duas b. Petri epistolas comment. Lugd. 1609. p. 358.

doctrinae Apostolorum adversantur, accedit delineationem. Ait: in hoc Veteris par Foederis ratio et Novi; ut pseudodoctores excitet Satan, qui sanam doctrinam pervertant, bonos corrumpant mores[1]. Jam vero pravorum doctorum semel mentione facta reprehendit scelestos eorum mores ad libidinem effusos. Christianos etiam atque etiam hortatur, ne ab iis se decipi patiantur. Enarrat s. Petrus varia punitae impietatis exempla. Repetiturum docet Deum de illis supplicia, ut de improbis quondam angelis[2], de hominibus diluvii, deque Sodomitis. Invehitur in relabentes ad errores. Etenim a veritate cognita defecisse, nec ei obedivisse, peius esse quam cognitione caruisse[3]. Immaculati adventum D. N. J. C. exspectarent. Consurgit adversus negatores divini generalis iudicii adstruitque quemadmodum incredulos olim ex improviso diluvium occupavit, et perdidit, de quo praemonuerat Noe; sic mundum aliquando interiturum per ignem credere oportet, prout Deus etiam praedixit[4]. Occurrit obiectioni ex rei futurae longioris dilatione, quia qui nullis adstringitur temporum spatiis Deus, quod dixit praestabit[5]. Denique simili apprecatione, quae in initio epistolae posita est finit: ‚Crescite in gratia, et cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi'[6].

Digressio, qua secunda epistola s. Petri canonica esse demonstratur. Posteriorem epistolam s. Petri, nonnullorum olim iam dubiis iactatam fuisse constat. Certe Origenes, apud Eusebium H. E. VI, 25. p. 227. ait: „Concedamus vero et secundam eius esse. De hac enim ambigitur, „ἀμφιβάλλεται γάρ." Eusebius, ib. III, 3. „Quae vero secunda adpellatur eam quidem inter sacros Novi testamenti libros censita-

---

1) II. 2, 1—22. A. q. v. A. C. Barkey, de pseudodoctoribus, quorum mentio fit II. Petri 2, 1. s. Lugd. Bat. 1767. p. 16. s. 2) Cf. ad h. l. J. Tiesk: diss. de malorum angelorum ταρταρώσει ad II. Petri 2, 4. s. in Thes. th. ph. p. 78.. 3) Ad haec 3, 1. quae per priores literas lectoribus explanaverat, in memoriam iterum revocat; et ut attente legant, quae iisdem de rebus scripserint tum Prophetae tum Apostoli. 4) L. H. R. D. V. T. p. 25. 5) Si differt id non fac. vitio tarditatis; sed benevola exspectatione poenitentiae. Quo beneficio ne quis abutatur, ut nos ad iudicium futurum propere ac studiose paremus; certi, ... parciturum peccatoribus Deum. Confirmat hoc s. Pauli testimonio non ... dumtaxat unius epistolae sed ex omnibus, quibus habentur consentanea ... quae ipse docuerit; quamvis Pauli scripta, quae et laudat una cum ceteris S. Scripturis, in praeposterum ab aliquibus detorqueri sensum testetur ad sua ipsorum damnationem. Efficere conatur ut ab iis caveant, de quibus locuta est; atque in sana doctrina, quam acceperunt constanter perseverent. 6) 3, 2–1.

non esse a maioribus accepimus:" p. 72. Desideratur in antiqua Versione Syrica. S. Hieronymus, de script. eccl. l. s. c. inquit: „Secunda a plerisque eius esse negatur propter styli cum priore dissonantiam." Praeterea a multis quatuor priorum saeculorum negligebatur scriptoribus. Haud pauci recentiorum interpretum Acatholicorum illam penitus reiecerunt; argumentis ex testimoniis primorum saeculorum, et ex scribendi genere petitis. Hugo Grotius, ann. ad II. 1, 1. op. th. III, 1113. et Erasmus tamen, arg. ep. P. sec., frustra inter obtrectatores numeratur, siquidem Op. VI, 1058. dicat: „Hanc ut apparet scripsit admodum senex, et iam morti vicinus." Petrum scriptorem esse negant: Schott, Isag. p. 424. Credner, Einl. I. 6, 660. s. Olshausen, quem mireris, qui diss. de integritate et authentia posterioris Petri ep. s. I. in op. p. 37. s. antiquatum commentum recoxit, de diverso utriusque epistolae amanuensi. Neander, Gesch. d. Pflanz. d. chr. K. II, 513. J. H. Magnus, exam. d l'auth. de la II. ép. de Pierre. Strassb. 1835. L. Audemars, la II. ép. de Pierre. ib. 1838. A. L. Daumas, introd. cr. a la II. ép. de Pierre ib. 1845. Meyerhoff, Einl. p. 145. s. Schwegler, nachap. Z. I, 490. Huther, Einl. p. 247. s. Ewald, Gesch. d. V. Isr. Gött. 1859. VII, 226. Bleek, Einl. p. 574. s. cum aliis. Verum αὐθεντίαν II. ep. s. Petri evincunt eadem Canonis monimenta, quae militant pro prima; i. e. multorum satis antiquorum S. S. P. P. et S. S. consensus; definitio Conciliorum; ususque Ecclesiae solennis in divino officio. Traditio ecclesiastica tam certa et firma fuit; ut nullis dubiis revinci potuerit. Optime monuit Fr. Lücke, Stud. u. Krit. 1830. p. 442.: quando quaeritur, utrum quaedam epistola sit Pauli nec ne, haec quaestio multo magis ex testimoniis externis, quam ex indiciis internis disceptanda est atque diiudicanda. Sed illa testimonia externa, cum satis nota sint, et in omnibus commentariis obvia hoc loco recensere supersedemus. Quod ad discrepantiam scribendi generis attinet, quam non sine aliqua veri specie urgent adversarii; comparatione cum priori epistola facta damus: aliquam orationis diversitatem in dicendi formulis et sententiis observari. Tanta interim non est, ut alium scriptorem poscat. Opponunt quidem S. Petrum non potuisse scribere, ut memores sint doctrinae Apostolorum nostrorum. II. 3, 2. enim dicit: „ut memores sitis eorum, quae praedixi verborum a sanctis prophetis et Apostolorum vestrorum, — τῶν ἀποστόλων ἡμῶν — praeceptorum Domini et Salvatoris." Occurrit huic aliisque dubiis Windischmann, Vind. Petr. p. 25.; qui eruditissime demonstravit differentiam sermonis inter duas S. Petri epistolas nonnisi talem esse, qualis in variis eiusdem scriptoris operibus exspectanda sit, imo manifestam eis inesse orationis congruentiam. Docuit adoptandam esse lectionem codicum, qui habent ὑμῶν — quam etiam Gratz, N. T. ed. Mog. 1827. II, 475. expressit, — quae coll. Eph. 2, 20. I. Petr. 1, 12. bene quadrat. Si autem quis a recepta lectione recedere malit; poterit cum C. A. Donat, Mori prael. in Jacobi et Petri ep. Lips. 1795. p. 237. et Pott, prol. p. 182. ita interpretari: memores sitis praecepti a nobis Apostolis vobis dati. Quo concesso, ut iam olim Grotius vidit l. c. p. 1121. pro s. Petro Apostolo huius epistolae scriptore, haud leve exsurgeret argumentum. Quemadmodum enim Christus et Apostoli, de semetipsis locuturi, haud raro tertium quemdam inducere videntur; sic etiam noster recepta lectione „ἡμῶν", se ipsum complecti omnino potuisset. Viri harum rerum periti recentioris atque huius aetatis secundam epistolam aeque s. Petri esse profitentur. A. L. Nietzsche, ep. Petri posterior auctori suo vindicata atque adserta. Lips. 1785. p. 26. s. Dahl, de auth. ep. Petrinae poster. atque Judae. Rostoc. 1807. p. 4. s.

E. Chr. Flatt, genuina sec. Petri ep. origo denuo def. Tub. 1808. Donat, Pott, Windischmann, l. c. Hug, Einl. II, 556. s. J. A. Delille, auth. de la II. ép. de Pierre. Strassb. 1835. A. L. C. Heydenreich, ein Wort z. Vertheid. der Aechth. d. II. Br. Petri. Herb. 1837. p. 97. s. Thiersch, die Kirche im ap. Zeitalt. p. 211. Guerike, Gesammtgesch. d. N. T. p. 477. s. Maier, Einl. p. 419. s. Reithmayr, Einl. p. 736. s. Ph. Schaff, Gesch. d. apost. Kirche. p. 365. s. Döllinger, Christenth. u. Kirche. p. 94. s. Iidem agnoverunt apostolicam gravitatem cum fide zelante in his literis iunctam; plurimis in pauca verba congestis abundare imaginibus, quae si ab iis quas in priori epistola adhibuit discrepant, argumenti differentia optime explicat. Denique pravorum doctorum descriptio in apostolicum tantum quadrans aevum, epistolaeque cum ea s. Judae similitudo, d. q. s. l., demomonstrat: secundam epistolam s. Petri genuinam esse, de eius proinde Canonicitate nunc absque erroris nota dubitare minime licet.

§ 97. S. Pauli epistola ad Timotheum altera.

Apostolus cum Romae vinctus de proximo mortem suam, i. e. martyrium exspectaret: Timotheo, quem prae ceteris discipulis suis tenerius diligebat, negotium fidei et sacrae praedicationis, quod super omnia cordi habebat, supremis quasi tabulis voluit commendare. Plena est haec epistola optimis praeceptis, quibus Timotheum ad munus pastorale recte et utiliter exercendum instruit; et ad persecutiones quibus vexabatur alacriter et constantissime perferendas animos addit. Primo prodit Apostolus suum in Timotheum, quem carissimum filium suum vocat, affectum. Perquam diligenter admonet Timotheum, qua ratione creditum sibi Evangelium annunciare oporteat[1]. Et cum in Asia Phigellus, Hermogenes, imo fere omnes Paulum deseruissent, excepto Onesiphoro et familia sua; Timothei sit: depositum fidei, ex quo ceteri exciderant, conservare[2]. Praeterea Apostolus[3] illum ad muneris sui varios labores obeundos animat, exemplo militis et agricolae: quorum prior strenuus esse

[1]) Revocat ad memoriam et laudat zelum fidei, amorem ex sua intima amicitia, fidem item puram aviae et matris suae; ideo oportere illum insistere officio divulgandi Christi fidem per mundum; cui et Apostolus quoad potuit semper institerat. 1, 1—5. Commonefacit Timotheum gratiae, quam accepit a Deo per „χειροθεσίαν" Pauli; propter quod non debet erubescere testimonium Christi, nec ipsum Apostolum Romae vinctum; sed collaborare in Evangelio pro quo Apostolus patiebatur, nec tamen destitit, quia certus erat: Jesum, qui Paulum Doctorem gentium elegit, debitum sibi in die iudicii reservasse praemium. 1, 6—12.
[2]) 1, 13—18. [3]) 2, 1—7.

debet in certando ut vincat; posterior sollicitus in laborando, ut fructum percipere queat. Certus itaque sit de futura mercede[1]. Praecipit Timotheo, non contendere verbis cum vaniloquis; sed eorum profanam consuetudinem devitare. Permittit Deus in Ecclesia aliquos implicari erroribus[2]. Post haec recenset virtutes, quas exercere debeat[3]. Quo plus sollicitudinis Timotheo iniungat, praedicit pessima tempora imminere[4]. Excitat eum ad studium S. Literarum, unde plurima commoda percepturus erit, ut improbos corripiat, bonos erudiat[5]. Urget quoque omni meliori modo ad munus episcopi assidue implendum[6]. Instante iam martyrio Apostolus seipsum intuebatur, veluti victimam libamine perfusam, iamque prope absumendam; sed ita de morte sua loquitur quasi victor ad gloriosum properans triumphum[7]. Rogat Timotheum, tunc temporis Ephesi agentem, ad se quam primum potest, ante hiemem veniret; eo quod a multis desertus sit Apostolus[8]. Quo autem libentius iter Romam ingrederetur; addit se Ephesum misisse Tychicum, ut absentis munia obiret[9]. Subdit quae passus fuerit; et qualiter ex ore leonis[10], i. e. praesentissimo

---

[1]) 2, 8—13. [2]) Sicut et in domo videmus non solum esse vasa in honore aurea et argentea sed et fictilia ad turpitudinem recipiendam. 2, 14—21. [3]) 2, 20—26. [4]) In diebus novissimis, pessimi futuri sunt homines, turpissimis irretiti criminibus. Adversus hos seductores Timotheum munit suomet exemplo. [5]) 3, 1—17. [6]) 4, 1—5. [7]) 4, 6—8. [8]) Comitem itineris adhibeat Marcum, et eam vestem librosque quos Troade transiens apud Carpum reliquerat; maxime autem membranas secum afferat. V. p. 453. „Τὸν φελόνην“ Vulgata „penulam“ II. 4, 13., vocat illam vestem, qua Veteres se in itinere, vel in urbe etiam a pluviis et frigore protegebant. Quas in itinere habuerunt plerumque scorteae erant; earumque meminit Poeta: „ad subitas nunquam scortea desit aquas.“ [9]) 4, 9—13. [10]) J. L. Moshemius, de Paulo ex ore leonis liberato ad Tim. II. 4, 17. Helmst. 1725. p. 6. s. ita explicat locutionem „καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος“: Cum de sententia nollet decedere, sed se Christi sponte profiteretur discipulum; ideo statim a iudice inter eos referebatur, qui proximo quod populo exhibendum, munere bestiis obiiciendi essent. Dum tempus exspectatur spectaculi, amici quos in aula Caesaris constat habuisse Phil. 4, 22., causam eius agunt apud proceres, hominemque saltem indicta causa non esse condemnandum saepius inculcant. Mos illis ergo geritur, et homo sanctissimus pro se verba facere iubetur. Quo ille negotio divina adiutus virtute tam belle dextreque fungitur, ut iudices nihil eum commisisse tam immani supplicio dignum pronuncient, eumque sic ex leonis ore eripiant. Id quidem dubio caret Christianos saepissime pugnae cum bestiis praesertim leonibus, in muneribus publicis destinatos fuisse;

periculo liberatus [1]. In fine epistolae s. Timotheum suo atque fidelium Romanorum nomine salutat [2].

§ 98. Ecclesiae Christi latius in dies diffusae fata.

Interea temporis aliae super alias passim in cunctis fere imperii Romani provinciis succrescebant Fidelium congregationes, ex Judaeis et Gentilibus conflatae; quae non desinebant prodigii adinstar suspici ob insignem virtutis et sanctimoniae splendorem, praecipue spectata ethnicis Graecorum Romanorumque eius aevi conditione. Initium sumsit Evange-

---

unde celebris illa formula: Christianos ad leones. Cf. S. Ignatii ad Rom. c. 5. p. 211. Martyrium S. Polycarpi, n. 12. p. 287. De martyribus ad bestias damnatis docte commentatur. A. Gallonius, Congr. Or. pr. l. de S. Martyrum cruciatibus. Colon. 1602. p. 301. s. V. e. Ruinarti, Acta Martyrum sinc. et sel. S. S. Perpet. Felicit. etc. n. 6. p. 83. Qui Apostolum ex magno se ereptum esse periculo affirmasse censent; etiam nihil quod minus probabile foret dicunt. Illud in proverbio fuisse „ex ore leonis liberari" satis constat. Coll. Ps. 21, 22. Eccti. 51, 4.

[1]) 4, 14—18. [2]) Pro epistolae complemento 4, 19—21. Dominum J. C. precatur, per gratiam suam sit cum Timotheo et omnibus Ecclesiae suae fidelibus. Q. res evaserit, an Timotheus ante Pauli mortem Romam pervenerit? incertum. *De authentia* alterius ad Timotheum epistolae hac nostra aetate dubitatur: quod falsi doctores in his literis notati, satis distincte describantur seu Gnostici saeculi secundi. Item quod verisimile haud sit, s. Paulum in tanto periculo epistolas scripsisse, et socios ad se vocasse; item exspectationem mortis animique constantiam quasi consulto ostentasse. Ita de Wette, Einl. p. 332. 337. s. Baur, die sogenannten Pastoralbr. d. Ap. P. Stuttg. 1855. p. 8. s. 97. s. Sed quae Apostolus de falsis doctoribus ad Timotheum scripsit; ea comparent in epistolis et Apocalypsi S. Joannis non minus, quam in literis Apostolorum Petri et Judae. Quod in specie gnosticos errores attinet, quamquam saeculo secundo artificiose ad methodum quandam nondum fuerint exculti; tamen digito quasi demonstrantur in aliis quoque d. Pauli epistolis, v. p. 405. s. et in exordio primae epistolae S. Joannis. Quod denique praetendunt s. Paulo non convenire genium epistolae, ipsa lectione eiusdem refellitur. Ad genus epistolicum, quod familiare vocant, pertinere alteram ad Timotheum epistolam etiam adversarii concedunt. Hoc concesso, omnia quae moverunt contra eam dubia solvi poterunt. Cum enim familiaris epistolae ea sit indoles; ut tota in testando amore versetur, sine dubio etiam nostrae hoc peculiare erit. Ostentata autem mortis exspectatio frustra quaeritur, ubi magnus et inconcussus Apostoli animus se manifestat. Genuinum Pauli opus esse demonstrarunt prae ceteris G. E. Leo, P. ep. alt. ad Tim. prol. p. 25. s. N. Fogtmann, de authentia pastoralium quae vocantur Pauli Ap. epistolarum. Havn. 1831. p. 14. s. Th. Rudow, de arg. h. quibus rec. ep. pastor. origo Paulina impugn. p. 34. s. Ginella, de authentia Ep. s. Pauli Pastoralium p. 158. s. [4]) Non sine admiratione legere possumus, quae de summ-

praedicatio imperatoribus Claudio et Nerone. Istorum aulae quantis quamque infamibus vitiis sorderent, Tacitus locuples testis est. Nefanda saeculi istius crimina publice insectari non dubitarunt Horatius, Iuvenalis, Martialis, Petronius; eo quod publice illa perpetrare nemo veritus fuerit. Eandem temporum improbitatem confirmant in suis libris Suetonius, Historiae Augustae scriptores, Patresque Ecclesiae; verbo, quotquot de moribus eius aetatis sermonem faciunt[1]. Neque magis efferre, se suamque hominibus divinam plane vim ac virtutem probare Lex Evangelii potuit, quam cum de duabus sibi maxime oppositis adversariis vicit. Pugnabat enim cum simplicitate fidei multiplex scientia et mentis elatio; eiusdem porro morum integritati summa saeculi perversitas adversabatur[2]. Nihil mirabilius religionis Jesu Christi ab Apostolis eorumque discipulis et sociis per totum terrarum orbem brevi annorum spatio propagatione; quae sane luculentissimum pro eius veritate argumentum ministrat, eamque unice a Deo esse evidenter demonstrat. Testatissimum est divinos istos viros, antea rudes adeo et imperitos, ut ne Magistri quidem doctrinam assequerentur, imbecillesque: coram prodeuntes Evangelium regibus, magistratibus, populis palam non sine ingenti fructu quam zelosissime annunciasse; minis, vinculis, cruciatibus, ipsa denique morte insuperhabitis. Optandum autem maxime esset, ut labores et certamina, signaque divina, quibus Apostoli inter omnes calamitates et iniurias convertendo ad fidem mundo usi sunt Veterum aliquis tradidisset. Verum ea de re, si historias quae Principes Apostolorum attinent, demamus, adeo qui supersunt libri eorum tacent; ut haud satis liqueat quousque pervenerint, et quasnam Ecclesias praeter illas quarum in S. S. exstat mentio fundaverint? Ipsis ceterum Apostolis martyrio

---

primorum illorum Christianorum perfectione, de oratione, mysteriorum frequentatione, animorum coniunctione, bonorum temporalium communione, gaudio interiori, modestia et amore Sacrae Paginae testantur. Cf. l. Disciplina populi Dei in N. T. Vienn. 1739. p. 2. s.

[1]) Cf. M. Schneckenburger, Vorlesungen über Neutestamentliche Zeitgeschichte. Frankf. 1862. p. 28. s. Profecto non sine sapientissimo aeternae Providentiae consilio accidit, ut eiusmodi monimenta scripta de rebus saeculi primi sequentiumque proxime, ad nostras manus pervenerint, quo nimirum disceremus, quanta ex abysso corruptionis D. N. J. C. humanum genus salvaverit. Accedit quod religio christiana in ipso Orbis atque Urbis meditullio tum temporis orta fuerit et stabilita, cum literae maxime florerent; saeculumque ageretur, quo nullum antea si ingeniorum praestantiam attendamus foret illustrius.
[2]) Quamquam non sint dissimulandae quaedam animae dotes, ac veluti stamina bonae mentis, quibus instructi gentiles suscipiendo semini Verbi Dei haud plane inepti erant. L. epimetr. Proth. n.

exstinctis, minime exstincta quoque fuit fides Christi ab iis praedicata; imo magis viguit; licet Ethnici et Iudaei omnem moverent lapidem, ut eam subruerent. Romani magistratus a tempore Neronis longe alios quam antea in Christianos se praebebant. Cum scilicet antea saepius factum esset, ut Christiani ad Romanorum tribunalia tracti absolverentur; percrebrescebant iam inter paganos rumores de iis nefandi. Mysteriorum occultatio ansam praebuit criminandi fideles, quod in nocturnis conventibus carnem infantis edere, aliaque digna aeternis tenebris flagitia patrare solerent. Quam calumniam ex Coena Dominica perperam intellecta natam fuisse, nemo non videt. Nihil equidem istis mendaciis cogitari poterat absurdius, sed tamen credula in vitium turba, fidem iis adhibuit; ut adeo necesse esset, accurate ea confutationibus diluere [1]. Ad haec multa alia in Christianos contumeliose iactabantur; hominum genus id esse atheum; Romanae potestati infestum, quod religionem profiteretur, quae una ceteras omnes damnat. Inde D. N. J. C. sacra fides, pura illa et casta, paganis eius interiora ignorantibus exosa: Suetonio superstitio nova ac malefica dicitur [2]. Tacito exitiabilis, Plinio contagiosa, Dioni impietas. Animis ita praeoccupatis, ipsae adeo Christianorum virtutes in sinistram partem accipiebantur, inque argumentum criminationis detorquebantur. Ob spreta nimirum recepta ethnicorum numina, et quod se abstinerent a circis, theatris, ludis gladiatoriis, et a familiari aliorum commercio odium humani generis Christianis exprobrabatur [3]. Concitabantur suspiciones magistratuum, qui homines de criminibus accusatos tueri desinebant. Erupit nominis christiani persecutio dirissima sub Nerone — auriga, comoedo, citharaedo — qui omni malitia et saevitia adusque insaniam, incendit persecutionem in sanctos cum accensa Roma. Placuit exemplum Domitiano a Neronis vitiis non alieno [4]; qui totis imperii viribus in Christi Ecclesia oppugnanda incubuit [5]. Adhuc tamen Apostolis viventibus Christi doctrina, non sine incremento, praedicata fuit in universa terra, quae sub coelo est [6]. Nimirum martyrum erat sanguine plantanda Ecclesia, augenda confirmandaque credentium fides; terra ipsa purpurea

---

[1]) Cf. Tertulliani, Apologetic. c. 7. 8. 9. I, 64. s. [2]) Nero. n. 16. ed. c. p. 260. [3]) Annalium XV, 44. p. 147. refert Tacitus „eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt." [4]) „Portionem Neronis de crudelitate", vocat Tertullianus, Apologetic. c. 5 p. 62. Domitianum, qui circa saeculi apostolici finem persecutionem intentavit Ecclesiae Christi. [5]) Illud etiam mirum Romanos iudices a sapientia et iustitia commendatos, in foris et compitis celebrioribus, inspectante populi universa multitudine in alios Romanos, vel certe in homines ratione praeditos, arbitrariis suppliciis, tam dirum ac proprie ferinum in modum desaevire. Id quod ex Actis Martyrum plus nimio elucet. [6]) Coloss. 1, 6. 23.

riganda imbre; ut uberrimos Christo ferret fructus hominum. Istorum virtus et robur est, quae una nequissimorum christiani nominis hostium impetum sustinuit, conatus repressit, vires animosque fregit; imo ipsos etiam hostes fractos vicit atque subegit [1].

§ 99. Dei vindicta in improbos Judaeos.

Cum adversus Christi Ecclesiam pessima quaeque Romae gererentur; Festus in Judaea mortuus est. Nero audita procuratoris morte Albinum in Judaeam misit praesidem. Qui priusquam adveniret, Ananus summus pontifex [2], opportunum tempus ratus synedrium coegit; et arrogans sibi ius vitae et mortis Jacobum fratrem Domini [3], cum aliis nonnullis tanquam violatores Legis mosaicae extremo supplicio affecit [4]. Ut Hebraei boni pastoris sui doctrinam, qua etiam post obitum ipsius instruerentur, haberent: non multo ante martyrium dedit ad eos epistolam. In peius ruebant omnia. Quamvis Judaea hac maxime aetate verminaret multitudine hominum, et opibus quoque floreret, atque a quibusdam Syriae praesidibus indulgentius habita sit; passim tamen a procuratoribus posterioribus cumprimis Gessio Floro, non tam recta quam exhausta et oppressa est. Accesserunt mala alia, specimina singularis poenae divinae; dira fames, latrones, sicarii, pseudoprophetae grassabantur. Imo quod horribilius, cum Christo Dei Filio auscultare renuissent, pseudochristos audire compulsi sunt diu noctuque vociferantes [5]. Nec felicior fuit Religionis conditio. Etiamsi enim cultus externus iuxta praecepta Legis in Templo institueretur, et tota fere Palaestina consita fuerit synagogis [6]; tamen divina pariter ac humana iura proculcabantur. Imo ipsa sacra Dei aedes [7], a turbulentis sacerdotibus et factiosis pontificibus in partes distractis, et saepe inter se digladiantibus, turpiter fuerat profanata. Maxima pestis intra viscera Urbis Zelotae fuere, qui quo magis specioso nomine divinae legis observantiam prae se ferebant, hoc impotentius in vulgus dominabantur [8]. Cum hoc deterrimum ingrueret

---

[1]) Cf. P. C. Ansaldi O. P., de causis inopiae veterum monumentorum pro copia Martyrum dignoscenda adv. Doduvellum diss. Mediol. 1740. p. 96. s. Fr. Panella, disput. hist. dogm. de martyribus. Patavii 1862. p. 9. s. [2]) Sadducaeus crudelitate insignis. [3]) Jerosolymarum episcopum. [4]) S. Jacobus e templi fastigio praeceps actus, sed ex lapsu adhuc superstes; lapidibus iussu Anani contusus, ac tandem fullonis fuste capite confracto animam piissimam Creatori reddidit. V. L. Smid, de persecutionibus quas Judaei c. Christum ei. Eccl. mov. Limb. 1832. p. 7. s. [5]) Cf. Josephum, de bello IV, 5. p. 286. s. [6]) Ad quas magnus erat concursus. [7]) Alias veneranda. [8]) V. H. V. T. p. 596. Seditio erat non religio.

aevum s. Judas, futuram sibi mortem eminus spectans, quamvis senio confectus, Hebraeis ad fidem conversis, et in Orientis provinciis versantibus, scripsit literas; quibus eos admonet, ut a falsis doctoribus sibi caveant. Ad vindictam cum ira divina procedit, lento plerumque passu graditur, et minatur antequam feriat. Meruerat Hierosolyma ob horrendam caedem in Filio Dei Jesu Christo commissam, iam pridem excidium. Sed benignissimum numen impiorum, qui sacrilegas manus in salutis humanae Assertorem iniicere non verebantur, conversionem praestolabatur. At ubi maxima gentis olim electae pars beneficium longanimitatis divinae spreverat; Romanorum manibus de impoenitente vindictam exercere voluit: et insanas illas voces: non habemus regem nisi Caesarem, caesareo milite plectere. ‚Iudaeam ultor Christi sanguinis Romanus delevit exercitus'[1]. Annus vertebatur, quo Flavius Vespasianus imperium[2], a militibus delatum, ut cunctanter suscepit, ita fortiter gessit. Qui cum summo senatus populique honore receptus, Romae discerptam factionibus rempublicam sustinet: Titum filium cum selectis copiis ineunte vere in Judaeam adversus rebelles misit. Titus longum iter cum quatuor legionibus emensus; coactis vicinorum populorum copiis, Jerosolymas contendit. Contra Urbem sexto septimoque stadio castra metatus est in monte Oliveti[3]. Jerosolymis praeter civium peregrinorum quoque, qui ad solennia paschalia magno numero confluxerant, multitudinem arcte conclusit. Communis periculum mali factiosos coniunxit, vires, arma simul in Romanos strinxerunt; nec citra hostium cladem. Sed rursus in duas factiones distracti rebelles, intestino malo concutiebantur. Calamitas obsessae Urbis et dirissima mala, quae tempore obsidionis sustinuit, tot aliis iam defuncta, nullius hominis oratione pro merito enarrari queunt; nec exstat exemplum simile in historiis. Foris terrebat ferrum, intus premebat fames[4]. Obstinatio viris feminisque par, ac si sedes transferre cogerentur, maior vitae metus, quam mortis. Et quia Numinis ira scelestos urgebat; Tito saepius ad deditionem invitanti, pertinaci animo semper responderunt, ultima passuros quam Romanis se dedituros. Addebant eam ferociam quidam e tyrannis intra urbem dominantibus, et falsorum praeterea vatum voces, certum e coelo auxilium pollicitantium. Romani ad

---

Machinatio, turpissima adulatio, epicuraeismus magnatum et pontificum, frequentia parricidia, aliaque crimina supra fidem humanam perpetrata, luculentissima fuerunt impietatis documenta.

1) S. Petrus Chrysologus, de ieiunio et eleemosyna serm. XLII, p. 68.
2) Trium principum caede quasi fluctuans ac incertum. 3) Unde Christus olim urbem respiciens lacrimas malorum imminentium indices fudit. V. p. 90. s.
4) Cuius diritatem Josephus graphice depingit de bello iud. V. 12, 3. II, 358 s.

impetum faciendum versi [1], demum Urbem ceperunt [2]. Mox augustissimum Templum, frustra Tito obnitente flagravit [3]. Victoris imperio secundum Domini praedictionem, civitas solo aequata aratrum de more admisit. Christianos nullam in hac calamitate partem habuisse Veteres tradunt. Nam sedibus suis, obsequentes monito Salvatoris, Pellam translatis; mature saluti suae consuluere [4]. Tot cladibus affecta Judaeorum gens, everso Templo et deleta Urbe, per diversas Orbis partes dispersa est [5]; ubique tamen invisa, semper spreta [6].

Digressio d. S. Jacobis in Historia N. T. obviis. Inter duodecim Apostolos duo nomine Jacobi designantur; eos describit S. Matthaeus, 10, 3. enumerat, d. Marcus 3, 17. 18., recenset s. Lucas 6, 14. 15. et Act. 1, 13. Inter hos prior s. Jacobus apud Matthaeum et Marcum Zebedaei cognominatur; posterior ad maiorem distinctionem ubique nomine Alphaei indicatur. Prior Jacobus cognomen suum a patre suo traxit, uti patet ex Matth. 4, 21., quod apud Marc. 1, 19. 20. eodem modo narratur; alibi etiam Jacobus et Joannes filii Zebedaei vocantur. Hunc Jacobum, qui die vicesima quinta Julii colitur, fratrem Joannis, gladio occidit Herodes Agrippa, ut traditur Act. 12, 2. Jacobo Alphaei eadem sors obtigit cum S. S. Apostolis: Bartholomaeo, Simone Chananaeo seu Zelote, aliisque; quod videlicet eius mentio non fiat in S. Scripturis nisi supra allegatis quatuor locis. Dicitur autem Jacobus Alphaei, seu ut omnes admittunt Alphaei filius; sicut alter s. Jacobus Zebedaei quia Zebedaei filius. S. Joannes

[1]) Neque enim dignum videbatur famem obsessorum opperiri; poscebatque pericula pars virtute; multi ferocia et praemiorum cupidine. [2]) Josephus qui cladem spectavit, captivorum nonaginta septem millia, mortuorum in obsidione undecies centena millia fuisse auctor est. Etenim tota gens ex omnibus mundi regnis eo ad diem Paschae celebrandum convenerat. Ita Deo placitum ut eo tempore, quo D. N. Jesum Christum impii Judaei cruci affixerant, internecioni darentur! Septenni spatio ut ex Josepho, de bello iud. V. VI. VII. confecit Justus Lipsius, de constantia II, 21. Op. ed. Antv. 1637. IV, 412. 3. in summa 1, 334. 490. bello perierunt; innumeris aliis praetermissis, qui fame, exilio, miseriis occubuerunt. Ceteri superstites mortalibus documento, non aliunde quam ob illatas Filio Dei sacrilegas manus poenas luisse. [3]) Ut inde noscerent omnes, peracto iam J. C. sacrificio nullum amplius legalibus victimis locum subesse. Judaei quidem Juliani Apostatae gratia et promissis freti, nihil reliqui fecerunt, quo instaurationem Templi summis votis a longo tempore expetitam peragant; sed invito Numine ab hocce coepto desistere coacti sunt. Cf. J. H. S. Holtzfuss, de Templi Hieros Juliani imp. mand. per Judaeos frustra tentata Restauratione. Hal. 1751. p. 3. s. C. Semisch, Julian d. Abtr. Bresl. 1862. p. 49. s. [4]) L. Eusebii, Hist. Eccl. III, 5. p. 75. J. Th. Plitt, de Cyrilli Hier. or. cat. Heidelb. 1855. p. 11. s. [5]) Coll. Ps. 58, 12. Luc. 21, 24. s. [6]) Unde iam olim Cl. Rutilius Numatianus cecinit: „Atque utinam nunquam Judaea subacta fuisset; Pompeii bellis, imperioque Titi; latius excisae pestis contagia serpunt; victoresque suos, natio victa premit.“ Itinerarii II, 395. ed. Th. J. ab Almeloveen. Amstel. 1687. p. 11. Cf. e. Sitzmanni, an. in h. l. ib. p. 147. s. J. Wessel, de adm. g. Jud. conserv. in Diss. II, 647. s.

Chrysostomus, hom. XXXII in c. 9. Matth. n. 3. op. VIII, 368. Theodoretus, ad Ps. 67, 28. op. I. 2, 1070. Euthymius Zigabenus, Comm. in quat. Ev. I. 1, 380 ad Matth. conformiter Matth. 9, 9. Marc. 2, 14.; et omnis Ecclesia Orientalis tenet: s. Matthaeum et s. Jacobum fuisse fratres Alphaei filios. Occidentalis Ecclesia i. e. Latinorum Martyrologia peculiarem venerationem tribuunt huic Apostolo ad diem 22. Junii. Cum Latinis et Graecis conveniunt Aegyptii, Arabes, Syri, Maronitae et alii regionum Orientalium populi. Hic iam quaeritur: num Jacobus, qui dicitur frater Domini, merito a variis statuatur unus idemque cum Jacobo Apostolo Filio Alphaei? Nam qui Jacobum fratrem Domini epistolae catholicae scriptorem habent, ad unum fere omnes, eundem cum Apostolo istius nominis, Alphaei filio profitentur! — V. A. J. Liagre, interpr. ep. Cath. s. Jacobi. Lov. 1860. p. 10. s. — Praetermittimus J. C. M. Laurent, neutest. Studien. Gotha. 1861. p. 180. s. turpes cavillationes, refutatione haud dignas. — Numero pauciores, in quorum censu reperiuntur: R. Simon, Histoire critique du Texte du N. T. Rotterd. 1689. p. 193. J. Combefisius, not. in Hippolyt. de 12. Apost. ap. J. A. Fabricium ed. op. Hamb. 1716. I. app. p. 34. Godefr. Henschen S. J., Act. S. S. Maii I, 18. s. Clausen, Introd. in ep. Jac. Gott. p. 8. s. F. A. Zacharia, de rebus ad Hist. atque antiquitatem Ecclesiae pertinentibus diss. Fuligni. 1781. d. I. de tribus Jacobis, rep. in eiusd. ed. Petavii. Ven. 1757. VI, 89. s. Jacobum hunc ab Alphaei filio prorsus diversum statuunt, et ex duodenario Apostolorum numero secludunt. Argumenta pro hac sententia proferunt sequentia: a. S. Jacobi fratris Domini, et aliorum fratrum mentio fit partim nominatim, partim communiter designatorum apud s. S. S. Matthaeum 13, 55. Marcum 6, 3. Joannem 7, 3. coll. Matth. 12, 46. s. Marc. 3, 31. Luc. 8, 19.; praeterea Joann. 2, 12. Marc. 3, 32. Primus eorum est S. Jacobus, de quo hic agimus; secundus Joseph graece Ἰωσέφ et Ἰωσῆ saepius scriptus; et horum duorum mater creditur nominari Maria apud s. Matthaeum 27, 56. soror Deiparae Virginis, uxor Cleophae. V. p. 194. s. Indeque profluxit, quod S. Jacobus raro admodum inveniatur Graecis aliter dictus, quam peculiari illi titulo „ἀδελφόθεος"; et ut Hierosolymitana sedes, in quam primo post ascensionem anno ordinatus est S. Jacobus iustus et consobrinus, frater Domini, episcopus; dicatur „Thronus theadelphicus"; sicut Romana sedes dicitur „Apostolica", a principe Apostolorum S. Petro. S. Jacobum ἀντονομαστικῶς adelphotheum non fuisse duodenario Apostolorum numero demonstrant b. hoc argumento: Jacobum Alphaei ceterosque Apostolos ab ipsomet D. N. J. C. fuisse episcopos consecratos, vix salva fide negari potest. Cf. p. 106. s. At Jacobum Adelphotheum ab Apostolis ordinatum fuisse Jerosolymarum episcopum, luculentissimi omnium aetatum testes confirmant. Hoc tradit referente Eusebio Hegesippus, H. E. II, 23. p. 63. coll. VII, 19. p. 265. Hegesippo et Eusebio consentit S. Hieronymus, de vir. ill. c. 2. p. 23. Denique ne longiores simus in recensendis nominibus, addimus V. Bedam, in martyrologio ad Kalendas Maii Op. III, 303. et Anastasium Bibliothecarium, in not. ad act. I. c. 6. concilii Constantinopolitani apud Mansi S. Conc., n. c. XVI, 33. idem sentientes c. Apparet maxima inter utrumque S. Jacobum discrepantia; ab ipso vitae utriusque exordio, usque ad martyrii diversum genus. Est namque α. prior Jacobus natus patre Alphaeo, ac frater S. Matthaei Apostoli; qui Capharnaumi habitavit: at ii qui fratres Domini dicuntur, ex tribu Judae genus traxisse constat. Distant β. praedicationis loco non minus quam genere martyrii. S. Jacobus frater Domini praefuit Ecclesiae Hierosolymitanae,

et lapidatus occubuit; Jacobus Alphaei Christum praedicavit Eleutheropoli, Gazae, Tyri; imo in Persiam usque progressus Ostracine in crucem actus est. Ita Nicetas David Paphlago apud Nicephorum Call. II, 40. I. 202. aliique; quos vide penes Zachariam, diss. de tribus Jacobis c. 4. p. 95. Quanti ponderis hoc argumenti genus sit, nemo ignorat. Transimus ad ultimum pro hac sententia argumentum proponendum. d. S. S. Patres et Scriptores eccl. Jacobum adelphotheum ab Apostolorum numero excludunt. Praeter Hegesippum, l. s. c. primus pro Jacobo distinguendo accedit antiquissimus Evodius, apud Nicephor. Call. II, 3. I, 133. Consentit S. Epiphanius, haer. Collyrid. n. LXXIX, 3. p. 1060. coll. Naz. XXIX, 4. p. 119. S. Gregorius Nyss., in Christi ressur. or. II. ed. III, 647. S. Joannes Chrysostomus, in cap. I. ep. ad Gal. Op. X, 678. Theodoretus, interp. ep. ad Gal. 1, 19. III. 1, 366. Ut ne ex apocryphis Recognitionibus Clementis referamus I, 59. ed. Cotel. p. 507. Opponunt quidem duorum patroni locum Apostoli ad Galatas 1, 19. V. Reithmayr, Comm. z. Br. a. d. Gal. p. 94 s. Sed huic occurrunt sententiae de tribus Jacobis defensores, tantum abesse, ut S. Paulo aliquid detrahant; ut etiam ex antiquis monimentis ac maiorum sensu rite illustratus ipsis faveat. Scriptores Veteres vocabulo „ἀπόστολος“, latiorem subiecisse significationem, docet Suicerus Thes. eccl. I, 475. Jam vero S. Jacobus in ipso epistolae initio non „ἀπόστολον“; sed „δοῦλον“ tantum „τοῦ Ἰησοῦ“ se esse profitetur. S. Paulus ad Gal. 1, 19. adpellat Apostolum; sed scite dicit: unum ex Apostolis; non ex duodecim. Eadem ratione qua s. s. Barnabas et Paulus Apostoli nominantur, quamvis non fuerint e duodenario numero Apostolorum. Clara sunt hanc in rem s. Joannis Chrysostomi l. s. c. p. 678. verba: „Quoniam existimat honoris titulos Apostolorum sibi esse proprios, veluti seipsum honestans, ita et illum veneratur.“ Quod autem attinet l. c. ad pronomen alium; „ἕτερον“; notat quidem Jacobum fuisse Apostolum non quemcumque; sed ex primoribus quemadmodum Petrus erat, non tamen evincit ex duodecim fuisse, coll. I Cor. 15, 7. sicut fuit Petrus. Ecclesia Graeca numquam non pro ternione Jacoborum militavit. Jacobi fratris Domini festum agit vicesima tertia Octobris; eundemque solenni memoria prosequitur dominica post Christi natale die. Cf. Hesychii Hier. presbyt., Or. apud Photium, Biblioth. cod. 275. IV, 242. Consentiunt Syri et Aethiopes, distinctis festis tres Jacobos venerantes. Ceterum aliorum huic sententiae adversas opiniones, excutere per temporis disceptationisque angustias nec licet, nec placet! Videantur scriptores supra laudati: Henschenius et Zacharia.

§ 100. Epistola catholica a s. Jacobo scripta.

Cum quidam ex perperam intellectis literis d. Pauli ansam arripuissent docendi opera bona non esse ad salutem necessaria, unamque fidem sufficere: adversus hunc errorem praecipue suam demonstrationem, qua operum caritatis necessitatem adstruit, direxit. Accedit Judaeos praesertim ditiores, pauperes contemtui habuisse, et consueta humanitatis officia illis denegasse; quod quidem eos non poterat non gravissime affligere. Et hoc eorum vitium s.

Jacobus procul omni ambage coarguit. Ex ipsa inscriptione epistolae patet scriptam fuisse eam ad omnes fideles Hebraeos, cuiuscunque tribus essent, per orbem terrarum dispersos „ἐν τῇ διασπορᾷ"; non in hac vel illa sed in universa[1]. Argumentum epistolae, qua imprimis bonorum operum necessitatem urget s. Jacobus, varium est, saepe enim ab una materia velut ex abrupto transitus fit ad aliam, et mox iterum ad priorem reditur. Postquam salutem lectoribus precabatur scriptor[2], ad instructionem progreditur. Dispersos tribulationibus in alieno solo et afflictos animat ad fortitudinem et constantiam, in malis humili animo tolerandis conspicuam; quorum tamen non in Deo, cum ab omni culpa abhorreat, sed in ipsis hominibus quaerenda sit causa[3]. Hortatur ut promti sint ad excipiendam doctrinam, auditione verbi quo generati sunt spiritualiter, seipsos nutrientes et foventes, tardi ad irascendum[5]. Ne quis autem arbitretur sufficere simpliciter audire verbum, quod potest salvare animas nostras, arrepta occasione e proxime dictis de suscipiendo verbo praedicato et audito: docet requiri etiam iustitiae exercitium et boni operis exsecutionem[6]. Quae s. Jacobus in universum de religione dixerat; nunc

---

[1]) Constat e scriptoribus Classicis non modo in Urbe, sed et in omni ditione Romana Judaeos degisse; idemque testantur Josephus Philo et Thalmud. Cum nihil sit, quo notio dispersionis restringatur, ad omnem scripta epistola iure censetur; tametsi ex Judaea prodiisset. Si quae epistola, Catholica i. e encyclica omnibus „καθ' ὅλου" — „Καθολικαὶ λέγονται αὗται οἱονεὶ ἐγκύκλοι", inquit Oecumenius, arg. cath. Jacobi epist. Op. ed Migne Par. 1864. II, 453. — fidelibus scripta, ista praeter alias Catholica debet vocari. Boni enim pastoris Hebr. 13. 7 fuit oves, etiam absentes, docere; et ob vexationes consolari. Sicut et crebro idem olim S. Cyprianus faciebat epistolis. His de causis adpellari potest epistola προτρεπτικὴ καὶ παραινετική. [2]) 1, 1. [3]) 1, 2—12. [4]) Cupit s. Jacobus animis lectorum alte infigi: doctrinam de non reiicienda in Deum causa peccati, et ne quis illum ut eius accuset auctorem, nec alium, ullumve praeter se ipsum, propriamque voluntatem, quae tentationi cedit consentiendo et acquiescit concupiscentiae, serio et enixe obsecrat. Tantum abesse ut Deus tentationem de industria immittat qua ad male agendum inducat; ut potius tanquam causa omnis boni, nihil faciat quod non sit vere bonum. Nec quidquam ullus boni habet, quod non acceperit ab Alto; a Deo, qui nullo non tempore et quidem sola liberrima voluntate benefacit. 1, 13—18. [5]) Ira praeceps non modo impedit verbum veritatis, sed etiam voluntatem maculat. Quare reprimendum prorsus irae vitium et omnino studendum oppositae virtuti mansuetudini. 1, 19—21. [6]) Praeclare similitudine considerantis se in speculo moxque obliviscentis, qualis fuerit cum se in eo conspiceret probat; non satis esse audire verbum Dei, nisi accedant opera

ad fidem applicare pergit; ceu veri cultus et bonorum operum fundamentum[1]. Lex illa reliquarum regina est; ut diligat quis proximum sicut seipsum. Diligantur etiam pauperes ex amoris eximio praecepto[2]. Conatur s. Jacobus plurimum commendare, ut ita loquantur et faciant lectores, sicut lex caritatis praescribit. Memores sint extremi iudicii; in quo feretur sententia de mandato dilectionis in proximum vel servato, vel violato[3]. Affirmat sine misericordia iudicandum ‚qui cum facere posset[4], non fecit misericordiam'[5]. Reprehendit intempestivam quorundam, qui omnium volebant esse doctores, docendi audaciam; eademque opera fusius describit mala, quae ex perverso linguae usu ex invidia aliisque affectibus fraternae caritati adversantibus, consequuntur. Tradit conditiones vere divinae sapientiae, cui vacandum sit; falsae item et terrenae, quam cavere diligentissime oporteat[6]. Hortatur ad

---

bona, quae in eodem obiiciebantur. Beatus censebitur, cui cura est audita in verbo illo opere ipso implendi. Addit sanctitatis exordium esse pauca et circumspecte loqui, nec froenum linguae laxare, ut perniciosa proferat vel otiosa verba. Qui hoc negligit illum fallere semetipsum et inaniter de tam praeclaro nomine gloriari. Interim non satis esse proximo non nocere dictis, ne vana sit religio, curandum ut ei prosimus, cumprimis egentibus; maxime viduis, quibus maritorum; et pupillis quibus parentum desunt praesidia. Denique enitendum, ut nosmetipsos servemus ab inquinamentis puros. 1, 22—27.

[1]) Qui Christi castra sequuntur debere personarum acceptionem vitare; ac non habita ratione, an quis dives sit vel pauper, nobilis vel vilis, quod caritatis ordo exigit in omnes beneficentiae suae fructum derivare. Omnes eiusdem Domini N. J. C. gloriae sunt participes; redemit omnes ille sibi ex aequo servos, par omnium hac in re conditio. 2, 1—7 [2]) Sed caveatur „προσωποληψία" acceptio personarum; quae non attendit rationem diligendi divinam, quam praescribit caritas, sed humanas et externas qualitates, quae nihil ad rem faciunt. Demonstrat prosopolepticos graviter peccare. Qui Legis totius transgressor est; ideoque ab ea ut talis convincitur, grave is peccatum admittit. Ast prosopoleptici sunt ales; quod sic explicat: Qui in uno e. c. moechia, homicidio, contra Dei legem lelinquit, praeceptorum omnium reus est; quia quolibet istorum peccatorum iolatur ipsa Legislatoris auctoritas, quae una nos ad omnes Leges servandas novere debet. Unde qui arbitratu suo has vel illas leges violat et alias servat; s auctoritatem, quae eadem in omnibus est, non reveretur. [3]) Cf. Fr. Kössing, as christliche Gesetz. Ueber Jacobus 2, 8—12. Heidelb. 1862. p. 126—139.) Ut habet Ven. Beda, exp. a. h. l. V, 680. [5]) E contrario autem exultaturum lum, qui fecerit misericordiam, propter praemium quod accipiet. 2, 8—13. 3, 1—18. Occupatur s. Jacobus in acri vitiorum censura, quibus coniuncta sse solent certamina, lites, veluti germina pravae concupiscentiae. Insumere olentes in concupiscentiis suis, quae petunt a Deo, nec obtinent, severa oratione

moderamen et repressionem cupiditatum [1]. Exitio denique divitibus, qui pauperes vexant, denunciato [2], pauperes hucusque oppressos auxilii instantis spe proposita ad patientiam cohortatur [3]. Addit vetitum de cavendo iuramento [4]. Commendat in rebus tristioribus orationem ad implorandam divinam opem, vel si tristitia iam fuerit expulsa, psalmodiam ad exhilarandum pie animum [5]. Cumque S. Jacobus plurimis modis hac epistola consoletur afflictos opportune subiungit: quid in infirmitate, quam dupplicem distinguit corporis et animae, sit agendum. In infirmitate periculosa, advocent presbyteros, qui ungant [6] ipsos et orent; extra illam etiam si

---

arguit quasi adulteros, qui Dei tanquam veri ac legitimi sponsi fide deserta se ad mundi transtulerint amicitiam, proinde inimicos Dei profiteri se, si non verbo saltem re non dubitaverint. Si itaque maioribus gratiae bonis, quam sint alia omnia mere naturalia affici a Deo velimus, humiliter subdamur Domino; atque reiecta mundi amicitia, Dei amicitiam faciendo, quae praecipit, quaeramus.

[1]) Invehitur in homines qui aliis detrahunt, vel officium legislatoris sive iudicis usurpando condemnant; quoniam hoc facientes caritatem laedunt, legemque quae tantum malum vetat, dilectionem vero proximi praecipit, migrant. Eandem arrogantiam prae se ferunt, qui divinam non attendentes providentiam de futuris ad singulas temporis differentias, ita loquuntur et statuunt tanquam qui illa in sua habeant potestate, atque vivere quantum libet valeant. 4, 1—17. [2]) 5, 1—6. [3]) 5, 7—11. [4]) 5, 12. [5]) 5, 13. [6]) Ecclesia Catholica fidelibus commendatum ac promulgatum docet a S. Jacobo 5, 14. Sacramentum extremae Unctionis. Conc. Trid. sess. XIV. c. i. Interpretes Acatholici. — E. g. Morus, prael. in Jac. et Petri ep. Lips. 1794. p. 88. s. D. J. Pott, ep. cath. gr. perp. ann. illustr. ed. III. Gott. 1816. I, 287. s. J. Schulthess, ep. Jacobi comm. explan. Tur. 1824. p. 175. G. C. Theile, comm. in ep. Jacobi Lips. 1833. p. 274. s. J. T. A. Wiesinger, der Brief des Jacobus erklärt. Königsb. 1854. p. 203. J. E. Huther, Kr. ex. Handb. ü. d. Brief des Jacobus Gott. 1858. p. 195. s. — contendunt unctionem hanc non esse sacramentalem sed medicam; nec aliam ab ea qua Apostoli Christo adhuc in vivis agente infirmos curabant. Coll. Marc. 6, 13. Aut referunt ad χάρισμα sanandi I. Cor. 12, 9., certis quibusdam tributum; quae quidem unctio dicunt cessare debet, postquam χάρισμα sanandi, una cum aliis linguarum. prophetiae etc. in Ecclesia desiisset. Sed haec perperam sane affirmantur, Unctio, de qua S. Jacobus loquitur, peccatorum remissionem spectat; minime altera illa apud S. Marcum. Quo plane constat extremam unctionem non aegritudinis tantum corporalis medicamentum esse, sed etiam reliquorum sacramentorum instar gratiam conferre, ac proinde nec a S. Jacobo fuisse institutam; sed ab eo tantum, cui peculiare est, ut gratiam conferre possit. Quod vero ad χάρισμα sanandi attinet S. Jacobus non dicit vocandos eos, qui dono sanandi pollerent, sed absolute presbyteros Ecclesiae; quae quidem ratio valeret, etiamsi ut perperam sumunt Acatholici nomine presbyterorum, non venirent Episcopi aut sacerdotes secundi ordinis, sed aetate aut dignitate seniores.

se aegritudine spirituali gravari sentiant, utantur confessione, quae sacerdoti fit [1]. Mutuis se iuvent orationibus ad salutem praesertim animae consequendam. Quantum iusti valeat deprecatio assidua, confirmat exemplo Eliae [2]. Gratissimum opus esse Deo, cooperari in conversione iniquorum ad eum; quod qui facit multitudinem peccatorum alterius, cuius animam salvat, operit [3]. Ceterum S. Jacobi sit hoc scriptum nec ne? ex argumento eius omnique ratione haud minus, quam ex externis auctoritatibus colligitur. De ipsius auctoritate Veteres nonnullos dubitasse proditum est [4]; plerique tamen s. P. P. et S. E. inter Canonicas Scripturas adnumerarunt, eamque ut divinam Ecclesia veneratur [5].

---

1) Dictio „ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα" 5, 16. non favet Acatholicis propterea negantibus confessionem sacramentalem; quoniam haec non fit cuivis sed sacerdoti dumtaxat. Juxta subiectam materiam s. Jacobus loquitur ad fideles, ut servent mandatum Joann. 20, 23. Conformiter ad h. l. vult, ut confiteantur homines hominibus sc. illis, quibus tanquam Dei ministris potestas absolvendi collata est. Huic interpretationi favet I. Petri 4, 10. Perinde est q. d. confitemini inter vos alii aliis ut cuique convenit; ita ut qui non acceperunt potestatem remittendi aliis peccata, eis confiteantur qui acceperunt, et rursus qui acceperunt eis confiteantur qui item acceperunt. Atque ita exponit Origenes, in Levitic. hom. II, 4. t. IX, 193. et S. Joann. Chrysostomus, de sacerdotio III, 6. ed. Lomler p. 24. 2) 5, 14—18. 3) 5, 19. 20. Ex his apparet S. Jacobum pro sua pietate summaque sollicitudine, per totum epistolae contextum saluberrimas adhortationes inseruisse. Scribendi genere quidem utitur graeco, sed hebraismis frequenter mixto, dictisque imprimis et exemplis e V. T. petitis ornato. Prae ceteris Salomonis, Isaiae et Ecclesiastici volumina ante oculos habuisse videtur Cf. G. van Leeuwen, specim. exeg. th. de poetica dictione in ep. Jacobi. Tiel. 1855. p. 4. s. A. Boon, diss. exeg. th. de Jacobi epistolae cum Siracidae libro convenientia. Groning. 1860. p. 13. s. Sermone Syro Judaeis tunc usitato epistolam hanc scriptam fuisse affirmat Faber, prolus. in epist. Jacobi ex Syro. Coburgi 1771. Sed nulla urget auctoritas, nullaque persuadet ratio, id de epistola s. Jacobi statuere, quod de Evangelio S. Matthaei et epistola ad Hebraeos statuimus. Amat S. Jacobus adhibere imagines sane sublimes, formam dicendi grammaticam, iteratas interrogationes, anacolutha, et quam vocant antanaclasin i. e. gradationem. 4) Cf. Eusebii H. E. II, 23. p. 66. S. Hieronymi, de vir. ill. c. 2. p. 23. 5) Quae argumenta contraria et authentiam et canonicam dignitatem harum literarum extenuare et sollicitare videntur, eas exigui vel nullius momenti esse putamus. Theile, Theologus acatholicus, l. s. c. prol. p. 52. candide fatetur; „Qui inde a saec. XVI. adversus epistolam nostram magis minusve surrexerunt, variis moti sunt causis, quae omnes certe praeiudicati labe premuntur." Hoc tempore praeter de Wette, Einl. p. 372. 373., qui tamen ipse p. 374. ait authenticam fere ab omnibus haberi, dubia moventem, praeterque hypercriticos Tubingenses Schwegler, nachap. Zeitalt. I, 414. et Baur, Palus p. 677. s. 688. s., dignitas

Digressio, qua conciliatur d. Jacobi atque s. Pauli doctrina „de fide et operi bonis.“ Novatores saeculi decimi sexti propter doctrinam s. Jacobi 2, 14—26. exhibitam, occasionem sumsere: totam epistolam, uti spuriam e S. Librorum Canone expungendi; illud quidem practexentes, quod doctrinae s. Pauli contradiceret. Re autem vera ideo eam reiecerunt, quod placitis acatholicis aperte adversaretur. Doctrinae revelatae „de necessitate bonorum operum“, quorum versatur fere circa alios exercitium, oppositus est error: sufficere saluti unicam fidem; Christum abunde satisfecisse, ita ut opera bona minime necessaria, quia otiosa essent. Ut hunc errorem eximeret s. Jacobus de industria accuratius pugnat pro sententia: opera fidei iungenda, licet non illa proprie quae ad Legem cerimonialem pertinerent, quam Christus antiquaverat; sed illa quae Lex quatenus est moralis dictaret, vel Evangelica praeciperet. Nuda professio fidei sola, per se salvare non potest; sed inter alia quae proponit credenda illud est: ut pareat divinis praeceptis, ex quibus maximi faciendum, quod pertinet ad sublevandas proximi miserias. Id vero institutum suum probat exemplis Abrahae et Rahab, quorum alter Legem mosaicam praecessit, altera ex electa gente non erat; et uterque tamen iustificatus narratur propter opera bona. S. Jacobus igitur cum 2, 14. s. iustificationem non soli fidei sed operibus adscribit, non contradicit S. Paulo ad Rom. 3, 28. Loquitur S. Jacobus per se de illo, qui fide praeditus sit, ac simul etiam forte sit iustus; negatque sufficere ipsi fidem, seu habitualem, seu actualem. Requiri in ipso bona opera cum debitis nempe conditionibus facta. Nam etsi fides accedenti ad Deum Hebr. 11, 6. sit necessaria, ut dispositio, dictat etiam adhibendas aliquas alias dispositiones, tum ante baptismum, tum post baptismum, si quis gratiam amissam velit recuperare. Praeterea oportet ut praeceptis divinis, quae opera requirunt obtemperemus, et bonis operibus iustitiam iam acquisitam conservemus; et consequenter quoque augeamus, tanquam

---

auctoritasque epistolae in confesso est. Nam ut attingantur praecipua quae contra hanc epistolam obiiciuntur; nihil refert, quod sacer scriptor literis suis non subiecerit salutis apprecationem. Salutatio in fine epistolae non magis hic necessaria, quam in epistola s. Judae. Non contradicit, ut v. s. aliis S. S. Quod epistola s. Jacobi ad fideles e circumcisione data Ecclesiis occidentalibus serius innotuerit, quam Paulinae, facile intelligitur. Tenor praeterea harum literarum cumprimis adhortatorius — cf. Pfeiffer, der Zusammenhang des Jacobusbriefes in ann. Stud. u. Krit. 1850. p. 163. s. — fecit: ut S. S. Patres dogmatica maxime curantes rarius eam adhibuerint, et nonnulli silentio praeterierint. Antiquissima ceterum translatio Syriaca, Concilia et Pontifices, a quibus inter canonicos libros adnumeratur, Usus Ecclesiae, integras partes ex hac epistola legentis; sufficienter declarant s. Jacobi epistolam libris S. S. accensendam esse. Uberius de huius epistolae Canonicitate egit A. J. Liagre, interpr. ep. Cath. s. Jacobi p. 25. s. Praeter epistolarum omnium N. T. commoda propria praesentis epistolae satis patent ex argumento eius; quo commendantur bona opera et praesertim studium beneficentiae; duo magis quam alibi sacramenta proponuntur, poenitentiae et extremae unctionis; multa praecipiuntur tum ad religiose colendum Deum, tum ad patienter tolerandum, tum ad mores qui quemque nostrum attinent conformandos, ut vix ulla sit virtus, ad quam non incitet cum multa gratia et iucunditate lectorem.

per merita de condigno, quibus respondeat gloria. Simili argumento usus fuerat prior d. Paulus ad I. Cor. 13, 2. 3. Idem porro S. Apostolus in epistolis ad Romanos et Galatas praecipue opponit Christi fidem, non caritati, sed Legi; opera facta per dictamen Legis Evangelicae et per vires gratiae J. C.; operibus quae per dictamen Legis mosaicae aut naturalis. Totus in eo est, ut inculcet D. N. J. C., a quo uno cuncta sunt ad salutem necessaria, nostram iustitiam sanctificationem redemtionem esse. I. Cor. 1, 30. Rom. 4, 5. His conformiter conciliandus s. Jacobus cum d. Paulo, cum negat ex operibus Legis quenquam iustificatum; sed affirmat iustificari gratis — i. e. sine meritis praecedentibus fidem — per gratiam Christi, et per fidem sine operibus Legis. Exigit s. Jacobus opera meritoria cum gratia facta. Paulus intelligit opera, quae fidem praecedant, Jacobus opera quae fidem sequuntur. Fides ergo absque operibus reliquarum virtutum mortua est; fides vero viva, quae operum animam et vitam habet. Et sic. s. s. Patres, Scriptores ecl., aliique catholici interpretes, non secus ac s. Concilium Tridentinum sess. VI. c. 8. d. Jacobum intelligunt. V. s. Cyrillus, catech. V, 5. s. p. 74. s. S. Joannes Chrysostomus, in cap. 1. Gen. hom. II, 5. IV, 13. S. Joannes Damascenus, de fide orthod. IV, 10. p. 263. S. Augustinus, in Ps. XXXI. enarr. II. t. IV, 170. s. et prae omnibus doctissimum comment. de fide et operibus VI, 165. s. S. Hieronymus,. comment. in Gal. V, 14. t. VII, 498. S. Bernardus, in Cant. serm. LI, 3. III, 329. s. Thomas, sec. sec. q. IV. art. III. et IV. ed. c. VII, 129. s. 132. s. Bellarminus, de iustificatione I, 15. p. 64. s. IV, 18. p. 371. Serarius, comm. p. 14. J. Lorinus, in ep. B. Jacobi et Judae. Mog. 1622. p. 125. s. Hug, Einl. II, 537. A. J. Liagre, interpr. ep. Cath. s. Jacobi p. 129. s.

§ 101. B. Judas Apostolus eiusque epistola.

Initio proprium nomen, deinde conditionem suam seu officium declarat s. Judas [1]. Aperit literas voto apostolico uberioris commu-

[1]) Judam Apostolum scriptorem fuisse, negabant profecto omnes, qui negarunt epistolam ei adscriptam esse de numero S. Scripturarum. E. g. Semler, Paraphr. in ep. II. Petri et ep. Judae. Hal. 1784. p. 168. s. H. C. A. Haenlein, ep. Judae gr. comm. cr. et ann. illustr. Erl. 1799. p. 47. s. Quodsi statuatur, sequitur impostorem esse — sit venia verbo — qui se v. 1. vocat „ἀδελφὸν Ἰακώβου"; cum Jacobi frater idem sit Apostolus, qui et aliter Thaddaeus coll. Matth. 10, 3. Marc. 3, 18. Luc. 6, 13. ac Lebbaeus dicebatur, quemve fratribus Domini adnumerant Matth. 13, 55. et Marc. 6, 3. De his omnibus l. Disq. p. 194. s. et Digr. p. 485. Cum vero „δοῦλον", i. e. servum J. C. se nominat, Apostolorum aliorum exemplum imitatus est. Coll. Rom. 1, 1. Gal. 1, 10. Tit. 1, 1. Jacob. 1, 1. II. Petr. 1, 1.; quamque animo esset ab omni fastu arrogantiae et vana hominum gloria alienus ostendit. Poterat iure se dicere Apostolum, sed modestiae gratia ab hoc titulo abstinuit; ut de solo Christi obsequio tantum gloriaretur. Cf. C. F. Hartman, comm. in ep. Judae. Coethen. 1793. p. 3. s. G. Elias, diss. inaug. in ep. Judae. Trai. Bat. 1803. p. 3. s. M. T. Rampf, der Brief Judae des Apostels. Sulzb. 1854. p. 334. s.

nicationis misericordiae divinae, ex qua vocati; pacis ad quam vocati; et caritatis tam Dei erga fideles, quam ipsorum erga Deum et proximos [1]. Cum vero exempla non solum ad probationem; sed et ad commotionem affectus plurimum valeant: visum est s. Judae tria proferre, quibus eos a societate flagitiosissimorum hominum abstrahat. Et quandoquidem tria in illis sceleratis reperiebantur crimina, scilicet incredulitas in Verbum Dei revelatum, defectio a professione fidei, et spurcissima lascivia; totidem productis in medium exemplis: Israelitarum, qui non crediderunt; Angelorum, qui defecerunt; et Sodomitarum, qui libidinosissimi fuerunt. Ostendit quantopere ista Deo displiceant, et quam graviter in ea vitia animadvertat [2]. Ad haec addit notas, quibus perditi illi homines dignosci queant, proterviam nimirum et contemtum cuiusvis potestatis; item blasphemias horribiles in omnia, quae vel improbent vel non intelligant [3]. Laborant quoque et altero vitio belluina amentia [4]. Nam quae duce natura experiuntur, ut sunt

---

[1]) V. 1. 2. Quae deinceps v. 3—23. leguntur sunt assertio et confirmatio propositionis generalis v. 3. „Vera religio et catholica fides est omni studio servanda, et pro eadem strenue certandum.“ Causa occasiove scribendi s. Judae fuere illi, quos ante insinuavimus, haeretici; et qui per doctrinam nefariosque mores extremam Ecclesiae perniciem minabantur. Profitebantur fidem sufficere absque operibus, in quibus depravatissimi erant. His oppugnandis omnem operam impendit S. Judas. Hortatur enixeque rogat lectores, ut cum istis seductoribus nullam communionem habeant. V. 4. [2]) Suadet v. 5. omnino cavendum esse ab impietate in Deo, ne quod populo contigit olim hebraeo, eveniat etiam illis. Non suffecit Israelitis adeo mirifice educi de Aegypto, sed cum non persisterent in fide deleti sunt. Num. 14, 37. Quae quantaque supplicia maneant apostatas docet v. 6. horribili angelorum lapsu et damnatione. Cf. Hist. R. V. T. p. 25. Continet autem argumentum a maiore ad minus, negative hoc modo: si Deus non pepercit Angelis peccantibus, quantumcumque praestantioris fuerint conditionis, sed cum gloriosa rerum suarum sede se exuerent, defectionem eorum iam ultus est, et severius adhuc in supremo die ulciscetur; multo minus parcet hominibus perfidis fidei ac Ecclesiae suae desertoribus. Idem sequitur v. 7. ex ruina notissima Sodomaeorum, peribunt quicumque corpus Deo subtractum mancipant libidini. Et concludit v. 8. quales fuerunt Hebraei increduli, cacodaemones et Sodomaei tales pene et isti impostores. [3]) Quod non fecit praecellentissimus Archangelus Michael altercando cum damnatissimo daemone; audent viles isti homunciones. Archangelus rem totam permisit iudicio Domini, — v. Hist. Rev. V. T. p. 127. — hi in omne imperium contumeliosi: seposito Dei timore hominumque reverentia cuncta audent convellere. [4]) L. Ritschl, ü. d. im Briefe d. Judas char. Antinomisten, St. u. Kr. 1861. p. 103. s.

voluptates, in his se gerunt perditissime[1]. Quae omnia accuratis imaginibus describens Apostolus[2], interponit Enoch[3] viri antiquissimi et sanctissimi[4], vaticinium de Christo iudice: qua maiestate et frequentia stipatus adveniet, de quibus praesertim inquiret, et quam adversus impios sententiam proferet[5]. Ut clarius cognoscatur qui sint homines illi olim iudicandi, et nunc ab omnibus penitus evitandi[6], redit s. Judas ad interruptam tantisper recensionem notarum, quibus salutis proditores deprehendi debent. Eleganti apostrophe[7] excitat pios fideles, ut haereticis longe valere

---

[1]) Imitantur pessima exempla Cain, Balaam et Core, quibuscum merces communis illos in fine manet. [2]) V. 9—13. [3]) V. 14. et 15. [4]) Quique venturus creditur ante extremum iudicium V. H. R. D. V. T. p. 23. s. [5]) *Sed unde prophetiam Enochi d. Judas accepit?* Magna est hac de re sententiarum varietas. Interpretes qui hanc epistolam, non solum in dubitationem vocarunt, sed et plane negaverunt, ab apocrypho et incertae probationis libro mutuasse contendunt. Circumlatum olim esse volumen quoddam sub nomine Enochi, dubitare nos non sinit Tertullianus, de idololatria n. 4. p. 33. de cultu feminarum I, 13. p. 81. aliique scriptores, qui Enochi auctoritate uti non verebantur. Cf. J. Boulduc, de Ecclesia ante Legem. Lugd. 1626. p. 126. s. A. Dillmann, das Buch Henoch übers. u. erkl. Leipz. 1853. intr. p. 56. s. Rampf, der Brief Judae des Ap. u. Brud. d. H. Sulzb. 1854. p. 277. s. Fragmenta a variis s. P. et S. e. allegata collegerunt: Grabe, Specileg. P. P. I, 345. Fabricius, Cod. pseudepigr. V. T. I, 160. s. G. Whiston, Collection of the authentick records of the Old Testament. p. 260. s. Deinde vero integer quidam liber Enoch apocryphus repertus a J. Bruce 1773. editusque est a R. Laurence, the book of Enoch the prophet. Ox. e. I. 1821. e. II. 33. e. III. 38. anglice et aeth. Jnterpretationem lat. dedit Gfrörer. Proph. vet. pseudepigr. Stuttg. 1840. p. 169. s.; germanicas A. G. Hoffmann, d. B. Henoch. Jen. 1833. 8. et A. Dillmann, l. c. Idem vir doctissimus Lips. 1851. editionem Aethiopicam ad quinque Codicum fidem cum variis lection. procuravit. 38. p. in IV. Ex isto libro, qui circa d. 110. p. C. — v. Dillmann, prol. p. 44. H. Ewald, ü. d. äthiop. B. Henókh Entsteh. Sinn u. Zusammens., in Abh. d. k. Gesells. d. Wiss. Gött. 1856 VI, 180. Ei. Gesch. Israels IV, 397. s. — compilabatur, futili et nugatorio s. Judam vaticinium hoc accersivisse, iam ratione temporum non fit verisimile; cum pluribus decenniis post fuerit procusus. Porro in illis, quae hodie leguntur editionibus multa S. S. et sanae rationi contraria habentur. Neque demum de Enocho dicit „ἔγραψε“, sed „προεφήτευσε λέγων.“ Prophetiam viva voce elatam servavit Traditio. S. Judas Traditionem hanc notam et confessam, quam duce revelatione divina novit veram esse, dignam indicavit, ut sua epistola retractaret. Lege tamen quae in hanc sententiam disputat E. Arnaud, les citations apocr. de Jude Strassb. 1849. M. F. Rampf, der Brief Judae p. 279. s. C. Keil, bibl. Comm. ü. d. Büch. Mose's. Leipz. 1861. I, 84. s. [6]) V. 16. [7]) V. 17—19.

iussis, saluberrimam Christi doctrinam animis constanter retineant[1]. Lectissimo epilogo pios cunctos gratiae divinae commendat, ut per hanc sancti in hac peregrinatione serventur, et eadem peracta occurrere possint Christo; qui a Deo Patre Salvator datus est, et cui cum Illo omnem gloriam, magnificentiam, imperium et potestatem in perpetuum tribuere oporteat. Amen[2].

---

[1]) Recogitarent secum quanta sollicitudine eos Apostoli praemonuissent de periculis temporum novissimorum, quando surrecturi essent illi pseudodoctores ac turpissimorum vitiorum servi. Blandam adiicit exhortationem, qua opera docentur officiaque fidei, nemini pio non necessaria. Quinque vero sunt virtutes, ad quas suos in ultima parte παραινέσεως excitat Judas. Prima est fides totius sanctitatis chr. fundamentum; secunda est studium orandi, purum et fervens. Quoniam vero caritas est glutinum, quod nos omnes compingit in unum corpus, enitendum esse monet: tertio ut mutua dilectione cohaereamus. Quarto retinere oportet spem firmam vitae aeternae, quae piis omnibus servatur gratia D. N. J. C. Quinto iubet sancta prudentia discernere inter eos fratres, qui ab haereticis forte seducti sunt. Quippe cum alios aliosque opinione et vita errare videant, excussis rerum omnium circumstantiis, misereantur quorundam; qui errata sua cognoscunt, hos iuvent consilio et exemplo. Quos severiore admonitione indigere deprehenderint corripiant, ad meliorem mentem reducant; ac seu res pretiosas ex incendio ignis aeterni eripiant. Qui vero in sceleribus obduruerunt, hos devitent, abhorreant ab illorum pravis moribus, quibus veluti pestifera tunica vestiuntur. V. 20—23. [2]) V. 24. et 25. —. Dicendi genus s. Judae efficax est et nervosum, modum adhibet partim demonstrativum exemplis, quem παραδειγματικὸν vocant, partim obiurgatorium illum, qui ψεκτικὸς dicitur. Accedit in fine genus scribendi εὐτικόν, cum fidei et morum conservationem a Domino precatur lectoribus. Communis cum reliquis epistolis N. T. laus est s. Judae, quod vivum et efficax verbum Dei tradat. Rupertus, de operibus Spiritus S. IV, 15. p. 644. optime advertit: „Judas brevi calamo sed multam intellectus facultatem comprehendit." Atque ideo fieri non potest, quin ex eius lectione non multiplex oriatur in Ecclesia utilitas. *In auctoritate canonica* huius epistolae stabilienda, non est cur haereamus. Dubium quidem aliquando fuit de praesenti epistola enatum; sed iam vetustate et usu meruit auctoritatem canonicam. Esto, quod largimur, contradictum fuisse a quibusdam; inde tamen nullum adversus eam oritur praeiudicium; cum Veterum longe plurimi tam Graeci, quam Latini; et universa Ecclesia in Conciliis et Officio divino has literas profiteatur sacras et canonicas. Plura dabunt Fr. Feuardentius, O. F. M. in B. Judae ep. cath. comm. Col. 1595. p. 1. s. Serarius, comm. p. 78. Lorinus, comm. p. 310. s. H. Witsius, Comm. in Melet. Leid. p. 451. s. H. A. Walther, Exeg. ep. ap. Judae. Helmst. 1727. p. 9. s. Seemiller, l. c. p. 81. s. Dahl, de auth. Ep. Petr. post. atque Judae. Rostoch. 1807. p. 13. s. Jessien, de auth. Ep. Judae. Lips. 1821. G. Elias, diss. inaug. in ep. Judae p. 27. s. Rampf, l. c. p. 163. s. Huther, kr. ex. Komm. Gött. 1859. p. 200. Wiesinger, der B. d. Judas. Königsb. 1862. p. 178. s. Quod s. Judas multa cum posteriore epistola B. Petri communia dixerit; non detrahit sed favet potius auctoritati

§. 102. S. Joannis caritas, itinera, praedicatio, exilium atque obitus.

Non multo post S. Petri in Asia sedes, eo sese contulisse d. Joannem, constans Ecclesiae traditio habet[1]. Plura narrantur, quae Joannis caritatem spectant. Celeber est amor d. Joannis erga iuvenem quendam, qui in varia scelera et latrocinia incidit, sed ab Apostolo singulari amoris ratione ad bonam frugem revocatus fuit[2]. Neque reticenda sunt, quae s. Hieronymus tradit[3]: ‚cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, et vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas nisi hoc: Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres taedio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.‘ Ephesi tres edidit epistolas, quae perpetuam Ecclesiae lucem ministrant. Domitianus ferox ac immanis in Christi sectatores palam saeviens, s. Joannem imprimis Dei Filio dilectum exosus, Epheso proscripsit ac Romam ductum in ferventis olei dolium demergi iussit; ex quo cum integer illaesusque abiisset, in Pathmum[4], Cycladum, Aegei maris insulam, relegavit, ubi Apocalypsim innumeris futurorum mysteriis refertam scripsit[5].

---

canonicae, potuit Spiritus s. eadem diversis hagiographis suggerere, suppetuntque in divinis libris U. T. haud pauca exempla earundem fere sententiarum. Verum de his v. protheor.

1) Neque tamen ita d. Joannem Ephesinae Ecclesiae affixum fuisse; ut non aliis quoque verbo, scripto et exemplo profuerit, iam alibi monuimus. V. p. 293. s. Ad ceteras saltem Asiae Ecclesias curam S. Joannis, potius ut Apostoli, quam ut episcopi pertinuisse, patet ex ep. II. v. 12. et III. v. 13. et 14.; non minus quam e literis apocalypticis. Id idem S. P. P. et S. E. affirmant. Cf. Origenem, apud Euseb. H. E. III, 1. p. 71. Clementem Alex. ib. 23. p. 91. 2. Tertullianum, adv. Marc. IV, 5. p. 151. S. Joannem Chrysostomum, argum. in ep. ad Ephes. XI, 1. s. Hieronymum, de vir. illustr. c. 9. p. 57. aliosque. 2) Memoriae studiose commendavit hoc factum Clemens Alex., quis dives salvetur n. 42. p. 959.; et in compendio eandem historiam exhibet S. Joannes Chrysostomus, paraen. I. ad Theodorum laps. n. 16. I, 31. Cf. Lampe, Com. Ev. sec. Joann. Amstel. 1724. I, 73. s. 3) Comm. in ep. ad Gal. 6, 10. VII, 528. 9. 4) D. Joannem in Pathmo non exulem iussu romano; sed securitatis vel Evangelii praedicandi causa versatum fuisse temere arbitrabatur G. M. Schwollmann, comm. de Joannis in Pathmo exilio. Hal. 1757. p. 8. s. 5) Primus, qui hanc rem — quam Apostolus pro consueta sibi modestia paucis innuit Apoc. 1, 9. — narrat, est S. Irenaeus, in Chronico Eusebii gr. ad a. XIV. Domitiani, ed. Vall. VIII, 689. Eusebius, Hist. eccl. III, 18.

Cocceius Nerva[1] rescissis Domitiani edictis, Christianos destitutae religionis reos absolvit; exules revocavit, et inter hos d. Joannem[2]. Ceterum S. Evangelistam reducem, in praedicatione Domini eximia gavisum divina benedictione, vel e discipulis illustribus patet, qui ipso magistro duce usi sunt. Veteres inter illos recensent: s. Ignatium, s. Polycarpum, Papiam, Quadratum; quibus recentiores addunt Prochorum et Bucolum. Miracula quoque a. d. Joanne patrata[3] nulli dubitamus[4]. Antiquissima aeque ac certissima traditione compertum habemus: S. Apostolum Joannem post reliquorum excessum ad imperium Traiani superfuisse. Longaeva aetas carissimi testis D. N. J. C., egregium plane ad certitudinem fidei in Ecclesia attulit momentum; ita enim tamdiu supererat αὐτόπτης, donec radices egerit doctrina Christi, ad quem provocari identidem poterat[5]. Extremo senio confectus, felicissimo tandem obitu ad coelos migravit Ephesi[6]. Hinc inter sacras Orientalium peregrinationes celeberrima erat Ephesina, sepulchrum S. Joannis visitandi causa suscepta[7]. Cum d. Joanne[8] desiit saeculum Apostolicum.

Digressio, utrum s. Joannes Apostolus Romae martyrium subierit quaeritur. D. Joannem, qui saeviente in Christianos Domitiani persecutione Romam vel sponte venerat, vel iussu imperatoris — quod posterius placet —, impietatis accusatus extremo supplicio eoque atrocissimo u. v. damnatus fuit, sed et divinitus liberatus. Huius miraculi perennandae memoriae in Urbe ante portam Latinam excitata est Ecclesia. Cf. P. Aringhi, Roma subterranea II. l. IV. 6, 3. s. p. 16. s. Hinc d. Joannes „*martyr*" ab omnibus habetur; nam licet passio ipsi defuerit

---

p. 88. Demonstr. ev. III, 5. p. 116. Similia testantur S. Hieronymus, l. c. de vir. ill. aliique apud Suicërum, s. v. Ἰωάννης. I, 1470. s.

1) Grandi iam aetate imperium post Domitianum adeptus; bonus pessimo successit, mentis providae, moribus gravis. 2) Ut éx vetustiorum fide retulit Eusebius, Hist. Eccl. III, 20. p. 90. Quae quidem habentur et in Actis S. Timothei auct. Polycrate ep. Eph. apud Boll. A. S. Jan. II, 566.; item apud Photium, Bibl. cod. 254. p. 102.; eoque maiorem fidem merentur, quia ipse Dio, seu ex eo Xyphilinus, Roman. hist. I, 68. revocationem Christianorum ex exilio Nervae adscribit. Cf. e. Lactantius, de mort. persec. c. 3. ed. Baluzii p. 53. 3) Ob promissionum Christi veritatem, et testium fide dignorum relationem. 4) Cf. Eusebius Hist. Eccl. V, 18. p. 186. S. Cyrilli Alex., contra Julianum libr. VI. ed. Migne IX. 809. 5) Eorum qui d. Joannem minime obiisse tuebantur, opinionem pridem iam confutatam, praeterimus. L. Saccarelli, Histor. Eccles. II, 269. s. 6) Locum obitus d. Joannis Ephesum fuisse narrat testis omni exceptione maior Polycrates, in ep. ad Victorem romanum. ap. Eusebium H. E. III, 31. p. 102. Inde s. Hieronymus, l. c. de vir. ill. p. 57. et Ephesi mortuum, et iuxta eandem urbem sepultum esse affirmat. 7) Cf. C. Baronii, not. ad diem 27. Dec. Martyr. rom. ed. Ven. p. 62. 8) Ut observat S. Epiphanius, haer. LXVI, 19. p. 636.

passioni ipse tamen non defuit. Potissimus huius traditionis assertor est Tertullianus, cuius verba de praescr. haer. n. 36. p. 25. ita se habent „si Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est in insulam relegatur." De hac narratione disputant eruditi, suntque qui eam in dubium vocent, vel plane inter fabulas collocent. E. g. P. Faydit, eclaircissements sur la doctr. et l' Hist. eccl. de deux prem. siecl. Amst. 1695. p. 148. s. Sed cum in narrationis modo nihil reperiatur a veritate dissentanei, et assensum meruerit s. Hieronymi, adv. Jov. I, 25. p. 280.; item exserte Comm. in Matth. 20, 23. p. 155. „Si legamus ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quod et ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, et inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Pathmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, fide haud indigna est." Antiquior esset haec traditio, si genuinum foret testimonium, quod ex Victore Episcopo Capuae † 545. excitavit Feuardentius, annot. in Iren. adv. h. III, 3. II, 862. et Halloix, Illustr. Eccl. Or. script. Vit. Duac. 1633. I. 533. et 597. Interea testimonium hoc a scriptore saeculi quinti servatum, aetatis insigniter antiquioris est. Licet igitur Tertullianus cum Hieronymo soli essent huius facti testes; res in tuto collocata foret, nihil enim occurrit, quod non cum ratione eius temporis conveniat. Frequentissima istius narrationis mentio fit in martyrologiis, nec non in scriptoribus recentioribus Jornande, Adone Viennensi, Haymone, aliorumque, quorum testimonia congessit Tillemont, Mem. s. Jean. V. t. I, 338. s. D. Joannem Romae fuisse tradit etiam scriptor Pseudo-Joannes — saeculi quinti —, λόγος εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ἁγίας Θεοτόκου, ed. Tischendorf, Apoc. apocr. Lips. 1866. p. 101. coll. p. 35. Veritatem facti prae ceteris defendunt: C. Baronius, ad a. 92. n. 3. p. 724. Ruinart, Acta Mart. p. 2. Sandini, Hist. Apost. p. 145. C. Saccarelli, Hist. Eccl. II, 237.

§. 103. De Epistolis d. Joannis Catholicis.

Inter Canonicas Novi Testamenti Scripturas tres quoque epistolae s. Joannis merito recensentur [1]. Epistolarum istarum prima versatur: in adstruenda vera Salutis Oeconomia [2]. Incipit sermo a re ipsa, sicut in Evangelio; quia epistola est καθολική, scripta ad Christianos in genere quoscunque [3]. Praemisso exordio,

[1]) S. Joannes suam perpetuo in Ecclesia imaginem contemplandam exhibet scriptis aureis, quae tanquam pretiosissima cimelia in omnium post se aetatum eruditionem reliquit. Numero ille si ab uno Paulo discedamus, plura exaravit, quam ullus Apostolorum. Hunc in finem longa eius aetas, et aliqua post fundatam in orbe Ecclesiam quies admodum idonea fuit. Praeter Evangelium S. Joannes tres Epistolas et Apocalypsim scripsit, quae brevibus annotationibus illustrare conabimur. [2]) Coll. I. 1, 1—4. [3]) Non ad Ephesios, Asianos quos Apostolus excoluit.

quod lectoribus graviter commendat Joannem rerum Christi oculatum testem loqui[1], iam clare enunciat consilium scriptionis[2]: edere authenticum de Jesu Christo testimonium, ut ad societatem — κοινωνίαν — communionem invitet cum ipso; nam gaudium redditur perfectum, si communio illa consummatur[3]. Se cum λόγῳ Dei ὑποστατικῷ[4] conversatum, ab eo audiisse: Deum esse lucem; quocum qui sociari cupiat, illum quoque in luce vitam agere, neque ullam cum peccatis communionem tenere oportet[5]. Gratulans

Sunt e Veteribus; e. g. S. Augustinus, quaest. Evang. II. q. 39, 1. III. b, 266. Cassiodorius, complexiones in Ep. Acta Ap. et Apoc. ed. Sc. Maffei. Flor. 1721. p. 3. qui Parthis eam inscriptam dicunt. Fidem autem huius inscriptionis, addubitant recentiorum fere omnes: cum a nullo scriptore graeco hoc nomine citetur; nec in ullo mss. graeco haec epigraphe reperiatur; nec ante S. Augustinum ullus P. P. latinorum hoc nomine utatur; neque ipse Praesul Hipponensis aliis in locis, queis hanc eandem epistolam laudat, sub hac inscriptione ipsam adducat.

1) 1, 1—3. 2) 1, 4. 3) Nexum atque progressum primae Joannis epistolae elucidare rem difficilem esse, nec nisi consilio totius scriptionis bene perpenso cognosci posse; diligentissime quique fatentur interpretes. Cf. O. Fr. Fritzsche. de nonnullis ep. Joann. loc. difficil. Comm. pr. Tur. 1837. p. 21. s. D. Erdmann. Primae Joannis epistolae argumentum nexus et consilium Ber. 1855., qui uberrime p. 2. s. interpretum studia recenset definiendi nexum et consilium epistolae. O. F. Myrberg, comm. in ep. Joh. pr. Diss. exeg. Upsal. 1859. p. 12. s. Chr. E. Luthardt, de primae Joannis epistolae compositione. Lips. 1860. p. 4. s. Diu multumque interpretibus sedit opinio, nullam veram seriem et ordinem in eadem epistola locum habere. Ceterum praeter exordium 1, 1—4. et epilogum 5, 18—21.: commode tres partes distinguuntur: 1, 5—2, 27. ubi summa Religionis Christi consideratur, habito respectu „divinae veritatis"; 2, 28—4, 6. in qua parte tota oratio pendet ab idea „divinae sanctitatis"; atque 4, 7—5, 17. qua omnia a notione „divini amoris" explicantur. Inter omnes tres partes magna est convenientia rerum et sententiarum; sed et tanta varietas, quanta opus est ut verus progressus sermonis efficiatur. 4) L. J. Lange, dissert. de mysterio logu hypostaticu Hal. 1711. 5) Peccata omnino non sunt committenda, et quae commisimus, confitendo eorum remissio a Christo petenda erit; qui sanguine proprio peccata hominum mundavit. 1, 5—2, 2. Deinceps 2, 12—2, 27. assignat notas, quibus intelligamus, an in luce versemur. Sunt illae mandatorum divinorum custodia. Haec qui custodit, certe Deum perfecte amat. Christus exemplar est, quod imitari debemus. Vita ethica, quae est imitatio Christi, absolvitur caritate. Voluntas enim divina illis cum ad castra Christi accederent, iam cognita est; illud inquam mandatum vetus de caritate, non novum: quia pridem Christus tradiderat, et tamen novum quia sensim ac paulatim impletur. Nondum enim tenebrae prorsus depulsae, agitur nunc pugna inter lucem et tenebras, sed lux magis magisque vincit. Expers caritatis, ne communionis quidem illius quae est cum Deo, particeps fiet. Cf. H. A. Schott, comm. de Joanne Ap. doctrinae suae novitatem pariter ac vetustatem vindicante I. 2, 7—15. in Opusc. Jen. 1818. II. 265.

singulis hominibus de bonis quae per Christum acceperunt, hortatur ne mundum diligant, neque ea quae mundi sunt [1]. Caritati quidem adversatur maxime fratrum odium et amor mundi; peculiari attamen ratione pugnant cum illa errores fidei, quos spargunt exsecrandi haeretici: qui similes sunt illi Antichristo [3], qui venturus est sub mundi finem. Instructos dicit lectores suos, ut dignoscere possint tale hominum genus, quod pervertit fidem [4]. Sic ad initium regressus s. Joannes, mira et sollicita de suorum salute cura inculcat, persistendum in fide et caritate. Coniungit se fidelibus spe de illorum gloria congaudens. Extollit divinae adoptionis beneficium [5]. Filiorum Dei est fratres diligere [6]. Expendat quisque propter testimonium conscientiae [7]: an facultates imo et animam

---

[1]) In rebus mundanis nihil reperitur, praeter obiecta titillantia partem animae concupiscibilem. Abeunt velocissimo cursu. Ideo mundi perituri amor fugiendus, divina dilectio autem amplectenda. [2]) Quomodocunque autem illi adpellentur, respexit ad eorum errores Apostolus, qui Christo divinitatem adimere pergebant; vel Jesu phantasticam tantum humanitatem tribuebant. Itaque his falsis doctoribus, qui D. N. J. C. nec viderunt, nec audierant occurrit oblique adversarios impugnando. Cf. Myrberg, Comm. in ep. Joann. prim. p. 8. s. H. R. D. N. T. p. 293. [3]) Antichristi nomine usus est unus S. Joannes ex omnibus divinis Scriptoribus, saepius illud repetens. Etymon ducitur a part. ἀντι et nom. χριστὸς potestque sub generali notione cunctis dari, qui Christo contrarii aut oppositi inveniuntur. Hoc sensu varii dicuntur Antichristi. Sed determinatus aliquis, et proprie dictus Antichristus, ex I. Joann. 2, 18. aliisque S. S. locis coll. II. Thess. 2, 3. comprobatur. V. p. 374. s. Verus ille et singularis Antichristus ante universale iudicium venturus, quae in aliis ipsius veluti praecursoribus divisa erat iniquitas, hanc in se colliget omnem. Atque hunc Antichristum tunc proditurum d. Joannes plane secernit ab iis, qui antecedentibus temporibus veritati, pietati, et iustitiae se opponunt. Cf. e. Apocal. 11, 7. 13, 11. s. Quae porro de Antichristo iuxta S. S. et Traditionem cadere in quaestionem possunt, docte et copiose expediuntur in Calmeti, diss. de Antichristo, Diss. N. T. p. 412. s. [4]) Monet lectores: ut sint tenaces traditae ab initio doctrinae de Jesu, quod sit Christus et Dei Patris filius. Antichristi nomine, qui vocari possunt, cum Jesum negent esse Christum, filium Dei; etiam Patrem negant. Nam communione Patris et salutis aeternae non fruitur, nisi qui Filium Dei profitetur. Hunc negare est ipsum mendacium; eundem profiteri ipsa veritas. In qua qui manet, in Christo manet, et communionem cum Deo servat. [5]) Justi sunt filii Dei, nón substantia, sed participatione quadam accidentali; simili autem modo secundum proportionem filii diaboli censentur peccatores. [6]) Signum vitae divinae cernitur in eo, quod fratres sicut oportet diligamus; quam dilectionem qui non habent, in morte versantur, neque vera cum Deo communione gaudent. [7]) Cf. S. Andreae, disq. th. de corde condemnante ad I. Joann. 3, 19. 20. in Thes. nov. p. 991. s.

moderamen et repressionem cupiditatum [1]. Exitio denique divitibus, qui pauperes vexant, denunciato [2], pauperes hucusque oppressos auxilii instantis spe proposita ad patientiam cohortatur [3]. Addit vetitum de cavendo iuramento [4]. Commendat in rebus tristioribus orationem ad implorandam divinam opem, vel si tristitia iam fuerit expulsa, psalmodiam ad exhilarandum pie animum [5]. Cumque S. Jacobus plurimis modis hac epistola consoletur afflictos opportune subiungit: quid in infirmitate, quam dupplicem distinguit corporis et animae, sit agendum. In infirmitate periculosa, advocent presbyteros, qui ungant [6] ipsos et orent; extra illam etiamsi

arguit quasi adulteros, qui Dei tanquam veri ac legitimi sponsi fide deserta se ad mundi transtulerint amicitiam, proinde inimicos Dei profiteri se, si non verbo saltem re non dubitaverint. Si itaque maioribus gratiae bonis, quam sint alia omnia mere naturalia affici a Deo velimus, humiliter subdamur Domino; atque reiecta mundi amicitia, Dei amicitiam faciendo, quae praecipit, quaeramus.

[1]) Invehitur in homines qui aliis detrahunt, vel officium legislatoris sive iudicis usurpando condemnant; quoniam hoc facientes caritatem laedunt, legemque quae tantum malum vetat, dilectionem vero proximi praecipit, migrant. Eandem arrogantiam prae se ferunt, qui divinam non attendentes providentiam de futuris ad singulas temporis differentias, ita loquuntur et statuunt tanquam qui illa in sua habeant potestate, atque vivere quantum libet valeant. 4, 1—17. [2]) 5, 1—6. [3]) 5, 7—11. [4]) 5, 12. [5]) 5, 13. [6]) Ecclesia Catholica fidelibus commendatum ac promulgatum docet a S. Jacobo 5, 14. Sacramentum extremae Unctionis. Conc. Trid. sess. XIV. c. i. Interpretes Acatholici. — E. g. Morus, prael. in Jac. et Petri ep. Lips. 1794. p. 88. s. D. J. Pott, ep. cath. gr. perp. ann. illustr. ed. III. Gott. 1816. I, 287. s. J. Schulthess, ep. Jacobi comm. explan. Tur. 1824. p. 175. G. C. Theile, comm. in ep. Jacobi Lips. 1833. p. 274. s. J. T. A. Wiesinger, der Brief des Jacobus erklärt. Königsb. 1854. p. 203. J. E. Huther, Kr. ex. Handb. ü. d. Brief des Jacobus Gott. 1858. p. 195. s. — contendunt unctionem hanc non esse sacramentalem sed medicam; nec aliam ab ea qua Apostoli Christo adhuc in vivis agente infirmos curabant. Coll. Marc. 6, 13. Aut referunt ad χάρισμα sanandi I. Cor. 12, 9., certis quibusdam tributum; quae quidem unctio dicunt cessare debet, postquam χάρισμα sanandi, una cum aliis linguarum, prophetiae etc. in Ecclesia desiisset. Sed haec perperam sane affirmantur. Unctio, de qua S. Jacobus loquitur, peccatorum remissionem spectat; minime altera illa apud S. Marcum. Quo plane constat extremam unctionem non aegritudinis tantum corporalis medicamentum esse, sed etiam reliquorum sacramentorum instar gratiam conferre, ac proinde nec a S. Jacobo fuisse institutam: sed ab eo tantum, cui peculiare est, ut gratiam conferre possit. Quod vero ad χάρισμα sanandi attinet S. Jacobus non dicit vocandos eos, qui dono sanandi pollerent, sed absolute presbyteros Ecclesiae; quae quidem ratio valeret, etiamsi ut perperam sumunt Acatholici nomine presbyterorum, non venirent Episcopi aut sacerdotes secundi ordinis, sed aetate aut dignitate seniores.

se aegritudine spirituali gravari sentiant, utantur confessione, quae sacerdoti fit[1]. Mutuis se iuvent orationibus ad salutem praesertim animae consequendam. Quantum iusti valeat deprecatio assidua, confirmat exemplo Eliae[2]. Gratissimum opus esse Deo, cooperari in conversione iniquorum ad eum; quod qui facit multitudinem peccatorum alterius, cuius animam salvat, operit[3]. Ceterum S. Jacobi sit hoc scriptum nec ne? ex argumento eius omnique ratione haud minus, quam ex externis auctoritatibus colligitur. De ipsius auctoritate Veteres nonnullos dubitasse proditum est[4]; plerique tamen s. P. P. et S. E. inter Canonicas Scripturas adnumerarunt, eamque ut divinam Ecclesia veneratur[5].

---

[1]) Dictio „ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα“ 5, 16. non favet Acatholicis propterea negantibus confessionem sacramentalem; quoniam haec non fit cuivis sed sacerdoti dumtaxat. Juxta subiectam materiam s. Jacobus loquitur ad fideles, ut servent mandatum Joann. 20, 23. Conformiter ad h. l. vult, ut confiteantur homines hominibus sc. illis, quibus tanquam Dei ministris potestas absolvendi collata est. Huic interpretationi favet I. Petri 4, 10. Perinde est q. d. confitemini inter vos alii aliis ut cuique convenit; ita ut qui non acceperunt potestatem remittendi aliis peccata, eis confiteantur qui acceperunt, et rursus qui acceperunt eis confiteantur qui item acceperunt. Atque ita exponit Origenes, in Levitic. hom. II, 4. t. IX, 193. et S. Joann. Chrysostomus, de sacerdotio III, 6. ed. Lomler p. 24. [2]) 5, 14—18. [3]) 5, 19. 20. Ex his apparet S. Jacobum pro sua pietate summaque sollicitudine, per totum epistolae contextum saluberrimas adhortationes inseruisse. Scribendi genere quidem utitur graeco, sed hebraismis frequenter mixto, dictisque imprimis et exemplis e V. T. petitis ornato. Prae ceteris Salomonis, Isaiae et Ecclesiastici volumina ante oculos habuisse videtur Cf. G. van Leeuwen, specim. exeg. th. de poetica dictione in ep. Jacobi. Tiel. 1855. p. 4. s. A. Boon, diss. exeg. th. de Jacobi epistolae cum Siracidae libro convenientia. Groning. 1860. p. 13. s. Sermone Syro Judaeis tunc usitato epistolam hanc scriptam fuisse affirmat Faber, prolus. in epist. Jacobi ex Syro. Coburgi 1771. Sed nulla urget auctoritas, nullaque persuadet ratio, id de epistola s. Jacobi statuere, quod de Evangelio S. Matthaei et epistola ad Hebraeos statuimus. Amat S. Jacobus adhibere imagines sane sublimes, formam dicendi grammaticam, iteratas interrogationes, anacolutha, et quam vocant antanaclasin i. e. gradationem. [4]) Cf. Eusebii H. E. II, 23. p. 66. S. Hieronymi, de vir. ill. c. 2. p. 23. [5]) Quae argumenta contraria et authentiam et canonicam dignitatem harum literarum extenuare et sollicitare videntur, eas exigui vel nullius momenti esse putamus. Theile, Theologus acatholicus, l. s. c. prol. p. 52. candide fatetur; „Qui inde a saec. XVI. adversus epistolam nostram magis minusve surrexerunt, variis moti sunt causis, quae omnes certe praeiudicati labe premuntur.“ Hoc tempore praeter de Wette, Einl. p. 372. 373., qui tamen ipse p. 374. ait authenticam fere ab omnibus haberi, dubia moventem, praeterque hypercriticos Tubingenses Schwegler, nachap. Zeitalt. I, 414. et Baur, Paulus p. 677. s. 688. s., dignitas

Inculcat vehementius s. Joannes gravitatem peccati ad mortem[1]. Quoniam denique omnis falsa contra fidem, maxime contra divinitatem D. N. J. C., doctrina, censeri potest quoddam εἴδωλον; opportune conclusit epistolam admonitione: ut communionem, quae renatis cum Patre D. N. J. C. est servarent; custodiant se a phantasmatibus doctorum, qui negant Christum consubstantialem esse Deo Patri[2].

Intellexerat s. Joannes deterrimum hominum genus, qui negabant D. N. J. C. venisse in carnem, circumvagari; spargere ubicumque veniant suos errores; seducere incautos et simplices; periculum esse ne et eam turbent Ecclesiam, cuius fidelis erat Κυρία, Domina[3];

---

ius ad salutem aeternam. 5, 6—11. Hanc vitam in fide et dilectione Filii eius positam esse voluit. Qui habet Filium Dei fide et dilectione, habet quoque vitae inchoationem aeternae. Fides vero gignit spem, quidvis impetrandi a Deo, quod conferat saluti. Etiam fratrum peccantium conversionem ad Deum, precibus nostris exorare valemus. Iis vero, qui veritatem cognitam volentes scientesque negarunt, ut condonentur peccata, non promittit Apostolus. Quidem haud negat; quin etiam permittit: ut quis oret pro ipsis, tamen rem dicit impetratu difficilem. Cf. Hebr. 6, 4. V. H. N. T. p. 466.

[1]) Longe absunt a quovis mortali peccato, qui ex Deo nati sunt, propter vim generationis divinae; licet in mundo versentur, nihilominus non prosternuntur a diabolo, qui tenet alioquin mundum. V. p. 374. Abstinent a peccatis, quia D. N. J. C., qui non est minus Deus, quam verus homo; suo nobis adventu contulit simul gratiae lumen ad cavendum a maligno. [2]) 5, 12—21. „Addit“ Amen i. e. veraciter et infallibiliter. Omisit S. Joannes salutationem in principio et fine epistolae volens eo, si fieri possit communiores pluribus esse literas. Colligitur ex dictis pretium epistolae, quae summo consensu ac veneratione ab omnibus semper legebatur. [3]) Quid inscriptio „ἐκλεκτῇ κυρίᾳ“ velit, interpretes non uno modo explicant. S. Hieronymus, ep. 123. ad Ageruchiam n. 13. p. 909. Ecclesiam chr. ἀλληγορικῶς intelligit. Serarius, prol. II. et III. in ep. Joann. II. p. 73. sumit missam ad Ecclesiam Corinthiam, ubi fuit Caius S. Pauli hospes. Rom. 16, 23. G. Secchi S. J. — diss. argomenti biblici pel primato cattolico e per la infallibilità dottrinale della Chiesa Romana tratti dalle prime due lettere dell' apostolo san Giovanni, confrontate con le due dell' apostolo san Pietro. Rom. 1846. item la catt. Aless. di S. Marco. p. 213. 214. Cf. e. Annali delle Scienze religiose comp. d. G. Arrighi. Rom. 1846. III. 8, 250. s. — Romanam intelligit Ecclesiam; eo quod quemadmodum s. Petrus I. 5, 13. electam Asiae salutet nomine „ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή“: ita d. Joannes II. v. 1. resalutaturus Romanam utitur expressione „ἐκλεκτῇ κυρίᾳ.“ Hoc ipsum probare pergit auctoritate Clementis Al. et S. Hieronymi. Communius attamen dicunt: S. Joannem cum scriberet τῇ ἐκλεκτῇ κυρίᾳ, piam innuisse matronam, nomine Cyriae. Nec aliquid huic opinioni obstare affirmant. Quod enim obiicitur, omissionem articuli impedire, quominus

hospitalitatis laude praeclara[1]. Itaque non morandum sibi censet, sed omni qua potest festinatione illam admonendam esse duxit. Piae illi Electae Dominae eiusque liberis salutem dicit plurimam[2]. Gaudium suum declarat de profectu spirituali, quem in eius liberis deprehenderat[3]. Rogat hortaturque, ut perseveret mater bona cum filiis bene ambulantibus, imo currentibus in mandato divinae dilectionis; quod non nuperrime, sed pridem iam traditum sit[4]. Monet eam, ut sibi caveat ab iis, qui negarent quod recta fides confitetur: incarnationem D. N. J. C. Quicunque impostorum id facit, is Christo adversatur, proinde ἀντίχριστος est. Ab horum societate Electam cum sobole arcere vult, ne eorum contagione contaminarentur[5].

Extremo hoc aevo contra d. Joannem insurgebat quidam Diotrephes, ex illo hominum genere, qui Judaeos licet Christum professos, nisi Legis ritus observarent, ad suos coetus non admittebant. Duplicem movebat Diotrephes rixam contra Apostolum. Cum φιλοπρωτεύων — amans primatum — fuerit, summam s. Joannis Apostolicam auctoritatem non agnovit, deinde literas eius commendatitias, quas quibusdam fratribus[6] dederat, non recepit. Diotrephes

ρία pro nomine proprio habeamus; nullius esse ponderis regerunt, cum idem Joannes ep. III. scripserit „Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ" absque articulo. Etiam de Gaio, rem paucis absolvamus, multum disputatur. Trium istius nominis virorum in S. N. T. fit mentio: Act. 19, 29. 20, 4. Rom. 16, 23. coll. I. Cor. 1, 14. Quis horum idem cum Gaio S. Joannis? neque ad liquidum perductum est, nec facile ad uidum perducetur; quoniam argumenta, quibus singulorum interpretum supernitur coniectura, licet probabilia, evincendi tamen vi haud pollent. Attamen m aliquid h. l. proferendum sit, dicimus: Caium S. Pauli hospitem non gre intelligi, propter similitudinem in vitae conditione. Verum id quoque eri oportet, potuisse duos eiusdem nominis existere viros hospitalitatis laude ignes. De his plura dabunt Lampe, Comm. Ev. Joann. prol. I. 7, 11. s. 111. s. J. J. Rambonnet, spec. ac. de sec. ep. Joannea. Trai. ad Rh. 1818. 54. s. H. Ritmeier, diss. de ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ. Helmst. 1706. Knauer, Stud. u. Krit. 33. p. 452. s. Lücke, l. c. p. 350. s. Mayer, l. c. p. 229.

[1]) Quam ideo statim adituri essent isti seductores doctorum Christianorum nen mentiti. [2]) V. 1—3. [3]) V. 4. [4]) V. 5. 6. [5]) V. 7—11. In his quae neceso et quantocius scribenda erant, subsistit Apostolus. Cetera quae addi potuis ad hoc ipsum argumentum pertinentia, differt ad id tempus, quo adventum m pollicetur. Literis finem imponit salutando Electam nomine filiorum oris. V. 12. 13. [6]) Peregrinis, forte profugis e Palaestina, ad summam statem redactis eiusmodi literas dedit Apostolus.

non tantum subsidia illis denegavit, sed etiam alios a collatione eorum prohibuit. Ei opponitur toto coelo Gaius quidam, Joannis intimae admissionis amicus; aut saltem dilectus discipulus. Gaius ad quem tertiam epistolam scripsit s. Joannes, ipsi apprime commendabatur, quod vel invito Diotrephe[1] hospitalitati operam daret. Inculcat Apostolus orthodoxam fidem, quam Gaius operibus caritatis exornet. Porro monet, ne moveatur pravo exemplo; sed sibi proponat Deum imitandum, et domesticum Demetrii cuiusdam viri benefici exemplum sequatur. Non contentus consuetae hospitalitatis officio, etiam peregrinos a se discedentes, honoris causa prosequatur, et res ad iter necessarias suppeditet; cum id multum iis conferre possit, qui ab ethnicorum donis et contubernio abhorrebant[2].

Digressio, qua prima quae dicitur epistola Joannis, et in illa v. 7. 8., item altera et tertia a scriptore Evangelii quarti vere esse scripta demonstratur. Prima d. Joannis epistola semper et ubique in Ecclesia canonicam obtinuit auctoritatem, perpetuoque eidem Apostolo adscripta fuit; licet illius nomen nullibi in contextu praeferat. Ipse tamen scriptor ubique se prodit verbis et sententiis; et potissimum caritate, qua S. Joannes affluens per totam epistolam redundat. Marcion, Alogi, et qui Fr. Chr. Baur castra sequuntur; neque Evangelium v. p. 300. s.; neque primam epistolam originis Joanneae esse voluerunt; nihil attamen produxerunt — e. g. A. Hilgenfeld, das Ev. u. d. Briefe Johann. n. i. Lehrb. Halle. 1849. p. 322. s. — quod auctoritatem harum literarum infringere valeat. Esse autem illas a s. Joanne tum Evangelista tum Apostolo exaratas: rationes gravissimae luculenter ostendunt. Docet hoc α. titulus epistolae praefixus; arguit idipsum β. modus scribendi s. Joanni consuetus; fidem denique γ. authentiae facit testimonium primitivae Ecclesiae, quae nulla plane scripta in Canonem admisit, nisi de quorum inspiratione indubie constabat. Dolemus ceterum interpretes, ac etiam melioris notae — e. g. Fr. Lücke, Comm. ü. d. Briefe d. Ev. Johannes. II. Bonn. 1836. p. 294. s. J. E. Huther, kr. exeg. Handb. ü. d. Briefe des Johannes. Gött. 1855. p. 188. s. Ebrard, die Briefe Johannis. Königsb. 1859. p. 358. s. Luthardt, l. c. p. 31. Myrberg, l. c. p. 64. Erdmann, l. c. p. 204. s. — de testimonio Joanneo I. 5, 7. 8. „ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατήρ, ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι; καὶ τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ" ita pronunciare, ac si dubitari amplius nequeat hypobolimaeum id esse, ideoque e textu graeco eliminandum. Quamvis autem haec verba in textu graeco quorumdam codicum non legantur, tamen vere authentica sunt; quod sequentibus

---

1) Eiusdem uti credimus urbis, in qua Gaius morabatur episcopo. 2) Excusat epistolae brevitatem, sicut et in priori, spe adventus ac praesentiae suae. Non omnia mandare et credere literis vel oportet, vel expedit, et vivae vocis energia maior. Suavi et amica salutatione finit. Versus continet 1—15.

probatur argumentis: a. Ex cohaerentia v. 7. cum antecedentibus et consequentibus. Recensione argumenti superius data intelleximus, dici vel scribi ab Apostolo nullum potuisse: aut magis subtile theologicum, aut magis dogmaticum, aut in utroque genere magis accuratum, aut secum denique magis cohaerens testimonium. Vel haec una sententia v. 8. „ἐπὶ τῆς γῆς" testatur, v. 7. praecessisse comma; quo allati sint oportet, qui testimonium dant in coelo. Alioquin istud: „in terra" esset frigidum et redundans, neque prudenti scriptori ea verba in mentem venirent. b. Licet aliquibus vetustis exemplaribus graecis MSS. librariorum negligentia, vel scribarum incuria exciderit celeberrima illa periocha; occurrunt nihilominus MSS., quae locum vel in textu connexum, vel margini adscriptum afferunt. E. g. Codices quibus L. Valla, Editores Complutenses, R. Stephanus usi sunt. Adde MSS. Brittannicum, cuius auctoritate permotus Erasmus comma hoc ed. 1522. inseruit. Item MSS. Dublinense et Berolinense. Patres Graeci Concilii Lateranensis IV. decret. II. de err. abb. Joach. ap. Hard. VII, 17. indicant: ἐν τισὶ χώδεξιν contextum v. 7. exstitisse. Accedit denique codices graecos antiquos in quibus catholicae epist. continentur, pauciores habere ep. d. Joannis. Unde axioma cr. in nullo codice graeco reperiri limitandum esse sequitur. c. Semper singulari Numinis providentia permansit integra in compluribus praestantissimis versionibus Latinis etiam mss. Confecit id eruditissime C. N. Wisemann, scriptione Two Letters on some parts of the controversy concerning I. John. V, 7. Rom. 1835. p. 9. s. Reperitur d. in antiquis Patribus et Scriptoribus. e. Invicte probant illustre hoc testimonium saeculo III. lectum fuisse: Tertullianus, adv. Praxeam n. 25. IV, 282. S. Cyprianus, de unitate Ecclesiae n. 6. p. 121. Cassiodorius quoque legit in complexionibus suis. Est haec periocha certe in expositione fidei catholicae ab Eugenio Carthaginensi episcopo tradita Hunnerico regi Vandalorum a. 484., ex consensu omnium Africae, Mauretaniae, Sardiniae et Corsicae episcoporum, ut quidem refert Gennadius, de vir. ill. c. 97. p. 44. Harduinus, Conc. II, 863. At non est citata obiiciunt adversarii a . Patribus, qui contra Arianos disputarunt? Huius silentii causa fuit, vel viros ·os ad manus habuisse codices, qui ea pericopa carebant, — non raro librarii, ·bi eadem verba ut in praesenti textu bis recurrunt, brevitatis ergo semel tantum ·dscripserunt; — vel cum possent aliunde errores confutare, de loci controversi ·i contendere noluerunt. Nullus tamen s. P. P. de loco hoc, tanquam supposito ·uestus est. Denique e. determinari non potest quo saeculo, quo auctore, quo ·eco verba illa scripta sint? et qua deinceps auctoritate recepta? Cur non ·nanimi Ecclesiae consensu reiecta fuere? Concilium Tridentinum sess. IV. ·mnes V. T. L. L. cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica ·gi consueverunt, et in Vulgata editione habentur, sacros et canonicos agnovit. ·um vero et locus hic in Vulgata habeatur, et I. Joann. 5, 7. 8. partem con·ituat, ceterorum instar tanquam authenticus est excipiendus. Singulis contra ·θεντίαν huius dicti argumentis multa alia opponuntur nondum confutata; quibus ·spicio νοθείας plenius amoveri potest. Praestiterunt hoc Calmet, diss. N. T. ·497. Goldhagen, Intr. p. 480. s. Aeg. Hunnius, epist. can. Joann. Ev. et Ap. ill. ·anc. 1588. p. 225. s. Harduinus, in calce Comm. N. T. p. 800. s. G. Titius, de ·udentia in disq. auth. d. Joann. I. 5, 7. obs Witt. 1766. Mosheim, de tribus in ·rra testibus. Helmst. 1725. Wolf, in Cur. p. 299. J. A. Bengel, Apparatus criticus ·N. T. ed. II. c. Burk. Tub. 1763. p. 452. G. C. Mayer, Comm. ü. d. Br. d. Apos·s Johannes. Wien. 1851. p. 188. s.

An secunda et tertia epistola s. Joannis opus sint? de eo saeculo tertio iam dubitatum esse, negari nequit. Esse tamen ab Evangelista scriptas facile patet ex scribendi genere et orationis colore. Nam tanta est tam in lingua, quam in rebus, convenientia; ut facile agnoscamus utrasque epistolas scriptoris Evangelii et Epistolae primae opus esse. Habentur enim eadem verba, eaedem dictiones, eaedem ἀνομαλίαι. Secundae licet ὀλογιςτίχου, tredecim commatum, cum sensus, tum ipsae ῥήσεις reperiuntur in prima. Epistola vero tertia eiusdem est ingenii et characteris cum secunda. Pietas non patitur, ut credamus aliquem alium, hodie ignotum, personam s. Joannis induisse; ut sibi auctoritatem conciliaret. Accedit longe generalior consensus Ecclesiae, s. P. P. et S. E. epistolas has Joanni Apostolo tribuentium. Licet autem Veterum nonnulli „Seniorem" — ὁ πρεσβύτερος, — cuius adpellatione praenotatur titulus his epistolis, alium haberent ab Apostolo; plurimorum tamen testimonium fide dignum impedit, quo minus dubitemus de harum literarum αὐθεντία. Si daremus duos viros eiusdem nominis exstitisse, ex eo tamen non sequeretur, Joannem presbyterum alteram tertiamque epistolam exarasse. Contra omnibus rite perpensis liquet, ipsam hanc τοῦ πρεσβυτέρου inscriptionem docere s. Joannem Ap. illas scripsisse. Quare enim suppressisse censendus esset Joannes presbyter nomen suum? Ille enim non pro aliis suae aetatis viris erat ὁ πρεσβύτερος, aut aetate aut munere. Sed Evangelista, unicus e Jesu C. Apostolis superstes, et ad extremam usque senectutem pertingens, hoc nomine commode se vocare potuit. Conveniebat etiam magis familiari scribendi rationi, quod senex s. Joannes sese hoc sensu τὸν πρεσβύτερον dicat, sicut d. Paulus agens cum Philemone v. 9. senem se nominat. Valuit denique haec adpellatio ad conciliandam benevolentiam. His de causis recte d. Joanni Apostolo secunda quoque cum tertia adscribitur epistola.

Digressio, qua exhibentur Ἐνεργήματα et Χαρίσματα *Ecclesiae Apostolicae.* Ex epistolis Apostolorum intelligere possumus, quot genera essent hominum, qui coelestia dona ad aedificationem nascentis Ecclesiae acceperant; quae breviter explicare praeter rem h. l. non erit, cum eiusmodi disquisitio ad Historiam R. D. N. T. vel maxime pertineat. Dona varia extraordinaria, quae Deus primaevis fidelibus contulerat, idque ut facilius doctrinam suam propagarent, duce Apostolo I. Cor. 12, 9. 10. recte distinguuntur: in „χαρίσματα" dona gratiae, et „ἐνεργήματα δυνάμεων" operationes miraculorum; utraque inservientia variis ministeriis ad utilitatem, „πρὸς τὸ σύμφερον", incrementum Ecclesiae. Ad „ενεργήματα", quae Apostoli et fideles tempore Apostolorum divina virtute peragebant, merito referuntur: sanatio infirmorum; resuscitatio mortuorum; plagae severiores impiis aut pertinacibus Spiritus S. adversariis inflictae, liberationes prodigiosae in casibus maxime dubiis; eiectiones daemonum. Quae cum omni exceptione maius argumentum fuerint de copia singulari gratiae divinae, quam praedixerant Prophetae tempora Messiae abunde comitaturam; spectatores rapiebant in stuporem et ad Christi amplectenda sacra validissime trahebant. Hinc cum Apostolis nihil magis curae cordique esset, quam Christiani nominis propagatio, Deum precati sunt Act. 4, 29. 30.: „Et nunc, Domine, respice in minas eorum et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, ad signa et prodigia fieri per nomen sanctum filii tui Jesu." Quas quidem preces Deo gratas fuisse, ex eventu intelligere licet. Cf. vel Act. 5, 15. s. Unde cum d. Petrus hominem ab utero matris claudum sanitati restituisset, indeque occasio pro veritate religionis Christi

verba faciendi illi enata esset; omnia Christo tribuit auctori, a quo et se hancce potestatem accepisse testatur. Act. 3, 6. s. 16. s. Unde vero rursus sponte sua sequebatur Christum, qui non modo plura et maiora quam Prophetae edidit miracula; sed suam etiam miracula edendi facultatem Apostolis concessit: Prophetam „κατ' ἐξοχὴν," ipsumque adeo Messiam esse. Ad haec accedebant charismata „χαρίσματα." Dona haecce, sive charismata, extraordinaria fuisse, ut demonstremus necesse non est; cum nemini hoc, qui institutiones theologicas rite percepit, ignotum esse queat. Ex innummeris S. S. P. P. et S. E. hac de re testimoniis v. S. Irenaei, adv. haer. IV. 20, 6. p. 627. S. Hippolyti, de charismatibus. ed. Fabr. p. 245. s. Origenis, in ep. ad Rom. comm. IX, 3. ed. Lomm. VII, 300. s. S. Cyrilli Jeros., cat. XVII, 16. p. 272. S. Hieronymi, ep. 120. ad Hedibiam n. 9. p. 834. s. S. Augustini, in ep. Joann. I, 2. tr. II, 3. p. 838. c. 4. tr. VI, 10. p. 868. S. Leonis M., serm. LXXIII, 2. p. 78. S. Gregorii M., hom. XXX, in Ev. n. 4. et 9. I, 1577. 80. S. Thomae, Pr. seq. c. III a. 1. et 4. ed. Bon. VI, 462. s. 471. Adde e Theologis Fr. Suarez, de div. gratia Part. I. proleg. III, 4. 5. Op. ed. Ven. 1740. VI, 81. Collegii Salmaticensis curs. theol. Lugd. 1679. III, 788. s. Staudenmaier, Encykl. d. th. Wiss. Mainz. 1834. p. 444. Schrader, Thes. theol. s. III. Vind. 1864. p. 10. Ut autem eo rectius in charismatibus delineandis procedamus, praestat recitare effatum S. Pauli I. Cor. 12, 28.: „Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum." L. e. Ephes. 4, 12. De his aliisque parallelis locis legendi commentarii S. S. P. P. et S. E. in catena in S. Pauli ep. ad Cor. ed. J. A. Cramer, Oxon. 1841. p. 223. s. S. J. Chrysostomi, hom. 29. s. in. ep. I. ad Cor. X, 257. s. Theodoreti, interpr. ep. I. ad Cor. III. 1, 240. Oecumenii in I. ep. ad Cor. comm. c. 8. ed. c. p. 534. s. Theophylacti, comm. in I. ep. ad Cor. op. ed. Fr. Foscarini. Ven. 1755. II, 193. s. S. Thomae Aquin., Comm. in ep. omn. d. Pauli ed. Neap. 1856. II, 93. s. A. Salmeronis, S. J. disp. 20. s. in ep. I. ad Cor. Op. XIV, 158. s. B. Justiniani, in omn. ep. Paul. expl. I, 578. s. Cornelii a Lapide, comm. in omn. d. Pauli ep. ed. Antv. 1665. p. 298. s. G. Estii, comm. I, 237. s. J. Lorini, in I. Joann. ep. c. 4. comm. p. 93. seq. G. Olearii, diss. de probatione spirituum in Thes. nov. II, 999. s. Lakemacheri, Observ. II, 4. p. 104. s. Calmeti, comm. liter. III, 663. s. J. L. Moshemii, de prophetis Ecclesiae apostolicae, diss. II, 137. s. Kistemaker. h. Schrift d. N. T. Münster. 1825. V, 471. seq. A. L. C. Heydenreich, comm. in pr. d. Pauli ad Cor. ep. Marb. 1828. II, 234. s. L. G. Pareau, comm. cr. et ex. in Paul. ep. pr. ad Cor. c. XIII. Trai ad Rh. 1826. G. Billroth, Comm. z. d. Br. d. Paulus a. d. Kor. Lips. 1833. p. 157. s. C. Schrader, der Ap. Paulus. IV, 167. s. Rückert, der I. Br. Pauli an die Kor. Lips. 1836. p. 320. s. H. Olshausen, bibl. Comm. ed. III. Königsb. 1840. III, 681. s. J. F. Räbiger, kr. Unters. ü. d. Inhalt d. b. Br. d. Ap. Paulus an die Kor. Gem. Breslau. 1847. p. 136. s. Osiander, Comm. ü. d. I. Br. Pauli an die Kor. p. 528. Meyer, d. Paulus I. Br. an die Kor. p. 261. s. A. Bisping, Erkl. des erst. Br. an die Kor. Münster, 1855. p. 205. s. Harless, Comm. ü. d. Br. Pauli an die Ephes. p. 368. s. D. Erdmann, pr. Joann. ep. arg. nex. cons. Berol. 1855. p. 150. s. J. Chr. C. Hofmann, die h. Schrift d. N. T. Nördl. 1864. II. 2, 271. s. A. Maier, die Glossolalie des ap. Zeitalters ex. kr. beleuchtet. Freib. 1855. repet. in Z. f. d. g. Th. VII, 840. s. — Ac primo quidem loco s. Paulus enumerat Apostolos. Apostoli qui fuerint, sat notum est. Nomen et munus apostolicum ad Evangelium et Novum Testamentum

spectare liquet Apostoli vel erant a Christo cum in terris ageret, aut e coelo electi; ut primaria quadam auctoritate Ecclesiae praeessent. Cf. B. Justiniani, disp. de Apostolatu. Explan. I, 27. s. Apostoli non tantum potestatem ordinis et iurisdictionis exercuerunt, eandemque ad posteros transmiserunt; verum etiam praeterea facultate miracula patrandi, itemque aliis gratiis gratis datis pollebant, quae deinde esse desierunt. Prophetae, qui secundo loco collocantur, erant viri vaticinandi munere clari. Coarctant enim nimis horum prophetarum munus, qui existimant, eos nisi divinorum librorum V. T. interpretes fuisse, vel quae a Christo et Apostolis revelata erant copiosius explicuisse. Tertio loco ponuntur Doctores, qui soli praedicationi Verbi divini apti facti fuerant. Quamquam isti quoque Spiritus S. ductum impulsumve sequuntur, plurima tamen ex ingenio suo et more proferunt; ac propterea prophetis inferiores censentur. Virtutes, δυνάμεις, quas Apostolus a gratia curationum distinguit, ad exorcistas passim referuntur; sicut opitulationes, ad diaconos, quibus potissimum pauperum cura committeretur. Addit Apostolus gubernationes, quas Veteres cum opitulationibus coniungunt, et de iisdem intelligunt. — Cf. s. Joannem Chrysostomum, hom. XXXII, 2. in ep. I. ad Cor. scribentem: „Hoccine quaeso est charisma? Sane quidem hoc ex Dei dono est protegere et dispensare res spirituales". X, 187. — Denique postremo loco Apostolus posuit genera linguarum, „γένη γλωσσῶν". Charisma „τοῦ γλώσσαις λαλεῖν"; donum miraculosum est, quo fideles pluribus aut paucioribus linguis, quarum cognitionem divinitus extra ordinem acceperant et quas numquam didicerant, loqui poterant. Est hoc linguarum charisma idem quod Apostolis die Pentecostes, Act. 2, 4.; et familiae Cornelii ubi Spiritus S. super eam cecidit, contigit. Act. 10, 46. Quamquam autem convenit inter omnes orthodoxos: donum linguarum extraordinarium haberi debere; huiusque charismatis tam natura, quam indole miraculosi „τοὺς γλώσσαις λαλοῦντας" ipsos conscios fuisse — cum experti sint se non usu et studio, sed modo supernaturali linguis alienis et peregrinis loqui didicisse, — non tamen eodem modo ab omnibus explicatur. Sunt enim qui putent: linguarum donum in eo positum esse; ut cum quis una lingua loquatur, ab omnibus etiam diversarum linguarum percipiatur, Alii charisma „τοῦ γλώσσαις λαλεῖν" intelligunt de facultate loquendi varia alienaque idiomata. — Tabulam interpretationum doni linguarum proposuit G. H. E. D. Köllner, de form. γλώσσαις λαλεῖν in N. T. Gott. 1847. p. 12. s. — A ceteris gratiis denique distinguitur I. Cor. 12, 10. „ἑρμηνεία γλωσσῶν", interpretatio sermonum. Quid autem illa sit? non facile explicari potest. Illi certe haud audiendi sunt interpretes, qui putant hocce dono praecellentes, ea aliis interpretari, quae ipsi minime percipiant. Illud enim cum rectae rationi maxime repugnat, tum a divina Providentia videtur imprimis alienum. Non desunt qui non ad sermonis; sed ad sententiae interpretationem referant. Certe duplex esse interpretum munus, omnes fatentur. Alterum cum accideret adesse aliquem, qui linguam docentis non intelligeret, et interpretis opera indigeret; alterum ut quae sublimius dicerentur, ad vulgarem captum accomodarentur. Et ratione quidem prioris muneris „ἑρμηνεία γλωσσῶν", vix a dono linguarum divelli potest; respectu posterioris magnam habet affinitatem cum iis gratiis, quae positae sunt in sermone sapientiae et scientiae; nisi quod haec ἐξοχῇ plura complectatur i. e. linguarum facultatem. Hinc colligitur: dona haec diversa fuisse; ut nonnullis competeret quidem vis compluribus linguis loquendi, aliis facultas interpretandi.

Interpretis officium diu in Ecclesia perdurasse, testis est S. Epiphanius, exposit. fid. cath. n. 21. I, 1104. ordines ecclesiasticos recensens: post exorcistas ait sequuntur „ἑρμηνευταὶ“ interpretes. Fuit in his omnibus donis pariter coeleste, quod perhiberetur veritati Evangelii — quamvis suis signis satis luculento — documentum; quo infideles percussi animum adverterent ad cognoscenda mysteria Regni Coelorum. Quocirca cum olim Judaei et Gentiles ad Christum traducendi essent, et Ecclesiae aggregandi; Spiritus S. haec sua divina charismata copiose largiebatur: tametsi etiam sequiori tempore non omnino defecisse acceperimus. — Cf. quae de S. S. Pachomio, Dominico, Vincentio Ferrerio, Antonio de Padua, Francisco Xaverio aliisque narrat J. Görres, die christliche Mystik. Regensb. 1837. II, 191. s. L. e. Benedicti XIV., de S. D. Beatif. III. 48, 6. 7. 11. — Nec voluerat Deus charismatum illorum usum afflatu quodam perpetuo, a quo per omnia iis praediti dirigerentur, intra hos limites coërcere; ut hac etiam in re electioni h. e. virtuti locus esset, quamvis iis aliquos abusuros nosset, quod et revera contigit. Unde S. Pauli admonitiones et castigationes natae sunt, quibus alioquin secus non indiguissent Christiani. Imo S. Joannes I. 4, 1. s. κριτήριον suppeditavit, quo veri certo a falsis doctoribus dignosci poterant. Cum enim haud omnes, qui gratiis gratis datis abundarent, boni existerent, verum etiam pseudodoctores in mundum venirent; exinde necessitas poscebat, ut γνωρίσματα veri et falsi doctoris delinearentur; quorum intuitu vel ad sequendum, vel ad fugiendum hunc vel illum doctorem, providi fideles admonerentur. Verum haec si amplius exponerentur nos ab instituto nostro abducerent, quare ea finimus, atque ad donorum memoratorum pleniorem cognitionem plura scire aventes lectores amandamus; tum ad ea quae ad Acta et Epistolas scripserunt commentaria viri docti; tum quae in peculiaribus libris hac de re dixerunt. Sunt autem: J. C. Santorozzi, cogitata quaedam de stupendo linguarum miraculo. Marb. 1718. N. Nonne, de donis Spiritus S. extraordinariis in Apostolis et Prophetis. Brem. 1753. 4. G. Less, de donis Spiritus S. miraculosis comm. Gott. 1766. J. A. Ernesti, ad I. Cor. XIV. de dono linguarum, in opusc. Lips. 1773. p. 478. s. J. J. Griesbach, comm. ad l. Pauli I. Cor. 12, 1. s. in opusc. II, 169. s. Bardili, sign. prim. v. προφήτης cum n. t. interp. I. Cor. c. 14. Gott. 1786. M. Weber, de donis Ecclesiarum apost. spiritualibus. I. Cor. XII—XIV. commem. Viteb. 1792. 3. I. II. G. C. Storr, notit. hist. ep. Pauli ad Cor. interpr. servient. in opusc. Tub. 1797. II, 290. s. III. 1800. p. 171. s. 277. s. J. A. Noesselt, prolusio in l. Pauli I. Cor. 12, 4. s., apud Pott, Sylloge comm. theol. Helmst. 1805. VI, 131. s. J. A. G. Meyer, de charismate τῶν γλωσσῶν cuius praes. Act. 2. et I. Cor. 14. mentio fit. comm. Hannov. 1797. A. Christianse, spec. exh. vindic. facultatis Apostolis J. C. olim datae peregrinis loquendi sermonibus. Trai. 1801. F. A. Klein, de l. f. γλώσσαις λαλεῖν. Jen. 1816. J. Fr. Milville, obs. th. exeg. de dono linguarum in N. T. commem. Bas. 1816. J. Schulthess, de charismatibus Spiritus S. Lips. 1818. J. H. Thomander, de donis Spiritus S. I. Cor. 12, 8. s. commem. Lond. Goth. 1828. Fr. Bleek, in annal. Stud. u. Kritik. 1829. 3. s. et 1830. p. 45. s. Olshausen, ib. 1829. p. 538. 1830. p. 64. s. 1831. p. 566. s. Anonymus in Tüb. Quartalschr. 1831. p. 43. s. Mack, ib. 1835. p. 73. s. D. Schulz, die Geistesgaben der ersten Christen. Bresl. 1836. Kling, in annal. Stud. u. Krit. 1839. p. 476. s. Wieseler, ib. 1838. p. 703. s. Neander, Gesch. d. Pflanz. I, 9. s. 179. s. F. X. Dieringer, System der göttl. Thaten des Christenthums. Mainz. 1841. II, 393. s. Oswald, in k. Magaz. f. Wiss. u. Leben. Münst. 1846. II, 209. s. G. Köllner, l. s. c.

p. 7. s. J. Zinsler, de charismate τοῦ γλώσσαις λαλεῖν Aug. Vind. 1847. J. B. A. Englmann, von den Charismen im Allgemeinen und von dem Sprachen-Charisma im Besonderen. o. hist. exeg. Abh. ü. I. Cor. XII—XIV. Regensb. 1849. J. Froschhammer, in s. Beitr. z. Kirchengeschichte. Landsh. 1850. p. 1. s. E. Rossteuscher, die Gabe der Sprache im apostol. Zeitalter. Marb. 1850. E. Pfeiffer, das Charisma in eph. D. Zeitschr. 1853. n. 47. 8. Schaff, Gesch. d. apost. Kirche. p. 472. s. Böhmer, in Herzog. R. E. IV, 735. s.

§ 104. Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.

Dominus Noster Jesus Christus [1], Spiritus S. unctione multos fidelium Ecclesiae primaevae divinae prophetiae gratia et scientia imbuit; ita ut secreta revelarent [2]. Ex his nemini ‚ὁ τῆς προφητείας λόγος' [3] uberius obtigit, quam divo Joanni Evangelistae; qui ea quae ipsi in extasin rapto extra ordinem et modum naturae detecta fuere, consignavit in libro [4], quem inscripsit ‚Ἀποκάλυψις Ἰ. Χ. ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεός' [5]. Argumentum Apocalypseos implexum atque reconditum esse, et e natura prophetiae sequitur, et ab omnibus agnoscitur. Optimi quique interpretes in tres partes illam dividunt. Praeter titulum et elogium totius Libri [6], sectio prima [7] exhibet visionem primam; et in ea Filium hominis ambulantem inter septem candelabra aurea, epistolas dictantem ad septem Ecclesias Asiae [8]. Pars altera [9] respicit calamitates et bella, quibus a suis persecutoribus Ecclesia vexata fuit, atque victorias quas de illis retulit.

---

[1]) Qui per excellentiam nomine „ἁγίου" Joann. I. 2, 20. insignitur. [2]) I. Cor. 14, 6. 26. [3]) Apoc. 22, 18. coll. 1, 3. [4]) Unicum propheticum volumen N. F. Non est proprie Joannis, sed D. N. J. C. revelatio; est patefactio quam dedit Deus opertae Christi potentiae; et quam visionibus significavit Theologo z. i. dilecto suo discipulo in Pathmos Insula degenti. [6]) 1, 1—3. [7]) 1, 4—3, 22. [8]) Ephesi sc. Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardis et Philadelphiae; quibus excolendis i. Joannes instituit, et gubernandis invigilavit. Quo sensu Dominus Apoc. 1, 8. 11 21, 6. 22, 13. A et Ω dicatur v. in Diss. J. Basel, in Thes. th. ph. p. 806. item J. B. Beyschlag, ib. p. 811. s. De septem Ecclesiis Asiae in divina Apocalypsi memoratis, disputant J. F. Hollenhagen, Thes. n. p, 1038. s. Thomas Smith, sept. Asiae Eccl. Notit. Trai. 1694. p. 1. s. Alb. Chr. van Eldik Thieme, comm. de septem epistolis Apocalypticis. Lugd. Bat. 1827. p. 9. s. De Nicolaitis in Apoc. 2. 15 delineatis copiose egit E. R. Roth, Jen. 1679. Mulieris Jezabel, quae se prophetam Thyatirenorum gessit, fata indagavit Jablonsky, Op. III, 225. habetque illam gnosticam vatem; sed perperam idem cum S. Thecla p. 252. confudit. [9]) C. C. 4—11.

Visione quidem **secunda**[1] habetur[2] sublimis quaedam descriptio Dei sedentis in throno, quem viginti et quatuor seniores atque Cherubimi[3] circumdant. Conspicitur Agnus, qui iacebat quasi occisus; et mox ad eum qui in throno sedebat accedens, librum de ipsius dextera, obsignatum septem sigillis reserandum accepit, acclamantibus coelicolis. Cum coepit aperire sigilla varii equites monstrantur. Apparet effigies prodigiorum Dei iudicium praetendentium. Ante septimi resignationem quatuor angeli prodeunt, qui ventorum impetum cohibere iubentur, quousque Dei signum in omnium electorum frontibus imprimatur; statimque eodem innumeri notantur. Ad sigillum ultimum visione **tertia**[4] septem angeli videntur totidem tubis instructi, qui cum iis canunt, plagae diversae immittuntur[5]. Postrema denique sectione[6] sequitur visio **quarta**, qua revelatur signum stupendi cuiusdam mysterii: Mulier sc. sole

---

[1]) 4, 1—7, 17. [2]) C. C. 6—8. exposuit E. Böhmer, ex rebus vatis aetate gestis, de Apoc. Joann. Hal. 1854. [3]) Cf. praeter eos quos in Historia V. T. p. 143. laudavimus, J. Fay, disputationem de quat. anim. apoc. 4, 6. s. 5, 8. s. Trai. 1727. p. 3. s. Quae vero impia et inepta effutiit hac de re E. C. A. Riehm, de natura et notione symbolica Cheruborum. Basil. 1864., merito reiiciuntur. [4]) 8, 1.—11, 19. [5]) Ad clangorem primae tubae tertia terrae pars igne sanguine mixto exuritur; ad alterius, monte in mare praecipitato abit illud in sanguinem. Ad tertiae sonum decidit in flumina et fontes stella, quae aquas commutat in absynthium. Clangit quarta, et obscuratur sol, luna et sidera. Quinta clangente casus stellae de coelo lapsae ostium abyssi recludit; ex quo procedunt fumus et innumerae locustae. Buccinat sextus Angelus, et statim solvuntur quatuor angeli mali in Euphrate ligati; qui educunt exercitum ad occidendam tertiam partem hominum. Antequam tuba septima infletur, sese Angelus exhibet, qui manibus libellum apertum afferens, eum S. Joanni tradit ad devorandum. Quod rei mysterium esset, deinde revelatum fuit. Joannes enim iussus est, ut Templum et Altare metiretur praeter atrium exterius; quod hoc mensibus duobus supra quadraginta a profanis esset proterendum. Interea duo testes, i. e. prophetae iugiter praedicabunt; sed patratis pluribus miraculis demum interfecti a Christi hostibus occumbent; eorumque corpora insepulta in civitate iacebunt, attamen in vitam redibunt et populo stupente ad coelos ascendent. V. H. V. T. p. 23. s. Insonuit tandem septimam tubam Angelus; auditaque laeta vox, qua regnum Christi praenunciatur. Apertum est etiam Templum Dei, in quo est arca Testamenti. [6]) C. 12, 1. s. — 22, 6. Ad quae intelligenda faciunt diss. G. Schwartze, de pugna Michaëlis et draconis ad Ap. 12, 7. s., in Thes. th. ph. p. 836. s. Lakemacher, Obs. IX, 2. p. 32. de numero nominis bestiae apocal. investig. ad 13, 17. 8. H. Horch, de agno in monte Sion. ad 14, 2. 3., in Thes. th. ph. p. 841. s. F. Münter, de occulto urbis Romae nomine ad l. Apoc. 17, 5., rep. in e. Antiq. Abhandl. Kopenh. 1816. p. 29. s. J. Meisner, de flumine crystallino Apocal. 22, 1. descripto, in Thes. th. ph. p. 848.

amicta, lunae claritati innixa, et duodecim stellis redimita, partui proxima. Adstat draco [1], qui filium simul ac prodiret in lucem devoraret; sed non potuit, quia raptus est infans in coelum, mulier vero fugiens in desertum se proripuit. Cum dracone conspirant duae bestiae, maris altera, altera terrae. Contra has pugnat Agnus cum lectissimo exercitu. De coelo autem auditur chorus iucunde canentium virginum, quas veluti primitias offert humanum genus Deo et Agno. Hae ab Agno attractae in ipsius unguentorum odorem currunt. Visuntur tres angeli, quorum unus Evangelii perpetuitatem, alter Babylonis [2] casum, tertius supplicium eorum, qui bestiam colunt [3], annunciant. Proponuntur sequentia visione quinta: septem phialas ira Dei plenas effundere angeli totidem [4]. Solennes nuptias celebrat visione sexta Agnus; i. e. Christus qui equo albo vectus triumphantis more egreditur. Praestantissimum hunc ducem pone sequebantur coelestes phalanges. His occurrit marinae bestiae exercitus impetum facturus. Verum ubi coelestis dux irruit in eum, dehiscens tellus bestiam marinam una cum terrestri absorpsit, easque in ignitum stagnum demersit, reliqui autem occisi sunt. Supererat adhuc draco, quem Angelus tenens clavem abyssi et catenam apprehendit, clausitque per mille annos in abyssi carcere; ut eo temporis spatio gentes seducere non valeret, quo elapso ad breve tempus iterum solveretur. At rursus in stagnum ignis deiicietur, ubi cum bestiis maris et terrae in aeternum cruciabitur. Post haec veniens ad thronum iudex reis poenam, iustis vitam aeternam decernit. Universi mortui ad vitam revocati ante illius thronum sistuntur. Supremam denique manum impositurus Deus omnibus U. F. Prophetiis visione septima et ultima d. Joannis patefacit: coelestem Jerusalem; quo fidelium

---

1) Habens septem capita et cornua decem. 2) Romae urbis paganae et imperii ethnici. V. protheor. M. Mayer, Roma septicollis antiqua. Rom. 16.. 3) Figuram messis et vindemiae. 4) Magna meretrix Regum terrae domina, septem collibus insidens ac martyrum sanguine perfusa, quae insidet bestiae decies cornutae cum septem capitibus, quantumvis ingentis sit potentiae, in pugna adversus Agnum succumbet. Cecidit Babylon magna et misere prostrata est. Angelus sub symbolo saxi molaris in mare proiecti: ruinam atque internecionem eventuram Babyloni mysticae in supplicium meritissimum praedicit. Coelo vicissim quam maxima exultante laetitia.

vota seruntur[1]. Atque hoc quidem ultimae partis argumentum ad Filii Dei triumphum spectare sat liquidum est. Ad exitum tandem eximii sui Libri[2] recitat s. Joannes verba angeli, de vaticiniis certissime implendis[3]. Toti Apocalypsi additur apostolicum votum lectoribus: ,Veni Domine Jesu'; cuius gratia cum vobis omnibus permaneat. Amen.

§. 105. Apocalypsis qua ratione exponenda sit.

Quaeri fortasse poterit, num liceat et expediat argumentum Apocalypseos discutere? eiusque generalem scopum invenire; quo facto magis magisque demonstretur id Opus plane divinum decuisse Apostolum et Evangelistam, qui dimicavit pro D. N. J. C. Divinitate et sanctitate Ecclesiae sponsae Agni. Omnino hanc Prophetiam discutere maximis subest difficultatibus, et tamen repugnante licet obscuritate Libri, innumeri propemodum viri eum interpretari aggrediebantur. Nos pro instituti nostri ratione pauca aliqua animadvertemus. Agere s. Joannem his visionibus mysticis[4]: ,de luctis et victoriis Ecclesiae, inde a Revelatione ipsi facta usque ad finem mundi' immerito negaretur; cum plures notae imaginesque ab Apostolo exhibitae, eo nos vel invitos spectare compellant. Alterum quod ex hoc primo postulato sequitur, illudque magis simul confirmat hoc est; quod[5] vaticiniorum pars magna iam completa habeatur. Igitur si partem primam satis perspectam habemus, eandem nonnisi septem Ecclesias Asiae respicere, in propatulo est; ultimam vero Apocalypseos sectionem mundi finem describere, pariter apertum est. Omnis igitur in parte intermedia i. e. altera explicanda versatur difficultas; ubi interpretes in varias abeunt sententias. Nonnulli omnia quae habet s. Joannes ad sensum moralem exigunt. Alii contendunt visa Apostoli historiarum nexu esse exponenda; qui tamen interpretes rursus cum in figendis temporibus, tum in vaticiniis applicandis sibi invicem adversantur. Acatholicorum plurimi, ut merito a S. Matre Ecclesia Romana se defecisse ostendant,

---

1) Hanc e coelo in terram descendentem d. Joannes describere pergit eo ornatu, magnificentia et gloria; qua quidquid in universitate rerum magnificum est, longe superatur. 2) 22, 6—23. 3) Ut corroboretur spes iniecta de regni Christi futura magnitudine, asseritur: Christum esse verum Messiam. Apponitur congruenter ad extremum affirmatio, quidquid hac in Prophetia continetur adeo certum esse, ut verissimum „Vae" pronuncietur adversus eum, qui eius verbis aliquid aut addere aut minuere ausit. 4) Vaticiniis fatidicis. 5) Coll. 22, 10.

quidquid d. Joannes teterrimi describit eidem Ecclesiae temere appingunt. Sed hae interpretationes a veritate ita abhorrent, ut vel ab illorum prudentioribus et magis aequis improbentur [1]. Nos in explicando Libro hoc Apocalyptico, maxime colendam censuimus viam ac rationem eam, quam ingressus est sagacissimus Ludovicus ab Alcasar, Hispalensis e Societate Jesu

[1]) Sic olim iam Hugo Grotius, de Antichristo commentatus sensit; cuius verba digna sunt, ut a nobis h. l. recitentur: „Eorum, ait, qui schisma esse perpetuum volunt, qui ad ipsum unitatis Ecclesiae et concordiae nomen contremiscunt, interest Papam credi Antichristum, ac non posse non esse talem usque ad Domini adventum. Ni schisma esset non haberent multi unde viverent, et cum ipsi sine spe mercedis de sacris Literis ne cogitaturi quidem fuerint, alios de se metiuntur". Op. th. IV, 475. s. Nihilominus non solum antiquiores, e. c. C. Vitringa, ἀνακρ. Apocal. Joann. Ap. Franeq. 1705. p. 785. s. sed et recentissimorum commentatorum acatholicorum — Gaussen, Daniel le prophete II, 26. s. Elliot, horae apocalypticae. Lond. 1851. ed. IV. III, 5. s. IV. 18. s. C. A. Auberlen, der Prophet Daniel. und die Offenbarung Johannis in ihrem gegenseitigen Verhältniss betrachtet. Basel. 1857. p. 316. Ebrard, die Off. Joh. Königsb. 1853. p. 19. s. — haud pauci; non aliud agunt in hoc Libro explicando, quam ut Apocalypsim inservire faciant blasphemiis contra S. Romano-Catholicam Ecclesiam, quorum cavillationibus attamen nihil est magis insipidum. Quam in rem illud solum notamus. Constans et perpetua traditio docet Apoc. C. C. 17. et 18. coll. 13. sub nomine Babylonis Romam gentilem esse descriptam. Denominatio haec fundamentum suum habet in utriusque perfecta similitudine; quoad ad magnitudinem, superbiam, adpellationem, luxum, idololatriam, persecutiones Sanctorum, et omne genus abominationum. Nec porro non potest non agnosci Romam, quam septem collibus — erant illi: Aventinus, Capitolinus, Coelius, Esquilinus, Palatinus, Quirinalis, Viminalis, — inaedificatam, atque inde septicollis nomen retulisse, omnis prodit Antiquitas. Exhibetur urbs famosa sub specie meretricis magnae, quae sedet super bestiam, suorum imperatorum, procerum, senatorum, equitum purpura ornatuque superbe gestiens; atque suorum civium immenso luxu diffluens; quae omni impio cultu, nimia superstitione, cum apparatu supra modum exquisito serviebat mysteriis impuris paganismi. 17, 1. 3. 4. 5. 9. 15 Isti sunt characteres, qui vastissimum imperium idololatricum evidenter significant; praesertim autem quod dominatum exerceret in reges terrae, ac ebria sit de sanguine Sanctorum et de sanguine martyrum Jesu. 17, 6. 18. Hoc gnorisma notorie nulli alteri competit Urbi, sicut Romae paganae; cuius destructio plenaque ruina item eius imperii, omnium quae fuerant olim maximi fortissimique totalis casus praedicuntur 17, 16.; et tanquam impleta oculis sistuntur toto c. 18. Si haec ergo est bestiae significatio, iure et merito falsa et insana interpretandi ratio revincitur; quae odio ac furori suo in Sedem Apostolicam tantopere indulget, ut bestiam apocalypticam non pro Imperio Romano Christi nomen acerbissime insectante; sed pro Christi Vicariis usurpet. Verum quid opus est diutius in his deliriis refutandis immorari, olim iam refutatis ab eruditissimo Alcasaro, p. 669. s. Guyaux, praef. n. 8. p. 4. s. aliisque.

Theologus, qui docet[1]: Spiritus S. mentem in libro Apocalypseos fuisse egregium quoddam aenigma proferre, quod excellentiam Ecclesiae primaevae, duasque praeclaras illius victorias adumbraret: alteram nimirum quam de Jerosolyma contumaci iam reportaverat[2]; alteram quam de antiqua Roma ethnica deinceps consecutum iri coelesti oraculo promittebatur. Maximum autem futurum inter duas praedictas victorias discrimen, quia exitus primae fuerat Jerosolymae ac populi reprobatio, alterius autem fructus et finis futurus erat: Urbis et Orbis, i. e. Romae et Gentilitatis ad fidem Christi conversio[3]. Additur vaticinium de funesta Antichristi persecutione, et de perfecta victoria de illo obtinenda; ac demum Prophetia de amplissimo aeternoque triumpho, qui Ecclesiam manet in patria coelesti. Quisque per se agnoscit singulas d. Joannis visiones singulis eventibus accomodare plus aequo difficilem rem esse, et verendum, ne eiusmodi applicatio[4] nimium arbitrio nitatur. Deinde vero triumphum religionis Christianae in hoc saeculo, aevum ante iudicium universale proximum spectare, merito deprehenditur.

§. 106. Indoles et authentia Apocalypseos.

Ad argumentum Apocalypseos locupletandum, visum fuit Spiritui Sancto: copiose alludere ad illustrissima praesertim maiorum minorumque Prophetarum vaticinia; item ad Davidis Psalmos, Librum Jobi, et ad

[1]) Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi. Antv. 1614. Alcasarum, suppresso tamen eius, ut saepe fieri solet, nomine praeter Grotium et Wetstenium secuti sunt: A. Calmet, comm. lit. N. T. IV, 719. B. Bossuet, l' Apocalypse avec une explication. op. ed. Leod. 1766. II, 353. s. J. J. Guyaux ex Wenferce Comm. in Apoc. s. Joann. Ap. Lovan. 1781. C. Stern, Comm. ü. d. Offenb. d. Apost. Joh. Schaffh. 1854. p. 366. s. e catholicis; Lücke, Vers. e. vollst. Einl. in die Off. Joh. Bonn. 1832. p. 17. s. Böhmer, de Apoc. Joann. p. 6. s. Düsterdieck, die Offenb. Joh. Gött. 1859. p. 21. s. Bleek, Vorlesungen ü. d. Apoc. ed. Th. Hossbach. Berl. 1862. p. 28. s. aliique ex interpretibus acatholicis. [2]) Quamvis enim Jerosolymae nomen sub Sodomae et Aegypti adpellatione occultetur more prophetico, explicationis tamen gratia adduntur illa verba: „ubi Dominus crucifixus est." 11, 8. [3]) Atque ita cum c. 11. Apoc. in Judaeorum obduratione terminetur, statim initio c. 12. proponitur Ecclesia ad populos commigrans, inter quos Romanum imperium serviens idolis omnes vires suas opponit Evangelio, in Christianos saeviens crudeliter. Tum vero adversus Romam ethnicam mirifice Deus pro suis belligerare describitur, huiusque tandem belli exitus est: totius Romae ad fidem J. C. conversio, idolorumque ruina sempiterna. [4]) Cuiusmodi habetur in Barth. Holzhauser, interpret. in Apocalypsim. Vindob. 1850. P. F. Verschraege, C. s. explicationes L. Apocalypseos B. Joannis Ap. praecipuis Ecclesiae universae Historiaeque eventibus applic. usq. ad n. temp. Monast. 1855.

Canticum Canticorum Salomonis[1]. Textus Apocalypticus fere talem habet sensum, quam symbolicus[2]. Visiones in forma drammatica exhibentur, ex eo autem minime sequitur, quod dramma poëticum sit[3]. Ipsa vero singula symbola Apocalypseos sunt perfectissima[4]. Verum ut symbolorum artificium parit varietatem, ita et obscuritatem; quae tanta est, ut omnium interpretum communis consensus sit; s. Scriptorem iis usum rebus et sententiis, quibus nulla nunquam difficiliora literis fuere mandata. ‚Et in hoc quidem Libro, ait s. Augustinus[5], obscure multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant, et pauca in eo sunt, ex quorum manifestatione indagentur cetera cum labore; maxime quia sic eadem multis modis repetit, ut alia atque alia dicere videatur, cum aliter atque haec ipsa dicere vestigetur'. Haec ubi attente consideramus, certissimum nobis est Apocalypsim universam d. Joanni fuisse ostensam, ac per eum Ecclesiae traditam; ut maximam inde caperet solatium, tot ac tantas tribulationes, quas oportebat et oporteret secundum diversa temporum intervalla perpeti, illum tandem exitum habi-

---

1) Idem S. Spiritus, qui fuit olim Prophetarum motor et hic agnoscitur, ubi tota vis, pulchritudo et maiestas antiquarum Prophetiarum resplendet; ak ut Christus sit scopus et anima Prophetiae, in qua quidem exhibetur, ut veritas olim figurata per Legem et Prophetas. Apoc. 22, 6. 2) Nobiliores V. T. partes et integrum prorsus Canticum C. ut ex Apocalypseos serie colliguntur, eruditissime exposuit idem, quem iam laudavimus, L. ab Alcasar, op. Libri quinque in eas Vet. Test. partes quas respicit Apocalypsis. Lugd. 1631. Cf. e. Luthardt die Offenb. Joh. Leipz. 1861. p. 8. s. 3) Uti docuere Herder, Μαρὰν ἀθά das Buch von der Zukunft des Herrn des N. T. Siegel. Riga 1779. p. 242. s. J. G. Eichhorn, Comm. in Apoc. Joann. Gott. 1791. I, 15. s. G. H. A. Ewald, Comm. in Apoc. exeg. et crit. Lips. 1828. p. 16. s. Formam drammaticam in S. S. reperimus, dramma inveniri negamus. V. Comm. de S. S. ei. interpr. 4) Perfectio namque symbolorum sita est in apta proportione, quae inter symbolum ac rem per illud significatam reperitur. Ac vix aliud est, quod ita ingenium pascat et delectet, atque optima inter se convenientia. Haec facile apparet in hoc libro, in quo venustae comparationes, allusiones peracutae, pulcherrimae imagines electae sunt; quae proposito mysterio forent congruentissimae. Quamobrem nullum in eo legitur symbolum, quod excellens non sit ad ea delineanda, quae voluit significare Spiritus S. 5) De Civ. Dei XX, 18. II, 401. 6) Sed haec tanta Libri obscuritas, et tot retro saeculis non satis percepta explicatio, nihil Christiani populi institutioni detraxit. Ex rebus enim quas hic continet Liber, quae singulis fidelibus ad salutem sunt necessariae, eae in aliis S. S. partibus satis sunt expressae. Quae autem res non ita sunt ad unius cuiusque salutem necessariae, quas tamen summopere expediebat, ut Ecclesiae abdite traderentur; ingens orta est divinae providentiae admiratio, quae decrevit Apocalypsim in media hac caligine summa fidelium veneratione observari, et tot saeculorum seriem statuit docere reconditorum in hoc Libro mysteriorum cognitio patefiat.

turas, quem vix aliquis cogitare potuisset, nedum suspicari. Ipsarum enim persecutionum ope futurum; ut D. N. J. C. vexillum gloriosum summa omnium religione in universo orbe coleretur [1].

Apocalypseos Librum esse canonicum; et a Joanne Evangelista scriptum; nos hic non tam probavimus, quam supposuimus [2]. Id quod cum S. S. P. P. et S. E. consensu; tum etiam Conciliorum Oecumenicorum decretis sancitum est. Horum [3] aeque gravissima ac copiosissima testimonia subvertere impossibile est. Apocalypseos γνησιότητα demonstrant aliquot indicia interna; quae Apostoli d. Joannis, nec alterius ullius esse opus evincunt. Primum scriptor Apocalypseos testatus est: ‚τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν' I. Χρ.'; quae quidem nota in nullum alium huius aevi s. Joannem, nisi Apostolum et Evangelistam cadit. Secundo; qui epistolas ad Ecclesias Asiae dedit, virum se praestat apostolicae auctoritatis. Tertio perinde se opponit Antichristo in Apocalypsi, ac in prima quae sunt s. Joannis epistolarum. Quarto convenientia λέξεως Apocalypticae et Joanneae unum testatur scriptorem [4]. Subiecta quidem materia, tam varia, tam extraordi-

---

1) Nemo Historiarum Ecclesiae Catholicae peritus negavit triumphum Christi de diabolo et cunctis Ecclesiae hostibus tam clare praenuntiatum, non mediocriter ad id valuisse; ut etiam inter gravissimas aerumnas et passiones iugum Christi reddatur suave et onus leve. Cum itaque tanta tamque augusta sit Apocalypseos maiestas, ut merito eam omni laude maiorem insigniamus, ad hunc Librum explicandum humili et casta mente reverenter accedamus. 2) Plures Veteres Apocalypsim respuebant; quidam illam tribuebant Joanni sine ulteriori designatione, alii recipientes Apocalypsim malebant eam tribuere presbytero cuidam Joanni, qui et Theologus. Movebat ad hoc sumendum dicendi genus et genius h. l. diversus ab Evangelio; et quod χιλιασταὶ patrocinium sui erroris de regno Christi in terris per annos mille futuro in Apoc. c. 20. constituerint. Cf. H. Klee, tent. th. cr. de Chiliasmo primorum saeculorum. Herbip. 1825. p. 47. s. Sed quidquid olim aliqui censuerint, iam inter Catholicos hodie impietas foret ambigere sive de Libri auctoritate sive de Scriptore. Universae namque Ecclesiae perspicuum plane est: Scripturam et esse divinam et a d. Joanne Apostolo exaratam; et oppositae dubitandi rationum nubeculae oborta hac veritatis luce dissipatae funditus evanescunt. 3) A nobis in Commentario de S. S. eiusque interpretatione laudanda erunt haec testimonia. 4) Orationis Joanneae diversae in Evangelio et Epistolis ab illa Apocalypseos — quam denuo ursit Kurze Erkl. d. Offenb. Joh. v. W. M. L. de Wette ed. III. W. Moeller. Leipz. 1863. p. 5. s. — reprehensiones depellunt: Lampe, Comm. Ev. sec. Joann. I, 128. s. L. Twels, Vindic. Apocalyps., in J. C. Wolfii, cur. phil. et crit. IV, 399. s. H. H. Donker Curtius, spec. herm. th. de Apocalypsi ab indole doctrina et scribendi genere Johannis Apostoli non abhorrente. Trai. Bat. 1808. p. 44. seq. Alb. Chr. van Eldik Thieme, comm. de sept. epist. Apocal. p. 91. s. P. J. S. Vogel, comment. de Apocal. Joann. Erl. 1813. IV. et 1814. V. G. B. Winer, disp. de soloecismis, qui in Apocalypsi Joannea inesse

naria, semper mirabilis peculiarem requirebat scribendi modum, nec porro condiri amabat ea suavitate dulcedinis, quae alias gustatur in s. Joanne; sed perceptum semet filum totius Libri, animadversaque argumenti maiestas cum scribendi genere animum velut fulgore obruenti ingens praebent argumentum tum ad scripturam Joanni Apostolo, tum ad auctoritatem canonicam asserendam.

§. 107. Praeconium Evangelii in universo mundo.

Dominus Noster Jesus Christus ad coelos ascensurus [1], eadem potestate misit Apostolos in universum mundum, ut illum ei subiiciant; sicut ipse ut coelorum posessionem capiat, rediit ad Patrem. ‚Euntes‘ inquit ‚ergo docete omnes gentes‘ [2]; ‚μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη‘: ut impleatur illud Davidis; ‚dabo tibi gentes haereditatem tuam ‚et posessionem tuam terminos terrae‘ [3]. Sane ‚repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes‘ [4]. Testatissimum est, divinos Salvatoris legatos postquam aliquamdiu in Judaea et Syria praedicaverant; inde digressos maximam partem orbis terrarum, qui tunc temporis notus erat peragrasse, atque praeconium Evangelii ipsos eorumque discipulos et laborum socios ad remotissimas etiam gentes detulisse. Sparso in universo mundo quam zelosissime doctrinae salutis semine, inter plurimas quoque iniurias et vexationes laetissimis incrementis profecit Ecclesia Christi [5].

---

dicuntur. Erl. 1825. H. E. Weyers, de l. Apoc. arg. sent. et auctore. Lugd. B. 1828. p. 55. s. E. G. Kolthoff, Apocalypsis Joanni Apostolo vindicata. Havn. 1834. p. 86. s. Ungarelli, prael. de Novo Testamento. p. 30. s. Scholz, üb. d. Echtheit der Offenbarung des Johannes, in ann. Zeitsch. f. Ph. u. k. Th. Köln. 1836. XVIII. 72. s. L. C. Gratz, über Character und Deutung der prophetischen Schrift des N. B. Dilling. 1841. p. 7. s. C. Stern, diss. de quaestionibus quibusdam ad S. Joann. Apocal. pertinentibus. Vratisl. 1846. p. 11. Fr. Teipel, de scriptis Joannis Apost. disput. Coesfeld. 1848. p. 16. s. E. Böhmer, üb. Verfasser und Abfassungszeit der Johanneischen Apoc. Halle. 1855. Lechler, in an. Stud. u. Krit. 1856. p. 867. s.

[1]) V. p. 175. [2]) Matth. 28, 19. [3]) Ps. 2, 8. [4]) Isai. 11, 9. [5]) V. p. 481. s. Quousque autem singuli pervenerint, quae quiqui regiones lumine fidei illustraverint non omnino constat; veteribus monimentis aut id satis non exhibentibus, aut inter se dissidentibus. Qui plura de Apostolorum praedicatione scire voluerit, ei operae pretium erit adire: G. Henschenii S. J., catal. ant. Pontif. exerc. III. in Act. S. S. April. I, 10. s. G. Cuperi e. S. J., comm. h. cr. de divisione Apostolorum. ib. Jul. IV, 6. s. Ei. comm. de praedicatione S. Jacobi in Hispania. Jul. VI, 69. s.

Interea cum transitu d. Joannis Evangelistae, qui Apostolorum ultimus mortem obiit, non ad Apostolicae tantum sed et totius ‚Historiae Revelationis‘ divinae finem pervenerimus: debitas bonorum omnium Largitori; Sedi Sapientiae et Principibus Apostolorum gratias referimus, quod ex tot difficultatibus, quibus veluti procellosi maris fluctibus passim obrui videbamur, emergendi vires datae fuerint. ‚Ἡ εὐλογία καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ σοφία καὶ ἡ εὐχαριστία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις καὶ ἰσχὺς τῷ Θεῷ ἡμῶν, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων! Ἀμήν‘ [1].

[1]) Apoc. 7, 12.

O. A. M. D. G.



ADUMBRATIO RERUM,

DE QUIBUS AGITUR IN

HISTORIA REVELATIONIS DIVINAE NOVI TESTAMENTI.

Summam τῆς Προθεωρίας *dedimus p. CX—CXII.*

PERIODUS PRIMA.

AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI USQUE AD EIUS ASCENSIONEM IN COELOS, SIVE AB ANNO 4. A. C. — 30. AER. V. P. C.

CAPUT PRIMUM

AB INCARNATIONE DOMINI USQUE AD PASSIONEM HISTORIAS JESU CHRISTI ENARRAT.

PRIMUM A PRAEDICATIONE CHRISTI PASCHA.

SECUNDUS PRAECONII COELESTIS ANNUS.

TERTIUM A CHRISTI BAPTISMO PASCHA.

CAPUT ALTERUM

HISTORIAS PASSIONIS, RESURRECTIONIS ATQUE ASCENSIONIS D. N. J. C. ENARRAT.

DODECAS DISQUISITIONUM THEOLOGICARUM QUAE AD HISTORIAS D. N. JESU CHRISTI PERTINENT.

COMMENTATIO DE FONTIBUS E QUIBUS HISTORIAE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COGNOSCUNTUR.

PERIODUS ALTERA.

AB ASCENSIONE D. N. J. C. IN COELOS USQUE AD OBITUM S. JOANNIS APOSTOLI, SIVE AB ANNO 30—106. Æ. V. P. C.


CAPUT PRIMUM

HISTORIAS APOSTOLORUM AB ASCENSIONE D. N. J. C. USQUE AD MARTYRIUM S. S. PETRI ET PAULI ENARRAT.

CAPUT SECUNDUM

HISTORIAS APOSTOLORUM A MARTYRIO S. S. PETRI ET PAULI USQUE AD OBITUM D. JOANNIS ENARRAT.

EXPLICIT HISTORIA REVELATIONIS DIVINAE NOVI TESTAMENTI.



De Sacra Scriptura eiusque interpretatione commentarius

sive

Historiarum Revelationis Divinae Veteris et Novi Testamenti Pars Tertia.



INSUNT: TABULAE CHRONOLOGICAE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, CONSPECTUS S. LIBRORUM U. F., SPECIMINA CODICUM PHOTOLITHOGRAPHICA, DESCRIPTIO TERRAE S. ET HIEROSOLYMARUM ATQUE ITINERUM D. PAULI.

VINDOBONAE MDCCCLXVII.

De Sacra Scriptura

EIUSQUE INTERPRETATIONE

Commentarius

SCRIPTORE

Josepho Danko

SUÆ SANCTITATIS SUMMI PONTIFICIS CAMERARIO SECRETO, ECCLESIÆ METROPOLITANÆ STRIGONIENSIS CANONICO HONORARIO, S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE EIUSDEMQUE IN C. R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE.

VINDOBONAE MDCCCLXVII.

SUMTIBUS GUILELMI BRAUMÜLLER

BIBLIOPOLAE C. R. AULAE ET UNIVERSITATIS.

TYPIS DESCRIPSIT ADOLPHUS HOLZHAUSEN
C. R. Universitatis Vindobonensis typographus.

DIVO

HIERONYMO

QUEM

IN EXPONENDIS SACRIS SCRIPTURIS

DOCTOREM MAXIMUM

VENERATUR ECCLESIA

DOCENTIUM ET DISCENTIUM

PATRONO

D. D. D.

APPROBATIO.

‚Cum praesens ‚Commentarius de Sacra Scriptura eiusque Interpretatione' nihil, quod fidei ac doctrinae catholicae vel morum disciplinae repugnet, contineat; et insuper quoad materiam et formam ita comparatus sit, ut egregia ad solidam Sacrae Scripturae interpretationem adminicula praebeat, eiusdem publicandi licentiam hisce impertimur, illumque omnimoda commendatione dignum censemus.'

Joann. Kutschker m. p.
Episcopus Carrhen. Vicar. general.

‚Commentarius de Sacra Scriptura eiusque interpretatione a Rssma. D. Vra. concinnatus, cum teste Illmo. ac Rssmo. D. Joanne Kutschker Eppo. Consecrato Carrhensi et Vicario Generali Archidioeces. Vienn., qui opus hoc revidit, nihil fidei orthodoxae morumque disciplinae contrarium contineat, et insuper quoad materiam et formam ita comparatus sit, ut egregia ad solidam S. Scripturae interpretationem adminicula praebeat: quam libentissime tribuo facultatem, ut luci publicae et prelo mandetur.'

Joannes
Card. A.-Eppus.

QUAE IN

COMMENTARIO DE SACRA SCRIPTURA

EIUSQUE INTERPRETATIONE CONTINENTUR

HAEC SUNT:

AD LECTORES QUI SACRARUM SCRIPTURARUM STUDIIS VEL LEGE VEL VOLUPTATE TENENTUR PRAEVIA ADMONITIO.

CAPUT PRIMUM

SECTIO PRIMA

DE CANONE S. LIBRORUM U. T.

CANON S. LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI.

DE CANONE NOVI TESTAMENTI.

SECTIO SECUNDA

DE IIS QUAE SACRIS BIBLIIS UTRIUSQUE TESTAMENTI CONNEXA SUNT.

DE LIBRIS APOCRYPHIS ADDITAMENTUM.

CAPUT SECUNDUM

DE VARIIS S. SCRIPTURAE CONDITIONIBUS ACCIDENTALIBUS.

TRACTATUS PRIOR.

DIVERSAE TEXTUS DIVINARUM LITERARUM ORIGINARII VICISSITUDINES.

LEGES CRITICAE SACRAE.

TRACTATUS ALTER.

HISTORIAE S. TEXTUS U. F. IN LINGUAS VARIAS TRANSLATI.

CAPUT TERTIUM

SECTIO PRIOR

HERMENEUTICA SACRA.

LEGES SERVANDAE IN EXPLICANDA S. SCRIPTURA.

SECTIO SECUNDA

DE INTERPRETATIONE SACRAE SCRIPTURAE CATHOLICA BREVIS NARRATIO.

VETERIS AEVI Q. D. PATRISTICUM INTERPRETES S. SCRIPTURAE.

AEVUM SCHOLASTICUM.

AEVUM RECENTIUS.

AETAS RECENTISSIMA.

AD HISTORIAS REVELATIONIS DIVINAE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI ACCESSIO.

AD LECTORES

QUI

SACRARUM SCRIPTURARUM STUDIIS

VEL LEGE VEL VOLUPTATE TENENTUR

PRAEVIA ADMONITIO.

§. 1. Commentarii huius obiectum, divisio, ratio.

Deum auctorem esse S. Scripturae d. Petrus Apostolus in secunda sua epistola manifeste nos docuit[1]. Unde quod Sacrae Scripturae obiectum habetur, in universum est: ‚Verbum Dei Hagiographis divinitus inspiratum, et ab his postea scriptum', quale ipsa continet; in specie vero varii Libri[2] Sacri, summatim tres supra septuaginta; quorum sex supra quadraginta ante, viginti septem post Christum scripti fuere. Horum complexus ‚Sacer Codex', advigilante Providentia Divina, non nudae hominum, sed Ecclesiae custodiae traditus atque Spiritus S. Ecclesiam gubernantis beneficio custoditus; denique per octodecim saeculorum tractum integer servatus, ac ad nostram transmissus aetatem est. Licet vero S. Scriptura, ut in ‚Bibliis' habetur, a prisca Divinorum Voluminum origine ad nos usque peculiari divinae Providentiae cura transmitteretur; negari tamen nequit: Codicem Sacrum habuisse quosdam casus cum libris humanis communes. Profecto sicuti Verbum Dei subsistens[3], cum inter homines apparuit, mortalitati hominum

[1]) 1, 21. Cf. H. R. D. V. T. p. 174. 175. [2]) A quibus ipsa S. Bibliorum vox et adpellatio sumta est. [3]) „Hypostaticum" ut vocatur a Theologis.

aliisque miseriis se subiecit: ita Verbum Dei literis exaratum ceterorum scriptorum periculis expositum fuit. Huiusmodi sunt: Codicem Sacrum toties descriptum librariorum oscitantia et labe suos hinc inde, sed particulares minoresve admisisse naevos; qui postquam vertendorum in alias linguas Librorum θεοπνεύστων necessitas orta est, in illas invecti: deinde arte typographica, preloque exemplaribus S. Codicis in typothetarum officinis descriptis in haec quoque mearunt; ita nihilominus ut suis illi se limitibus continerent, nec tamen propterea Verbum Dei in corruptionis adducerent discrimen. Rite perspecto enim S. Scripturarum recensu intelligimus, menda eiusmodi talia non esse, ut ullatenus infirment sive reverentiam S. Literis debitam, sive auctoritatem iis tribuendam. Enimvero evictum habetur: Divina Volumina Utriusque Testamenti integra atque incorrupta ab omni substantiali corruptione, ita ut referant adhuc scriptorum suorum mentem atque sententias, ad nos pervenisse. Et S. Textum quidem V. T. haud interpolatum esse, exinde probatur, quod nullum in historiis eiusmodi interpolationis vestigium appareat; sed et eadem S. Textus historia solidissime testatur de integritate N. T. Mittimus aliis argumenta enarranda, quae ab exemplarium copia, versionum antiquitate, Judaeorum et Christianorum summa, qua in Libros hosce ferebantur, veneratione atque religione peti solent. Quod vero attinet ad menda accidentalia, cum nulla reperiantur vetera monimenta, in quorum apographa ex iis minime irrepserint, neque de S. Scripturis aliud exspectandum erat; nisi singulare prorsus intercessisset Omnipotentiae Divinae miraculum, quo immunes prorsus ab iisdem servari potuissent.

Ut illam de S. Scriptura, etiam in genere, cognitionem obtineamus, quae plene respondeat eius naturae, plura sunt nobis distincte investiganda, quae sponte ex primo obiecti obtutu inquirenda se offerunt. Siquidem quisque intelligit primum probe nosse oportere: a. quaenam sint Volumina illa, de quibus praedicamus singularem eam praerogativam, quam titulo ‚Sacrorum‘ et ‚Canonicorum‘ Librorum insignimus; atque hinc undenam eorum numerus secure determinari possit. Unde Commentarius noster patentem, in quem occurrat, nanciscitur campum: de ‚Canone S. Librorum Utriusque Foederis‘ exponere. Inde rerum natu-

ralis ordo nos ducit ad varia S. Scripturarum Utriusque Foederis nomina, nec non ad partitionem Divinorum Voluminum. Postea intendemus animum, quomodo Sacrae Literae commode et cum fructu legi possint; et quoniam priscis olim iam temporibus plurima eruperunt scripta apocrypha, sive Canonicis adversa; de notione et indole apocryphi exponemus, censumque agemus horum scriptorum. Hinc vero b. progrediemur ad conditiones accidentales S. Scripturae, quae memoratu dignae circa Sacras Literas evenerunt. Ideo dicemus de iis naevis, quae in D. Codicis Textum primitivum U. T. paullatim irrepserunt; de iis tentaminibus quibus viri eruditi omni aevo hunc pristinae integritati restituere conati sunt; ac de ratione critica, qua in hoc labore usi sunt. Hinc sermonem faciemus de mediis quorum ope S. Scripturae ad nos usque transmissae fuerant; igitur narrabimus de manuscriptis codicibus et typographicis editionibus. In hoc tractatu suam sibi vindicat partem ‚Historia Versionum', quae translationes recensebit earumque vitia et virtutes exponet. Horum vero omnium in interpretatione S. Scripturae aliquam vim esse, ipsa tractatio liquido demonstrabit. Versiones praeterea quod ad ea pertineant media, quibus Deus S. Voluminum conservationem adnexuit — revera plura eorum mediante versione ad nos pervenisse v. s. l. —; ita in quaestionibus criticis et exegeticis maximi sunt momenti. Dignum autem et aequum etiam erat, pauca quaedam addere de usu Versionum vulgarium in Ecclesia Catholica. Illa autem doctrinae capita, quae de divina S. Scripturae inspiratione, authentia, integritate, fidei dignitate, aliisque quae sunt S. S. affectionibus proferri in medium possunt, ad locos theologicos — qui nunc passim Theologiae fundamentalis nomine veniunt — pertinere, nec adeo huius loci esse, existimamus. Tertio autem et ultimo huiusce commentarii capite c. de explicatione S. Scripturae agendum superest. Accedet de Interpretatione S. Scripturarum Catholica brevis narratio. Opus claudent: Tabulae Chronologiae Sacrae Veteris et Novi Testamenti; Conspectus Divinorum Librorum Utriusque Foederis; Catalogi stirpis Sauli, Davidis, Machabaeorum, Herodis M. et posterorum, item recensus Praesidum Syriae et Judaeae. Denique ne quid L. B. commodo deesset, adiecimus imagines

φωτο-λυθογραφουμένας priscarum literarum hebraicarum; antiquissimorum Codicum Biblicorum; nec non Descriptionem Terrae Sacrae, Hierosolymarum Veteris atque Novae, et Itinerum d. Pauli Apostoli.

Hac ratione solvimus tandem nomen, quod promittendis Hermeneuticae Sacrae initiis, ante quinque abhinc annos contraxeramus; sed ita ut quemadmodum non optimi debitores solent, necessario magis quam libenter solverimus. Nam ut ingenue fateamur, veriti sumus ne sint, qui nos tribus concinnatis voluminibus modum excessisse dicant. Neque dissimulamus maius esse factum opus, quam destinatum a principio fuisset. Sed iam observare liceat: ubi ,floriferis ut apes in saltibus omnia libant, omnia nos itidem depascimur aurea dicta, priscorum et recentiorum interpretum, nos hoc praestare voluisse; ut etiam illorum commodis, qui ampliorem S. Scripturarum notitiam consequi cuperent, serviremus. Itaque noluimus resecare, quae non satis convenirent iis, qui primum ad disciplinas has venirent. Quare putabamus nos non male consulturos S. Theologiae studiosis: si in hac imprimis parte ultima diligentiores essemus; cum usu didicissemus hic maxime haerere aquam solere iunioribus S. S. enarratoribus, quod idoneis subsidiis careant. Ceterum ut quisque magister discipulos habebit, ,ita deliget quae tradat.' Hoc quidem nobis, Commentarium de S. Scriptura eiusque interpretatione scribentibus propositum fuit, ut tantum traderemus, quantum esset ad animos amore Sacrae Scientiae imbuendos satis; et eam scribendi rationem adhiberemus, quae paulo propius ad ,Veterum' Latinorum dicendi modum accederet, qui de iisdem rebus scripserunt. Neque tamen ignoramus permultos hoc tempore esse, qui latini sermonis pretium extenuent, ac prae vernaculae linguae studio deprimant. Si quid super eo proferre licet: latinae et patriae linguae suum pretium est; sed suo cuique loco. Patria lingua quin sit ad vitam communem utilior, commoditatesque adferat, quacunque alia maiores; eamque ob causam suus cuique nationi sermo debeat esse carissimus, nemo potest recte dubitare. Concedimus etiam illud: si quis velit hominibus quibuscunque prodesse, ei vernaculum sermonem in rebus quoque ad Theologiam attinentibus esse

adhibendum. Latinae autem linguae usus scriptoribus librorum, qui Theologiam erudite exponunt, vitio haud verti posse, facile omnes concedent. Enimvero quisquis rem paulo diligentius expenderit, ultro confitebitur, s. Patres et Scriptores Ecclesiasticos cum credito sibi interpretum munere fungerentur; idonea maxime etiam vocabula invexisse pro rebus, quas fide tenemus. Formulae credendorum agendorumque a Conciliis et Romanis Pontificibus propositae, hac imprimis lingua scriptae habentur. Praeter quod idioma latinum ‚liturgicum' sit Ecclesiae, praeclarissima omnis aetatis monimenta hoc ipso sermone exarata reperiuntur. Id denique constat, neminem, qui verae eruditionis theologicae particeps esse velit, apud exteras etiam gentes, latinas literas ignorare. Unde prima nobis cura fuit, eum habitum sermonis, quo usi sumus, facere, qui non admodum a Theologis probatae fidei distaret. ‚Multa dies et multa litura coercuit, atque praefectum decies non castigavit ad unguem.' Interim quantum in hac re profecerimus, alii iudicent. Id si e iudicio B. L. minus assecuti sumus, meminerint hunc ‚de S. Scriptura eiusque interpretatione' commentarium, inter multiplices officiorum curas et dissonos belli clamores fuisse scribendum. Oppressit nos variarum rerum perficiendarum moles, impediere quotidiana habendarum scholarum negotia, totque alii labores etiam strenue contendentes remorati sunt: ut si aequi et periti iudices horum numerum inire volent, laudaturi potius sint nostros conatus, quam defectus mendaque vituperaturi. Satis de dispositione et scribendi genere huius commentarii diximus, quare lectorem ben. ad subiectum argumentum pervolvendum festinantem, diutius hoc in limine remorari nefas ducimus. Liceat modo uti verbis Magni Hipponensium Antistitis: ‚Videor mihi debitum huius operis, adiuvante Domino reddidisse. Quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant: quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias agant.'

CAPUT PRIMUM

SECTIO PRIMA.

DE CANONE S. LIBRORUM U. T.

§. 2. Notio Scripturarum Canonicarum.

In utraque Ecclesia, tam Orientali quam Occidentali, complexus S. Librorum tanquam praecipua „Regula fidei“ nostrae, sive eorundem index, vetustissima consuetudine: „Scripturarum Canon“ adpellatur; ideoque quaestionem instituere de certo Librorum Sacrorum numero, dicitur ecclesiastico more inquirere in ipsum Canonem.

I. Ne confusa prodeat quaestio, videndum quid hic loci dicamus „Canonem“; nomen quippe „τοῦ κανόνος“, olim latius patuit, acceptumque fuit de quavis norma seu regula, quae discernit rectum ab obliquo et curvo, quaeque nec additionem nec detractionem admittit. Et sane ex usu linguae graecae, ad res physicas non minus, quam ad morales determinandas adhibetur. Cf. Josephum, c. Apion. II, 17. p. 483. Platonem, in Philebo ed. Bip. II, 36. M. F. Quintilianum, qui de institutione oratoria X, 1. vocem graecam „κανὼν“ latine „ordinem“ est interpretatus. V. ed. P. Burmann. Lugd. Batav. 1720. II, 893. Cf. D. Ruhnken, Hist. cr. Orat. graec. praef. ed. Rutilii Lupi. ib. 1768. p. XCIV. Ex S. S. P. P. v. S. Gregorium Nyss., c. Eunom. l. IV. ed. Migne II, 649. S. Basilium, adv. Eunom. l. I, 212. S. Joannem Chrysostomum, hom. XII. in ep. ad Philipp. n. 3. XI, 293. Metaphorice doctrina in Verbo Dei tradita vocatur „Κανὼν“ ab ipso d. Paulo II. Cor. 10, 13. Gal. 6, 16. Philipp. 3, 16; et a priscis Ecclesiae P. P. et S. E. V. S. Irenaeum, adv. haer. III. 11, 1. p. 463. IV. 35, 4. p. 682. Tertullianum, adv. Marc. IV, 5. p. 151. Clementem Alex., Strom. VI, 15. p. 803. S. Joannem Chrysostomum, in c. 33. Gen. hom. LVIII, 3. IV, 566. Theodoretum, interpr. ad Gal. 6, 16. III. 1, 396. et S. Isidorum Pelusiotam, ep. l. IV, 114. ed. Migne 1158. Hinc tandem ad ipsa transiit Volumina Sacra, quibus eadem norma continebatur. Canonem namque illa l. c. Ecclesiae Patres et Scriptores vocare consueverunt. Processit haec per metonymiam significationis propriae in metaphoricam translatio, ex intuendi ratione: S. Scripturas V. et N. T. unam, etsi non solam regulam, τὸν κανόνα fidei et morum continere. Unde vox „κανονίζειν“ denotabat teste Theodoreto, explan. in Cant. II. 1, 3. in Canonem Divinarum Scripturarum referre; ex eadem origine adiectivum „κανονικὸς“ ortum est, cum nulla alia scripta, nisi genuina in Canonem reciperentur. Aptissime demum nomine „τοῦ κανόνος“, notio indicis vel καταλόγου exprimebatur; — coll. Eusebio, H. E. VI, 25. p. 226. Rufino, expos. in symb.

Ap. n. 37. p. 206. — factumque: ut recensus horum Librorum „κεκανονισμένων", quia posthac nulli in Ecclesia publice praelegerentur, „βιβλία τά κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς διαθήκης" diceretur. Sic can. 59. Concilii Laodiceni. — C. a. 343—81. coll. Hefele, Conciliengesch. Freib. 1855. I, 724. ap. Mansi II, 574. — „Κανονιζόμενα βιβλία ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ" vero dixit Leontius, de sectis act. II, 4. Gall. XII, 629. De Canonis voce eccl. erudite exposuit C. J. B. Pitra, Juris Eccl. Graec. Hist. et Mon. Rom. 1864. I, XXVIII. s.

II. Canonicis in quibus „incorrupta fides nudaque veritas" est, opponebantur „ἀπόκρυφα", coll. S. Irenaeo I, 27, 2. p. 256. Tertulliano, de anima. c. 2. p. 171. Origine, in prolog. ad Cant. ed. Lomm. XIV, 325. S. Athanasio, ep. fest. op. I, 961. S. Cyrillo Hier. catech. IV. 35. p. 68. S. Hieronymo, ad Laetam ep. 107, 11. p. 688. S. Philastrio, de haer. n. 87 apud Gall. IV, 503; quae sunt spuria in usum haeresium conficta scripta, cuiusmodi cum sine periculo errandi legi haud possent; a lectione publica omnino excludebantur. Quoniam igitur certissime constat, numquam in Ecclesia „Canonicos" vocatos fuisse alios Libros, quam qui Divini haberentur; interrogatur etiam, in quonam sensu hoc „Divinorum" nomine vocati sint? Num eo quod in aliquo Canone i. e. indice consignati essent; vel eo quod haberentur, ut praecipua fidei regula, ut infallibile revelatae doctrinae documentum? „Quis autem nesciat sanctam Scripturam canonicam, inquit S. Augustinus, de baptismo contra Donatistas II, 3. IX, 98., tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum literis ita proponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum vel rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit." Concedimus utramque explicationem supra propositam admitti posse, atque proferri ab harum rerum tractatoribus; — v. H. Planck, nonnulla de significatu Canonis in Ecclesia antiqua eiusque serie rectius constituenda, in Rosenmüller, comm. th. I. 1, 213. s. — at non diffitemur iuxta S. S. Patrum et S. E. sententias, posteriorem nobis magis arridere. Libri in Canonem sive syllabum S. Scripturarum relati authentici quoque, vel ut medio aevo loquebantur „Auctorabiles" i. e. fide digni, auctoritate legitima muniti — v. Du Cange, Glossar. med. et inf. Lat. ed. Henschel. Par. 1840. I, 478. Sane αὐθεντία gr. idem est ac l. auctoritas. — dicti sunt; quia Deo inspirante per Hagiographos conscripti, publicae in Ecclesia auctoritatis ius meruerunt.

III. Expensis Veterum testimoniis — e. g. Eusebio, H. E. III, 3. p. 72. — liquet adpellationes: Librorum publicorum; publicarum Scripturarum; δεδημοσιευμένοι βίβλιοι; δεδημοσιευμέναι γραφαί; hoc est voluminum, quae in ecclesiasticis conventibus legebantur non esse prorsus identicas, cum alteris adpellationibus librorum Canonicorum. Enimvero ad illum honorem ut publice in Ecclesia recitarentur, olim etiam admittebantur libri, qui catechumenis utilitati et aedificationi inservirent, quorum tamen origo non erat prophetica aut apostolica. Eosdem libros quos Ecclesia vetustissima praeter „Canonicos" legit „γνησίους" dixit Origenes, in Evangelium S. Joannis t. XIII, 17. II, 29. ubi legimus: „Πολὺ δέ ἐστι νῦν παρατίθεσθαι τοῦ Ἡρακλέωνος τὰ ῥητὰ, ἀπὸ τοῦ ἐπιγεγραμμένου Πέτρου κηρύγματος παραλαμβανόμενα, καὶ ἵστασθαι πρὸς αὐτὰ ἐξετάζοντας καὶ περὶ τοῦ βιβλίου, πότερόν ποτε γνήσιόν ἐστιν, ἢ νόθον, ἢ μικτόν." Talia scripta fuere: Barnabae et S. Clementis Rom. Epistola; Pastor Hermae; passiones martyrum. Neque tamen ad dogmata confirmanda adhibebantur; cum

ἀπόκρυφα sive spuria etiamsi sanctorum virorum nomina in titulis temere mentirentur, omnino ab usu publico removerentur. „Sed ea, scribit S. Augustinus, — de Civ. Dei XVIII, 38. p. 281. — castitas Canonis non recepit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum.“ Quod autem satis singulare est, fuere etiam viri, qui debitis investigationibus neglectis S. Scripturas „Canonicas“ dici affirmarunt; eo quod per Canones Conciliorum „sanctae“ ab Ecclesia declaratae essent.

IV. Constat vero inter omnes Catholicos Scripturam Divinam esse: „doctrinam quam Spiritu S. inspirante atque dictante Hagiographi literis mandaverunt.“ Itaque S. S. Petrus et Paulus Apostolus II. Petr. 1, 20. 21. II. Tim. 3, 16. eam nominavit doctrinam divinitus inspiratam; et idcirco etiam „Verbum Dei“ — quo Deus videlicet conceptum aeternum mentis suae notitiamque verissimam, velut sonorum quoddam verbum eloquitur, — literis expressum dicitur. „Canon“ autem Divinarum Scripturarum ab omnibus Catholicis habetur: „catalogus Librorum θεοπνεύστων, infallibili Ecclesiae auctoritate sancitus.“ Multa scitu digna de Canone S. S. reperiuntur apud C. N. Wiseman. die vornehmsten Lehren und Gebräuche der katholischen Kirche üb. v. D. Haneberg. Regensb. 1838. p. 72. s.

V. Quibus Libris Canon S. Scripturarum reapse absolvatur, non est difficile definire post authenticam S. Concilii Tridentini declarationem, nimirum: „illis omnibus ac solis, qui exstant nunc in Bibliis S. Vulgatae.“ Haec res de fide est, nam Libros hos Ecclesiae Canon ex Veteri Traditione probavit. Enimvero Ecclesiae officium est, ea quae sunt divinitus revelata, fidelibus credenda proponere; ac proinde etiam quinam sint Libri Sacri. Si Ecclesia in determinandis Libris Canonicis humano spiritu uteretur, omnino incommodum esset: quod ad Ecclesiam pertineret determinatio Scripturae Canonicae; ex qua sunt ab ipsa Ecclesia definiendae fidei quaestiones. Modo vero cum a Spiritu Sancto in ea determinatione dirigatur — iuxta illud Christi ap. Joann. 14, 26. „Paraclitus autem Spiritus Sanctus, ille vos docebit omnia et suggeret omnia;“ scilicet: quae Christus per Apostolos suos, vel scripto, vel viva voce locutus est — nullum omnino est incommodum, quod ipsa etiam Ecclesia regulam illam infallibiliter diiudicet, ex qua oporteat controversiam fidei certo determinare. Si enim singulique fidei articuli, qui naturalis rationis captum excedunt per se difficiles sunt ad credendum, ideoque oportet eos certissima Ecclesiae auctoritate hominibus commendari; quanto magis ipsa veritas universae Scripturae, in qua omnes fere articuli fidei continentur, Ecclesiae testimonio indigebit, ut ab ipso Spiritu Sancto dictata esse credatur? Neque internum Spiritus S. testimonium critico-historicae cognitioni iunctum — quo nuper rem expedire sibi visus est H. J. Holzmann. Canon u. Tradition Ludw. 1859. p. 164. s. vir acatholicus — sufficit; quia testimonium spiritus privati semper tale haberetur, quod nequit generare fidem divinam

VI. Ut illum de re et nomine Sacrarum Scripturarum etiam in genere tantum conceptum obtineamus, qui plane respondeat eius indoli; probe novisse oportet undenam earum numerus secure determinari possit? Huiusmodi autem quaestio licet per se necessaria, eo maioris momenti fit inde: quod non tantum varii ex antiquioribus haereticis in hoc ab Ecclesia Catholica dissenserint; sed omnes quoque Acatholici, praeter Graecos Schismaticos, secesserint ab eius doctrina. Atque ad hanc quaestionem plene discutiendam, oportebit demonstrare iis mediis

non esse α. Canonem constituendum, quibus illi qui ab Ecclesia recesserunt vellent; sed ab unica Catholica Traditione illum esse ediscendum. Deinde β. evincendum erit: Canonem quem nunc tenet S. Ecclesia Catholica, non esse nisi eundem, quem remotissime et constanter tenuit Ecclesia Antiquissima primorum saeculorum.

VII. Volumini S. Scripturarum Veteris Foederis sensim adiectae fuerant Scripturae Apostolicae. Ut enim quaelibet Ecclesia accepit Apostolorum Scripta, ea Libris S. Antiqui Foederis adtexuit. Sane intelligebant Episcopi et fideles primae Ecclesiae: eodem dictante Spiritu Dei, sicut de venturo Messia praedixisse Prophetas, ita de eiusdem adventu testificari Apostolos: eiusdem proinde divinae auctoritatis esse utrorumque Scripturas; eundemque ad Christum, Dei Unigenitum Filium, qui fecit utraque unum, referri. Quare tametsi certis quibusdam Ecclesiis, vel particulari cuipiam personae, Apostolorum literae hae vel illae dirigebantur; quia tamen in illis erant dogmata necessaria omnibus „pro consanguinitate doctrinae" — ut eleganti metaphora dixit Tertullianus, de praescript. haeret. n. 32. p. 22. — omnibus Ecclesiis communicabantur. Codici Sacro Veteris Foederis adiunctae, illud confecerunt Volumen, quod ab antiquis s. Patribus „Divinum" adpellari consuevisse, intelligimus e s. Joanne Chrysostomo, in cap. 1. Gen. hom. X, 8. IV, 81.; qui „τὰ θεῖα βιβλία" vocavit; item etiam ex Origene, Hom. XXVII. in Num. 1. ed. Lomm. X, 333., ut alios praetereamus testes subinde advocandos.

CANON S. LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI.

§. 3. Fata S. Librorum V. T. a Moyse usque ad tempus Machabaeorum.

Juvat in summa historias Canonis Librorum Sacrorum V. T. nosse[1]. Cum a Judaeis in ipsa captivitate Babylonica constitutis, Literarum Sacrarum studia non plane intermissa sint[2]; multo magis credendum est, post reditum ex exilio ea in gente excitata auctaque fuisse. Quae vero traditio iudaica de congregata aliqua Synagoga Magna, cuius caput princepsque Esdras fuerit, narrat; horum cum in libris Esdrae et Nehemiae[3] nullum exstet vestigium: imo quae in iis[4] gesta narrantur contra-

[1]) Tripartitam ingredimur disputationem, primum enim historiis, quae referuntur in S. Scriptura, innixi efficere conabimur: Canonem Librorum V. T. non potuisse tempore Esdrae claudi. Deinde disquisitionem instituemus, quibus rationibus fulciatur Canon Judaeorum Graecorum. Denique facto ad ipsum decretum Concilii Tridentini transitu: Canonem Concilii Tridentini esse Canonem Ecclesiae Apostolicae, sive primaevae, propugnabimus. [2]) Cf. H. R. D. V. T. p. 474. s. 518. s. 568. s. [3]) I. et II. Esdrae iuxta Vulgatam. [4]) Esdrae I. cap. 9. et 10., nec non Nehemiae Vulg. II. Esdr. c. 8.

rium dicant: eiusmodi tribunal tunc non exstitisse, apertissime evincunt[1]. Propius ad nostrum institutum accedit, quod porro traditur: viros ‚Synagogae Magnae' de colligendis in unum Libris Sacris; seu ‚de concinnando Canone V. T.' meruisse[2]. Priusquam autem de Esdra dispersarum S. Scripturarum collectore sermonem instituamus; videndum, quomodo Libri Sacri ante Babylonicum exilium custoditi asservatique fuerint?[3] Frequentia Dei praecepta de ‚Lege' custodienda, et singulis septenniis coram populo recitanda, maxime probabile faciunt: tutum aliquem aptumque gravissimi argumenti Libris assignatum fuisse locum publicum, in quo semper manerent. Id est exstitisse sacram aliquam in quadam sanctuarii parte bibliothecam, sacerdotum ac Levitarum curae commissam; in qua primo Moysis scripta collocabantur, quibus alia deinceps accesserunt Hagiographa[4]. Cum eadem specie veri merito creditur: omni tempore fuisse viros religionis amantes imprimis Prophetas; qui quorumdam Librorum Sacrorum, praesertim Mosaicorum, possiderent exemplar in suos aliorumque usus descriptum, quin et alias fortassis Historias et Car-

---

[1]) Emendantur abs Esdra mores populi foedusque cum Deo restauratur, multique e primoribus populi, sacerdotibus atque Levitis, manus suae subscriptione, se id post hac observaturos promittunt; ast Synagogae Magnae nulla in his aut aliis eius generis negotiis, mentio. Multa Nehemias, praefectus gentis suae ab Artaxerxe constitutus cum auctoritate molitur atque perficit; aliquando etiam ad coetum populi sui provocat, sed Synagogae M. nuspiam meminit; quod qui facere potuisset, si synedrium aliquod tum iam extitisset? Cf. Joach. Langium, Historia ecclesiastica V. T. Halae 1718. p. 821. Spanhemium. Hist. eccles. Vet. Test. p. 422. Buddeum, H. E. V. T. II, 794. L. Herzfeld, Gesch. d. Volkes Israel von der Zerstörung des ersten Tempels. Braunschw. 1847. p. 256. [2]) V. J. Buxtorfi, Tiberiaden cap. X. ed. Basil. 1665. p. 88. Hottingeri, Thesaurum philolog. ed. tert. Tiguri 1696. p. 114. L. Herzfeld, Gesch. d. Volk. Israel von der Vollendung des zweiten Tempels. Leipz. 1863. I, 360. s. [3]) Quod in quaestione etiam nunc positum, et certo nunquam posse definiri, concedimus. Est enim res antiquissimi temporis, de qua silet S. Scriptura. Ex ipsius igitur rei indole, et ex maiori minorique vero similitudine, id quod quaerimus, diiudicandum erit. [4]) Hoc sumto optime intelliguntur loci quidam, quales sunt: Deut. 17, 18. 31, 9. Ib. v. 26. iussit Moyses: „tollite ergo librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri." Josue 24, 26. I. Reg. 10, 25. Atque ex ista adeo sacra bibliotheca depromendus erat liber Legis, septimo quovis anno in festo tabernaculorum populo congregat. publice praelegendus. Coll. Deut. 31, 10—13.

mina Sacra. Cum Judaei interitu reipublicae suae gravissime afflicti, toto animo ad religionem ante hac levius habitam converterentur: Librorum quoque Sacrorum maxima exstitit cura et aestimatio; nec tamen de vulgo homines prisca Scripta Sacra aliaque, quae deinceps accedebant, per exilii tempus integra asservasse censendi sunt. Enimvero S. Literarum conservatio tanti fuit momenti, ut vulgi arbitrio permissa nullo modo credi possit. Certe aderant tunc Prophetae Ezechiel et Daniel, qui haec Scripta et diligentissime ipsi custodirent, et praecipuis quibusdam viris Theocratiae post hac custodienda comitterent. Et sane Deus, qui tempore exilii [1] saepe Religionis de causa modo interveniebat extraordinario, videtur quocunque tandem modo effecisse, ut integra Divina Volumina servarentur.

Collectionem vero illam S. Librorum Veteris Foederis nec Esdram ,nec Synagogam Magnam absolvisse; plura testantur loca Codicis Divini. Et quidem opinioni Canonem S. Scripturae ab Esdra Synagogaque Magna absolutum fuisse, repugnat praeter ea, quae a. de libro Estherae et eius dupplici recensione notavimus [2]; b. narratio libri primi Paralipomenon, qua Zorobabelis genealogia ad saeculum usque quintum, in duas post Nehemiam generationes, producitur [3]. Huc spectat c. alterum quod reperitur a Nehemia consignatum testimonium, cuius fide Levitarum primores ad saeculum usque quartum ante Christi Natales recensentur [4]. Probant haec testi-

---

1) Ut vel ex ipso Danielis libro constat. 2) H. R. D. V. T. p. 510. 3) Collato enim I. Par. 3, 19—24. et I. Esdr. 8, 2.: Hattus, qui I. Par. 3, 22. Semejae filius et Naariae frater dicitur, e stirpe Davidis oriundus una cum *Esdra* in patriam remigravit. Naariae commemorantur v. 23. filii tres; Elioenai primogeniti vero v. 24. septem. Cf. Calmeti, Comm lit. a. h. l. IV. 531. Bertheau, die Bücher der Chronik. p. 35. 4) Legimus enim II. Esdr. 12, 10. 11. „Josue autem genuit Joacim, et Joacim genuit Eliasib, et Eliasib genuit Jojada, et Jojada genuit Jonathan et Jonathan genuit Jeddoa.“ E quibus Eliasibum aequalem fuisse Nehemiae coll. II. Esdr. 3, 1. 20. liquet; sed Jeddoam sacerdotem summum fuisse tempore Alexandri Magni, e Josephi, Antiq. XI. 7, 2. 578. ib. 8, 4. p. 580. apparet. Cf. Bertheau, l. c. prol. p. XLVI. Locos hos serius, aliena manu accessisse, sane cum causae idoneae non adsint, cur ita opinaremur sine ullo argumento Ackermann, Int. p. 196. 205. et B. Welte, apud Herbst. h. kr. Einl. I, 49. dixerunt. Hoc sane nemo facere attentasset, Canone V. T. iam publica tanti viri vel plane collegii auctoritate concluso. „Canonem s. Esrae aetate nondum absolutum fuisse, receptio librorum Chronicorum,

monia diligentiam quidem summam s. Scriptorum in retexenda genealogia Davidis; sed et auctorem L. L. Paralipomenon et secundi Esdrae alienum esse omnino ab aetate Esdrae et Nehemiae: cum genealogiae istae in tempus incidant, quo regnum Persarum in interitum vergere sensim iam inchoabat; neque Esdras et Nehemias superstites eo aevo cogitari possint. Quod traditioni huic Judaeorum [1] veri subest, eo redit: Esdram, scribam velocem in Lege Dei, cuius notus est ardor in collapsa civitate instauranda, operam impendisse, ut collatis optimis quibuscunque exemplaribus, Volumen ‚Legis' — quia eo praecipue ad religionem opus erat — quam emendatissime in Templo secundo reponeretur [2]. Atque d. huic deinceps Volumini dirigente Spiritu Divino et prophetico a Nehemia alii Libri Sacri adiungebantur. Testatur hoc scriptor libri secundi Machabaeorum his verbis [3]: ‚καταβαλλόμενος βιβλιοθήκην ἐπισυνήγαγε τὰ περὶ τῶν βασιλέων; — de regibus Juda et Israel i. e. IV Libros Regum τῶν LXX. et Vulgatae, adde librum Ruth, praeludium historiae Davidicae — καὶ προφητῶν; — tam illos qui vaticinia continent, quam alios a Prophetis scriptos — καὶ τὰ τοῦ Δαυὶδ — vatumque aliorum usque ad sua tempora —; et sine dubio etiam libros Salomonis, Jobi, qui ad eandem classem pertinerent sacrarum poeseon [4]. Initia haec erant collectionis post exilium. Servaban-

---

quorum historia post exilium usque ad septimam gentis Davidicae generationem descendit luculenter probat." Sic fatetur vir acath. J. A. G. Hoffmann. Introd. in libr. Danielis Poesnec. 1832. p. 17. Concinnunt: C. Fr. Keil, Lehrb. d. hist. kr. Einl. Franckf. 1859. ed. II. p. 480. Fr. H. Reusch, Lehrb. d. Einl. in d. A. T. Freib. 1864. ed. II. p. 154.

1) De qua Josephus penitus tacet. 2) V. H. R. D. V. T. p. 519. s. 3) II. Mach. 2, 13. 4) De Pentateucho et eius continuatione de libris Josuae et Judicum, in bibliotheca Nehemiae nulla fit mentio; quod eorum collectionem iam Jeremias II. Mach. 2, 2. atque Esdras curaverit. Ex his sequitur Esdram minime esse omnium Librorum V. F. collectorem editoremque. Certe auctor saepe laudatus alterius libri Machabaeorum rem non reticuisset; si eius tempore celebrata fuisset fama de Esdra s. Scriptorum in unum collectore. Contra Hengstenbergium, qui Beiträge I, 24. s. hoc antiquissimum documentum de Canone V. F. impugnavit, disputavit F. C. Movers, de utriusque rec. Vatic. Jerem. ind. Hamb. 1837. p. 49. coll. Bonner Zeitsch. 1834. X, 141. s. C. Bertheau vir acath. de secundo Libro Maccabaeorum diss. Gott. 1829. p. 22. scribit: „non habemus quod iure huic narrationi opponamus." V. e. C. L. W. Grimm, das II. Buch der Macc. p. 5. 58.

tur Divina Volumina in hac bibliotheca usque ad persecutionem Antiochi contra Judaeos; tunc capto et polluto Templo, Libri Sacri qui ibi reperiebantur, aboliti sunt. Sed et saevitum insuper dirissime in eos, apud quos Divinorum Librorum exemplaria inveniebantur; ipsa vero volumina in cineres passim redacta. Nihilominus Machabaei Sacros Libros incolumes conservarunt. Sane e. Judas Machabaeus in summa angustia temporum, urgente bello non obstante decreto regis Syriae[1], occupatus restauratione templi ,ea — volumina — quae deciderant per bellum, congregavit omnia'; de quibus nominatim subiungunt Judaei palaestini, si Judaei aegyptiaci eas desiderant, mittant, qui illis perferant[2]. Quae omnia verosimilius evincunt: non uno tempore Canonem S. S. V. T. collectum, et Machabaeorum aetate demum finitum esse.

§. 4. Canon Judaeorum Graecorum.

Examini subiicienda est quaestio: num duo fuerint apud Hebraeos Canones Sacrarum Scripturarum? Judaeorum, qui Palaestinam inhabitarunt, sive Canon palaestinus omnibus numeris partibusque saeculo ante Christum quinto absolutus: atque alter recentior, quem Alexandrinum vocant, Graecorum sive Hellenistarum, secundo ante Christum saeculo clausus; qui praeter eos, quos prior canon continebat, libros insuper alios amplexus sit[3].

---

[1]) I. Mach. 1, 59. [2]) II. Mach. 2, 15. [3]) De hac collectione — qua admissa doctrina Veterum everteretur, qui cum criteria plura proponerent ad distinguendos Libros Sacros, nuspiam hac duplicis collectionis discrimandi ratione usi sunt — iam J. N. Schaefer, Institutiones Scripturisticae. Mog. 1790. I, 65. scripsit: „res omnino incerta est, nullum enim authenticum duplicis huius Canonis exstat testimonium; et ipsi Judaei historici Josephus et Philo, quem ultimum siquidem ipse Hellenista fuit, Aegyptiorum Canon latere non potuit, de hac Canonis diversitate altum silent.“ Noster vero F. Ackermann, Intr. in L. S. V. F. Vienn. 1825. p. 36. monuit „qui arbitrantur saeculo secundo aut primo ante Christum a Judaeis canonem alterum instructum fuisse, nullo freti sunt scriptoris fide digni testimonio.“ Quaerenti rationes huius sententiae ad Canonem palaestinum evincendum producunt, quemdam locum Josephi Flavii, quem peculiari disquisitione p. 17. s. illustravimus; item testimonia S. P. et S. E.; saeculi secundi Melitonis Sardensis, epistola ad Onesimum apud Eusebium, H. E. IV, 26.

Canon Judaeorum Palaestinensium est itidem Canon Judaeorum Graecorum; atque Canonis palaestinensis conditio ex ea, quam apud Alexandrinos deprehendimus, metienda erit[1]. Graeci enim sive Alexandrini Judaei, earundem doctrinarum et institutionum vinculo cum Palaestinensibus coniuncti, sacrorum communionem continuo ita sustentabant, ut sententias institutionesque ad res divinas spectantes semper ab illis reciperent; in rebus vero dubiis sacerdotes Hierosolymitanos consulerent[2]. At vero eosdem homines, qui in ritibus religiosis observandis adeo tenaces se semper praebuere, Canonem S. Librorum in Palaestina receptum immutare ausos fuisse, quis quaeso crediderit? Quare omnino concludendum est: eandem Librorum Sacrorum conditionem, quam apud Judaeos Graecos i. e. Alexandrinos reperimus, hoc tempore apud Palaestinenses quoque fuisse: siquidem Judaei, qui inde ab exilio Babylonico in Aegypto consederant, non solum Libros antiquiores, sed etiam quosdam recentiores; et quidem auctoritate Judaeorum

---

p. 284.; saeculi tertii Origenis, in exposit. Ps. I. ed. Lomm. XI, 377. — quem locum ad verbum repetiit Eusebius, H. E. VI, 25. p. 432. —; demum saeculi quarti S. Hieronymi, Prologum galeatum; S. Epiphanii, de ponder. et mens. §. 3. 4. p. 161. 2. §. 23. 180. 1.; Talmud Babylonicum, Tr. Baba-bathra fol. 14. in Wolf, Biblioth. hebr. t. II, 3. Quae omnia monimenta de recentiorum Judaeorum Canone testari, infra liquebit. Quod autem ad Talmudistas attinet, quia traditionibus suis multas recentiorum doctorum inventiunculas immiscuerunt; ad confirmandum Vetus Testamentum eiusque formam antiquissimam eruendam non esse adeundos, docet ex Acatholicis C. F. Smidius, Historia antiqua et vindicatis Canonis sacri Veteris Novique Testamenti libris II. comprehensa. Lipsiae 1725. p. 119. s. Judaeorum recentiorum catalogus origines suas debet tempori, ubi Synagoga reiecta, testimonium veritatis esse non poterat. Cf. J. G. Herbst, allgemeine Einleitung. p. 45. J. B. Malou, das Bibellesen in der Volkssprache beurtheilt nach der h. Schrift, der Tradition und der gesunden Vernunft üb. v. H. Stoeveken. Schaffhausen 1849. II. p. 23. 31.

[1]) Sententiae istius argumenta primus erudite exposuit Claudius Frees Hornemann, l. i. c.; amplius exornavit Fr. C. Movers, comm. crit. Loci quidam Historiae Canonis Veteris Testamenti illustrati. Vratisl. 1842. p. 21. s. Adversus Moversii sententiam disputat Welte, Bemerkungen ü. d. Entstehung des ältesten Canons, in ann. Tüb. Quartalschr. 1855. p. 76. s. [2]) Omne igitur animi ingeniique pabulum, quod ad sacra et religionem pertinet, e terra patria petierunt: accedunt itinera ab iis, ut Hierosolymis probitati suae satisfacerent, quotannis facta. V. C. F. Hornemann, observationes ad illustrationem doctrinae de Canone V. T. ex Philone. Havniae 1775., repet. in spec. sec. Exercitat. crit. in versionem LXX. interpret. ex Philone. Havn. 1776. p. 9. s.

Palaestinensium commoniti, in numerum Sacrorum Scriptorum reposuerint: id quod sequentia conficiunt rerum momenta a. Auctor Ecclesiastici Jesus Sirach praeclara et sancta doctrinae suae rudimenta, hebraeo sermone, Hierosolymis exaravit; postquam autem scriptum suum finiit, sollicitus curavit, ut in aegyptiacas regiones — in quibus copiosi Judaei habitabant [1] — deferretur. Procedente tempore Siracidae nepos ex Judaea illuc profectus, ibique Graecorum linguam a fratribus suis aegyptiis edoctus; vertit Librum ex hebraeo in graecum, ad gentis suae ut ait usum. Unde unitas et concordia Judaeorum aegyptiorum cum iis, qui in Judaea degebant, in recipiendis Hagiographis apparet. b. In epistola alteri Machabaeorum libro praemissa, Judaei palaestinenses populares suos in Aegypto commorantes hortantur, ut Libros a Juda Machabaeo recollectos ad se perferendos curent [2]. Quod hac epistola de pluribus libris narratur, de uno libro, sive eius parte refertur: c. in appendice graeca ad caput decimum libri Estherae, qua sequens de epistola textui graeco adiecta [3], testimonium habetur: Dositheum quendam, qui se Levitam et sacerdotem professus fuit, filiumque eius Ptolemaeum, quarto Ptolemaei et Cleopatrae anno, partes libri [4] Hierosolymis in Aegyptum retulisse; eosque testatos esse Lysimachum Ptolemaei filium, qui Hierosolymis habitaret, e graeco sermone illas interpretatum fuisse [5]. Videmus duos testes ad veritatem rei comprobandam Lege Mosaica praescriptos adhiberi, qui de origine et versione testimonium perhibeant [6]. d. Licet

---

[1]) V. H. R. D. V. T. p. 540. [2]) II. Mach. 2, 15. J. E. Fullonius, comm. perp. ad h. l. p. 74. dicit verba haec a nobis supra iam exposita, in specie spectare ad commendationem libri secundi Machabaeorum; quem una cum epistola ultro missum existimat, velut in praegustum et antecessum aliorum, quibus fratres aegyptiaci careant. [3]) Quae epistola in praesenti recensione masorethica libri Estherae desideratur. V. H. R. D. V. T. p. 507. s. [4]) In editione hebraica quam nunc tenemus praetermissas. [5]) „Ἔτους τετάρτου βασιλεύοντας Πτολεμαίου — Evergetis coll. Hist. Rev. Div. Vet. Test. p. 540. — καὶ Κλεοπάτρας εἰσήνεγκε Δοσίθεος, ὅς ἔφη εἶναι ἱερεὺς καὶ λευίτης, καὶ Πτολεμαῖος ὁ υἱὸς αὐτοῦ, τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν φρουραὶ, ἣν ἔφασαν εἶναι, καὶ ἑρμηνευκέναι Λυσίμαχον Πτολεμαίου, τὸν ἐν Ἱερουσαλήμ.“ Liber Estherae gr. ed. O. F. Fritzsche Turici. 1849. II, 44. In Vulgata legitur idem comma cap. 11. v. 1. [6]) Quod quam magni faciendum sit, auctor eo innuit; quod a viris e stirpe sacerdotali oriundis, quippe quibus custodia et interpretatio Sacrarum Literarum demandata fuerit, proficiscatur. Cf. J. Langen, die deuterocanonischen Stücke des Buches Esther, eine bibl. krit. Abhandl. Freib. 1862. p. 22.

versio Alexandrina maiorem librorum copiam prae originali Hebraeo — videlicet L. L. Tobiae, Judith, partes Estherae, Machabaeorum; orationem Azariae, hymnum trium puerorum, historias Susannae, Beli et Draconis, epistolam Jeremiae, Baruchum; Sapientiae atque Ecclesiastici volumina — contineat; tamen quemdam horum in Aegypto editum esse, certo probari nequit. Enimvero Libri isti Sacri fere omnes in Palaestina, sermone hebraeo editi sunt[1]. Hic primitivae Synagogae sensus porro e. patet e catalogo S. Scripturarum, quem exhibet Versio antiquissima graeca LXX. interpretum. In hac interpretatione, quae nunc in Canone Judaeorum desunt scripta, partim libris integris, partim quorumdam supplementis constant; quorum haec neque titulis, neque alia ratione tanquam recentiora glossemata significantur, sed arctissime cum Textu Sacro coniunguntur. Unde recte colligitur, ea reliquo Codici Divino per omnia aequiparata fuisse. Quod vero ad integros Libros attinet, non tamquam appendix Libris Canonicis adiecti, sed in eorundem numerum seriemque recepti, atque suis in locis[2] inserti fuere: ut sic externo quoque discrimine neutiquam facto; internam discrepantiam nullam statutam fuisse certissime inferri possit. Denique f. si nulli praeter hos, qui nunc hebraeo continentur sermone Libri Veteris Testamenti superessent; tunc agrum Literarum Divinarum, tot saeculorum lapsu, nullos fructus protulisse iure miraturi essemus?[3] Ex his

[1]) Si vero Liber Sapientiae Salomonis, qui dicitur, et Machabaeorum alter sermone graeco primitus iam conscripti sint; inde non sequitur, in Aegypto editos esse. Nam Judaeos Hierosolymis degentes in Libris Sacris graece exarandis versari potuisse; collata subscriptione libri Esther graecae editionis, non est quod dubitemus. Cum pedetentim tabesceret lingua hebraica, atque in Orientem irrupit Alexander M., cum ipso eloquium graecum ad Palaestinam quoque pervenit, et inter Hebraeos quoque, Terram Sacram incolentes vulgatum erat. V. II. V. T. p. 591. [2]) Ad quae habito respectu argumenti spectarunt. [3]) Qui factum esset: ut Hebraei, quibus antiquitus Sacrorum Scriptorum monimenta nunquam defuere, iis per longum quinque saeculorum intervallum nulla inspirata vox audita sit? Nullane Deo populi sui cura fuit, ex quo Malachias ultimus Prophetarum, vatum clausit agmen usque ad Joannem Christi praecursorem? Namque, si quod a nemine non conceditur, divina Providentia Israelitas Mosaica Lege ductos, sensim ad limina Regni Divini provehi voluit; quo iure Acatholici suo sane periculo divini spiritus vim prohibere audent mentibus Hagiographorum? Optime

igitur omnibus[1] summa veri specie sumitur: nullam circa aetatem Christi et Apostolorum fuisse differentiam inter Canonem Judaeorum Hebraicorum atque Graecorum.

§. 5. Josephi Flavii locus adv. Apion. I, 8. expenditur.

Multae cum sint res, quibus e scriptis Josephi Flavii lux affundi queat; prae ceteris hoc in loco: Testimonium Josephi Flavii de Canone Librorum Divinorum Veteris Testamenti, quod legitur libro primo contra Apionem. c. 8. ed. Havercampii II, 441. illustrare eo potius nobis visum est; quo plura hac nostra quoque aetate inter scriptores super sensu et gravitate eiusdem reperiantur certamina. Quam in rem ipsa Flavii verba subiicimus:

„Οὐ γὰρ μυριάδες
βιβλίων εἰσὶ παῤ ἡμῖν,
ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων·
δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία,
τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν,
τὰ δικαίως θεῖα πεπιστευμένα.
Καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι τὰ Μωϋσέως,
ἃ τούς τε νόμους περιέχει
καὶ τὴν τῆς ἀνθρωπογονίας παράδοσιν,
μέχρι τῆς αὐτοῦ τελευτῆς·
οὗτος ὁ χρόνος ἀπολείπει
τρισχιλίων ὀλίγον ἐτῶν.

„*Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo,*
dissentientium atque inter se pugnantium,
sed duo duntaxat et viginti libri,
totius praeteriti temporis historiam complectentes,
qui merito creduntur divini.
Ex his quinque quidem sunt Moysis,
qui et leges continent,
et seriem rerum gestarum a conditu generis humani
usque ad ipsius interitum.
Atque hoc spatium temporis
tria fere annorum millia comprehendit.

---

sane Libris istis Revelationi consultum esse contendimus, quorum ope multa, quemadmodum vidimus in Novo Testamento, intellectu alioquin difficiliora explanantur.

[1]) Donec ab adversariis probatum fuerit contrarium. Cum sic demonstratum sit, testimonia de Canone Palaestinensi ab Alexandrino, quem Septuaginta interpretum versio exhibet diverso, id quod eius patroni; C. Witasse, de locis theologicis. Vindob. 1763. p. 128. J. S. Semlerus, Abhandlung von freyer Untersuchung des Kanons. Halle. 1771. I, 29. s. — Semleri imbecillia argumenta mox confutavit Walch, Gött. Gel. Anz. t. II. 97. St. 1771. p. 825. s. — Th. Holzclau, Institut. Scripturist. Wirceb. 1775. p. 87. s. Tib. Sartori, Hermeneutica S. U. T. Aug. Vindel. 1783. p. 33. Fl. Dalham, de Canone Dogmat. Chr. Vindob. 1784. I, 62. s. H. Corrodi, Versuch einer Beleuchtung der Gesch. des jüd. u. christ. Kanons. Halle 1792. II. p. 17. s. Bertholdt, h. k. Einleit. in die Schrift. d. A. u. N. T. Erlangen 1812. I. p. 89—99. Jahn, Einl. I, 133. s. aliique efficere volunt, non praestare. Cf. Malou, l. c. I, 31. s. 51. s. atque Oehler, in Herzogii, Realencyclop. VI, 254. s.

Ἀπὸ δὲ τῆς Μωϋσέως τελευτῆς
μέχρι τῆς Ἀρταξέρξου τοῦ μετὰ Ξέρξην
Περσῶν βασιλέως ἀρχῆς,
οἱ μετὰ Μωϋσῆν προφῆται
τὰ κατ' αὐτοὺς πραχθέντα
συνέγραψαν ἐν τρισὶ καὶ δέκα βιβλίοις·
αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν θεὸν
καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας
τοῦ βίου περιέχουσιν.
Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου
μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου
γέγραπται μὲν ἕκαστα·
πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας
ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν,
διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν
ἀκριβῆ διαδοχήν."

A Moysis autem interitu
ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem
regnavit apud Persas,
prophetae qui Moysi successere
res sua aetate gestas
tredecim libris complexi sunt:
quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem;
et praecepta vitae hominum
exhibent utilissima.
Caeterum ab imperio Artaxerxis
ad nostram usque memoriam
sunt quidem singula literis mandata;
sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem
meruerunt, quantam superiores ii libri,
propterea quod minus explorata fuit
successio prophetarum."

Hoc in recensu, ut cuilibet patet, non effertur cuiusquam Libri Sacri V. T. nomen; attamen ex eiusdem Josephi Antiquitatum volumine satis erui potest, Flavium scripta V. T. in duobus et viginti Libris numerasse: Quinquernionem Moysis, Josue, Judices et Ruth, volumina Regum, Paralipomenon, Esdram, Nehemiam, Estheram; Isaiam, Jeremiam cum Threnis, Ezechielem, Danielem atque duodecim minores Prophetas; Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten et Canticum Canticorum. Tantum vero abest, ut haec relatio Josephi Flavii demonstret: iam Artaxerxis tempore Canonem V. T. clausum esse; ut potius illi argumentationi nihil aliud subsit, nisi vulgaris Pharisaeorum, quorum sectae adhaesit Josephus, opinio nullis rationibus confirmata. Ex illa enim periocha iure colligitur a. quod numerus ille XXII. Librorum Sacrorum, quem elegit Josephus, ut cum numero literarum alphabeti hebraici conspiraret, omnes libros Veteris Foederis hebraice scriptos complectatur; quos veluti Canonicos et Divinos habuit. Sed et b. qualiscumque demum verborum Flavii significatio et auctoritas concedatur, aliorum etiam S. Librorum V. T. existentiam, praeter illos XXII., quos supra numeravit, demonstrant. Enimvero suis Josephus testatur verbis, quod alibi quoque firmat, Hebraeos ab imperio Artaxerxis, et ultra, sua gesta literis tradidisse et posteritati transmisisse. Adiecit, attamen c. quare e sua mente libri post Artaxerxem scripti tali fide non gaudeant, quali gaudent ante Artaxerxis aevum exarati: quoniam nimirum „accurata successio Prophetarum" desiisset. Aperte de „collectione" Librorum Sacrorum, sive Canone, nulla mentio fit; solummodo fides par illis scriptis, quae postea fuerunt, praeripitur. Contextus loci nostri fere hic est: antiquitas gentis judaicae ab adversariis in dubium vocabatur, eiusque scriptis igitur non habebatur fides. Hoc immerito factum esse perhibet Josephus. Negat causam adesse, quare his libris gentiles diffiderent; talem contra revera exstare affirmat, quod attinet ad scripta Graecorum, quae neminem hac de re certiorem facere poterant. Horum enim aetas serior est, cum Homerus Moyse longe recentior, iis scriptor sit omnium ante-

quissimus; et pugna ingens inter ipsos historiarum scriptores reperiatur; quia res gestae publice non conscribebantur, singuli vero scriptores veritati non studebant. Longe aliter res apud Judaeos erat comparata, apud quos a prisco inde tempore omnia fide digna conscribebantur a Prophetis, sive ab ordine virorum spiritu divino praeditorum. Nullum inter hos reperitur dissidium, nulla pugna, omnia concinnant; nam hi ordine continuo se excipiunt, et subsequens confirmat, quod praecedens scripserat. Hoc modo cum argumentatur Josephus, procul dubio attendit ad Prophetas praesertim priores, qui ex eius mente ab initio mundi incipientes, ordine non interrupto, pertingunt usque ad Artaxerxem. Quisque iam videt d. primo quam longe huiusmodi ratiocinatio, ut ita dicam „subiectiva", absit a re testibus idoneis comprobata. Omnes Scriptores Veteris Testamenti ante Artaxerxem, sive historias, sive aliud quid scripserint, e Josephi sententia Prophetae erant; historiae ab iis enarratae recta via usque ad Artaxerxem pertendunt; ergo accurata obtinuit iuxta Flavium „successio Prophetarum." Sed in terminis huius syllogismi maior et conclusio claudicat. Enimvero si historiae Veteris Foederis diligenter legantur, ordinem continuum Prophetarum negant, neque etiam ab ullo Judaeorum serioris aetatis ille memoratur. Accedit e. si subsequens quisque de antecessoris sui auctoritate testimonium edere debuisset, ut Josephus insinuat, quomodo Hebraei de ultimi prophetae auctoritate divina certiores fieri potuissent? Eorum igitur ratiocinia, qui ex hoc loco argumenta petiere pro duplici collectione, nullius esse ponderis ultro sequitur. Neque f. probari potest argumentatio Josephi, quae S. Bibliorum divinitatem oriri facit ex hominum cura et diligentia, qui sedulo rebus, quae ob eorum oculos acciderant, describendis vacarunt: non autem e coelesti inspiratione Deique providentia derivat. Et sane Spiritus S. ut sibi placet ad creaturas loquitur, eas suis in actibus dirigit, suis cogitationibus praesto adstat; ac diversis temporibus varioque sermone homines ad scribendum movet. Quicunque perpenderit rationem, qua divina Revelatio in homines agat, et Dei Spiritus eorum menti instet; iudicabit non esse necessariam Prophetarum continuam seriem, qua unus alteri ordinatim succedat, ad Divinum rebus, quae ab auctore inspirato priore enarrantur, conferendum testimonium. Si g. strictim Josephi sententiam diiudicare velimus, sibi ipsi contradicere invenitur: cum historiis suis additiones Estherae inseruerit Antiq. XI, 6. I, 566—577., sicut in LXX. habentur; Machabaeorum vero res Antiq. l. XII. p. i. et XIII. c. 1—8, 1. narravit. I, 583—657. h. Cum totis viribus Josephus Flavius contra Apionem gentis suae gestorum veritatem demonstrare conetur, docens Hebraeos prae Graecis fideles fuisse in actis suis describendis ac servandis; quomodo potuisset Josephus additionibus Estherae et libris Machabaeorum fidem tribuere? si istae partes Codicis S. V. F. extra Canonem Hebraicum continerentur; utpote quorum scriptores posteriores, multo ab Artaxerxis tempore floruere. Proinde actu probat parem eorum, quae his continentur libris fidem cum ceteris. Sed et i. Nehemias atque Scripturae Chronicorum auferendae essent e numero Canonicarum Scripturarum, quorum auctores post Artaxerxem vixisse alibi iam demonstravimus. V. H. R. D. V. T. p. 516. s. Comment de S. S. p. 11. Ubi Josephus concessit, has Scripturas Divinas esse, quod e suis dictis sequitur, neque ipse negat; nescitur, quid inter has differentiae subintroire possit. Videndi omnino ac de re Jos. Khell de Khellburg S. J. — coll. J. N. Stoeger S. J., Scriptores

Provinciae Austriacae Soc. Jesu. Vienn. 1856. p. 182. — Auctoritas Utriusque Libri Machab. canon. hist. adserta. Viennae. 1749. p. 48. s. et A. Vincenzi, Sessio quarta Concilii Trid. vind. Rom. 1844. II, 8. s.; quorum argumenta, nostris paulisper aucta, his produximus. Denique vero k. si vel tota illa argumentatio Josephi valeret, minime tamen sententiam Hebraeorum sibi coaevorum referret. Etenim notissima res est; Josephum, quemadmodum in sua vita narrat n. 2. II, 2. sectae Pharisaeorum et placitis addictum fuisse. V. H. Paret, ü. d. Pharisäismus des Josephus, in ann. Stud. u. Krit. 1856. p. 809. s. J. Langen, der th. Standp. d. Flavius, in ann. Tüb. Quartalschr. 1865. p. 1. s. Jam vero Pharisaei, qui in accurata legum patriarum scientia et custodia inter alios videbantur excellere, hoc quoque inter Sacras Scripturas discrimen commenti sunt. Non ergo totius et universi populi Hebraeorum sui temporis refert doctrinam; sed tantum suae factionis. Haec autem tanti facienda est, quanti Samaritanorum et Sadducaeorum, quos aeque aliter a vera doctrina novimus de Scripturis sensisse, de eadem re sententiae fiunt. V. G. Güldenapfel, Josephi de Sadduc. Can. sent. Jen. 1804. Opinio Josephi, a secta quae eam genuit non degener, ex affectata reverentia erga Scripta Veteris Foederis proficiscebatur. Uti in pluribus rebus ad sacra pertinentibus — e. c. in synagogis — sic etiam hic, ex antiquitate ea arripiebantur, quae origines Canonis nobilitare posse illis videbantur. Quomodocunque autem examinemus conditionem fidei et morum apud Hebraeos post exilium, illud modo satis constat; Judaeos post tempora Artaxerxis, quamvis debiles, instabiles et ad Legis transgressionem pronos; attamen varie Divina manu percussos ad priorem Legum et Religionis observantiam reversos esse, atque nullis novis criminibus prae maioribus suis se polluisse. Esto quam maxime ante Salvatoris adventum in varias orbis regiones spargerentur, fideles manserunt Religionis patrum suorum cultores. Unde teste ipso summo iudice Jesu Christo apud S. Matthaeum 11, 13.: „Prophetae et Lex usque ad Joannem prophetaverunt." Si igitur Israelitae, testibus fide dignis v. H. R. D. V. I p. 586. s., constanti animo suorum patrum Religionem professi sunt, eundem spiritum, eandemque rationem etiam post Artaxerxis aetatem retinuerunt; — cum et in N. F. antequam Joannes B. publice munus obiret, Zacharias, Simeon et Anna spiritu sancto praediti fuisse legantur — unde cur privandi erant eo excelso munere, quo Maiores illorum ornati fuere, diligentium custodum S. Codicis Veteris Testamenti etiam post Artaxerxem?

§. 6. Testimonium Concilii Tridentini de Canone Veteris Testamenti e doctrina Christi et Apostolorum confirmatur.

Originem Canonis Catholicorum cum s. Tridentina Synodo[1] ad prima Ecclesiae Christi incunabula, atque adeo ad divinissimum Salvatorem eiusque Apostolos.

[1]) Sessione quarta. De Canonicis Scripturis.

tanquam primum Canonis fontem, nunquam interciso Traditionis filo, certum referimus[1]. Jam Historias Christi, Apostolorum Acta et Epistolas legentibus, nullus profecto occurrit syllabus Librorum Sacrorum Veteris Foederis; qui diserta auctoritate Christi et Apostolorum traditus fuisset[2]. Hoc non obstante tamen certum est, fideles primos a Christo et Apostolis Canonicorum Librorum Veteris Foederis notitiam accepisse. Etenim in *ipso* Codice divino Novi Testamenti inveniuntur illi Veteris Testamenti Libros in testimonium attulisse; modo auctoris vel Prophetae nomen, e quo verba divina enuntiavere, explicantes; modo solos locos V. T. repetentes, quin scriptorem vel librum recensuerint. His positis, nobis curae sit oportet quaerere: utrum Christus et Apostoli Scripturas V. F. advocantes, sententias quoque ex Libris, qui nunc in hebraico textu non habentur, noverint atque *allegaverint* ut inspiratas? Quicumque Biblia Novi Testamenti pervestigaverit, illi mox luce clarius apparebit ipsum Sanctissimum Salvatorem Libros, qui nunc in collectione Judaeorum desiderantur, sicuti Divinae auctoritatis agnovisse; etsi quot fuerint numero recensere, suisque nominibus laudare atque palam profiteri *supervacaneum* duxerit[3]. Libris iisdem auctoritatem Divinam

---

1) Etenim in hac quaestione, quae, a tempore quo Lutherus ab Ecclesia defecit, tam vexata est, ut ab altero non intelligatur quid sit id, quod dicat alter — uti etiam in aliis, si de doctrina Christi ambigitur —; redeundum est ad Apostolos et legitimos eorum successores, de quorum sententia circa „Canonem“ si constet, qui eorum discipulus esse vult, idem teneat, necesse est. Seu inquirendum est, quis fuerit Canon Ecclesiae primaevae? 2) Ex ore ipsorum nullum Scripturarum Sacrarum, quae ante eos exstabant, catalogum percipimus. 3) Exemplis rei suffragabimur: Ex Evangelio s. Matthaei 4, 4. coll. Sap. 16, 26.; , 28. Eccli. 42, 12.; 6, 7. Eccli. 7, 14.; 6, 14. Eccli. 28, 2.; 7, 12. Tob. 4, 16.; 1, 28. Eccli. 24, 19. 21.; 13, 43. Sap. 3, 7.; 18, 15. Eccli. 19, 13. Ev. 25, 34. Sap. 5, 16.; 25, 36. Eccli. 7, 35.; 27, 43. Sap. 2, 18. Ex Evangelio s. Lucae , 24. coll. Eccli. 34, 8.; 6, 35. Eccli. 29, 1.; 12, 19. Eccli. 11, 18. 19. et Sap. 2, 6.; 4, 8. Eccli. 3, 18. 20.; 14, 13. Tob. 4, 7.; 17, 3. Eccli. 40, 29. 30.; 17, 12. Sap.), 7.; 18, 1. Eccli. 7, 10.; 18, 7. Eccli. 32, 17. 18.; 22, 10. Sap. 3, 8. Ex Evangelio s. Joannis c. 3, 12. coll. Sap. 9, 16.; 5, 18. Sap. 2, 16.; 6, 31. Sap. 16, 20.; 35. Eccli. 24, 29.; 8, 55. Sap. 2, 13.; 10, 28. Sap. 3, 9.; 14, 17. Sap. 1, 5.; 14, 21. Eccli. 2, 17.; 17, 3. Sap. 15, 3. et Eccli. 33, 5.; 19, 11. Sap. 16, 4. Haec exempla a aliis certiora, ipso suo numero satis probant, Libros hos Christo et Apostolis que ignotos, neque contemtos fuisse.

tribuerunt etiam Apostoli [1]. Unde sequentia corollaria e rei natura ultro consequuntur. α. Usque ad Salvatoris Nostri adventum Judaei Sacrarum Scripturarum Veteris Testamenti custodes fuerant [2]. Hebraei, qui Libros S. maximi faciebant et studiose in synagogis legebant, ad Christum conversi, non modo eos, qui nunc quoque lingua hebraica leguntur, sed et reliquos libros nostros Canonicos ad Ecclesiam secum detulerunt. Necesse autem est, id omnino factum volente et approbante Christo; a quo solo Libri Sacri testimonium accipere poterant infallibile. β. Apostoli qui post effusum Spiritum S. iuxta mandatum Christi, opus praedicationis evangelicae per universum mundum aggressi, omnes gentes fidem

---

1) Prae reliquis Apostolis copiosius iis utitur s. Paulus, nullum fere caput epistolarum Paulinarum existit, in quo e scriptis quaesitis loci retractati non deprehenderentur. Videantur ep. ad Rom. 1, 20. Sap. c. 13, 7.; 5, 12. Sap. 2, 24. Eccli. 25, 24.; 9, 21. Eccli. 33, 13.; 9, 20. 21. Sap. 11, 34. Sap. 9, 13.; 13, 1. Sap. 6, 1. Ep. I. Cor. 2, 13. Sap. 1, 13. II. Cor. 9, 7. Eccli. 35, 11. Gal. 3, 9. Eccli. 44, 20. Ephes. 6, 13. Sap. 5, 18—20. I. Tim. 6, 9. Eccli. 11, 10. Ep. ad Hebraeos 1, 3. Sap. 7, 25. 26.; 11 34. seq. coll. I. Mach. 2, 59. 60. II. Mach. 1, 56. 5, 27. 6, 19. et passim. A Paulinis ad Catholicas epistolas transeuntes, inprimis s. Jacobo ubique fere effata singulatim Librorum horum V. T. observabantur. Cf. 1, 2—4. Eccli. 2, 1—5. 1, 5. Sap. 8, 21. 9, 6. Eccli. 1, 1. 8. 41, 22.; 1, 6—8. Eccli. 5, 9.; 1, 12. Eccl. 1, 8. 2, 8. Sap. 5, 17.; 1, 13—15. Eccli. 15, 11—20.; 1, 17. Eccli. 39, 33. Sap. 1, 12. seq.; 1, 19. Eccli. 5, 11. seq. Sap. 1, 11.; 2, 13. Eccli. 28, 5. Tob. 4, 9.; 3, 6. 8. Eccli. 28, 9. seq. Sap. 1, 11.; 3, 9. Eccli. 17, 3. Sap. 2, 23.; 4, 6. Eccli. 3, 18.; 5, 3. Eccli. 29, 10.: 5, 4. 6. Eccli. 31, 21. seq. Sap. 2, 20.; 5, 7. Eccli. 6, 19. V. e. I. Petri. 5, 4. Sap. 6, 18.; 5, 7. Sap. 12, 13. Act. 1, 7. Sap. 8, 8. Act. 17, 27. Sap. 13, 6. Act. 17, 29. Sap. 13, 10. et alia. Plura compilarunt: G. J. Henke, de usu librorum apoc. V. T. in N. T. Halae 1714. J. C. Biel, in novo Thes. phil. 1—3. Hagae Comitum 1779. J. F. Schleussner, spicilegium post Bielium. 1, 2. Lips. 1784—6. B. Bendtsen, specimen exercitationum criticarum in V. T. libros apoc. Gött. 1789. J. G. Jenichen, de petenda, quas libri N. T. continent e libris V. T. ap. illustratione. Witt. 1787. C. F. Kuinoel, observationes ad Novum Testamentum ex libr. apoc. V. T. Lipsiae 1794. Eichhorn, Einl. in die Apocr. Gött. 1795. p. 75—202. seq. D. Tobenz, Institution. S. Scripturae. Viennae. 1816. p. 116—325. Hildebrand, Repertorium. I. Meiss. 1825. 2. p. 5, 17. C. G. G. Theile, Comment. in ep. Jacobi. Lips. 1833. p. 46. 47. prol. A. Vincenzi, Sessio quarta Con. Trid. vindicata. Romae 1842. I, 16. s. Stier, die Apokryphen Braunschweig. 1853. p. 18. s. collata eiusdem disquisitione in ephemeridibus E. W. Hengstenberg, Evangelische Kirchenzeitung. 1828. n. 59. 60. p. 465. s. 2) Utique teste Apostolo ad Hebr. 7, 14. e genere Judae Salvator noster natus erat; Hebraei erant Apostoli.

Jesu docebant; praeter miracula, Religionis Christianae veritatem ex Antiqui Foederis oraculis explicabant. Proinde iidem una cum Evangelio populos Scripturas Veteris Testamenti docuere. Sed et in manus Christianorum ethnicorum Libros Sacros V. F. tradidere; eorundem Volumine quocumque iverant, praedicarunt Divinitatem; illa secum per Asiam scilicet Africam atque Europam ferebant. Summa res erat Apostolis, cura maxima non simpliciter has S. Scripturas gentibus, qui eas ignorabant tradere; sed et quomodo se haberent, quoad veritatem et Divinam auctoritatem exponere. Hisce positis si γ. Ecclesias, quas Apostoli fundarunt quaeque Apostolorum literas accipere meruerunt [1], interrogabimus: quosnam Libros S. a suis fundatoribus acceperint? et si in eisdem Scripta omnia Veteris Testamenti, quemadmodum in prisca Graeca Latinaque versione leguntur, invenire continget; tunc dicendum erit: Apostolos gentes docuisse has cunctas Scripturas omnino ceu Divinas recipiendas esse [2].

§. 7. Canon Tridentinus idem cum illo Ecclesiae primaevae e Traditione Universali demonstratur.

Synodus S. Florentina ac novissime S. Tridentina vere decrevit, se in asserendo S. Librorum V. T. Canone „Orthodoxorum Patrum exempla secutam." Nec alterius mentis Graecos schismaticos fuisse, oppido ex infra dictis iquet. Jam vero Ecclesiae Orientalis ac Occidentalis incorrupta constansque Traditio demonstrat: nullum Canonis Antiqui Testamenti esse Librum; le quo probari posset, quod illum Ecclesia e Catalogo Divinaum Scripturarum omiserit vel plane reiecerit.

A coenaculo Hierosolymis egressos Apostolos Spiritu sancto repletos; nte omnes d. Petrum inspiciamus Apostolorum principem, quoque se vertit equamur. S. Petrum redemtionis Jesu Christi causa praedicandae metropolim

[1]) Inter quas maxime consideratu dignae sunt: Ecclesia Romana, Afriına seu Carthaginensis, Alexandrina, Antiochena et Hierosolymitana. Non omnia vero s. s. Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum loca pro singulis sce S. Libris, circa quos Catholicos inter et Acatholicos intercedit controrsia, adducemus, quae sane innumera forent; verum ea unice, in quibus Divinae ripturae, prophetici sermonis, aut huic similibus vocabulis, titulisque usi; rinam iis adeo ac canonicam auctoritatem tribuunt; vel ubi ad auctoritatem gmatum confirmandam iis utuntur. Age videamus!

orbis Romam saepius adivisse, testimoniis multis docuimus. V. H. R. D. N. T. p. 342. s. 452. s. Quid de Scripturis S. V. F. censuerit, prae omnibus discimus e s. Clemente, cuius quanta fuerit in ecclesia antiquissima auctoritas, divus Irenaeus dixit L. adv. haer. III. 3, 3. p. 431. Is in sua ad Corinthios epistola I, — de qua nihil adhuc dubii superest — saepius testimonia ex his controversis Scriptis petit. V. c. Sapientiae 2, 24. 11, 12. 12, 12. Pr. ep. III. XXVII. LV. p. 57. 91. 128. Judithae quoque et Estherae additamentorum meminit. Post Clementem Romanum in ecclesia occidentali in s. Irenaeum incidimus, discipulum s. Polycarpi et aliorum, qui cum Apostolis versati erant. Is in illis, qui nobis supersunt libris adversus haereses Sapientiam 6, 19. 20. IV, 38. 3. p. 702. Baruchum 4, 36, et c. 5. totum V. 35, 1. p. 814. Danielis add. 3, 24. s. IV. 20, 11. p. 631. V. 5. 2. p. 729. Divinae Scripturae nomine et auctoritate allegat. Latinae Bibliorum veterum versionis auctor haud apparet; neque aetas certa habetur, verum tamen si aequo iudicio coniicere velimus, credibile est saeculo secundo ad finem vergente illam esse ortam, — ut suo loco uberius demonstrabimus — in qua communi omnium eruditorum consensione leguntur: Sapientiae, Ecclesiastici, gemini Machabaeorum libri una cum prophetia Baruchi. Sub Severo 222—235. imperatore, christianae doctrinae zelo vigebat: Hippolytus Episcopus portus romani, e cuius genuinis scriptis colligitur, quos s. Bibliorum libros Canonicos habuerit. Ut divinam prorsus Scripturam citat Baruchum c. Noetum. 3, 36. ed. P. A. Lagarde p. 44. eiusdem 3, 36—38. ib. p. 47. Sapient. 2, 1. 12—16. demonst. ad Jud. p. 67. Siracidem 31, 27. ad Graecos p. 84. et. 1, 26. in Psalm. p. 192. Tobiam 3, 17. in Susannae p. 154. Cant. t. puer. 3, 34. Comm. in Dan. p. 186. Dan. 14. εἰς τὴν Σωσάνναν. p. 145. L. L. Machabaeorum laudat de Antechristo II. 9, 9. p. 25. ib. I. 1, 41. p. 30. τῆς τοῦ Δανιὴλ. I. 2, 33—38. p. 163. ib. I. 1, 9. p. 178.

Insigni ratione hoc idem praestitit s. Hieronymus; de cuius sententia plura dicenda erunt. Enimvero qui nobis adversantur, quasi pro se stantibus utuntur s. Hieronymi verbis. Producimus hic locos s. Patris, quibus Divinam controversis Libris auctoritatem tribuit; inferius deinde ostendemus: aut secum ipso s. Hieronymum, quod absit, aut contra nostros adversarios pugnare. Legamus igitur epistolam ad Salvinam ed. Vall. I, 504. de libri Judithae; et epist. ad Innocentium I. n. 9. p. 15. s. de historiae trium puerorum et Susannae auctoritate. Estherae additiones 14, 16. ut Divinae sumuntur epistola ad Demetriadem ib. 972.; eiusdem 14, 11. Comm. in Ezech. XXVI. V. 869. Tobiae 12, 7. testimonio utitur ut Divino, Comm. in Ecclstn. III, 451. Danielis c. 13. producit, in Comm. Is. 3, 2. IV, 48. Sapientiae et Ecclesiastici libris in omni fere commentariorum pagina lector attentus occurrit. Videatur Sap. 6, 7. ad Isa. 1. p. 27. 28. eiusdem ad Mal. 2, 2. p. 955. Sap. 3, 12. in Osee 10, 3. p. 102. Sap. 4, 8. Zach. 14, 9. p. 924. Ecclesiastici 11, 27. ad Is. 65, 17. 18. p. 788. 26, 6. ep. 118. ad Julian. I, 791. 32, 1. ad Ezech. 8, 6. p. 207. Machabaeorum denique historias, sicuti alias Librorum inspiratorum tractat in Zach. 10, 3. p. 872. Idem apparet ex operibus, quotquot nobis supersunt s. Hilarii, eodem fere tempore ecclesiae Pictaviensis episcopi, in quibus sententias ex his libris ut Divinas retulit; et quidem e libro Tobiae prol. in Ps. n. 15. et Comm. in Ps. 129. ed. ben. p. 10. 494. Judithae in Ps. 125. p. 459. Ecclesiastici in Ps. 140. p. 594. Sapientiae in Ps. 127. p. 480. Mach. 2, 7. 9. l. c. Const. II, 565. 6.

Hucusque de Ecclesiae Latinae testibus quaesivimus, nunc autem Africanas ecclesias consideremus; et de iisdem doctrinam Canonis V. T. sedulo inquiramus. Tertullianus vetustissimus sane testis, qui labente saeculo Christi secundo, et ineunte tertio vixit Libris illis controversis, ut ceteris S. S. promiscue utitur. E. g. Susannae historias veluti Rebeccae enarrat, de coron. mil. 4. ed. Leop. I, 189. Judithae, de monogamia. n. 17. II, 134. Siracidae verbis 15, 18. loquitur de exhortat. cast. 2. II, 99. De ieiunii effectibus c. 7. disquirit laudando Dan. c. XIV. II, 187. Sapientiae principium 1, 1. summit de praescr. haeret. III, 6. Contra Judaeos disputans N. 4. e. c. IV, 299. I. Mach. 2, 41. s. historias disertis verbis commendat. Eandem rerum faciem exhibent scripta s. Cypriani, episcopi Carthaginensis, qui Danielis additamenta Scripturam S. ponit ep. 58, 5. ed. Goldh. I, 129. de orat. dom. 21. II, 167.; de oper. et eleem. 5. II, 227. Tobiae test. 3, 1. 6. 62. II, 62. 65. 92. de immort. 11. II, 180.; Ecclesiastici de op. et eleem. 2. II, 2. 226. Sap. ep. 55. I, 115. exhort. ad mart. 1. II, 193. Machabaeorum ep. 58, 6. I, 129. exhort. ad martyr. 11. II, 205. 206.

Aliis autem testibus Africae hoc loco dimissis; s. Augustinus audiatur, e quo excitabimus locum, in quibus Divinorum Librorum Canon — fatente id ipsum C. A. Crednero viro acath. Geschichte des neutestamentalischen Kanon ed. G. Volkmar. Berlin 1860. p. 275. — idem prorsus ac ille Oecumenici Concilii Tridentini habetur. Locus hic classicus reperitur l. de doctrina christ. II, c. 8. ed. Bruder. 39. 40. dignus, quem hic exscribamus: „*Totus autem Canon Scripturarum his libris continetur: quinque Moyseos, id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; et uno libro Jesu Nave, uno Judicum, uno libello qui adpellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere, deinde quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon, non consequentibus sed quasi a latere adiunctis simulque pergentibus. Haec est historia, quae sibimet adnexa tempora continet atque ordinem rerum. Sunt aliae tanquam ex diverso ordine, quae neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job et Tobias et Ester et Judith et Machabaeorum libri duo et Esdrae duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde prophetae, in quibus David unus liber Psalmorum, et Salomonis tres: Proverbiorum, Cantica Canticorum et Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; nam Jesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur — Retract. II, 4, 2. Op. I, 43. de scriptore libri Sapientiae hoc iudicium emendat, atque quis sit auctor Sapientiae dicit, non adparet. —; qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophetae adpellantur: duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam seiuncti sunt, pro uno habentur Prophetarum, quorum nomina sunt haec: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; deinde quatuor prophetae sunt maiorum voluminum: Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Testamenti Veteris terminatur auctoritas. In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti quaerunt voluntatem Dei.*“ Canone s. Augustini per integrum apposito, disquisitioni, quomodo Scripturis Sacris controversis usus sit, supersedere possumus. Mox vero sermo redibit: docueritne s. Augustinus, ut quidam volunt, alium esse Divinum, alium Ecclesiasticum Canonem, qui divinus non sit? Visuri sumus p. 32. s., si

aliquando s. Pater quandam cessionem fecit; hac solum doctorum et apologetarum leges, quas observare oportuit, respexisse: ne S. Scripturis argumentando, quas tunc temporis respuebant Judaei et haeretici, actum ageret.

Ecclesiae Aegyptiacae sive Alexandrinae testes advocamus: Clementem Alexandrinum, cuius auctoritas pariter pugnat pro Canonicitate horum librorum. Ita Dan. 3, 55. legitur in eiusdem ex scripturis proph. eclogis ed. Potter Ven. II, 989. Judithae 8, 27. Strom. 2, 7. I, 447. Tobiae, 12, 8. Strom. 6, 12. II, 791. Sap. 7, 8. ib. 6, 11. II, 787. et 2, 22. ib. 6, 12. II, 788. Ecclesiastici 21, 23. atque 15, 20. Paed. 2, 5. I, 196. Item Eccli. 9, 9. Strom. II, 7. I, 201. Maximum vero ob eximiam Literarum Sacrarum peritiam sententiae nostrae veritati pondus confert: Origenes, e cuius tamen scriptis aliquos locos enotasse sufficiet. Ita Cant. III. puer. l. de orat. n. 14. ed. Lomm. XVII, 143. Dan. 13, 22. 23. hom. I. in Lev. IX, 173. Dan. XIV. exhort. ad mart. XX, 278. Esth. add. Sel. in Ps. XII, 228. Tobiam ep. ad Afr. n. 13. XVII, 43. de orat. n. 11. ib. p. 124. l. V. con. Cels. c. 19. 29. XIX, 196. 217. Juditham comm. in Ev. Joann. 2, 17. I, 132. Sel. in Jer. XV, 447. Ecclesiasticum, com. in Mtth. 12, 22. III, 168. hom. 6. in Jer. n. 12. XV, 180. ad Rom. 10, 43. VII, 456. Sap. 7. ad Rom. 6. ib. p. 158. cont. Cels. V, 29. XIX, 217. Machabaeorum libros de Princ. 2, 5. XXI, 142. ad Rom. 4, 10. VII, 305. in Joann. 10, 22. I, 355. ib. 13, 51. II, 120. Ceterum praeclaram Origenis pro partibus Libri Danielis ab Africano in dubium vocatis apologiam, narravimus H. R. D. V. T. p. 492. s. S. Athanasius aeque Traditionis doctrinae obsecutus, in suis dogmaticis scriptis contra Arianos e nostris Scripturis dicta probantia eduxit. E. c. Dan. 13, 42. or. I. c. Arian. n. 13. ed. Par. I, a. 417. Baruchi 3, 10. 5, 13. de Trin. 19. I, b. 978. Sapientiae 13, 5. or. II. c. Arian. I, a. 500. Ecclesiastici 15, 9. epist. ad Eppos. Aegypti et Lybiae n. 3. I, a. 272. et 2, 1. in Ps. 117. I. b. 1204. Tobiae 3, 7. apol. c. Arian. 11. I, a. 133. Machabaeorum in Ps. 78. I, b. 1144. Dignus est, qui laudetur etiam s. Cyrillus Alexandriae Episcopus; iste scripta nostra allegat in Commentariis suis. E. c. Machabaeos in Julian. c. I. ed. Aub. III, 201. Baruchi c. 3. Comm. in Is. lib. I. or. 4. II, 103. Sapient. 1, 3. ad Is. l. 5. tom. 3, II, 803. Ecclesiastici c. 10. Com. eiusd. l. I, I, 1. p. 18. s. l. II. t. V. ib. p. 319.

Eadem auctoritate donata fuere Biblia universa Veteris Testamenti in ecclesia Syrorum orientali et occidentali. Discimus id e s. Ephraemo cuius libri testatum faciunt, haec quoque scripta, ab Acatholicis perperam spreta, ut divina recepta fuisse. Ita Danielis 13, 33. allegat l. a. impud. ed. gr. Rom. III. 60. et Par. 45. de timore Dei e. g. 2, 168. Dan. c. XIV. P. de patientia gr. I. III, 92. Juditham Comm. ad Ezech. 32, 27. ed. syr. Rom. 2, 193. Ecclesiastici 2. Par. 29. gr. II, 118. Ei. 25. syr. II, 325. Ecclesiastici. 6. de secundo adv. gr. III, 100 Sap. 4, 7. in illud attende n. 4. gr. 1, 241. E. 2, 21. Op. g. 3, 458. Machabaeorum II. 3, 1. in Daniel. proph. 8, 11. syr. 2, 218. I. 28, 39. ad Dan. 12. ib. p. 231. Vi natalium Antiochiae huc referendus est: S. Joannes Chrysostomus, qui Dan. 14, 1. 2. ut Divinam prorsus Scripturam explicat Interp. Dan. ed. Ben. Par. rec. 6, 294. Dan. 3. puer. cant. exposit. in Ps. 113. 5, 352. Tobiae 4, 7. ad Hebr. hom. XIII. 12, 197. Esther. 14. c. hom. III. ad popul. Antioch. n. 2. 2, 45. Baruch. 3, 36. 38. in S. Phocam mart. 2, 847. Sapient. 14, 3. hom. XI. in Gen. 4, 101. Ecclesiastici 16, 3. hom. XXXIX. in Gen. ib. 460. L. L. Machabaeorum homil. 1—3. in Machab. II, 743—754. Theodoretus laudat Sap. 4, 14. explan.

in Cant. C. ed. Schulze 2, a. p. 5. Ecclesiastici 2, 11. Com. in Dan. 1, 9. ed. S. 2, b. p. 1072. Machab. I. et II. ad Dan. 8, 9. 11, 31. ib. 1217. 1283.

Tandem Scripturarum istarum Canonicitatem vindicant ecclesiae Hierosolymitanae testes S. S. Apostolorum aetati proximus Athenagoras, in sua legatione pro Christianis ed. Maur. Ven. 1747. p. 304. n. 9. prophetiam Baruchi 3, 36. contra gentiles veluti inspirati scriptoris vocem excitat. Nec aliter Eusebius Caesareae in Palaestina episcopus, qui Demonstrat. evangel. l. XVI, 19. ed. R. M. Col. 1688. p. 294. 5. inter prophetias de Messiae adventu recenset Baruchi c. 3. Praeclarum de auctoritate L. Sapientiae exhibet testimonium Comm. in Ps. 37. ed. Montfaucon Par. 1707. Sap. 1, 4. p. 159. Sap. 2, 24. Praep. Evang. l. XIII. 3. ed. Vig. Col. 1688. p. 647. 13, 5. in ps. 78. p. 71. 14, 12. praep. ev. I, 9. p. 30. Ecclesiastici 1, 33. in Psal. inscr. p. 1. 3, 20. in Ps. 69. p. 390. L. L. Mach. in Ps. 78. I. 1, 21. Dem. l. VIII. p. 393. Libros hos ceu Divinos sumit quoque S. Cyrillus Hierosolymitanus; sic Catechesi XII. Sap. 2, 24. ed. Ben. Ven. p. 165. Cat. IX. Sap. 13, 5. p. 127. ib. n. 16. p. 133. Cat. VI. n. 4. Ecclesiastici 3, 22. Cat. XIII. n. 8. Eccli. 4, 36. p. 187. Cat. XI. n. 15. Baruch 3, 36. p. 156. Cat. XII. n. 4. Baruch 3, 38. p. 165. allegat. S. Epiphanius e Phoenicia oriundus, ut Divinam Scripturam citat: Eccl. 3, 22. in Ancoratu c. XII. ed. D. Petavii Par. II, 17., et contra Basilidianos, haer. XXIV, 6. Eccl. 7, 1. ed. cit. I, 72. In eodem Ancoratu c. II. Sap. 14, 11. p. 7. Auctoritate utitur, et haer. LXIV, 36. Origin. Sap. 3, 1. testimonium veluti Scripturam Sacram in sui dicti confirmationem colligit. Idem facit allegando Ancor. XXIII. p. 20. Canticum trium puerorum; haer. Noet. LVII, 2. Baruchi 3, 36. expos. fid. Cath. n. XVI. Baruch 3, 38. I, 1098. loca adducit. Denique addendus videtur adhuc e P. Graecis S. Basilius ubi Estherae utitur c. 14, 11. c. Eun. II. ed. Par. rec. 1, 360. Dan. 13, 50. Com. in Esaiae 8. I, 637.; 14, 83. Libr. de Spir. S. 23. 3, 64. Judithae c. 9. ib. 8. p. 23. Sap. 6, 7. comm. Es. c. 3. 1, 653. Sap. 1, 4. ad Eun. V. 1, 445. Ecclesiastici 21, 2. quod mundo adhaer. non sit 2, 231. 32, 24. Reg. 48. 2, 252. Tob. 2, 2. 12, 7. 14. de cons. in adver. 2, 993. Bar. 3, 36. adv. Eunom. IV. 1, 417.

Atque ita a recensendis s. Patrum et Scriptorum locis, quibus Divinam controversis libris auctoritatem tribuunt desinimus. Idem iam olim fuse praestiterunt: Humfredus Hodius, de Bibliorum textibus originalibus, Versionibus raecis et Latina Vulgata. Oxon. 1705. p. 646. s. J. Blanchini, Veronensis presb. ongr. Orat., Vindiciae Canonicarum Scripturarum. Romae. 1740. praef. p. 5. s. erhardus van Mastricht, Canon S. S. secundum seriem saeculorum N. T. collectus otisque illustratus, in Bibl. hist. ph. th. cl. Amstel. 1733. f. VII. Khellius, auctoitas utriusque L. L. M. M. p. 15—44. Anonymus — Jordanszky, E. M. Strig. an.? — Dissertatio de divina auctoritate Deuterocanonicorum utriusque Testamenti . L. Jaurini 1819. p. 24—146. Welte, h. k. Einl. p. 30—41. Malou, das Bibelsen I, 75. s. Reusch, Einl. p. 159. s. T. J. Lamy, Introd. in S. S. Mechlin. 866. I, 24. s. A. Vincenzi, Sessio quarta. I, 25—171.; et isti quidem quod ad agiographa V. T. attinet. Quod vero ad Novum Testamentum attinet: C. Fr. nidius, Historia antiqua Canonis s. Veteris Novique Testamenti. Lips. 1775. 285. seq. J. Kirchhofer, Quellensammlung zur Geschichte des Neutestamenthen Canons bis auf Hieronymus. Zürich. 1844. P. Ballerini, Institutiones aeliminares in S. Scripturas V. et N. T. Mediol. 1849. p. 109. s. D. B. Hanerg, E. R. Leben Jesu beleuchtet. Regensb. 1864. p. 48. s. Const. Tischendorf,

wann wurden unsere Evangelien verfasst. Leipz. 1865. p. 6. s. C. J. Riggenbach, die Zeugn. f. d. Ev. Joh. Bas. 1866. p. 43. s.; quorum laboribus aliquid hac nostra opella accessisse speramus, in qua dolemus nos non semper e praeclarissimis, quos novimus, editionibus Testimoniorum syllabum excerpere potuisse.

§. 8. Idem vindicatur e Decretis Synodicis primorum saeculorum.

Hucusque quinque primorum saeculorum a natalibus D. N. J. C. audivimus seorsim testimonia, nunc maximi momenti erit investigare: quid Conciliorum decretis et literis encyclicis summorum Pontificum hac de re „dogmatice", ut dicunt, definitum fuerit. Reiecto omnium fere iudicio, inter suppositos Canone S. S. V. F. qui vulgo inscribitur „Apostolorum" — Cf. Cotelerii, P. A. I, 429. II, 10. s. Drey, n. Unters. ü. d. Const. und Can. d. Ap. Tüb. 1832. p. 235. Hefele, Conciliengesch. I, 800. — n. LXXXV. ed. Cot. I, 453; relinquitur ut illa sit vetustissima Canonis definitio, quae facta est, iuxta s. Hieronymum, praef. in librum Judith, in Synodo Nicaena. Sanctus Doctor, a quo ut ipsi gloriantur Acatholici, nacti sumus regulam discretionis Librorum Canonicorum, l. c. de volumine Judithae scribit: „hunc Librum legitur Synodus Nicaena in numero Sanctarum Scripturarum computasse." Et istud quidem Testimonium d. Hieronymi — ut eruditissime confecit Joannes Chrysostomus a s. Josepho, de Canone s. Librorum constituto a sanctis Patribus in magno Concilio Nicaeno. Romae 1742. p. 30. s. — pro sententia evincenda Synodum Nicaenam de Canone S. Literarum decrevisse, admittitur ut monimentum locupletissimum. Enimvero s. Hieronymus fuit concilio Nicaeno si non aetate suppar, certe proximus; illius autem Acta omnino perlegit. In illis quidem Actis huius Concilii, quae hodie supersunt, decretum istud non legitur: sed cum in Synodum Carthaginensem III. — de quo mox v. — derivatum fuerit: certe ad Concilium Nicaenum referendum est.

Excipit hunc vetustissimum Scripturarum catalogum numero ultimus. s. LX. — apud Beveregium, Pandectae Can. Oxon. 1672. I, 481. — synodus „Laodicenae" quem sub Nunnechio Phrygiae Pacatinae metropolita duo super triginta episcopi condiderunt — anno 343—381. secundum verisimiliorem, non tamen certam eruditorum sententiam v. Beveregii, Συνόδικον sive Pandect. II. p. 193. annot. Hefele, Conciliengesch. I, 724. —. Recensentur hoc Canone viginti et duo Libri quos hodie Judaei retinuerunt; quin tamen reliqui reiiciantur. Atque Canonem istum velut fortissimum vallum nobis obvertunt adversarii; vel ideo quod a concilio Trullano posthac fuerit approbatus. At vero Canonis huius fidem in dubium vocaverunt viri eruditi: Khell l. c., p. 69. Herbst, Tüb. theol. Quart. 1823. p. 44. Vincenzi, I, 189. et Malou, II, 83. Nunc C. Pitra, l. s. c. p. 508. catalogum istum mancum habet, quia in codice Vaticano additur liber Judith. Verum sint haec sane ita; sit hic LX. Canon Laodicenus sincerus; non alia certe auctoritate factus haberi potest, quam ea quae venire potest ab aliquot episcopis, iisque magnam partem ab Ecclesia Catholica alienis. Vide Pagii, Crit. Bar. ad an. 315. n. 25. ed. Luc. 1738. III, p. 589. Si heterodoxi approbationem

Quini — sextae synodi sibi favere putant, eandem et nobis favere concedere ultro urgentur; quod eadem canone II. non minus etiam Carthaginensis concilii decreta approbaverit.

Succedunt Concilia Ecclesiae Africanae; frequentissima habita esse in Africa Concilia, eorumque acta vel ipsa multitudine sua, et etiam aerae qua signabantur, difficultatis aliquid continere, inter omnes constat. Ternis vicibus de Divinorum Voluminum numero quaestionem fuisse Africanis Patribus, ex transmissis eorum ad nos actis, — quae pro more suo diligentissime eruerunt F. Ballerini, Vol. III. Op. S. Leonis M. ed. Ven. 1757. p. 78. s. p. 98. s. — intelligimus. Primum nempe in Concilio Hippone-regio celeberrimo anni 393, quod Africanae disciplinae fundamenta iecit, atque a s. Augustino — Retract. I, 17. Oper. I, 27. Cf. Cuperum S. J., in Act. Sanct. Bollandi M. Aug. VI, 429 — „plenarium totius Africae concilium" vocatur; editus est Canon XXXVI., qui de S. S. statuit: „*Ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth. Regnorum libri quatuor. Paralipomenon libri duo. Job. Psalterium davidicum. Salamonis libri quinque. Duodecim libri prophetarum. Esajas, Jeremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, Judith, Hester, Hesdrae libri duo, Machabaeorum libri duo.*" Putarunt quidem nonulli recentiorum scriptorum, duos Machabaeorum libros inter Scripturas Canonicas non fuisse recensitos in hac synodo; nec in Carthaginensi III. 397.; sed solum in Carthaginensi VI. a. 419. habita tempore Bonifacii P. At hos quoque Libros in synodo Hipponensi fuisse inter Canonicos descriptos, probarunt Ballerini, l. c. nota ad h. c. Imo codex mss. vetustissimus ab Harduino ad cod. can. Eccl. Afr. XXIV. adductus Pithoeanus I, 878., eosdem suo loco in Synodo Hipponensi exhibet. *Dubium* porro esse nequit inter acta Concilii Carthaginensis III. anni 397, catalogum hunc ipsum Divinarum Scripturarum — qui idem est ac ille quem Concilium Tridentinum tradidit cum ceteris XXXVIII. fuisse repetitum; ita volentibus illis Patribus, ne eorumdem memoria aut disciplina unquam excideret. Vide Mansi, III, 892. apud quem Concilii Carthaginensis tert. cap. XLVII. in haec verba desinit: „Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis ·arum partium episcopis, pro confirmando isto canone innotescat, quia a patribus – sc. Nicaenis quorum definitiones ex exemplaribus per Caecilianum allatis nove-unt — ista accepimus in ecclesia legenda." Sed hoc additamentum eruditis hoc ›co praepostere positum esse habetur; et transferendum ad serius concilium 'arthaginense videtur, ubi idem catalogus recitatus est; — nam in certis. t l. c. dicit Mansi, exemplaribus dicitur esse Carthaginensis concilii celebrati ›st XII. Honorii Consulatum, et Theodosii octavum. — a. 419. v. 420., qui nni currunt sub Bonifacio Papa. Ut adeo catalogus noster e concilio Nicaeno aliquam Africae sub Caeciliano Synodum, hinc in Hipponensem, et :inde inter decreta Carthaginensia traductus fuerit. Plura de istis Conciliis periuntur apud Welte, über das kirchl. Ansehen d. d. k. Bücher, in ann. Tüb. ıartalschr. 1839. p. 268. s.

Omisso Damasi P. catalogo — d. q. v. Thiel, de decret. Gelasii p. 15. 21. transeamus ad rem saeculi quinti. Exsuperius episcopus Tolosae in ıllia, datis literis ad Innocentium I. P., eum de rebus variis consuluit, in quibus am de Canone Divinorum Bibliorum; cui ep. VI. n. 7. — ed. Epistola-

rum Pontificum Romanorum ex rec. P. Constantii. Gott. 1796. cur. Schönemann p. 545. — sic respondet Innocentius: ut indicem annexum mitteret Librorum Sacrorum, in quo iidem Libri Sacri, etsi non eodem ordine, recensentur; quos in Conciliis Africanis consignatos invenimus, quosve subinde Concilium Tridentinum enumeravit. V. e. epist. Nicolai I. ad universos episcopos Galliae 865. apud Hard. V. 592., in qua ad hanc sententiam s. P. Innocentii provocat. Anno circiter 496. Romae a Gelasio Papa cum LXXII. episcopis coactum est concilium „de libris recipiendis“, atque ex eius sancito decretum de Scripturis Canonicis — apud Mansi VIII. 156., ubi vide vindicias p. 171. coll. Khell, Auctoritas etc. p. 94—106. — emanavit; quod eosdem cum Africanis et Innocentio I. R. P. refert Libros Veteris Testamenti.

Ut tandem Ecclesiae graecae quoque memoriam iniiciamus, primas Ecclesias Graecas Libros omnes, quos recepit Ecclesia Latina, velut Divinos reveritas fuisse, e serie testimoniorum Patrum et Scriptorum Graecorum quae produximus p. 24. s. luce meridiana clarius patet. Sed et eandem fidem deinceps quoque apud Graecos perennasse docet conciliabulum Constantinopolitanum „Trullanum“ a. 692. — apud Mansi XI, 939. s. — quod Afrorum Canonem S. S. repetiisse et recepisse comperimus. Cf. Hefele, das protest. Bisthum Jerusalem, in ann. Tüb. Quartalschr. 1843. p. 570. s. Denique idem fecerunt Photius, in syntagmate canonum tit. III, c. 2. s. ed. Migne. Op. IV, 589. s. Zonaras et Balsamon, Beveregii, Pand. I, 549. Post factam in Concilio Florentino 1439. Graecorum reunionem, Eugenius IV. P. edidit decretum pro Jacobinis, cum insertione decretorum pro Armenis et Graecis; quo inter alia l. c. s. Librorum Canonem texit, qui eosdem continet Libros, quos canon Concilii Hipponensis, Carthaginensis, Innocentii I., atque Gelasii comprehendit. Apud Harduinum IX, 1024.

Concilium vero Tridentinum, ubi videret Ecclesiam ab insurgente errore etiam in eo accusatam; quasi in Canonem admittat Libros non Divinos, haud uno primitivae Ecclesiae exemplo edocta, Sessione IV. sic decrevit de Canonicis Scripturis. Profitetur primum s. Synodus, se pari, qua Traditiones a Christo vel a Spiritu S. dictatas, pietate ac reverentia suscipere omnes Libros Veteris et Novi Testamenti; cum utriusque unus Deus sit Auctor. Deinde addit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur, esse sequentes: „*Testamenti Veteris quinque Moysis, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum; duo Paralipomenon; Esdra primus et secundus qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum primus et secundus.*“ Hac in serie non solum recenset omnes V. T. Canonicos, sed et sic dictos deuterocanonicos quoque libros, nullo prorsus admisso discrimine interserit protocanonicis; velut eiusdem omnino cum his divinae auctoritatis. Insertis denique L. L. decretum concludit: „*Si quis autem libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in vetere Vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non receperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contemserit, anathema sit.*“ Unde rursus sequitur, quod Libri V. F. a quibusdam in dubium vocati non „hoc ipso decreto — ut scripsit

F. H. Reinerding, Theologiae fundamentalis tractatus duo Monast. 1864. I, 268. — in Canonem sunt relati." Repudiatum fuisse a Concilio omne inter enumeratos Libros Sacros discrimen testatur Card. Pallavicinus, Vera Concilii Tridentini Historia. Antv. 1670. I, 573. narrans: inventos fuisse theologos — Bertanum et Scripandum, — qui voluissent sacros Libros in duas partes duce Melchiore Cano, de locis theol. I, 9. ed. Patav. 1727. p. 31. s. partiri. Tamen addit Pallavicinus: quia divisio haec firmam rationem non praeseferebat, nec sua specie patres allexit, vix nacta laudatorem. Proinde Ecclesia in Concilio oecumenico congregata — uti generatim in quocumque alio priore — Tridentino „nullo modo fecit Libros Canonicos de non Canonicis, sed tantum declaravit, quis sit habendus Canonicus; et hoc non temere, nec pro arbitratu, sed ex Veterum testimoniis." Quemadmodum praeclare exposuit Card. R. Bellarminus, de Verbo Dei I, 10. ed. Ingolst. p. 52. Hinc recte etiam hoc infertur Ecclesiae declaratione non effici Librum Divinum, qui antea divinus non erat — ut vult Haneberg, Offenbarungsgesch. p. 787. — ; sed Liber in se ipso iam Divinus per Ecclesiae testimonium nobis fit manifestus ut „inspiratus." Nec Verbum Dei eget declaratione, sed nos eadem egemus, ut pateat in nostros usus, quod et ubi sit Verbum Dei! Bene itaque ex aequo sapienterque Tridentini Patres controversos Libros Canonicis accensuerunt; legemque tandem statuerunt fidelibus, ut quam pia ac diuturna universorum a Christo saeculorum, omniumque per christianum orbem Ecclesiarum Traditio et Decreta sanciverant: Divina auctoritas debitaque Verbo Dei scripto fides iis etiam Libris haberetur, quos praetensa Reformatio in exilium misit. Eadem porro Sacrosancta Synodus ex primitivae Ecclesiae more, anathema addidit contra eos, qui huic Concilii decreto pertinaciter obniti deinceps ausi fuerint.

Huius rei veritatem denique non leviter indicat sensus Ecclesiae Graecae, quae quamvis vetusto schismate a Romana s. Petri cathedra rescissa sit; ubi advertisset in Cyrilli Lucaris Patriarchae Constantinopolitani „orientalis ecclesiae Confessione," circa avitam de Divinis Scripturis doctrinam quidpiam innovatum esse, eandem novi ausus accusavit; et in synodo Hierosolymitana a. 1672. cap. XVIII. q. 3. sequentem protestationem edidit — apud Hard. XI, 258. —: „Ecclesiae Catholicae regulam sequentes, Sacram Scripturam eos omnes appellamus libros, quos ab Laodicena Synodo Cyrillus, ipso quidem corrogante, probatos recenset, iis insuper additis, quos insipienter, inscite, aut magis malitiose vocavit apocryphos. Sapientiam videlicet Salomonis, librum Judith, Tobiam, Draconis historiam, historiam Susannae, Machabaeos, et Sapientiam Sirach. Hos enim cum ceteris genuinis Sacrae Scripturae libris, ceu germanas eiusdem Scripturae partes, censemus esse numerandos." Tandem pulcherrima expositione J. Blanchini, Vindiciae Canonicarum Scripturarum Vulgatae latinae editionis. Rom. 1740. praef. p. 40. s. Al. Vincenzi, l. c. II, 113—122. J. S. Northcote, die röm. Katakomben. Köln. 1860. III, 93. s. e vetustissimis picturis, sculpturis et numismatibus auctoritatem divinam Librorum in Canone Acatholicorum omissorum comprobatum iverunt. Canonis igitur Veteris Testamenti auctoritas per successionem Apostolorum, Episcoporum, Conciliorum roborata est. Nos autem verbis s. Augustini, contra Faustum XIII, 18. VIII, 264. confiteamur: „ad commemorationem fidei nostrae libros Patrum et

Conciliorum legimus alterutris vocibus sibi concinentes; et ea concinnentia tanquam coelesti tuba, ad palmam supernae vocationis nos extendentes."

§. 9. Peroratio qua variis exceptionibus adversariorum occurritur.

Libet iam ex triplici hoc Testimoniorum genere; quorum primum loca S. S. Novi Testamenti; alterum Traditio Universalis; tertium Decreta synodica constituunt; aliqua inferre Corollaria, quae seriem demonstrationis nostrae perpendenti planissima erunt. Patet 1. Sanctorum Patrum, Scriptorumque E. in recensendo s. Librorum V. T. Canone aliqua discordia, quam neque negamus neque dissimulamus. Aliquid s. s. P. P. et S. E. in aestimanda „Canonis hebraicae veritatis" auctoritate — quo nomine apud Veteres intelligenda veniunt Instrumenti Antiqui volumina duo supra viginti hebraice exarata. — differre damus; neque ignoramus ipsum d. Hieronymum, — in prol. galeato; praefat. in ll. Salomonis et aliis locis, quos passim iam illustravimus — atque s. Augustinum — de Civit. Dei XVIII, 36. II, 278. — nomine „Ecclesiastici Canonis" quandam inter s. Libros V. F. distinctionem facere. Unum e pluribus s. Augustini locis audiamus. „Ab ... restituto templo ... inquit l. c. ..., supputatio temporum non in Scripturis Sanctis, quae Canonicae adpellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt et Machabaeorum libri, quos non Judaei sed Ecclesia pro Canonicis habet." Verum considerandum est, docuerintne s. Hieronymus et Augustinus, alium esse Divinum, alium Ecclesiasticum Canonem, qui Divinus non sit? Quantum ad illud primum animadvertimus: aliter s. Hieronymum in prologis suis, qui versioni praefiguntur; aliter quin opposite omnino alias locutum. Varius hic s. Doctoris de S. Librorum auctoritate, non animus, sed sermo; diverso tempore, argumento, adversariis accommodatus; potiori iure Tridentino, quam acatholico Canoni suum fert suffragium. Enimvero s. Pater, quoties de versione sua, aut versionis suae causa dixit, quod in S. Librorum prologis necesse fuit; Hebraea veritate, sive Canone tunc Hebraeis recepto utitur; non quasi idem quod Hebraei sentiret ipse: verum ut hac ratione Hebraeos ea doctrina, qua s. Codicis sui argumentum circumscribebant, convinceret; atque Ecclesiam a Judaeorum reprehensione et calumniis tutam praestaret. Quemadmodum Tridentinum Bibliorum Canonem non excludunt, qui nostrorum temporum haereticis illum non opponunt; ita nec Nicaenum sive in genere Ecclesiae Canonem S. Hieronymus, quando uno vel altero loco de illo tacet, explodit. Sane quae fuisset verae fidei doctorum industria, si cum Judaeo aut haeretico forte disputantes adhibuissent eiusmodi argumentum; quod uno verbo adversarii refellere poterant reponentes: eiusmodi libri testimonium non habere auctoritatem, eo quod non esset in Canone Hebraico. Quod ad secundum attinet; frustra et confidenter iidem novatores provocant ad citatum locum s. Augustini. Sit ipse Praesul Hipponensis verborum suorum interpres, de Civ. Dei XVIII, 43. p. 289.: cum hanc de divinitate s. Literarum regulam praescripsit: „quidquid est apud Septuaginta, in hebraeis autem Codicibus non est; per istos ea maluit, quam

per illos, idem Spiritus dicere." Ac propterea Machabaeorum libros, quos insuper Ecclesia suscepit „Canonicos" adpellat, de Civ. Dei XVIII, 36. p. 279. Quidne adeo parum conscium dictorum suorum s. Augustinum quis dixerit, ut „Canonici" vocabulum ea usurparet significatione, cui communis aestimatio reclamaret? Imprimis cum s. Doctor, de doctr. chr. II. 8, 13. p. 39. S. Scripturae studioso praecipiat: „in Scripturis Canonicis Ecclesiarum Catholicarum, quam plurium auctoritatem sequatur." Aliquid nascentis Ecclesiae tempore certe hac in re dandum fuit Judaeis, ac discolis hominibus; ne s. Patres et S. E. calumniari possent, obtrudi sibi Libros, quos Lex Antiqua non recipit. Nec alia igitur inter Machabaeorum libros, aliosque θεοπνεύστους oppositio affingenda s. Augustino; nisi qua veram Novae Legis Ecclesiam reprobae iam Synagogae, temporis sui Judaeorum menti; Christianorum sententiam opponit. Quodque sententiam nostram amplius confirmat, est testimonium q. d. p. 25. l. II. de doctr. christ. c. 8. ad quod licet s. Augustinus l. II. Retract. c. 4. n. II, 43. post triginta pene a scriptis de doctrina christiana libris respexerit, et verba sua singula religiose discusserit; nil tamen uspiam in sua hac, quam de quadraginta et quinque S. Voluminibus Canonis A. F. prodidit, sententia immutavit. Haec sufficiant de s. Hieronymo et s. Augustino; quorum, ut patet, circa Canonem V. F. una mens ac sententia fuit. Obiiciunt quidem 2. adhucdum indices Melitonis Sardensis ecclesiae episcopi, item Origenis nec non s. Epiphanii; ut fortissima pro iudaico Canone argumenta. Quid vero insigne prorsus habeant istorum S. P. et S. E. verba non videmus. Melito in Judaeam excurrisse se narrat, apud Euseb. Hist. eccl. l. IV. c. 26. p. 149.; ut V. T. Libros S. disceret, eorumque indicem Onesimo fratri misit; qui l. c. legitur, atque ommisso libro Estheris, libros V. T. hebraicos continet. Quid de censu S. S. V. F. Episcopi Sardensis sentiendum sit? satis innuit Melito ipse, cum iter suscepisse narrat in Palaestinam — v. Ferd. Piper, Melito p. 9. — ut in Libros V. F. curiosius inquireret; proinde secundum Judaicam eorum temporum persuasionem sciscitanti responsum fuisse, atque illos modo Libros veluti Divinos traditos, qui Judaeorum opinione recepti erant, dubitari nequit. Verum ceteroquin Episcopum Canonem non ab Hebraeis in Palaestina; sed ab ipsis Ecclesiis Apostolicis discere debuisse constat, inter quas Romanam datam sibi certissimam veritatis magistram ignorare non potuit; unde non mirum Melitonem in aliis quoque fidei capitibus in graves errores incidisse. Sed adversarii ex eodem Eusebio Hist. Eccl. VI, 25. p. 225. Origenis de Canone Librorum V. T. sententiam producunt. Illud in confesso est, c. l. nonnisi Libros hebraicos enumerari veluti Canonicos. Non tamen inde sequitur, Origenem reliquos Libros extra Canonem posuisse. Observatione praeterea dignissimum est: Origenem conceptis verbis eo loco enuntiare: se Hebraeorum Canonem referre. „Sunt inquit autem XXII. libri iuxta Hebraeos hi"; et rursus „sicut ab Hebraeis" traditur. Suam vero mentem aperuit in epistola ad Africanum, quam laudavimus H. R. D. V. T. p. 492. s.; in qua diserte etiam explicat, quam ob causam Judaeorum Canonem scriptis suis consignatum voluerit; ut videlicet Christi fideles, qui cum Judaeis sui temporis pugnant, erudiret, quibus eos armis impetant. S. Epiphanius autem ternis locis Librorum Sacrorum A. T. catalogum referens id unum agit, ut Judaeorum sui temporis de Libris s. sententiam enarret. Ipse uti alibi vidimus utrisque hebraeis et graecis L. L. S. S. V. F. eandem tribuit auctoritatem, utpote dictante Spiritu S. conscriptis. Doctrinam S. P. et S. E.

de Scriptura elucidavit A. A. Touttée m. Ben. C. s. Mauri, diss. III. 13, 98. s. de doctrina s. Cyrilli Hier. p. 241. s., quem adeat qui hac de re plura scire avet.

Quae cum ita sint: exstitisse aliquando inter Judaeorum Graecorum atque Hebraeorum Canonem S. S. differentiam, in dubium vocare nos idonea argumenta monuere; sed et testimonia persuasere. Interim fatemur, haud unquam definire aliquem posse, quo tempore Judaei Canonem illum, quem ex supra allegatis testimoniis novimus, remotis illis, qui praeterea in Canone Ecclesiae Catholicae continentur Libris, defixerint? Hoc fit saepe, ut τὸ τί certum sit; et διὰ τί lateat, ut prisci iam monuerunt. Cf. a. r. Himpel, in Tüb. Quartalschr. 1862. I, 179. Rem tenemus, modum nescimus. Certe Baruchi librum primis post Christum natum saeculis, in Synagoga recitatum fuisse, ex Constitutionibus q. v. Apostolicis atque s. Ephraemo H. R. D. V. T. p. 449. retulimus. Judithae librum apud Hebraeos inter Hagiographa legi testatur s. Hieronymus, praef. in eundem. Non minus ipsi etiam Judaei librum Ecclesiastici inter Hagiographa numerarunt, ut docet Jos. de Voisin, prooem. pug. fidei ed. Carpzow. p. 125. 126., qui e Gemara et l. l. Tzemach David testimonia huc facientia laudat. Idem l. c. p. 126. 127. 128. loca excitat, quibus Judaei commendant volumina Sapientiae, Tobiae, Machabaeorum. Philonem Scriptis Sapientiae, Salomonis, Siracidae, Tobiae, utriusque Machabaeorum veluti Divinis usum fuisse, probant frequentia loca, quae a celeberrimo operum Philonis editore Mangey congesta reperiuntur. Neque amplius praesentem demonstrationem evertit: fides illa, qua Josephus Libros Sacros a Judaeis servatos affirmat. Aliud certe testantur s. s. Patres et Scriptores E.: S. Justinus martyr, qui in Dialogo cum Tryphone n. LXXI. p. 245. s. et aliis in locis dicit, praeter illas, quas retulerit Scripturas V. F.; alias adhuc esse apud Christianos servatas, quas infitiantur Judaei. Idem ait Tertullianus, de cultu femin. I, 3. IV, 80. 81. Origenes, ep. ad Afr. l. s. c. Hom. I. in Lev. IX, 173. S. Hieronymus, comment. in epist. ad Gal. 3, 10, VII, 431. S. Isidorus Hisp., de offic. I, 12. n. 8. p. 376. Ecclesia Christiana tribuit Synagogae usque ad plenitudinem temporis vim testandi de collectione Librorum Sacrorum, sed toti Synagogae non autem parti. Merito igitur Acatholicos interrogamus: an non eadem haec gens, quae nobis Moysis Legem tradidit; Sapientiae, Ecclesiastici, Machabaeorum ceterosque libros obtulerit? an a Synagoga Alexandrina — cuius nomen et existentia nullo argumento coniecturae limites superante evinci potest — quae schismatica fuit; quando quidem templum et altare statuisset alio loco, quam quem elegerat Dominus, nec legitimo pontifici suberat, serius demum aevo forsan hos acceperit Ecclesia Christi? Verissime et sagacissime Fabricy, des titres primitifs de la Revelation, apud Migne C. C. S. S. XXVII, 511. „Ainsi ce n' était point chez eux qu'il fallait aller chercher le vrai dépôt des „Écritures, de même que la véritable Eglise ne va point le prendre parmi ceux „qui par leur schisme ou leurs hérésies se sont séparés d'elle.“ Nulla existit vera oppositio inter Canonem Judaeorum et Tridentinum. Synagoga — de cuius ceteroquin sententia constat potissimum ex testimonio ecclesiastico — praeformavit iudicium de Libris Canonicis, quod semper tenuit Ecclesia; declaravit autem Concilium Tridentinum.

Sed si antiquitatis Christianae monimenta excutimus, aliquam s. s. Patrum Scriptorumque E. in enumerandis libris V. F. diversitatem reperimus: qui dissensus e causis a nobis saepe v. p. 32. expositis, ortus est. Observare licet Libro-

controversos, a quibusdam eorum, quidem olim in catalogo S. S. non nominatos; neque tamen reiectos, id enim si fecissent, nequaquam toties ipsi ad eorum Divinam auctoritatem provocassent. Nomen Canonis Alexandrini vel Hellenistici; item Proto- et Deuterocanonis apud Veteres frustra quaeritur; tribuenda sunt haec nomina tempori, quo Ecclesia saeculo XVI. in hostes incidit, qui aliquibus Hagiographis A. F. divinam inspirationem eripere conabantur. Catholici Theologi optima mente, nullaque facta auctoritatis distinctione, cum contra Acatholicos disputabant, brevitatis causa, haec duo vocabula protocanonicos — pro illis quorum auctoritatem non addubitarunt adversarii — et deuterocanonicos — pro his, quibus Divinam inspirationem negarunt Acatholici — adhibebant. Tali ratione haec nomina in quaestionibus inter Catholicos et Acatholicos usu vulgata sunt. Cf. Vincenzi, l. c. p. 2. seq. Non ponit haec adpellatio notare differentiam pretii, quod ipsis Libris competit; sed diversitatem iudicii significare, quod a quibusdam de istis libris pronuntiatum est. In se, ut iam monuerunt, Bonfrerius, praeloq. 11. p. 5. et Fullonius, Comm. in l. l. Mach. I, 1. theologi e S. J., ista duplicis ordinis distinctio non admodum necessaria est; cum aeque insit his et illis infallibilis et Divina auctoritas.

DE CANONE NOVI TESTAMENTI.

§. 10. Collectionis S. Librorum Novi Testamenti prima origo.

Nihil evidentius, quam ab ipsa Apostolica aetate inde exstitisse collectionem Scriptorum ab Apostolis et Evangelistis consignatorum, et in unum Codicem digestorum; paris cum Codice V. T. auctoritatis habitum, atque apud Ecclesias religiose custoditum. Id enim haud obscure colligimus: a. Ex monitis divi Pauli [1], queis fideles adhortatur, datas ad eos literas cum reliquis Ecclesiis communicare. Revera b. quandam iam Epistolarum Apostoli collectionem S. Petrus [2] veluti tunc existentem ac vulgatam supponit. Scilicet d. Petrus plerasque literas Paulinas tunc per omnes fere coetus sparsas fuisse, imo in peiorem sensum detorqueri memorat; quin ipsas ‚ταῖς λοίπαις γραφαῖς θεοπνεύστοις‘ Veteris et Novi Testamenti aequiparat. At vero e frequentissimo usu, quem Apostolorum scripta tum maxime obtinuerunt, cum iis morte sublatis eorum vivae voci quodammodo sufficerentur, statim distingui et coordinari ceperunt. Factum hoc pro ipsorum indole atque scriptoribus; ut adeo

1) I. Cor. 1, 2. II. 1, 1. Gal. 1, 2. Coloss. 4, 16. 2) II. 3, 15. 16.

improprie ‚εὐαγγέλιον' et ‚εὐαγγέλια' ea monimenta adpellarentur, quae de Regno Dei eiusque Conditore D. N. J. C. historias referrent [1]; atque ‚ἀπόστολος' vel ‚ἀποστολικόν', praecipue quidem epistolae S. Pauli, sed simul etiam reliquae Apostolorum literae, quae titulo ‚καθολικαὶ' [2] mox postea insignitae sunt. Imo quidquid Evangelii nomine non comprehendebatur, hinc etiam Acta Apostolorum nec non ipsa Apocalypsis [3]: ‚ἀπόστολος' dictum est [4]. De Evangeliis in Canonem prima aetate iam relatis, vix dubium esse potest, quia versus finem Saeculi primi, et cum initio secundi, apud plerasque Ecclesias recepta fuerant [5]. Profecto patet id α. e literis S. Ignatii episcopi Antiocheni, qui dilucide explicat [6]: se cognoscendae veritatis causa confugere ad Evangelia, quibus crederet:

---

[1]) V. H. N. T. p. 260. s. [2]) Primum quod sciamus Eusebii auctoritate H. E. II, 23. p. 66. nomine „καθολικῶν" adpellari ceperunt, ut ea voce a d. Paul. epistolis discernerentur. Nam quod illo vocabulo, aiunt ante Eusebium, Origenes et Dionysius Alexandrinus ib. VI, 25. et VII, 25. p. 227. 273. usi fuerint, eatenus verum est; quod Dionysius unam eamque primam s. Joannis catholicam dixerit, ceteras eiusdem nominis nullo modo. Sed quo sensu catholicum nomen Eusebius his dederit epistolis, id quidem cadere in disputationem potest. Neque enim intelligere fas est, talem a catholica doctrina ortam adpellationem, cum haec ratio communis sit omnibus S. Scripturis; verum ut vetustissima habet traditio „καθολικαὶ" dictae sunt, veluti ἐπιστολαὶ ἐγκύκλιοι, quod non ad unam scribantur gentem, sed generaliter ad omnes καθόλου. Ita censuere Oecumenius proleg. in ep. Jacobi, op. ed. Par. II. 439. Leontius. Byzantinus, de sectis. a. 2, 4. apud Galland. XII, 629. S. Isidorus Hispal., etymolog. VI. 2, 46. III. 234 S. Cyrillus Hier., cat. IV, 36. p. 69. Obiiciunt quidam epistolam ad Galatas et Hebraeos catholicarum iure mereri cognomen; secundam autem et tertiam s. Joannis, quas ille privatis dedit non esse universales. Sed priores ideo non numerantur inter Catholicas, quod aliis epistolis Paulinis debuerint accenseri; duabus vero epistolis s. Joannis — quas proprie hoc titulo non posse inscribi facile damus — eadem haesit adpellatio, quia primae, cui magis congruit, in volumine iunctae forent. [3]) Quae tamen frequentius separatim recensebantur. [4]) Cf. S. Irenaeum, adv. haer. I. 3, 6. p. 43. „τῶν εὐαγγελικῶν καὶ τῶν ἀποστολικῶν" discernentem; et Tertullianum, de bapt. n. 15. p. 43. scribentem: „Unus omnino baptismus est nobis, tum ex Domini Evangelio quam ex Apostoli literis." [5]) Cf. Eusebii, Hist. Eccl. III, 24. p. 94. Attamen cum recentissimi incredulitatis patroni ad nauseam usque declament: antiquissimam Ecclesiam christianam sola in rebus de Jesu Christo traditione usam fuisse; ideo opportunum nobis visum est, disquisitione accurata e vetustissimis documentis priscam Canonis originem vindicare. [6]) Epistola ad Philadelphenos n. 5. ed. J. H. Petermann. S. Ignatii Patris Apostolici q. f. epistolae. Lips. 1849. p. 196. s.

non secus ac si Christus ipse etiamnum eos sermones ore suo proferret, qui ab Evangelistis traduntur. Sed etiam se confugere ad scripta Apostolorum, quae habebat quasi Ecclesiae Presbyterium, sub Christo omnium Episcopo. Idem porro s. vir[1] commemorat Evangelia in archiviis Ecclesiarum asservari, unde satis liquet, quanti fierent iis temporibus S. Libri N. T.[2] Manifestior β. adhuc eorundem Evangeliorum mentio reperitur apud S. Justinum M.[3]: ‚οἱ γὰρ ἀπόστολοι‘ inquit, ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν‘[4]. Sub his ἀπομνημανεύμασιν s. Justinum **Evangelia** supponere efficitur inde, quia[5] profitetur: ‚ἅ φημι ὑπὸ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ τῶν παρακολουθησάντων συντετάχθαι‘, commentaria haec ab Apostolis eorumque successoribus scripta. Id quod nisi cadit in Evangelia nostra. Dubitari quoque nequit, comparatione sententiarum Christi apud S. Justinum cum Evangeliorum locis παραλλήλοις instituta, unde s. Doctor sua hauserit[6]. γ. Accedit fidei-

---

1) Ib. n. 8. ed. c. p. 206. 2) Omittimus Papiae de Evangelio d. Joannis testimonium apud C. J. M. Thomasium, Sacr. Bibl. vet. tit. sect. op. ed. a Fr. Vezosi. Rom. 1747. I, 344.; et quaedam tantum eaque luculentiora verba ex epistola ad Diognetum — scriptoris qui aevo apostolico vicinus fuit, Cf. P. Ap. ed. Hefele P. P. Ap. Op. IV. prol. p. 86. s. — sententiam nostram stabilientia proferemus. Et quidem habetur n. 11. p. 319. de hac re sequens locus: „deinde metus Legis decantatur, et Prophetarum gratia cognoscitur, et Evangeliorum fides stabilitur et Apostolorum traditio custoditur.“ Per νόμον et προφήτας Canonem V. T, per εὐαγγέλιον et παράδοσιν ἀποστόλων Canonem N. T. intelligi; secundum generalem illius aevi partitionem et denominationem, coll. Matth. 7, 12. 11, 13. aliisque S. S. N. T. locis, satis certum est. 3) Apol. I, 66. p. 57. 4) „Vocem ἀπομνημονεύματα adhibuit etiam apud Eusebium, H. E. V, 8. p. 173. s. **Irenaeus**; sunt illa dicta memorabilia res, quae memoriae commendantur. Hinc Xenophon scripsit libros Σωκράτους ἀπομνημονευμάτων. Op. ed. Thieme Lips. IV, 1. s. Idem porro S. Pater narrat I, 67. ed. Otto p. 158. „Solis qui dicitur die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum conventus fit, et commentaria Apostolorum τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, aut scripta prophetarum, συγγράμματα τῶν προφητῶν leguntur, quoad licet per tempus.“ Per συγγράμματα τ. πρ. libros V. T. indicari coll. II. Petr. 1, 19. plane non est dubium. 5) Dial. c. Tryph. n. 103. p. 354. 6) S. Justinum M. neque Evangelium secundum Hebraeos eiusve recensionem singularem; neque aliud Evangelium apocryphum; neque Harmoniam aliquam; sed ipsa **Evangelia Canonica usurpasse** demonstrarunt: Fr. Schütz, de Evangeliis, quae ante Ev. can. in usu E. chr. fuisse dicuntur. Regiom. 1812. II, 1. s. Hug, Einl. II, 99. Gratz, kr. Unters. ü. Justins apost. Denkwürdigk. Stuttg. 1814. p. 53. s. Winer, Justinum. M. Evang.

iussor aetatis proxime sequentis S. Irenaeus[1] qui testatur quatuor Evangelia non solum apud Ecclesiam; sed etiam apud haereticos valuisse. Cum porro S. Irenaeus totus ubique insistat investigandis colligendisque, quae de rebus ad Christum Apostolosque pertinentibus Maiores memoriae commendarint; sequitur anno p. C. 184—192.[2] iam concordi traditionis sententia, numerum quaternarium Evangeliorum in Canonem adscitum[3]. Cumulum monimentorum huius rei affert S. Eusebius, qui[4] testatur apographa Synopticorum q. d. iam saeculo primo, antequam S. Joannes Evangelium suum exararet, longe lateque per coetus christianos sparsa fuisse; imo illos qui post Apostolos in exteras regiones Evangelii praedicandi causa profecti fuerant: „τὴν τῶν θείων εὐαγγελίων γραφὴν" secum tulisse, populisque a se conversis ad eorum institutionem tradidisse[5]. Quod si res ita se habet, Canon Evangeliorum mediocri temporis intervallo praecesserit necesse est aevi apostolici finem. Tandem ne quid dissimulare videamur, e. alienum non erit provocare ad Citata[6] apud S. Patres Apostolicos, quae extra dubium ponunt: plerosque fere N. T. libros ab illis lectos adhibitosque

can. usum fuisse in Rosenmülleri, Comm. theol. I. 1, 223. Mynster, kl. theol Schr. Kopp. 1825. p. 1. s. Maier, Einl. p. 481. s. Bindemann, ü. d. v. Justinus d. M. gebrauchten Evangelien, in Stud. u. Krit. 1842. p. 355. s. Riggenbach, l. c. p. 139. s.

[1]) Adv. haer. III, 11. p. 466. ait: „Tanta est autem circa Evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionaei etenim eo Evangelio, quod est secundum Matthaeum solo utentes, ex illo ipso convincuntur, non recte praesumentes de Domino. Marcion autem id, quod est secundum Lucam circumcidens, ex his quae adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum existentem Deum ostenditur. Qui autem Jesum separant a Christo, et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, id quod secundum Marcum est praeferentes evangelium; cum amore veritatis legentes illud corrigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem plenissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum; ex ipso detegentur nihil recte dicentes." [2]) Sub Eleutherii pontificatus finem scriptos s. Irenaei libros probat Ren. Massuet, diss. II. de Irenaei scriptis n. 47. a. II, 223. s. [3]) Cf. R. Massuet, diss. III. de Irenaei doctrina n. 6. II, 245. s. Ad. Stieren de Irenaei adv. haer. op. fontibus, indole, doctr. et dign. Gott. 1836. p. 35. s. [4]) Histor. Eccles. III, 24. p. 95. [5]) H. E. III, 37. p. 109. [6]) Quae stupenda diligentia compilavit G. Jacobson, Patrum Apostol. quae supersunt. Oxonii. ed. alt. 1840. II, 620. s.

fuisse. Atque haec quidem testimonia merito fidem faciunt: integrum Canonem N. T. post edita d. Joannis Ap. scripta, in initiis Traiani, exeunte saeculo primo et ineunte secundo clausum fuisse.

§. 11. Quo loco Canon Librorum S. Novi Testamenti fuerit conditus?

Quamquam autem ex his aliisque[1] monimentis haud obscure colligatur: inde a prima Ecclesiae origine collectionem S. S. N. F. in unum iam Canonem, paris cum Canone V. F. auctoritatis habitum, digestam fuisse; tamen quis Evangelii et Apostoli in unum collecti editionem procuraverit, ignoratur? Multae interim apparent rationes causaeque, cur collectionem Canonis N. T. Ecclesiae Romanae acceptam referamus. α. Romana Ecclesia, magistris s. s. Petro, Paulo et Joanne, quorum scripta cum discipulorum atque interpretum s. s. Marco et Luca, maximam partem Canonis efficiunt, usa; ab iis absque dubio informata est de Scripturis Canonicis. Unde verissime olim Tertullianus[2] monuit: ‚Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo perfuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.‘ β. Notum est Epistolas S. Pauli temporis ordinem, quo fuerant exaratae; in serie Librorum N. T. haud occupare; sed in antiquissimis catalogis priore loco positas eas, quas Ecclesiae, ad quas scriptae sunt, receperunt. Illam quaeque Ecclesia aliis anteposuit, quae sibi data fuerat apostolica Scriptura; aliae vero Ecclesiae vel acceptionis vel scriptionis tempus, quandoque reci-

[1]) Quae nunc ne nimis prolixi simus relinquere oportuit. E. g. de instituto Marcionis aliorumque haereticorum, qui aeque ac Ecclesia quadam sylloge, licet ab ea Ecclesiae diversa mutila et interpolata, utebatur; item de allegatis in scripturis apocryphis Evangeliorum verbis. Cf. M. Arneth, ü. d. Bekanntschaft Marcions mit unserem Canon des N. B. Linz, 1809. p. 3. s. Tischendorf, wann wurden unsere Evangelien verfasst. Leipz. 1865. p. 29. s. Riggenbach, l. c. p. 76. s. [2]) De praescr. haer. n. 36. p. 25.

pientis dignitatem vel aliam magis congruentem rationem spectavere [1]. Ordo autem ,ἀποστόλου' in Canone N. T. epistolae ad Romanos primum assignat locum [2]. Idem testatur γ. prisca translatio N. F. latina ante Hieronymum ,Itala' dicta, decursu saeculi secundi facta; quae non modo in universum iam existentem L. L. N. T. Canonem supponit, verum etiam probat Ecclesiam Romanam desinente saeculo primo S. Volumina in unum iam corpus collecta tenuisse [3]. Accedit δ. veterrimum documentum Canonis Romani saeculo secundo exeunte conscriptum [4]. Denique ε. collectionem S. S. N. T. ipso initio statim in Ecclesia Romana adfuisse, invicto pariter argumento illo confirmat Tertullianus, quod dicat: Romae authenticas Apostolorum recitari Literas, et Evangelia ab Apostolis tradita fideliter conservari. Egregie denique roborat ζ. sententiam nostram sensus Ecclesiae Carthaginensis, quae a Romana originem et fidem sumens, occasione controversiae de Canone in Concilio Carthaginensi VI. habitae [6]: Ecclesiam Matricem et principem adit, inde syllogen S. S. edocenda; unde iam prius a summo Pontifice Innocentio I., qui libri in Canonem recipiantur, desiderata voce expetiit Exsuperius Episcopus Tolosanus [7]. Haec Africa et Gallia de Romanae Ecclesiae super omnes Ecclesias totius orbis auctoritate sensit [8].

1) Quod observamus in vetustis Bibliorum manuscriptis, ubi s. v. non in omnibus idem prorsus ordo reperitur, in collocandis L. L. N. T. 2) Cf. L. A. Zacagnii, Collectanea monumentorum veterum Ecclesiae Graecae ac Latinae. Rom. 1698. praef. p. 74. s. Humfredi Hodii, de Bibliorum textibus originalibus. Oxon. 1705. p. 664. Blanchini, Vindic. Can. Script. Vulg. ed. praef. p. 214. 3) Eius antiqua forma qualis fuerit discimus ex Cassiodorio, de Institut. div. lit. c. XIV. II, 516. 4) Dequo v. p. 48. s. 5) De praescr. haer. 12. 36. p. 25. et adv. Marc. IV, 3. 4. p. 149. s. 6) A. 419. ap. Hard. I, 968. 7) A. 405. Ap. Hard. I, 1005. 8) Sed et hinc haud obscure discimus, quantum valuerit illo quoque aevo Romani Pontificis aliquid aut agnoscentis aut reiicientis iudicium. Huius Ecclesiae semper mansura auctoritas quantum orbi christiano profuerit, cum dogmatum concordiam sartam et tectam praestat, atque unitatem conservat; haec prima saecula abunde docent. Confitentur id ipsum ex parte saltem etiam viri acatholici, quorum testimonia eo commendantur; quod ex ore dissidentium sola veritatis, quae nunquam vinci potest, vi expressa proficiscantur.

§. 12. Disquiritur utrum aliqua Synodus Oecumenica de Canone Librorum S. N. T. statuerit?

Nonnisi per Ecclesiae iudicium certum esse: quinam sint Libri Divini, catholica fides confitetur. Etsi vero [1] altum sit apud omnes primorum trium saeculorum [2] silentium, de tali publica vel synodica Canonis N. T. per Concilium aliquod huius temporis collectione et promulgatione; tamen concors Ecclesiarum in hoc negotio iudicium [3], certitudinem infallibilem Canonis N. T. evincit. Nam ubi nondum Canon Divinarum Scripturarum permixtus fuisset voluminibus non authenticis, peraequo iure ille dicebatur esse ex Canone liber, qui in eo erat [4]. At postquam nescitur, quibus initiis, quove tempore, Codicibus s. superaddi cepere alii libri, et quidem non solum sanae doctrinae [5]; sed etiam sub praeclaris nominibus haereticae, heterodoxae fidei: atque alii libri, qui certe erant Canonici, sive ex Canone excluderentur, sive corrumperentur [6]; imprimis opportunum imo necessarium fuit: ut statueretur tandem in Ecclesia certa ac perpetua Regula, ad cuius praescriptum quisque discerneret, qui libri Divinae quive humanae auctoritatis essent? qui denique ceu apocryphi omnino repudiandi forent. Curandum igitur fuit, ut Canonici ab apocryphis, utiles a noxiis libris, in Ecclesia certa auctoritate discernerentur [7]. Neque hoc dubium in re gravissimi momenti, quae totam Ecclesiam respexit, examen

---

1) Reiecto omnium iudicio inter apocryphos Canone Biblico, qui vulgo inscribitur Apostolorum, n. LXXVI. Coteler. II, 453. V. Comm. p. 28. 2) Illorum, qui supersunt testes. 3) Ad quod iam Origenes provocat apud Eusebium, H. E. VI, 25. p. 227. 4) Adhuc proinde opus non fuit Catalogum Divinarum Scripturarum publica auctoritate stabilire. 5) Uti epistolae s. Clementis Rom. 6) Sunt de hoc tanto illorum facinore multa testimonia apud S. S. P. P. et S. E. Testantur hoc: Dionysius Corinthius in Graecia, S. Irenaeus Lugdunensis in Gallia, Tertullianus in Africa, Origenes in Aegypto. Quibus quarto, quinto et sexto saeculo adstipulati sunt clarissima Ecclesiae lumina, inter Graecos S. Alexander episc. Alex., S. Athanasius, S. Cyrillus Hier., Eusebius, S. Epiphanius, S. Joannes Chrysostomus; inter Latinos autem S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Hilarius Pictav., S. Leo. M., Salvianus, et Gelasius Pontifex; quos postmodum secuti sunt innumeri omnium aetatum Scriptores. Nec aliud in Historiis Ecclesiae Catholicae reperiri posse putamus, quod maiori testium numero traditum sit quam istud: veteres Haereticos, quantum in se erat, S. Scripturas adulterasse. Cf. B. Germon, de veteribus haereticis ecclesiasticorum Codicum corruptoribus. Par. 1713. p. 61. s. 7) Ad quod itaque opus fuit diligentem post examinationem catalogum Canonicarum Scripturarum conficere; ut a Canonicis non canonicas facile ac tuto quisque distinguere posset.

istud a nulla synodo peragi potuisse inferiore generali Concilio [1]. Et revera concilium Oecumenicum Nicaenum primum; ne fraudes haereticorum fideles in discrimen erroris adducerent: ‚Catalogum Librorum Divinorum constituit.' Nicaenam constitutionem Bibliorum Canonicorum gravissima praeferunt argumenta. Nam ut 1. a S. Athanasio incipiamus, ille [2], duo ad rem nostram affirmat: Epistolam S. Pauli ad Hebraeos esse Canonicam; librum autem Pastoris non esse ex Canone. Cum utrique veritati Ariani mordicus resisterent, et Pastoris testimonia ut canonica allegarent [3], atque epistolam ad Hebraeos cum Canoni tum d. Paulo abriperent; profecto contrarium non tanta S. Athanasius asseveratione posuisset, nisi certissima nixus auctoritate. Cuius vero haec fuerit late expresseque enunciavit [4]: ‚vim decreti Patrum.' Ad eandem de S. S. examinationem et idem decretum Patrum respexit 2. S. Augustinus [5], in hunc modum scribens: ‚multa . . . . sub nominibus Apostolorum ab haereticis proferuntur, quae omnia nomine apocryphorum ab auctoritate Canonica diligenti examinatione remota sunt.' Quaeritur ubi et quando remotio illa, instituto examine, auctoritate canonica peracta fuerit? Nam illam ad decretum aliquod Patrum referendam esse, clare docet S. Athanasius [6]. Optime idcirco quod d. Augustinus auctoritate Canonica factum fuisse dicit, illud ad tempora s. Athanasii refertur. Haec omnia 3. illustrantur et confirmantur testimoniis gravissimis: Rufini, d. Hieronymi et Cassiodorii [7]. Ad hanc itaque opinionem demonstrandam ex tanta antiqui-

---

[1]) Ipsa sana ratio pro optimo huius sententiae testimonio est, sed etiam certi et locupletes testes reperiuntur, qui satis superque rem asserunt. [2]) De decretis Nicaenae Synodi, n. 18. Op. ed. Maur. I, 223. [3]) Cf. S. Athanasii, apud Theodoretum, Eccl. Hist. I, 7. III, 761.; et Theodoreti, arg. ep. ad Hebr. ib. 541. testimonia. [4]) In festali epistola l. c. p. 936. [5]) De Civitate Dei. XV, 23. II, 100. [6]) L. s. c. [7]) E quibus Rufinus ait, exposit. in symb. Apost. n. 36. s. se „novi ac veteris instrumenti volumina ad instructionem eorum, qui prima fidei elementa suscipiunt, sicut ex Patrum monimentis accepimus designare." Ed. Cypr. Baluz. app. p. 206. Testimonium S. Hieronymi, praef. in l. Judith iam supra de Canone V. T. p. 28. disputantes posuimus. Addimus modo id quod de Judith tam asseveranter ait S. Doctor, certe eum in illis Nicaenae Synodi, cui si non aequalis omnino proximus aetate erat, actis legisse. De quo ne ancipites haereamus efficiunt rationes, quas ex illis depromit; ubi refutat Origenem, Joannem Hier. et Luciferianos. Haec quae hactenus laudata sunt de S. S. Patrum decreto circa Canonem V. F., roborat M. Aurelius Cassiodorius, scriptor nobilis et integrae fidei, et qui quinto floruit saeculo. Ille quidem claris verbis testatur: a Nicaeno primo omnium Oecumenico Concilio „Libros Divinos competentibus sacramentis aptatos esse." De Inst. div. lit. c. 14. II, 517.

tate solida iacta sunt fundamenta. Sed enim res isthaec conficitur 4. ex superstite Canone Nicaeno [1], quem Concilium Carthaginense III. et VI. adoptavit. In hoc ita habetur: ,Capituli XXIV. Nicaeni Concilii [2]. Item ut praeter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicae Scripturae Novi Testamenti: Evangeliorum libri IV. Actuum Apostolorum liber unus. Epistolae Pauli XIV. Petri Apostoli II. Joannis Apostoli III. Judae Apostoli I. Jacobi Apostoli I. Apocalypsis Joannis Liber I.' Hic Catalogus, qui idem ipse etiam Canone a Sacrosancta Oecumenica Synodo Tridentina definito continetur; mire convenit ei, quem a Patribus se accepisse fatentur Carthaginensis III. et VI. Concilii Praesules [3]. Nicaenos Episcopos nomine Patrum intellexisse; produnt Praesules Concilii Carthaginensis VI. testantes: se exemplaria fidei et statuta Nicaenae Synodi, quae per Caecilianum, qui interfuit, allata sunt suis inseruisse. Certe ad superiora Synodo Hipponensi tempora S. S. Catalogus, quem episcopi Concilii Carthaginensis VI. a Patribus se accepisse fatentur, referendus est. Quoniam igitur nonnisi sola Synodus Hipponensis S. S. Canonem habet, atque haec canones ex Concilio Nicaeno derivat, sat esse argumenti videtur, ut statui possit laudatum saepe Catalogum S. S., qui insertus est actis Concilii Carthaginensis VI., ex Nicaeno originem habuisse; ita ut ex hac Oecumenica Synodo in aliquam Africae sub Caeciliano, hinc in Hipponensem, et exinde

---

[1]) Quem e Codice notato lit. B. num. 58. Bibliothecae Vallicellanae Romae, procul dubio ad octavum saeculum referendo, publicavit J. Blanchini, Vind. Can. Script. praef. p. 361. Non deerunt qui inscriptionem Catalogi Biblici in Codice Vallicellano oscitanti Notario attribuant. Sed eadem facilitate, qua hoc affirmatur, negari etiam potest. Ubi est enim probabilis ratio, quae evincat titulum „Concilii Nicaeni" false, et non potius scite, ex vetustiori aliquo exemplari ibi additum fuisse? [2]) Aliquos Synodi Nicaenae canones intercidisse, atque vicenarium Canonum Nicaenorum numerum unius nisi, graeci codicis et quidem suspecti admodum, auctoritate fultum esse; palmaribus argumentis demonstravit J. Chrysostomus a S. Joseph, de numero Canonum, quos s. Patres in magna Synodo Nicaena constituerunt. Romae 1742. p. 246. s., et diss. de Canone S. Librorum constituto a S. Patribus in magno Nicaeno Concilio. ib. e. a. p. 148. s. [3]) Videtur ille Mansio, III, 891. praepostere positus esse n. 47. inter capitula Conc. Carth. III. a. 348. atque transferendus ad VI. ci. nom. IV, 430. Convenienter quidem si conclusio spectetur, qua a Bonifacio Pont. eiusdem confirmatio postulatur. Haec interim integro solidoque manente catalogo Conc. Carth. III. auferri potest. Tertio quoque Conc. Carth. adscribi posse colligitur inde, quod inter acta Conc. Carth. III. inserti fuerint Canones Hipponenses; ita volentibus illis Patribus, ne memoria eorum unquam excideret. V. Mansi III, 894. s. Cf. e. Ballerini, tract. de antiq. Coll. Canon. t. III. Op. s. Leonis M. Ven. 1775. p. LXXXVIII. s. et J. C. Hefele, Conciliengesch. II, 63. s.

in Carthaginensem traductus fuerit. Haec cum satis explorata sint non minus certum argumentum 7. sumitur e vetusto S. S. Canone, quem sub Nunechio Phrygiae Pacatianae Metropolita, duo et triginta Episcopi ediderunt in Synodo Laodicena, aliquanto ante Concilium generale Nicaenum I. can. LX [1]. Patres Laodicenses cum viderent, non esse suae auctoritatis statuere certum et ab omnibus Ecclesiis tenendum Canonem, satis habuerunt: indubios recensere suo Catalogo libros, quaestioni autem iudicioque de dubiis et apocryphis supersederunt. Quapropter potius quam operi definiendi Canonem satisfecerit Laodicena Synodus, difficultates hac in re videtur auxisse; unde sane omnia definire necesse erat tali ac tanta auctoritate, quae ubique valeret. Et hoc quidem probe congruit Concilio Oecumenico Nicaeno, cuius decreto teste Cassiodorio: ‚sacramentis aptatus est numerus S. Scripturarum.'

§. 13. Eusebii Caesareensis opinio H. E. III, 25. de Canone N. T. enucleatur.

Difficultatem hac in re ingerere videntur Patres et Scriptores nonnulli, qui post Nicaenam Synodum diverso ab hac sensu S. S. L. L. recensuerint. In istorum numero imprimis habendus est Eusebius Caesareensis, cuius catalogus divinorum voluminum H. E. III, 25. p. 97. a nemine, qui in Canonem N. T. inquirendi periculum facit, praetermitti potest. In hoc catalogo Eusebius duas fecit S. Librorum classes, quarum prima complectitur τὰς δηλωθείσας, sive ἐνδιαθήκους γραφάς, i. e. Libros, quos Canonicos adpellamus; altera τὰς γραφὰς ἐξ παραιτητέον, h. e. libros repudiandos sive apocryphos. In classe prima rursus distinguit: ὁμολογούμενα, scripta omnium concordi sensu recepta, dein ἀντιλεγόμενα, quae minus communi consensu inter Divinas Scripturas relatae fuerant; denique νόθα i. e. libri qui utiles sunt, quamvis spurii. His omnibus classe altera opponit libros reiiciendos. Ad ὁμολογούμενα collocat: Evangelia, Acta, s. Pauli epistolas, primam s. s. Petri et Joannis atque Apocalypsim, addit tamen εἴγε φανείη, si placita videbitur. Ἀντιλεγομένας vocat epistolam s. s. Jacobi, Judae, secundam Petri, Joannis item alteram et tertiam; et H. E. l. c. cap. 3. p. 72. ad Hebraeos atque III, 24. p. 96. Apocalypsim. De hac posteriore in deterio-

[1]) Mansi, II, 595. epocham huius Concilii medio tempore inter Neocaesareensem a. 314. et Nicaenam synodum universalem a. 325. statuit, anno fere 320. Authentiam Canonis Concilii Laodiceni impugnavit Spittler, krit. Unters. des LX. Laodic. Kanons. Bremen. 1777., vindicarunt J. W. Bickell, Zur Frage über die Aechtheit des Laodic. Bibelkanons, in Stud. u. Krit. 1830. p. 591. et Hefele, Conciliengeschichte I, 750. 751. Em. Card. Pitra, Juris Eccles. Graec. hist. et mon. I, 506. s. u. v. p. 28., sibi Canonem hunc videri mancum dicit, nam codex Veronensis 55. Balleriniis, App. ad Op. S. Leonis III, 442. laudatus, restituit Apocalypsim, quae in eo deficiebat.

rem nonnunquam partem inclinavit, neque tamen eam reiicere ausus est, sed quamvis speciosissima adversus Apocalypsim dubia passim enarraverit, tamen aliquo modo retinuit. Ib. c. 39. p. 111. Praemissis his χρίσει Eusebii de L. L. N. T. opiniones subiiciamus. Ex operibus quae scripserat patet: Eusebium fuisse virum multae lectionis, sed ingenii parum firmi. Non est hic locus accurate disputandi de fide Eusebii. Est vero adhuc ea de re summa inter eruditos lis; illud modo certo constat Eusebium, teste Theodoreto, arg. comm. ep. ad Hebr. III. 1, 542. iam post Nicaenam Synodum Arianis favisse. Insuper suis scribendi formulis ostendit, se data occasione plurimorum sententias in partem quoque contrariam recensuisse; quamvis inutiles saepe et ineptas. Sed et quam opinionem ipse amplexus fuerat, in medio reliquisse invenitur; imo sibi interdum contradixisse. Partitio quidem Episcopi Caesareensis, quae saeculo tertio coll. H. E. VI, 25. p. 226. antiquior haud est, nemo enim Veterum eius meminit, uti illa in proto — et deutero — canonicos v. p. 35.; dogmatice spectata nullius est ponderis, historice vero considerata alicuius est momenti. Ex hoc enim videmus fuisse post Nicaenam Synodum aliquos, qui etiamsi in Divina auctoritate habuerint omnes Scripturas, illas tamen suis catalogis adnumerare omiserint. Mirifice acatholicis scriptoribus placet P. P. et S. E. in recensendis Scripturis Diviuis N. T. varietas. Huius variationis illa imprimis videtur esse ratio, quod aliquae S. Scripturarum, e. g. s. s. Judae, Joannis tardius exaratae, aliae uti epistola ad Hebraeos et Apocalypsis viris perperam attribuerentur, qui non erant inspirati. Quamvis ideo non reprobarentur et damnarentur, imo ut Divinae haberentur; quas cum publice legi iusserat, canonicas esse Ecclesia declaravit. De Canone Eusebii disquisivit P. J. S. Vogel. comm. I. II. III. Erl. 1809—11. ed.

§. 14. ‚Ἀντιλεγόμενα‘ universam Ecclesiam veluti Divina recepisse adstruitur.

Optima non desunt argumenta quae ad certam fidem faciendam sufficiunt ‚ἀντιλεγόμενα‘ ab Ecclesia non secus ac reliqua Scripturae Volumina, vere Divina habita esse. Quid Ecclesia Romana de his senserit, vidimus. Ecclesiae Alexandrinae catalogum S. Voluminum prodit Clemens Alex., qui sua fatetur didicisse ab illis, qui beatam doctrinae servabant rationem a s. s. Petro, et Jacobo et Joanne et Paulo sanctis Apostolis acceptam. Strom. I. p. 322. Ille quidem compertum habebat Epistolam ad Hebraeos Pauli esse. Ib. VI, 8. p. 771. Receptas etiam plures testatur d. Joannis literas et Apocalypsim. Strom. II, 15. p. 464. et VI, 13. p. 793. Etiam epistolam s. Judae Paedag. III, 8. p. 280. laudat, s. Jacobi vero docente Cassiodorio, de inst. div. lit. c. 8. p. 514. „Quaedam Attico sermone declaravit.“ Origenis insigne pro authentia et Canonicitate testimonium exstat, hom. VII, 1. in Jesum Nave XI, 63.; S. Athanasii — orthodoxae religionis parentis, ut loquitur S. Epiphanius, haer. LXIX, 2. p. 728. — autem habetur in epistolae festalis s. d. fragmento. I, 962.

Obsistere et contrarium roborare videtur Dionysius Alexandrinus, qui Apocalypseos auctoritatem canonicam funditus evertere studuit; omniumque quae in posterum unquam contra eam proferebantur dubiorum semina sparsit foecundissima apud Eusebium, H. E. VII, 25. p. 272. s. Cf. P. J. Mönster,

Observat. de Dionysii Alex. circa Apocalypsim Johanneam sententia huiusque vi in seriorem Libri aestimationem. Hafniae. 1826. p. 52. s. Perniciosissimum sane fateamur, fuit Dionysii Alex. institutum — a Th. Foerster, de doctr. et sent. Dionys. M. Ber. 1865. p. 33. nihilominus laudatum —: argumenta q. d. historica suspicionem adducere; quo argumenta interna liberius contra authentiam Apocalypseos proferret. Affirmat quidem Dionysius: sese non subsannandi causa obiectiones et dubia in Apocalypsim pronunciasse, tantummodo ad dissimilitudinem inter Evangelium epistolamque d. Joannis exponendam; quo autem modo? non demonstravit. Calumnias istas nisi suo consilio servituras putasset, cur accumulavit? Reputata enim Libri ad aevum ipsius ab omnibus agnita Divina auctoritate, reputato item eum Origenem, Chiliasmi sane haud minorem quam Dionysius fuit adversarium, magistrum habuisse; vix adducemur ad credendum dubia ab ipso prolata ex argumentis internis nata esse. Cum enim in fronte l. c. recensentur cavillationes, quarum culpam sustinent „τινὲς πρὸ ἡμῶν", succedunt confessiones animi modesti apparentes; enimvero sub finem adducuntur insimulationes, quae aperte eo diriguntur ut Apocalypsis e serie Librorum Canonicorum eiiciatur. Quare Dionysii Alex. in aestimanda Apocalypsi iudicium non possumus non praeiudicatum, proinde nullius fidei habere. De Dionysii Alexandrini suspicione praeclare disputat E. W. Hengstenberg, die Offenbarung des h. Johannes. Berlin. 1850. II, 2. 142. s.

Idem sensit Ecclesia Syriaca. Abest quidem a veterrima pariter ac Syris aestimatissima versione Pheschito II. et III. s. Joannis, II. s. Petri epistolaque s. Judae cum Apocalypsi. — Cf. J. S. Assemanum, bibliotheca Orientalis Clem. Vatic. Rom. 1725. III. 1, 8. 9. ann. 1. p. 15. Vid. Cosmam Indicopleusten, apud Galland. XI, 535. — Unde inferunt: antiquos Syros, haec scripta reiecisse. Minime gentium! Translatio Syriaca literalis circa dimidium saeculi secundi facta est, antequam ad omnes Ecclesias Syrorum S. S. illae controversae propagatae forent, unde nec mirum Lectionaria Syriaca ex istis nihil continere. Neque tamen primarii Syrorum doctores auctoritatem Canonicam horum Librorum impugnarunt; nec aliae deerant apud Syros versiones, quae interpretationem quandam omnium N. T. Divinorum Voluminum continebant. Certe epistolam autem d. Pauli ad Hebraeos in Canone servandam esse, concors erat omnium Syrorum sententia. Ex ista igitur omissione, nihil de forma Canonis apud Syros confici putamus. Namque exploratum est Theophilum Episcopum Antiochenum, in libro quem contra Hermogenis haeresim inscripsit, testimoniis usum ex Apocalypsi d. Joannis desumtis. Cf. Eusebii, H. E. IV, 24. p. 146. S. Ephraemum illa controversa Canonicis scriptis haud cunctanter adscripsisse, iisque originem vere apostolicam tribuisse; multis argumentis evincitur. Etenim epistolae II. et III. s. Joannis scriptorem dicit: Ἰωάννην τὸν Θεόλογον, O. g. III, 52. coll. I, 76; et alteram d. Petri epistolam tribuit: Πέτρῳ τῷ κορυφαίῳ τῶν Ἀποστόλων, ib. II, 378. III, 60. coll. O. S. II, 242. Similiter literarum, quae Judae sunt, conditorem habet: Ἰησοῦ Χριστοῦ μαθητήν. Op. gr. II, 153. III, 61. Sed et Apocalypsim τὸν Ἀποστόλον sive τὸν Θεόλογον exarasse, confiteri nullus haesitat. O. g. II, 194. III, 146. Liceat d. Ephraemo iungere S. Joannem Chrysostomum, cuius testimonia non inferioris sunt gravitatis. Superest huius eruditissimi Patris saepe nobis laudatus Commentarius in Epistolam ad Hebraeos, prae ceteris doctus, quo idoneis argumentis haec d. Paulo asseritur. Apocalypsim S. Joannis

eiusque tres epistolas Chrysostomum recepisse testatur Suidas, Lex. ed. Bernhardy. s. v. Ἰωάννης I, 1023.; idemque confirmant loca ex his Scriptis allata. Etiam epistolis Jacobi, II. Petri atque Judae usus est. Cf. Ei. de sacerdotio l. III. p. 384. in Matth. hom. 65, 6. p. 651.

Canonis Jerosolymitani et Ecclesiarum circa Palaestinam testes sunto: S. Cyrillus Hieros., qui cat. IV, 36. p. 69. explicite tradit catalogum L. L. N. T.: „quatuor dumtaxat Evangelia, Apostolorum acta, septem epistolas catholicas, Pauli quatuordecim." Quam vero S. Cyrillus commemorare praetermisit Apocalypsim, Ecclesiam Hierosolymitanam in Canone N. T. nulla dubitationis significatione comprehendisse refert S. Joannes Damascenus, de fide orthodoxa IV, 17. p. 284. Concludimus istam testium seriem suffragio S. Epiphanii. Is haer. LXXVI. conf. 5. p. 941. in suo Canone S. S. sine detrectatione omnes admisit Libros N. T., de quibus olim fuit dubitatum, nec ipsius aetate penes quosdam dubitatio desierat. Libros S. N. T. omnes quos Ecclesia habet Canonicos vere Divinos esse, argumentum denique haud spernendum sumitur: ex martyrio primorum Christianorum in omnibus partibus mundi. Quod argumentum pluribus luminibus ornavit Haneberg, l. c. p. 59. s.

Cum succedentibus temporibus, explorata rei veritate, omnes totius orbis Ecclesiae Libros N. T. de quibus aliquando dubitatum fuerat susceperint tamquam Divinos; certe tenendum est eos revera tales esse. Sane si constet Deum assistere Ecclesiae suae ne erret; non potest vel cogitari, ut is passus sit sponsam suam decipi aut approbando libros mendaces, aut pro Divinis libros non divinos. Quare iure meritoque S. Synodus Tridentina orthodoxorum Patrum exemplum secuta, Sess. IV. de Canonicis Scripturis, clare et distincte enumerat: „*Testamenti Novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim epistolae Pauli Apostoli ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, Petri Apostoli duae, Joannis tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli.*" Cum Occidentali, Orientalis quoque convenit Ecclesia non unita. Apparet hic consensus inde, quod tam in Concilio Lugdunensi II., quam Florentino; ubi cum de unione ageretur, Graecique Latinis multa obiicerent divisionis capita, ne minimum quidem dubium de Canone S. S. movebant. V. p. 30. 31. Imo etiam inter Acatholicos recentiores reperiuntur haud pauci, qui volumina N. F. a Luthero reiecta, ad pristinam auctoritatem restituenda esse arbitrantur.

§. 15. Analysis fragmenti quod passim ‚Muratori' vocatur.

„Adservat, inquit L. A. Muratorius, Antiquitatum Italicarum medii aevi. Mediol. 1740. III. diss. quadragesimatertia p. 851., Ambrosiana Mediolanensis Bibliotheca membranaceum Codicem, e Bobiensi acceptum, cuius antiquitas paene ad annos mille accedere mihi visa est." Ex hoc Codice Muratorius decerpsit fragmentum antiquissimum ad Canonem Divinarum Scripturarum N. T.

spectans nusquam antehac evulgatum. Hoc eruditissimi viri εὕρημα erroribus, ut ipse dicit, et sordibus ad nauseam usque repletum, maximi tamen est momenti; cum in eo veterrimus S. Voluminum catalogus **Romanus** habeatur. Damus illud in sequentibus, prouti typis excudi curavit e manuscripto Mediolanensi Muratorius; addidimus tamen uncis includendo emendationes et lectionum varietates, quas collationibus nuperis detexerunt Critici. Notulae, quas adspersimus, varii generis loca imprimis attentione digna illustrabunt; et in iudicio de aetate, scriptore, et pretio testimonii efformando praeparatione quadam laborabunt.

Testimonium Anonymi penes Muratorium cum omnibus mendis atque erroribus repetierunt: E. H. D. Stosch, comm. h. c. de Librorum N. T. Canone. Franc. ad Vidr. 1755. p. 181. s. Gallandius, Bibl. P. P. II, 203. s. Simeon de Magistris, Daniel secundum LXX. e Codice Chisiano. Rom. 1772. app. p. 467. s. Fr. J. Freindaller, Caji presbyetri fragmentum acephalom de Canone divinorum N. F. librorum comm. Linc. 1803. Fr. Th. Zimmermann, diss. h. c. Scriptoris incerti de Canone Librorum Sacrorum fragmentum a Muratorio repertum exhibens. Jen. 1805. Deinde codice msso. Bobiensi, nunc Ambrosiano, quo quidem uno usus est Muratorius, a G. Fr. Nott collato; M. J. Routh, in Reliquiis sacris. ed. alt. Oxon. 1846. I, 394. s. fragmentum hocce typis descripsit. Demum nova collatione a cl. Fr. Wieselero facta, illud ipsum C. Wieseler edidit in ann. Stud. u. Krit. 1847. p. 815. s. Successerunt disquisitiones C. A. Credner, Gesch. d. neutest. Kanon. ed. Volkmar. Berol. 1860. p. 146. J. v. Gilse, disp. de antiquissimo Librorum S. N. F. Catalogo qui vulgo fragmentum Muratorii appellatur. Amst. 1852. p. 7. s. P. Böttcher, Versuch einer Herstellung des Canon Muratorianus, im Zeitschr. f. d. l. Theol. 1854. 127. s. M. Hertz apud J. Bunsen, Analecta ante-Nicaena. Lond. 1854. I, 137. Nolte, über das sogenannte Muratorische Fragment kanonischer und nichtkanonischer Bücher, in Tüb. Q. S. 1860. p. 195. s. A. Hilgenfeld, der Kanon und die Kritik d. N. T. Halle. 1863. p. 40.

Monimentum celeberrimum post aliquam Codicis lacunam his verbis incipit: „. . . . . . . quibus tamen interfuit et ita posuit [1]. *Tertio Evangelii Librum secundo Lucam. Lucas iste medicus post ascensum Christi cum eo Paulus quasi ut juris studiosum secundum adsumsisset numeni [**nomine**] suo ex opinione concriset [**conscripsisset**] Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et idem prout assequi potuit. Ita et a nativitatate Johannis incipet*

---

[1]) De memorabilibus J. Christi a d. Marco digestis in immediate praecedentibus sermo fuisse videtur. Perpenso S. Marcum cum Apostolis, imprimis cum S. Petro familiaritatem contraxisse: ea „quibus tamen interfuit", non sunt res a Christo gestae, sed s. Petri de rebus a Christo gestis narrationes, quibus d. Marcus, quippe Petri ἑρμηνευτής interfuit.

dicere[1]. *Quarti Evangeliorum Johannis ex discipulis. Cohortantibus condiscipulis et Episcopis suis dixit: Conjeiunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit revelatum alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctis Johannis suo nomine cuncta describeret*[2]. *Et ideo licet varia singulis Evangeliorum Libris Principia*[3] *doceantur, nihil tamen differt credentium Fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de Nativitate, de Passione, de Resurrectione, de conversatione cum Discipulis suis, et de gemino eius Adventu. Primo in humilitate despectus, quod ro . . . . . .*[4] *secundum potestate Regali praeclarum, quod futurum est. Quid ergo mirum si Johannes tam constanter singula etiam in epistolis suis proferat dicens in semetipso: Quae vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus. Sic enim non solum visorem sed [se et] auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur. Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt Lucas [ea] optime Theophile comprehendit, quia sub praesentia eius*[5] *singula gerebantur, sicut et semote Passionem Petri evidenter declarat, sed profectionem Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis*[6]. *Epistola autem Pauli, quae a quo loco vel qua ex causa directe sint voluntatibus intelligere; ipse declarant. Primum omnium Corinthiis schisma haeresis interdicens, deinceps Callactis*[7] *circumcisionem. Romanis autem ordine*[8] *Scripturarum sed et principium earum esse Christum intimans, prolixius scripsit*[9]; *de quibus singulis necesse est a nobis disputari; cum ipse Beatus Apostolus Paulus sequens praedecessoris sui Johannis ordinem*[10],

---

[1]) Hinc demonstratur priora illa Evangelii capita, quae d. Lucae abiudicare haeretici cum veteres, tum recentiores gestierunt, authentica esse. [2]) Narratio ista etiam d. Hieronymo, praef. comm. super Matthaeum VII, 6. exstitit nota. [3]) Initia alii interpretes, capita alii intelligunt. [4]) Vario modo vacuum quod penes Muratorium spatium relinquitur, explere conati sunt viri docti. Quas Muratorius literas legit „ro", easdem potius „fo" legendas retulit Fr. Wieseler. Quid sibi velint istae literae, in utroque casu difficile est divinare. „Fore" nullum praebet sensum. „Prophetatum est", longius incisum habetur, quam vacuo spatio membranae capi possit. Censent alii „ratum est", fuit vel „factus" supplendum; quodsi l. b. parum rectum videatur, rem in medio relinquendam fatemur. [5]) Cuius? Theophili neutiquam, ut sequitur e Luc. Ev. 1, 4.; ergo S. Lucae. Non quidem omni ex parte verum, sed sensui Priscorum conveniens est, quod hic ab Anonymo traditur. [6]) Quae vero loci huius explicatio? Fortasse semote posuit scriptor pro „seorsum", i. e. alibi quam in Actibus Apostolorum relata esse, passionem Petri et iter Pauli in Hispaniam. [7]) I. e. Galatis, ut mox inferius legitur. [8]) Testimonium V. T. pro stabiliendo Novo. [9]) Verba „prolixius scripsit" ad omnes Epistolas praemissas spectat. [10]) Non

nonnisi nominatim septem Ecclesiis scribat ordine tali. Ad Corinthios prima, ad Ephesios secunda, ad Philippenses tertia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quinta, ad Thessalonicenses sexta, ad Romanos septima. Verum Corinthiis et Thessalonicensibus licet pro correctione iteretur, una tamen per omnem orbem terrae Ecclesia diffusa esse denoscitur [1]. *Et Johannes enim in*

---

attendit auctor fragmenti, epistolas s. Pauli dudum ante visam et editam Apocalypsim datas fuisse.

1) Similia leguntur apud Victorinum, comm. in Apoc. c. 1. ed. Biblioth. M. Colon. III, 137. „In toto orbe septem Ecclesias omnes esse, et septem nominatas unam esse Catholicam, Paulus docuit." V. e. S. Optatum Mil., de schism. Donatist. VI, 3. ed. E. Dupin Par. 1700. p. 94. coll. Apoc. 1, 13. S. Cyprianum, test. adv. Jud. I, 20. p. 28. de exhortatione martyrii n. 11. p. 202. Et ut loca aliorum S. S. P. P. et S. E., qui in numero septenario mysterium quaerebant, praetereamus S. Hieronymus, ep. 53. ad Paulin. n. 8. p. 280. ait: „Paulus Apostolus ad septem Ecclesias scribit, octava enim ad Hebraeos a plerisque extra numerum ponitur." E quibus non inepte colligitur, causam qua Anonymus noster ductus epistolam ad Hebraeos commemorare neglexerit: mysterium numeri septenarii fuisse. Jam vero cum animadvertamus reperiri, qui ex hac omissione, item ex verbis S. Hieronymi, ep. 129. ad Dardan. n. 3. „eam Latinorum consuctudo non recipit inter Scripturas canonicas" p. 971.: ostendere cupiunt epistolae Pauli ad Hebraeos Romanam Ecclesiam contradixisse: operae pretium erit demonstrare id aperte esse falsum, ac propterea non probatum d. Hieronymo. Juvat ante omnia monere hoc dicto S. Patrem neutiquam spectasse Ecclesiam Romanam, quae ab aevo S. Clementis P. M., qui huius d. Pauli epistolae testimonia, tanquam Divina laudavit in suis literis ad Corinthios usque ad S. Innocentium, qui illam inseruit suo catologo ad Exsuperium, constantissima traditione tenuit: scripturam ad Hebraeos esse Canonicam, eamque Pauli Apostoli publica in Lyturgia lectione celebravit. Alterum est d. Hieronymum in hoc de Epistola ad Hebraeos dicto verba Eusebii — H. E. III, 3. p. 72. „Pauli vero quatuordecim epistolae notae sunt omnibus et perspicuae. Sciendum tamen est epistolam ad Hebraeos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli epistola non haberi." — transsumsisse. Ceterum coll. c. 59. de Vir. Illustr. p. 137. multo duriora addit: „sed et apud Romanos usque hodie Pauli Apostoli non habetur." Si ad literam d. Hieronymus intelligendus esset, tanto ex adverso teste in non leves angustias nostra, de Ecclesiae Romanae circa auctoritatem et auctorem epistolae ad Hebraeos fide, sententia propelleretur. Secus est tamen. S. Hieronymus ab Eusebio mutuatus diversa, diversis locis mitigans nomine Latinorum et Romanorum, non videtur aliud intelligere potuisse; quam quosdam inter Latinos homines, qui falso praeferebant Ecclesiae Romanae nomen, ut non sine specioso titulo illam epistolam reiicerent. Equidem ex quo observamus Eusebium, H. E. VI, 20. p. 223. quosdam illos scepticos non nominasse; illos vulgares et nulla memoria dignos censemus. Iidem tamen cum Romana adpellatione prodirent, agnoscebant utique ac profitebantur: Ecclesiae Romanae auctoritatem

Apocalypsi licet septem Ecclesiis scribat, tamen omnibus dicit. Verum ad Philemonem una, et ad Titum una, et ad Timotheum duas pro affectu et dilectione, in honore tamen Ecclesiae Catholicae, in ordinatione Ecclesiasticae disciplinae sanctificatae sunt."

Transit posthaec Anonymus ad scripta illa recensenda, quae in Canone S. Literarum non habentur: „Fertur etiam in Laudecenses, alia ad Alexandrinos Pauli nomine fictae ad haeresem Marcionis; et alia plura, quae in Catholicam Ecclesiam recipi non potest. Fel enim cum melle misceri non congruit"[1].

---

maxime valere in his rebus. Profecto Eusebium meminisse oportuisset eorum, quae testatus est H. E. III, 38. p. 110. in haec verba de epistola S. Clementis Romani locutus: „In qua cum multas inserat sententias desumtas ex epistola ad Hebraeos, iisdemque interdum verbis utatur, satis indicat opus illud neutiquam recens esse. Quamobrem cum ceteris Apostoli scriptis non sine causa hoc etiam — in Ecclesia sc. Romana — recensitum videtur." Eusebius ergo ipse Canonicam esse Scripturam agnovit. Nec aliter S. Hieronymus. Vide praeter alia, quod in continuatione l. s. c. ad Dard. affirmat: „nos utramque — ep. ad Hebr. et Apocalypsim — suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes."

[1]) Memoratur hic epistola ad Laodicenos a Marcione conficta; consona sunt haec iis, quae Tertullianus, adv. Marc. V, 11. p. 289. 17. p. 303. S. Epiphanius, haer. XLII, 12. p. 375. et D. Hieronymus, de vir. ill. c. 5. p. 36. tradiderunt. V. H. R. D. N. T. p. 447. s. Praeterea aliorum pseudepigraphorum memoriam iniicit Anonymus, nimirum apocryphae epistolae datae ad Alexandrinos, „cuius, notat Muratorius p. 853., nescio an quisquam alius meminerit." Potest istud comma capi de aliqua scriptura d. Paulo supposita, quae vel plane periit, vel sub alio titulo apud Veteres habetur. Nostrum non est, e fine huius analyseos, disceptationes, quae de his epistolis inter eruditos actae sunt, enarrare, illud modo addimus ferendam non esse Semleri, not. 21. ad Oeder, chr. freie Unters. ü. d. sogenannte Offenbarung Joh. Hal. 1769. p. 29. opinionem, quam his diebus instauravit C. Wieseler, eine Untersuchung ü. d. Hebräerbrief. Kiel. 1861. I, 26. s. II, 11. s.: epistolam illam ad Alexandrinos eandem esse, quam Canon habet ad Hebraeos. Enimvero adsunt gravia rerum momenta, quae hic de epistola ad Hebraeos cogitare vetant. a. Nemo Veterum tradit epistolam ad Hebraeos datam ad Alexandrinos, vel ad Judaeos graece loquentes scriptam fuisse; imo plurimorum potius sententia est, illam Hebraeis hebraice exaratam esse. V. H. R. D. N. T. p. 459. s. 463. s. b. Nec unus antiquorum testium affirmat, epistolam ad Hebraeos Pauli nomine confictam et circumlatam fuisse. c. Verba de haeresi Marcionis, etiam ad epistolam ad Alexandrinos esse referenda quivis videt; hoc concesso sequitur quod Anonymus de erroribus Marcionis nullam habuerit cognitionem; cum epistolam doctrinae Marcionis prorsus oppositam, ab isto haeretico vel eius asseclis s. Paulo Ap. suppositam opinatur. Durissima denique d. et impia sunt ultima verba „fel enim cum melle misceri non congruit" — similia vide apud S. Irenaeum, in Routh, Reliq. S. I, 48. et

Pergit postea Anonymus sermonem facere de Epistolis Catholicis: „Epistola sane Judae [1], *et superscripti Johannis duas in Catholica habentur“* [2]. *Subiicit: „Et Sapientia ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta* [3]. *Apocalypsis etiam Johannis, et Petri* [4], *tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi in Ecclesia nolunt.“ Denique concludit: „Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in Urbe Roma Herma conscripsit sedente Cathedra Urbis Romae Ecclesiae Pio Episcopo fratre eius. Et ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in Ecclesia Populo, neque inter Prophetas completum numero, neque inter Apostolos in finem temporum potest. Arsinoi autem, seu Valentini, vel Mitiadis nihil in totum recipimus, qui etiam novum Psalmorum Librum Marcioni conscripserunt una cum Basilide Assianum Catafrygum constitutorum.“*

Hinc novam incipere scriptionis sectionem, in Codice vacuo spatio indicatur. Quae autem ad praesentem calcem huius fragmenti leguntur, satis produnt, abhinc librorum ab haereticis compilatorum inchoatam esse enumerationem. Ceterum quis sit Arsenous et Mitiades, inquirere non est huius loci; quo nisi Anonymi catalogum S. S. N. T. illustrare tentavimus; illud modo addimus „novum Psalmorum librum“, videri unum esse ex aliis a Marcione elucubratis voluminibus erroris, quorum memoriam iniecit S. Epiphanius, haer. 42, 9. p. 309. Quibusdam Criticis placet etiam huc trahere illa, quae de Psalmis a Valentino, Gnosticorum facile principe, composita tradit Tertullianus, de carne Christi n. 17. et 20. p. 83. 87.; ut sic intelligatur liber Psalmorum nomine Marcionis insignitus.

Hermae Pastor, II, 5. ed. Hefele p. 357. — si uti contextus postularet ad epistolam ad Hebraeos referantur. Etsi enim de illius auctoritate scriptoreque aliquamdiu disputaretur, nihilominus magni pretii habita est ab omnibus.

[1]) Omisit epistolam S. Jacobi, et quod mireris utramque D. Petri. Verum obliviscendum non est, testimonium Anonymi non modo acephalum, sed etiam mutilum esse; et vel idcirco verisimile fit, in contextu antecedenti vel subsequenti etiam hos N. T. libros adfuisse. [2]) Cur duae tantum? Sed antiquissimi quoque s. s. Patres e. g. D. Irenaeus, adv. haer. III, 16, 8. p. 511. secundam epistolam cum prima ita coniunxerunt, ut unam tantum laudantes, modo e prima modo e secunda, quasi ex una eademque allegarent. Hinc inferre licet etiam Anonymum, priores epistolas tanquam unam, tertiam vero tanquam alteram considerasse. [3]) Quomodo hic Liber e Canone V. T. in illum N. T. translatus fuerit, omnino singulare est; nec in ullo alio prisco Catalogo hac ratione enumeratus reperitur. [4]) Qui vero Anonymus Apocalypsim Petri, — quae interim coll. Eusebii, H. E. III, 25. p. 97. saeculo iam secundo circumferebatur — ab Ecclesia receptam affirmare potuerit, perspicere nequimus. Forte eo sensu quo Rufinus, expos. in symb. Apostolorum n. 38. scripsit p. 206. „In novo vero Testamento libellus, qui dicitur Pastoris sive Hermetis, qui appellatur duae viae, vel iudicium Petri; quae omnia quidem legi in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei communiendam.“

§. 16. De Tempore, quo fragmentum exaratum fuit disquiritur?

Scriptorem huius testimonii Anonymum ad ultima saeculi secundi tempora; vel initia saeculi tertii referendum esse, efflagitare videntur argumenta quaedam interna totidem aetatis illius indicia. a. Desideratur in hoc testimonio vocabulum „Canon" et „Canonicus"; quod deinde seriori tempore in quaestionibus de S. S. authentia et auctoritate, quasi solenne et constans evasit. Cf. Suiceri, Thes. eccl. s. v. κανονίζω et κανονικός II, 34. 35. coll. I, 687. Dominici Macri, Melitensis eq. aur., Hierolexicon s. v. Canon. p. 141. H. Planck, de significatu Canonis in Ecclesia ant. p. 209. s. C. A. Credner, Gesch, d. neutest. Kanon. p. 26. s. 98. s. Argumentum istud confirmatur b. commemoratione haereticorum; quorum qui nominibus suis advocantur, nullus post saeculi tertii initia surrexit. Quodsi scriptor noster, pari modo ac Hermas, Montanistas impugnans, tardius vixisset; aliquo modo facta mentione aliorum quoque haereticorum et librorum ab iis suppositorum aevum suum prodidisset. c. Cum Anonymus noster dicat: „Pastorem vero nuperrime temporibus nostris, in urbe Roma Herma conscripsit, sedente Cathedra Urbis Romae Ecclesiae Pio Episcopo fratre eius"; se ipsum Hermae fere coaevum perhibet, et aetatem qua catalogum compilavit verbis longe clarissimis indicavit. Saeculo secundo exstitisse Pastorem e Veterum testimoniis confecit Hefele, prol. p. 95. s. Idem porro vir doctissimus subtiliter, uti consuevit, defendit fratrem Pii I. librum hunc conscripsisse. Quae cum ita sint, scriptorque fragmenti de re ista loquatur, quemadmodum de rebus divulgatis quibuslibet loqui quis solet; plane sequitur illum omnino esse veterrimum et iam circa saeculi secundi dimidium vixisse. Vulgo enim Pii I. Pontificatus spatium inter a. 142. et 157. explevisse sumitur. Patet igitur ex hac annotatione: annum circiter 160. tempus fuisse, quo testimonii huius „de Canone s. Romanae Ecclesiae" auctor illud edidit. Scriptor quis fuerit non constat, Romanum vel saltem Italum fuisse; non spernenda efficiunt argumenta. Profecto α. diserta mentio s. s. Apostolorum Petri et Pauli; β. laus Pii Episcopi Romani; et γ. adpellatio „Urbis" κατ' ἐξοχήν, Romae attributa, extra omnem veritatis aleam ponunt: auctorem fragmenti vel Romae vel adminus in Italia vixisse. Idem δ. coniicitur ex ordine, quo S. Libros N. T. recenset, qui ab antiquissimo inde tempore in Ecclesia Occidentali obtinuisse videtur, sc. ut Actis Ap. statim succedant Epistolae Paulinae. Quod argumentum non minus firmum manet; etiam si Hug, Einl. I, 124. Routh, Bunsen, Nolte, Hilgenfeld l. c. recte opinari essent censendi, qui textum quem nunc habemus latinum e graeco archetypo translatum esse statuerunt. Qua in re magis ingenium, quam opinionem suam probarunt. Ceterum latino sermone esse exaratum hocce testimonium e paronomasiis — v. c. principia, principali; fel cum melle — in eo obviis sibi deprehendisse visus est Gilse, l. c. p. 26. Sed sermo est barbarus, impurus, scatet mendis et soloecismis; atque librariorum, uti omnes queruntur, imperitia corruptus et foedatus est.

His interim non contentus Muratorius, ulterius progressus est l. c. p. 852. scribens: „Si coniecturam meam exerere fas est, in illam opinionem feror, tri-

buenda haec esse Caio Ecclesiae Romanae presbytero, qui sub Victore et Zephyrino Pontificibus, teste Photio, in Biblioth. cod. XLVIII. floruit". Cf. G. Lumper, Hist. th. cr. Aug. Vind. 1790. VII, 17. s. Quae ad hanc coniecturam commendandam adfert vir doctissimus, sequentia sunto. 1. Disputationem Caii istius disertissimi viri, habitam Romae temporibus Zephirini adversus Proclum quemdam Cataphrygarum haeresis propugnatorem, memorat Eusebius, H. E. VI, 20. p. 222. et S. Hieronymus, fere iisdem verbis, de vir. ill. c. 59. p. 136. Accedit et alterum 2. robustius argumentum. Refert Anonymus u. v. celebrem Hermae Pastorem, nuperrime temporibus nostris, conscriptum. Jam inter eruditos constat Hermam floruisse ad dimidium saeculi secundi. Et certe si tunc Romanam cathedram tenuit Pius I.; illius frater u. v. Pastorem scripsisse dicendus est c. a. 150. At Caius vixit adhucdum 196., et nihil obstat, quin antea haec scripserit. Tandem 3. fragmenti auctor narrat: „Apocalypsim etiam Johannis et Petri tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi in Ecclesia nolunt". Recte haec in Caii tempora conveniunt. Eusebius, H. E. III, 25. p. 97. Apocalypsim Petri inter dubios quidem libros recenset, non tamen abiicit veluti haereticorum foetum. Cf. Grabium, Spic. Patr. I, 71. s. Haec ille quidem fragmenti primus editor opinatur, quocum sentiunt multi viri eruditi, aliis repugnantibus; imprimis quia Caius apud eundem Eusebium, H. E. III, 28. p. 99. s. Joannis Apocalypsim Cerinthi esse existimet, quam quidem Anonymus pro Canonica habet. Attamen haud abs re censemus, prorsus incertum esse num verbis l. c. „ἀποκαλύψεσιν, ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμέναις" significetur Apocalypsis d. Joannis.

Haec vero licet sint incerta, tamen antiquitati scriptoris summe venerabili nihil derogant, nihilque obstat, quominus pretium huius testimonii quam maximi faciamus. In quod aestimandum ire non suadent solum, sed cogunt rationes gravissimae. Scriptor ille a. ita agit, ut dubitandum non sit S. Scripturas iam satis diu hominibus, inter quos vivebat, notas agnitasque fuisse; atque adeo Canonem N. T. ante saeculum secundum in Ecclesia Romana absolutum exstitisse. Porro b. sic loquitur de S. Scriptura, ut appareat eum non modo suam de illis Libris proferre opinionem; sed publicam universae Ecclesiae de iis sententiam. c. Patet ex hoc fragmento veterrimi aevi Ecclesiam, summa cura et diligentia in colligendis Libris Canonicis fuisse versatam, atque authentica ab apocryphis scriptis caute distinxisse. Enimvero quisquis ille Anonymus fuerit, hoc indubie testatur: Ecclesiam Catholicam genuina possidere Apostolorum scripta, Haereticos contra subreptitiis gloriari spuriisque eorundem libris. Itaque testimonium nostrum valide refellit criticos huius temporis Neo-Tubingenses cognominatos, qui neglecta historiarum luce, ingenio suo indulgentes tantum: vix non omnes N. T. Libros post medium demum saeculum a C. N. alterum, natos esse temere suspicantur. Contra istos S. Scripturae pertinaces impugnatores praeclare disputavit H. G. Hoelemann, Neue Bibelstudien. Leipz. 1866. praef. p. 6. s.

SECTIO SECUNDA.

DE IIS QUAE

SACRIS BIBLIIS UTRIUSQUE TESTAMENTI CONNEXA SUNT.

§. 17. Varia S. Scripturae Nomina.

Cum excellentium rerum natura, ea sit[1], ut simul prout est in se ipsa, captum nostrum excedens intelligi nequeat; factum cernimus quod S. Scriptura pluribus, veluti a nobis illa divisim cognoscitur, nominibus distinguatur[2]. Ita Verbum Dei literis exaratum dicitur: ‚Sacrae Literae' ἀντονομαστικῶς[3]. Enimvero librorum ac scripturarum omnium prima principia et elementa sunt Literae; ideoque ipsarum et libri et scripturae nomen retinent; Sacrae, quod earum auctor et argumentum certe sacrum iudicatum sit. Saepe saepius Scripturae Sacrae pluraliter ‚αἱ γραφαὶ ἅγιαι', vel etiam absolute ‚ἡ γραφή'[4], idcirco adpellatur; quod maxime digna ceterisque omnibus rebus praestantior Divina Revelatio fuerit, quae scriptis mandaretur. Proxime cum praegressa cohaeret S. Paulo usurpata denominatio[5] ‚τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ'; eloquia Dei, quae argumento est de origine S. Scripturae vere Divina ac infallibili αὐτοπιστία. Ob sublimitatem argumenti Divini, quo humanos libros omnes antecellit, per eminentiam nominatur Hebraeis:

---

[1]) Teste d. Thoma Aq., S. P. P. q. 13. a. 1. p. 201. 2. [2]) Ob eximiam sui celsitudinem et eminentiam Voluminis, in quo utriusque Testamenti Libri continentur; apud Hebraeos pariter ac Christianos scriptores, multa imposita sunt Nomina; propria et metaphorica, usitata et minus usitata, et quidem aliqua iam in S. S. iisdem de semetipsis occurrunt, alia tardius imponi ceperunt. [3]) Sive per excellentiam. [4]) Rom. 1, 2. Joann. 19, 36. [5]) Rom. 3, 2.

‚סֵפֶר' Liber vel absolute[1], vel composite ‚מְגִלַּת־סֵפֶר' volumen Libri; quod ipsum Apostolus[2] graece reddidit: ‚ἐν κεφαλίδι βιβλίου'. Admonet nos utraque nomenclatio, ut cogitemus de praestantia S. Voluminum; quippe quae per excellentiam Libri nominantur, meritoque quam maxime aestimantur. Christianis tritissimum in vulgo etiam[3] nomen est: ‚τῶν βιβλίων', Bibliorum; vel e Danielis auctoritate[4], vel ex Siracidis prologo, vel denique ex Graecorum Patrum usu, s. Chrysostomi cumprimis, cui perquam frequens est, petitum[5]. Vocantur autem: ‚τὰ βιβλία' sc. θεῖα, ‚τὸ βιβλίον' et ‚ἡ βίβλος'[6], tanquam Codices qui Divinam doctrinam continent, quique omnes alios libros dignitate et utilitate longe superant, atque ab Ecclesiasticis studiose volvendi sunt. Iidem porro Libri Sacri audiunt: ‚Bibliotheca Sancta', quod constat e s. Hieronymo[7], atque s. Isidoro Hispalensi[8]; imo et Pandectae, πάνδεκται; qui titulus collectionem librorum significat, et prae reliquis Alcuino placuit[9]. Inter cetera, quibus adhucdum Codex Sacer insignitur, nomina illud et frequentius, et maxima animadversione dignum est: ‚Testamentum' בְּרִית, Διαθήκη, forte non tam acceptione illa usitatissima, qua mentis nostrae summam et extremam, ideoque constantem nec unquam mutandam indicat: sententiam tabulis supremis scriptam de eo, quod quis post mortem suam fieri velit; sed illa qua haec vox pro testatione de aliqua re, pro foedere et pacto, seu pro contestatione seu instrumento Foederis, quod inter Deum et hominem initum est, adhibetur[10]. Ceterum distinctio Veteris et Novi Testamenti ipsius

---

1) Nehem. 8, 8. 2) Ad Hebr. 10, 7. 3) Et pene in nostratibus vernaculis linguis omnibus notissimum. 4) Proph. 9, 2. הַסְּפָרִים; LXX. αἱ βίβλοι. 5) V. l. s. c., item homil. IX. ad Col. n. 1. ubi diserte ait: comparate vobis βιβλία φάρμακα τῆς ψυχῆς. XI, 391. 6) A voce βίβλος quae papyrum significat arborem, et tiliae alteriusve arboris corticem; qui in longissimas tenuissimasque philyras ductus, chartae usum Veteribus praebebat. 7) De vir. ill. c. 75. p. 165. et 81. p. 167. 8) Etymol. VI, 3. p. 235. De hoc nomine multis exemplis agit J. Martianaeus, prolegomeno primo ad Opera S. Hieronymi, tom. I. ed. Par. 1693. 9) Juxta epigramma ad calcem Textus a se recogniti in Vallicellano msso., quod sic habet: „Nomine Pandecten proprio vocitare memento, hoc corpus sacrum, Lector, in ore tuo. Quod nunc a multis constat Bibliotheca dicta Nomine non proprio ut lingua Pelasga sonat.“ Cf. Vallarsium, Op. S. Hieronymi XI. a. praef. p. 11. 10) Nullum dubium quin LXX. interpretes vocem διαθήκην, apud Graecos communiter adhibitam pro ultimae voluntatis declaratione, et vetustissimus pariter translator Latinus ante Hieronymum; nomen Testamentum in generaliori

Apostoli[1], qui nomina καινῆς διαθήκης et τῆς παλαιᾶς διαθήκης usurpavit, auctoritate nititur; quin imo prima origo Jeremiae[2] tribuenda videtur. Vetus et Novum Testamentum vocatur, habita ratione temporis; quatenus Vetus spectata aetate tempora Ecclesiae antecedentia, Novum tempora Incarnationem Christi sequentia, denotat; et Joanne Baptista limite utrumque disterminatur[3]. Ex his sequitur, quod duplicem ob causam Testamenti nomine S. Literae insigniri soleant: a. quia Foedus geminum Dei cum hominibus sancitum continent, simulque b. omnia ad Testamentum requisita: testatorem, haeredes, legata et testes transscribant[4]. Quidam S. Codicem U. F. ‚Instrumentum' nuncupant[5]. Scripturae,

significatione usurpaverit pactionis sive pacti. Cf. Exod. 24, 7. IV. Reg. 23, 21. Jerem. 38, 31. Deut. 9, 9. Quod expresse testatur S. Hieronymus, Quaest. hebr. in Genes. 17, 3. „Notandum quod ubicunque in Graeco Testamentum legimus, ibi in Hebraeo sermone sit foedus sive pactum.“ III, 331. Et Comment. in Jerem. 31, 31. „Quod autem pactum pro Testamento ponimus, Hebraicae veritatis est, licet Testamentum recte pactum appelletur, quia voluntas in eo atque testatio eorum, qui pactum ineunt, continetur.“ IV, 1073. Atque clarissime Comm. in Malach. 2, 3. „Notandum quod בְּרִית verbum Hebraicum Aquila συνθήκην, i. e. pactum interpretatur. LXX. semper διαθήκην i. e. testamentum et in plerisque Scripturarum locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viventium.“ VI, 957. Eadem res roboratur etiam ex auctoritate aliorum vetustissimorum interpretum. Nomine testamenti proprie dicto utitur divus Paulus. Gal. 3, 15. Hebr. 9, 15. His Apostoli locis lucem affert s. Ambrosius: „Testamentum autem dicitur, ut pulchre scribit l. I. de Cain. c. 7. p. 196., quo defertur bonorum haereditas. Merito et Testamentum dicitur, et divinum, cum ea, quae vere bona sunt, attestatione mandatorum coelestium conferuntur.“

[1]) II. Cor. 3, 6. 14. [2]) 31, 31. [3]) Cf. Clementis Alex., Stromat. VI, 5. p. 761. Tertulliani, adv. Marc. IV, 1. p. 146. Lactantii, Inst. div. IV, 10. p. 209. S. Ambrosii, expos. Ev. sec. Luc. l. VII. in 10, 35. p. 1429. S. Augustini, contra duas epistolas Pelagii III, 12. t. X. 454. Cassiani, coll. XIV, 8. et 10. p. 452. 6. Cf. Ph. Codurci, Annot. in ep. ad Hebr. IX, 16—18. Par. 1647. J. H. Leidenfrost, diss. q. nomina num. div. ordo L. s. V. T. sistuntur. Hal. 1743. p. 4. J. G. Rosenmülleri, diss. de vocabuli διαθήκη in Libris N. T. vario usu, in Velthusen, comm. theol. II, 205. s. [4]) Coll. Matth. 25, 34. a. q. v. Hist. R. D. V. T. prol. p. 2. Novi autem et Veteris ratio latet u. v. in differentia temporis, testatoris, testantium et promissionum. [5]) Ita S. Augustinus, de Civitate Dei XX, 4. p. 370. „Huius itaque ultimi iudicii Dei testimonia de Scripturis Sacris ponere institui, prius eligenda sunt de Libris Instrumenti Novi, postea de Veteris.“ Et olim Tertullianus, Apolog. c. 18. p. 81. „Sed quo plenius et impressius tam ipsum dispositiones eius et voluntates adiremus, Instrumentum adiecit literaturae, si

quas Ecclesia iure Sacras adpellat, habendae sunt veluti pro Tabulario publico summe authentico, quo Deus genuinum de rebus aeque summis ac certis praestat testimonium, atque ad sua ipsius nos cognitione saluberrimis vitae agendae praeceptis sanctissimaque religione imbuendos utitur. Sunt et alia S. Scripturae nomina [1], frequenti Christianorum atque Judaeorum usu, sensim civitate donata; sed haec diversa dumtaxat nomina sunt idem sonantia, nec S. Librorum uberiorem adferunt notionem [2].

§. 18. De S. Bibliorum partitione universa.

Partitio S. S. vel universalis est totius Codicis S. in suas partes, vel particularis singulorum Librorum in sectiones, cum maiores tum minores; et quidem:

I. Veteris Instrumenti antiquissima eaque Hebraeorum nota divisio fuit τριχοτομικὴ [3]. Prima pars est תּוֹרָה, ὁ νόμος [4]; altera נְבִיאִים, οἱ προφῆται, Josue, Judicum, Samuel, Regum, quos רִאשֹׁנִים priores, deinde אַחֲרוֹנִים [5] sive posteriores quos vocant — inter hos Isaiam, Jeremiam et Ezechielem גְּדוֹלִים maiores dicunt; postea δωδεκαπρόφητον, i. e. duodecim minores קְטַנִּים, ab Osea ad Malachiam [6]. — denique tertia כְּתוּבִים, ad quae Jobum, Psalmos, Proverbia, Canticum Canticorum, Ecclesiasten, Esdram, Danielem, Paralipomenon ac Estherem remittunt. Haec ultima etiam τὰ γραφεῖα et ἁγιόγραφα [7] nominantur. Hanc triplicem divisionem suo usu sanctificavit Divinissimus Salvator, quando illis [8] emaunticis viatoribus in memoriam revocat omnia, quae de se scripta reperiebantur: in Lege, Prophetis et Psalmis [9]. Sed idem Dominus Noster, simplicitatis amans, eiusque Apostoli, habito respectu argumenti, in duas quoque S. Libros dispescunt classes: ὁ νόμος καὶ προφῆται [10]. Quinque Libris Legis respondere

qui velit de Deo inquirere, et inquisito invenire, et invento credere et credito deservire."

[1]) De quibus adeundi sunt J. H. Hottinger, Thesauri phil. s. Clavis Scripturae sect. III. ed. Tigur. 1649. p. 95. H. Goldhagen, Introd. in S. S. V. ac N. T. I, 2. 5. [2]) Quibus omnibus enumerandis hic insistere longum esset. [3]) Habetur iam in prologo Siracidae. [4]) Hist. V. T. p. 175. [5]) L. c. p. 199. [6]) Coll. Sir. 49, 12. [7]) A S. Epiphanio, haer. XXIX, 7. I, 122. item de pond. et mens. c. 4. II, 162. [8]) Luc. 24, 44. [9]) Psalmos nimirum pro universo Hagiographorum ordine posuit. [10]) Matth. 7, 12. Luc. 16, 16. Act. 13, 15. Rom. 3, 21. Legis terminus per synecdochen pro Pentateucho; Prophetarum, pro reliquis omnibus voluminibus sumitur, quorum Scriptores sensu latiori Prophetae fuere,

dicuntur a Judaeis quinque libelli festivales חָמֵשׁ מְגִלּוֹת, Canticum C., quod legunt in festo Paschae; Ruth festo Pentecostes, Threni die exusti templi 9. Julii, Ecclesiastes festo Tabernaculorum, Esther autem in festo Purim [1].

II. Alia partiendi ratio invecta est a Christianis interpretibus, attento cuiuslibet libri scopo, qui principalior; et materiae indole, quae potior est, in partes quatuor: legalem, quae legum divinarum exhibet promulgationem; historicam, qua rerum gestarum continetur memoria; doctrinalem sive didacticam, quae fidei et morum praecepta tradit; et propheticam, quae res futuras praenunciat. Alii attamen scriptores, idque congruentius, Libros s. Codicis universi in trinariam seriem dispescunt; α. in Historicos i. e.: Quinque libri Moysis, Josue, Judices, Ruth, IV. Regum, II. Paralipomenon, II. Esdrae, II. Machabaeorum Tobias, Judith, Esther; β. in Didacticos [2]: Psalmi, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum C., Sapientia, Ecclesiasticus; γ. in Propheticos: Isaias cum reliquis sexdecim Prophetarum Libris. Eadem partitione in Novo Testamento adhibita, ad historicos rite referuntur quatuor Evangelia et Acta Ap.; ad didacticos Apostolorum Epistolae; ad propheticos denique Apocalypsis.

§. 19. Singulorum Librorum U. T. divisio.

Minores sive particulares singulorum Librorum divisiones quod attinet; V. F. in suas sectiones divisio vel Judaeis propria est, vel his cum Christianis communis. Judaei Pentateuchum in פָּרָשִׁיּוֹת, Paraschas maiores LIV. — attento mense intercalari, ad nostri Kalendarii rationem 52. sufficerent — sive pensa hebdomadaria distinguunt; quibus universa Lex Mosaica publicis in Synagoga praelectionibus quotannis absolvitur, et quidem ab antiquis inde diebus. Coll. Luc. 16, 29. 31. 24, 27. Joan. 5, 45. 46. Act. 15, 2. Singulis Paraschis respondent singulae הַפְטָרוֹת, Haphtarae; sive pericopae propheticae, Paraschis sensu et contentis utcumque respondentes, ac in synagogis publice post recitationem Legis, praelegi consuetae. Luc. 4, 17. Act. 13, 15. s. II. Cor. 3, 14. Cf. L. Reinke, Beiträge zur Erklärung des alten Testaments. Münster. 1866. VII, 25. s. Progressu temporis a Christianis mutuo acceptam adoptarunt Judaei distinctionem: in capita q. d. קַפִּיטְלִי, et versus פְּסוּקִים, κόμματα; neque enim in N. T., neque in Masora et antiquis Rabbinorum commentariis tale quid deprehenditur. Excipiuntur Libri S. Poetici, quorum στίχοι antiquis iam usurpabantur. Morem S. Scripturas in Lyturgia

---

i. e. legati divini voluntatem Numinis hominibus aperientes. Ceterum tripartitam S. Codicis divisionem sub Christi tempora familiarissimam exstitisse, docet Josephus, contra Apion. I, 8. II, 441.

[1]) Cf. A. Pfeifferi, Criticam s. Dresd. 1721. p. 5. [2]) Quos aliqui rursus bifariam dividunt, videlicet in poëticos et sapientiales.

legendi a Synagoga ad Ecclesiam Christi transiise, dubitari non potest. Tempore iam Apostolorum Legem quoque et Prophetas ad fidelium mores excolendos, demonstrandumque Filii Dei adventum, Dominica potissimum die, in s. Synaxibus — nomine „σύναξις“ communiter intelliguntur sacri conventus, quos antiqui fideles faciebant; aliquando etiam Eucharistiam v. H. R. N. T. p. 112., i. e. missam denotat, quia conventualiter celebrabatur — publice recitatos et ab Apostolis explicatos fuisse, eorundem Acta 20, 7. docent. Post promulgata Evangelia, scriptasque Epistolas, earum etiam lectio S. Scripturis Veteris Instrumenti adiuncta fuit. Ut vidimus Comm. h. p. 9. Post Concilium Nicaenum in singulis publicis conventibus Sacrarum Literarum in universum lectioni Christicolas operam dedisse, testatur S. Basilius M., homil. in Ps. 59. n. 2. I, 190. s. scribens: „Ideo et nostra sunt oracula divina, et ab Ecclesia Dei, tanquam dona divinitus missa, in singulis conventibus leguntur, velut alimentum quoddam animarum, quod a Spiritu subministretur.“ Sed et sacrorum conventuum atque lectionum in iis recitatarum numerus mansit incertus. Illud tantum coll. Socrate, H. E. VI, 8. ed. Val. p. 313. Sozomeno, H. E. VIII, 8. ib. p. 767. S. Joanne Chrysostomo, homil. XI. in Joann. n. 1. VIII, 62. Joanne Cassiano, de Coenobiorum institutis III, 2. p. 30., certo affirmari potest: Sabbato atque Dominica die, s. synaxes habitas fuisse. Idem quoque patet e Canone XVI. et XVII. Concilii Laodiceni. ap. Mansi, II, 567. Ceterum S. Chrysostomus, homil. LVIII, 4. in Joann. inquit de lectione S. Scripturae l. c. p. 342. „Nam si quis assidue veniat, etiamsi domi non legat, sed hic dictis attendat, anni unius spatio poterit multa discere. Neque enim hodie has, cras alias Scripturas legimus, sed semper easdem.“ Unde sequi videtur certas S. Scripturae sectiones singulis per anni circulum habendis synaxibus accommodatas fuisse. Quin et vetustior Tertullianus, libro de anima n. 9. s. synaxeos ordinem describens, primo S. Scripturae lectionem ponit p. 179.; et ad uxorem II, 2. loquens ait: „Numquid de illo Capitulo sibi blandiuntur primae ad Corinthios“ J. c. I. 7, 7. p. 71. Dionysius quoque Alexandrinus, apud Eusebium H. E. VII, 25. p. 272. Apocalypsim in ‚κεφάλαια‘ divisam fuisse, auctor est. Sed et reliquos S. Scripturae Libros ad usum lyturgicum in sectiones certas, et procedente tempore fixas, distinctas fuisse tradunt Veteres.

Non abs re autem erit quaedam „de etymo et usu Pericoparum“ animadvertere. Περικοπὰς dixerunt a pericope, περικοπή; quae a περι et κόπτω proprie significat resegmen, quod resecatur. Usurpatur deinde de omni sectione circum concisa, imprimis vero de particula libri vel scripti; „περικοπὴ μέρος τι τῆς ὑποθέσεως“, inquit Suidas, Lex. s. h. v. II, 213. S. Justinus, dial. cum Triph. num. 72. p. 284. de Jerem. 11, 19. et num. 109. p. 368. de Mich. 4, 1. s. locis adhibet vocem περικοπή. Quoniam vero nomen Graecum „ἀνάγνωσις“ vel ἀνάγνωσμα non significat modo legendi actum, sed etiam id quod legitur; inde factum, ut Graeci Patres περικοπὰς adpellarent „ἀναγνώσεις“, et ἀναγνώσματα. Easdem Latini P. P. et S. E. lectiones vocarunt; unde hodieque in Missa „lectio epistolae“, inde denique etiam lectores et lectionaria. Act. 8, 32. eodem sensu occurrit περιοχή. Sensu igitur latiore pericope, periocha, anagnosis et lectio indicant unamquamque alicuius Libri sectionem, imprimis tamen Librorum S. U. F.; strictiore sensu sectiones V. et N. T., quae in Ecclesia praelegebantur, atque hoc sive continua serie se excipiebant, sive

hinc inde excerptae erant. Tabula, in qua ad commodum lectorum anagnostarum initia et termini lectionum additis primis et ultimis verbis annotata fuere, „Synaxarium" nominatur. Librorum autem in quibus Veterum anagnosmata seu lectiones reperiuntur, duplex est genus. Ad primum pertinent ipsi S. Textus continui codices, in quorum margine anagnosmatum initia et termini assignata habentur; ad alterum referuntur volumina singulas lectiones complectentia, quorum duae rursus sunt species. Et quidem in aliis Evangeliorum tantum, unde n. Εὐαγγελιάριον, in aliis ex Actis Apostolorum et Epistolis, unde n. Apostolus, Praxapostolus lectiones exhibentur. V. p. 36. Utriusque generis lectiones, ita tamen ut duae iunctae sint, altera ex Praxapostolo, altera ex Evangeliario — Ἀποστολοευαγγελιάρια — reperiuntur in Euchologiis, quae illis inferiora sunt aetatis. Sed ne h. l. nimis multa iam dixerimus veremur; plura dabunt: L. A. Zacagnius, collect. mon. vet. Eccl. gr. Romae 1698. praef. n. 60. s. p. 74. s. Leo Allatius, de libris ecclesiasticis Graecorum diss., apud J. A. Fabricium, Biblioth. gr. ed. v. Hamb. 1722. p. 57. s. ed. nov. Harles. X, 140. s. J. Fl. Selvaggius, Antiq. chr. inst. ed. Patav. 1780. II, 99. Scholz, de Menologiis — e quo lectiones dierum a mense Septembri ad Augustum leguntur — duorum Codicum Graecorum Biblioth. R. Paris. Bonnae 1823. M. Roediger, symbolae q. ad N. T. Evangelia potissimum pertinentes. Hal. 1827. p. 14. s. J. E. Damkier, de pericopis ad usum eccl. fixis diss. Havn. 1840. p. 25. s. J. H. Thammer, de origine et dignitate pericoparum quae Evang. et epist. vulgo vocantur schediasma I. II. Jen. 1716. G. Rothe, de pericoparum origine diss. Havn. 1839. E. Ranke, das kirchliche Pericopensystem. Berl. 1847. p. 258. Saeculo a Christi Natalibus tertio S. Literas populo praelegendas in partes minores, imo minimas distributas patet ex multis Origenis testimoniis; quae diligenter collegit celeberrimus D. Huetius, in nota ad Origenis comm. in L. L. Reg. ed. Colon. 1685. II. n. p. 8. Illud autem commemoratione dignissimum est, quod Ammonius Alexandrinus philosophus, vir de Codice Evangeliorum praeclare meritus, circiter medio saeculo tertio Harmoniam Evangeliorum adornaturus — v. Protheoriae, n. 14. p. XVII. — textum Evangeliorum secundum sectiones disposuerat: iniectis in Evangelium S. Matthaei e reliquis tribus, quaecunque apud ipsum haud occurrebant; ac appositis textui S. Matthaei περικοπαῖς ceterorum Evangelistarum, ubi de eodem argumento fusius agunt. Quando autem apud reliquos Evangelistas seu aliqua seu omnia convenirent, adscripsit ad oram Harmoniae notas numerales, parallelarum pericoparum indices; quarum quidem beneficio ad ὁμόφωνα loca recurrere liceret. — Τίτλους sive κεφάλαια Ammonii recenset J. Millius, proleg. ad N. T. ed. L. Kusteri. Amst. 1710. n. 662. p. 63. — Eandem omnino divisionem, hic illic mutatam, Eusebius adhibuit in suo quem vocant „Canone", sive decem tabulis; in quas Ammonianas sectiones studiosorum usibus accommodavit. De his rursus erit consulendus praestantissimus Millius, l. c. n. 738. p. 70. Cf. e. n. 14. Protheoriae, l. c. p. XVII.

Interim primis temporibus nec vulgo recepta fuit eiusmodi dividendi ratio, neque ad unam eandemque normam instituta. S. Caesarius, divi Gregorii Nazianzeni frater, dial. I. respons. 39. apud Gallandium VI, 26. inquit: „Quatuor nobis sunt Evangelia, capita mille centum sexaginta duo". Actus Apostolorum, epistolas Paulinas et Catholicas ad publicas Ecclesiae Alexandrinae lectiones dispescuit Euthalius, diaconus dictus. Gente vel saltem loco commorationis erat Aegyptius, diaconus seu potius archidiaconus Eccle-

siae Alexandrinae, qui cum Athanasio eiusdem Ecclesiae presbytero a. 451. interfuit Concilio Chalcedonensi. Latius de eo egit Gallandius, Bibl. X. prol. c. 6. p. 11. s., ad quem proinde curiosum lectorem remittimus. Euthalius magno plausu hoc opus difficile adgressus est; sive eas sectiones ex veteri eiusdem Ecclesiae usu expresserit; sive Athanasii Archiepiscopi sui iussu partitionem illam in LVII. lectiones primus susceperit. Cf. Zacagni, l. c. p. 83. s. Jussu Athanasii Alexandrini Archiepiscopi, alacri iter suscipiens animo Euthalius ad Caesaream Palaestinae urbem se contulit; ut ad exactissima exemplaria, quae adhuc ibidem in Bibliotheca a Pamphylo Martyre et Eusebio Caesareensi constructa servabantur — eandem ad tempus usque Euthalii durasse mirum non est, nam eius codices vetustate fatiscentes, plurimo labore ab Euzoio Episcopo Caesareensi in membranis restitutos fuisse, testis est S. Hieronymus ep. 34, 1. ad Marcellam p. 155. et de Vir. ill. c. 113. p. 203. — Actuum Apostolicorum et Epistolarum Catholicarum textum conferret. Collatos libros Euthalius in capitula, lectiones versusque distinxit, et aliorum S. Scripturae locorum, qui in iisdem Actibus et Epistolis memorantur catalogum texuit, atque ad Athanasium ἐργοδιώκτην misit. Ceterum in Actuum Ap. capitulis concinnandis normam a s. P. P. et S. E. qui ipsum aetate praecesserunt accepit. — Discimus haec omnia ex Euthalii epistola, qua opus istud suum Athanasio dedicat, apud Zacagnium p. 403. s.; ex eius praefatiuncula epistolarum Catholicarum capitibus praefixa ib. p. 475. s.; praeterea ex alia annotatione, quam in earundem epistolarum calce subiunxit p. 513.; denique e prologo in XIV. S. Pauli Ap. ep. p. 537. — Inventum Euthalii magnam tulit approbationem, similisque sectionum divisio mox etiam in codicibus Evangeliorum stichometricis adhiberi cepit. Denique progressu temporis Eusebii et Euthalii divisiones, universos fere veteres S. Bibliorum codices graecos occuparunt.

§. 20. Divisio praesens S. Scripturae in capita et versus.

Institutum Divinas Literas Utriusque Testamenti in sic dicta capita atque versus distinguendi non ultra saeculi decimi et tertii medium assurgit: quo circa annum 1240. Cardinalis Hugo de S. Caro, — Gallus, Dominicanus † 1260. scriptor Postillarum in V. et N. T. Ven. 1487. et saepe. Cf. Long, Bibliotheca s. Par. 1723. II, 785. — Textum versionis Librorum Sacrorum Vulgatae Latinae secundum capita maiora disposuit, singulorumque capitum particulas minores versus literis in margine notatas constituit. Ista subdividendi ratio ad citationes opportunius instituendas, citatosque locos facilius inveniendos in „Concordantiis Bibliorum", quas fine eo primus suis cum fratribus Hugo adornavit, inventa fuisse videtur. Gilbertus Genebrardus, Theologus Parisiensis Chronographiae l. IV. ad a. 1241. ed. Par. 1585. hanc in rem p. 644. annotat: „Circa hoc tempus Biblia in capitula, quae hodie habemus, distinguuntur. Scholasticorum videtur esse inventum, eorum fortasse, qui cum Hugone Cardinali Concordantiarum fuere auctores. Nam ante ista tempora Theologi superiores ea non usurpant, inferiores frequenter, Alexander Alesius, Albertus Magnus, D.

Thomas, Bonaventura et ceteri usque in hanc diem Scholastici." Ex iisdem Concordantiis Latinis originem acceperunt Graecae; nam ad exemplum Hugonis Carensis Euthalius Rhodius, monachus ordinis s. Basilii a. D. 1300. graeco sermone Concordantias totius Scripturae V. et N. T. composuit; — referente Sixto Senensi, Bibliothecae S. l. IV. ed. Franc. 1575. p. 247. Cf. Fabricii, Bibl. gr. IX, 289. — sed numquam editae fuerunt. Concordantiarum Latinarum occasione Hebraeae quoque in V. T. Codicem sunt concinnatae. Auctor illarum R. Isaac Nathan — qui claruit a. C. 1438—1448. Cf. J. C. Wolfii, Bibliotheca Hebraea. Hamb. 1715. p. 681. J. Fürst, Bibliotheca iudaica. Leipz. 1863. III, 23. — utilissimam capitum distinctionem primus Bibliis Hebraicis intulit; hinc in editionem Danielis Bombergii Venetiis 1523. immigravit. Nathanis hebraicae Concordantiae secundo editae sunt Basileae 1581. apud Ambrosium Frobenium, tertio denique Romae auctore Mario de Calasio, ord. Min. Obs. et Ling. s. Professore 1621. Ceterum huius loci non est de aetate, utilitate et auctoribus Concordantiarum commentari; praestiterunt hoc J. Buxtorf, in Concordantiis Bibliorum hebraicis et chald. Bas. 1632. praef. fol. IV—XIV., in editione recontissima B. Baer, Stettini 1861. f. I. col. V. s. A. Glauch, schediasma de usu Concordantiarum in S. Philologia, Philosophia, Theologia. Lips. 1668. J. le Long, Bibliotheca sacra ed. III. Par. 1723. Cf. e. articulus X. I, 454. s. J. Jahn, Einl. in die göttl. Bücher des A. B. Wien 1802. I, 867. s. C. H. Bruder, Concordantiae omnium vocum N. T. gr. Lips. 1842. praef. p. 3. s. Arnold, in Herzog, R. E. III, 58. s.; quos adito si lubet. Nos id unum hic addimus correctissimam editionem Concordantiae Bibliorum Sacrorum Vulgatae esse illam, quam ad recogn. i. Sixti V. adh. recensuit atque emendavit Fr. Lucas Brugensis Decanus Audomaropolitanus. Antverpiae ex offic. Plantin. ap. B. Moretum. 1617.

Vulgaris nostra versuum Novi Testamenti dispositio graeca auctorem habet Robertum Stephanum, N. T. editorem a. 1551.; qui cum Textui graeco praeter versionem Erasmi latinam, Vulgatam quoque adderet, illam ab Hugone profectam versuum dispositionem imitatus est. Idem a. 1548. iam Vulgatae eandem inseruit. Quod reliquum est, praetermittere haud possumus, dudum iam observatum esse ab interpretibus hanc Textuum U. F. per capita et versus distinctionem, nec accuratam satis esse, nec argumentorum cohaesioni vel diversitati apte semper respondere; unde Salmeron e S. J. praeclarissimus theologus, Comm. in Ev. Hist. et Act. Apost. Col. 1612. prolegom. IX. can. 22. I, 104. pridem monuit: posse nos interdum, si ratio et auctoritas patrocinentur, praecedentia superioris capitis verba cum prioribus sequentis connectere; etsi meliorem et solidiorem sensum praeseferant explicare, et vel priori vel sequenti capiti eiusmodi verba tribuere atque applicare. Neque dispar in Versibus Capitulorum L. L. S. U. F. reperitur ratio.

§. 21. De ordine Librorum Sacrorum Veteris Foederis.

Postquam diversos modos recensuimus, secundum quos S. S. U. F. in partes seu generales, seu speciales distribuebantur; sequitur nunc, ut et peculiariter inquiramus, quo ordine singuli Libri V. et N. F. se excipiant. Iste quidem

ordo a nobis ita expendetur, ut prae ceteris recenseamus; quomodo omnes in universum Canonis Libri a S. Concilio Tridentino digesti sint; tum quo modo a variis codicibus et diversis scriptoribus collocati fuerint. Quantum ad ordinem S. Bibliorum Veteris Testamenti attinet in Canone Concilii Tridentini singulorum Librorum ordo partim chronologicus, partim ex ipsorum argumento desumtus animadvertitur. Primi igitur omnes serie Historiarum veniunt, facta unica in Machabaeorum libris exceptione, qui omnium postremi attenta ipsorum temporis serie leguntur. Sequuntur Didactici sive Poetici, quibus accedunt Prophetici. Itaque Synodus Tridentina universos Libros Sacros Veteris Foederis hoc ordine recenset: Pentateuchus; Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judices, Ruth, Regum I. II. III. IV. Paralipomenon. I. II. Esdrae I., II., qui dicitur et Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; Prophetae maiores quatuor: Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel. Prophetae minores duodecim: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; Machabaeorum I. et II. D. Augustinus, vero in Speculo, Op. III. a. p. 681. s. praeterea quod quaedam volumina — e. c. Ruth, Danielis, Abdiae, Jonae, Machabaeorum, „quoniam ut ait p. 754. non omnes Libri Canonici Veterisque Testamenti huic operi nostro necessaria dederunt.“ — non enumeret, quia ex illis nulla praecepta collegit, quae illo suo in Speculo attendit; post Paralipomena statim recenset Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum C., Job, Prophetas minores, deinde maiores, Sapientiam, Ecclesiasticum, atque Tobiam.

Inter Judaeorum coordinationes reliquis omnibus habita ratione temporis anteponenda est illa, quae in vetustissima versione Graeca, vulgo nomen Septuagintaviralis sortita, obtinet. Si editionem quam dicunt principem LXX. graecam Romae anno 1587. editam inspicimus, idem fere ordo reperitur, qui in Vulgata Latina; nisi quod Prophetae Minores, eadem serie qua apud Latinos, praecedant Maiores, atque post secundum Librum Machabaeorum recenseatur tertius. In Codice LXX. Alexandrino, quem vulgavit J. E. Grabe. Ox. 1707—9. Octateuchum L. L. Moysis, Josuae, Judicum et Ruth complexum, excipiunt Βασιλειῶν α. β. γ. δ., Παραλειπόμενα β., et sequuntur sexdecim Prophetae atque reliqua Volumina S. hac serie: Esther, Tobias, Judith, Esdras, Machabaeorum, Psalterium, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum C., Sapientia, Jesus Sirach. Alia interim huius versionis exemplaria, alio ordine incedunt, quorum notitiam dabit H. Hody, de Bibl. text. or. l. IV. p. 650. Ad Codices mss. Judaeorum quod spectat, mutatio in Lege nulla haberi potuit; nam quinque eiusdem Librorum consecutio a neminis arbitrio pendebat, sed necessaria est, quod ipsum Judaei semper agnoverunt. Missa igitur facta sectione Legali, de reliquis duabus quaeritur. Et quantum ad has multiplex existit ordo, nam alter proponitur apud Talmudicos in בבא בתרא fol. 14. coll. 2. post medium, ed. Vindob. 1809. vol. VIII.; alter apud Masorethas, quem sequuntur Hispani, sicut talmudicum fere tenent Germani. De his aliisque Textus s. dispositionibus legi possunt Hody, l. c. p. 644. 5. et J. H. Leidenfrost, l. c. p. 31. s. Magna Hebraeorum Biblia Venetiis 1547. typis descripta, Bombergiana adpellata; Huteri, Hamb. 1587. Buxtorfii, Bas. 1618. hunc ordinem tenent: I. Lex. II. Prophetae priores; posteriores, Isaias, Jeremias, Ezechiel; duodecim minores. III. Hagiographa: Psalmi, Proverbia, Job, quinque

Megilloth — secundum eam seriem, qua in anno eos libros legit Synagoga videlicet: Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther — Daniel, Ezra, Nehemias. Ex mente Hebraeorum S. Scripturas Veteris Testamenti eadem fere serie, collocat S. Hieronymi: „Prologus Galeatus.“

Licet plura possint in genere adhuc de partitione Librorum S. Veteris Foederis observari, nisi brevitatis studium aliud suaderet; hoc unum tamen observare nisi censuimus: „de serie chronologica Prophetarum Minorum.“ Sunt Prophetae Minores, sicuti ex prioribus p. 64. liquet, numero duodecim, Hebraeis שְׁנֵים עָשָׂר; Chaldaeis תרי עסר, et contracte תְּרֵיסַר; Graecis τὸ δωδεκαπρόφητον dicti: „in unius, ut scribit s. Hieronymus Paulino, voluminis angustia coarctati.“ Unum librum esse duodecim Prophetarum docet quoque Josephus, adv. Apion. I, 8. II, 441. Sed ut idem s. Doctor praef. in XII Proph. monuit: „non est idem ordo duodecim Prophetarum apud Hebraeos, qui est apud nos“, videlicet Christianos. Enimvero in Textu Originario hoc ordine se excipiunt: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias. Si ex tempore a nobis in Historia R. D. V. T. s. i. l. statuto, cuiusque locus disponendus foret: Joel primus; secundus Jonas esse debuerat; post hos Osee, Amos, Michaeas memorari oportuit; deinde Nahumum et Abdiam suppares; post quos Habacuc et Sophonias; omnium postremi manent Aggaeus, Zacharias et Malachias, qui absoluto exilio fuerunt vaticinati. Et iste quidem ordo, si cum illo Canonis conferatur, ab eo in Osea et Jona collocando recedit. At ubi attenderimus, tres inveniri quasi Prophetarum periodos: primam cum vatibus Joele, Jona, Osea, Amoso, Michaea, Nahumo, Abdia, Isaia, circa invasionem Assyriorum; quos maiorem populi hebraici partem in exilium duxisse novimus. Secundam quod attinet, cum prophetis Habacuco, Sophonia, Jeremia, Ezechiele, Daniele circa incursiones Chaldaeorum, qui Judaeos in captivitatem deportarunt Jerosolymasque destruxerunt, ponendam esse dubio caret. Ultimam autem, sive periodum tertiam, post exilium circa restitutionem reipublicae sacrae et profanae cum Aggaeo, Zacharia occipere, et Malachia finire, res ipsa monstrat. Queis ultro concessis, in dispositione Prophetarum Minorum ordinem chronologicum collectoribus Canonis observatum fuisse, facile largiemur. Unde miramur quosdam adeo conclamasse — novissimus C. Fr. Keil, Bibl. Comm. ü. d. zwölf klein. Proph. Leipz. 1866. p. 6. — de effato illo s. Hieronymi, l. s. c.: „In quibus autem tempus non praefertur in titulo: sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi, qui ante eos habent titulos, prophetaverunt.“ Sed obvia haec sunt; plura petere hac de re et invenire licet apud Th. F. Jaeger, de ordine Prophet. minor. chron. I. II. Tub. 1823. 27. F. Delitzsch, in ann. Zeitsch. f. luth. Theol. 1842. I, 15. 1851. I, 91.

§. 22. Codicis S. Novi Testamenti varia dispositio.

Novi Testamenti Libros viginti ac septem, una cum scriptoribus suis, sic enumerat Concilium Tridentinum: „Quatuor — quae ut scribit d. Augustinus, in speculo p. 754., caput in Canone N. F. tenuerunt. — Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Joannem; Actus Apostolorum, D. Pauli epistolae XIV:

1. ad Romanos, 2. Corinthios prior, 3. posterior, 4. Galatas, 5. Ephesios, 6. Philippenses, 7. Colossenses, 8. Thessalonicenses prior, 9. posterior, 10. Timotheum prior, 11. posterior, 12. Titum, 13. Philemonem, 14. Hebraeos. Septem Epistolae Catholicae: 1. Jacobi, 2. Petri prior, 3. posterior, 4. Joannis prima, 5. Secunda 6. Tertia, 7. Judae. Apocalypsis. Ceterum d. Augustinus, l. c. p. 799. epistolam ad Thessalonicenses praeponit Colossensi; et p. 807. Petri utramque epistolae Jacobi.

Nulli dubitamus, Divina Apostolorum monimenta, ut quaeque prodibant, Ecclesias illas, quibus primo data sunt in Codices suos sacros Scripturarum Divinarum retulisse; tum eorum apographa propioribus, hasque invicem aliis communicasse. Et sic ordine prout innotuerant, ea profecto cura descripta ordinataque fuerant, quae fidem Ecclesiae nascentis, atque una Hagiographorum reverentiam dignitatemque decebat. Et sane non solum haud proclive, sed neque possibile erat, quidquam quod ab archetypis differret, in apographa intrudere; illis adhuc apud principes ecclesias in illarum sacrariis castissime remanentibus, ad quas provocare liceret. Periisse autographa Apostolorum monimenta iam ante S. Hieronymum, aut saltem ubi delitescerent ignotum fuisse; inde patet, quod nemo inter S. P. et E. S. — si Tertullianum demas, quem ad d. Pauli epistolas, quasi in Ecclesiis ipsis ad quas datae fuerant, exstantes respexisse diximus p. 40. — illorum ut adhuc superstitum meminerit, aut ad illa provocaverit. Quidquid interim de hac re sit, etiamsi mature perierint archetypa, quod saeviente acriter in S. Scripturas persecutione, non esset cur miraremur: — v. J. J. Griesbachii, curarum in historiam textus graeci epistolarum Pauli spec. I. sect. 2. §. 4. s., in opusc. acad. ed. J. Ph. Gabler. Jen. 1825. II, 66. s. — plane innocua, neque detrimenti quidquam doctrinae revelatae attulit autographorum biblicorum iactura. Quod quidem multis probatum ivit: S. Tieffensee, disp. de autogr. bibl. iactura rei chr. et innoxia et utili. Halae M. 1743. p. 25. s. Sicut vero non statim ubique gentium constitutae sunt Ecclesiae, citius provinciis aliquibus, serius aliis ad fidei sacramentum vocatis; ita pro ratione temporum et locorum modo hoc, modo illud ex Evangeliis nactae Ecclesiae in Codices suos S. retulerunt, tum et cetera addebant Hagiographa, prout occasio aut facultas ferebat. Et ita diversimode illa in suis exemplaribus legebant. Orientalium quidem plurimas Ecclesias seriem illam, qua modo edi solent Evangelia, ex traditione acceptam, secutas innuit Origenes, apud Eusebium H. E. VI, 25. p. 226.; quae series postea d. Hieronymo Latinum N. T. interpretem recensente, apud Occidentales etiam Ecclesias obtinere cepit. Verum antiquissimi aliquot Codices Latini non temporum, sed scriptorum habita ratione post s. s. Matthaeum, Joannem, post Lucam, Marcum habent. Cf. Ph. Garbelli, ep. de codice Evangeliorum Brixiano, in prolegom.. J. Blanchini, ad Evangeliarium quadruplex Latinae Versionis antiquae. Rom. 1748. I, 16. s. Actuum locus post Evangelia certissimus est; nisi quod interdum post Paulinas — e. g. in Codice Sinaitico; itemque post Catholicas epistolas disponatur. V. C. Tischendorf N. T. gr. ex Sinaitico C. Lips. 1865. prol. p. LXXIII. 452. Ita etiam in ed. Bibl. Lat. Ven. MCCCLXXVIII. et 1480. post Paulinas collocantur. — Qui vero post Actus locus est, is modo a Paulinis modo a Catholicis epistolis occupatur; in antiquissimis quos habemus praestantissimisque codicibus manuscriptis: Vaticano, Alexandrino, Ephraemi Syri rescripto, epistolis Catholicis prior locus concessus est; cum interim Paulinas eo loco quo Vulgata, recenseat Eusebius, s. s. P. P. et S. E. Latini,

Codex Sinaiticus, item Amiatinus aliique latini codices vetustissimi. Porro in iis epistolis exhibendis u. v. p. 39. disponendis, magna varietas reperitur; qua in re imprimis momenti est in antiquissimo omnium Codice Vaticano, teste numero capitulorum illi adscriptorum: epistolam ad Hebraeos locum occupare post eam ad Galatas, cum Romana in ordine caput teneat; Corinthiacae insequuntur, tuncque demum Ephesina et ceterae veniunt. Talis earum series fuit primitiva, quem iam olim aliquis librariorum ita invertit, ut epistolam ad Hebraeos a sede sua motam epistolis omnibus postponeret, quae nominibus urbium notantur, et post alteram ad Thessalonicenses decimo loco collocaret, solisque anteponeret literis missis ad singulos. Cf. J. L. Hug, de antiquitate Codicis Vaticani Comm. Frib. 1810. p. 24. Eundem locum assignat epistolae ad Hebraeos Codex Alexandrinus — v. C. G. Woidii, notitia Codic. Alexandrini ed. G. L. Spohn. Lips. 1788. p. 99. — et Sinaiticus c. p. 410. Vulgatus ordo eandem epistolam ad calcem Paulinarum omnium reiecerat. Ita iam censuere Concilia Hipponense, Carthaginense atque Laodicenum. V. Pitra, l. c. p. 504. In duobus codicibus Vaticanis perantiquis, Cophtorum lingua conscriptis, epistola ad Hebraeos post alteram ad Thessalonicenses collocatur; in iisdem Paulinas excipiunt epistolae septem Catholicae; et in harumce fine Actus A. habentur. Cf. Zacagnii, Collect. mon. praef. p. 74. 5. Ordo vulgaris Bibliorum cum editorum tum manuscriptorum, iam a S. Epiphanio memoratur, haer. XLII. p. 318. Cf. Millii, proleg. n. 236. p. 28. Hody, l. s. c. p. 664. Credner, Gesch. d. neutest. Kanon. p. 393. s. Epistolae denique Catholicae, magno testium antiquissimorum consensu, eo disponuntur ordine; quo s. Jacobus primus est; alter d. Petrus, s. Joannes tertius, quartus s. Judas; in qua dispositione fortassis habita est ratio verborum s. Pauli ad Gal. 2, 9. Olim Veteres Latini epistolam d. Petri principis Apostolorum et fundatoris Ecclesiae Romanae, primo loco posuerunt. Agmen vero Librorum N. F. claudit Apocalypsis; quoniam tamquam Liber propheticus futura respicit adhuc implenda; atque insignem illam habet clausulam, de qua diximus in H. R. D. N. T. p. 515.

§. 23. De S. Bibliorum U. T. vi et efficacia.

Per vim et efficaciam Sacrorum Bibliorum intelligimus: illam S. Scripturae virtutem, quae mentem illuminat, ut lecta intelligamus; et affectum inflammat, ut quae intellectu percepimus inflammato etiam affectu faciamus. Sane „Verbum Dei", quod Sacra Biblia continent, est instrumentum; quo Deus utitur ad nostram salutem et sui Nominis gloriam. Hanc instrumentalem Verbi Dei efficientiam ipsae Sacrae Scripturae satis significant. Quapropter ait S. Jacobus 1, 18.: „Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius." „Haec, inquit S. Joannes Ev. 20, 31. scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius." Omnino S. Literae Utriusque Testamenti instrumentum efficiunt, quo acquiritur cognitio Dei supernaturalis; quae et salutaris vocatur, cum docet, erudit in iustitia; II. Tim. 3, 16. sapientiam praestat parvulis Ps. 18, 8.; sapientiam dat et intellectum. Prov. 1, 4. Eccle. 12, 10. Eadem porro Sapientia illuminat; Prov. 30, 5. ut lucerna II. Pet. 1, 19.; inflammat; Luc. 24, 32. falsa

redarguit; II. Tim. 3, 16. fidem confirmat; Joan. 5, 39. Act. 17, 12.: quae quia otiosa esse non debet ac mortua, ad spem in Deo collocandam progreditur. „Quaecunque, loquitur s. Paulus, scripta sunt: ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.“ Rom. 15, 4. Exinde „Verbum Dei“ laetificat; Ps. 93, 19. delectat; Ps. 76, 4. corroborat; I. Cor. 1, 18. facit ad maiorem et promtiorem caritatis erga Deum, et proximi propter ipsum, exercitationem; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. II. Tim. 3, 17. Quare optimo iure affirmatur, quod „Divinae Scripturae — a s. Augustino, L VI. musicae cap. 14. I, 533. — tot voluminibus et tanta auctoritate et sanctitate praeditis, nihil nobiscum aliud agant, nisi ut diligamus Deum et Dominum nostrum ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente; et diligamus proximum tanquam nosmetipsos.“ Idem Praesul Hipponensis, de Doctrina Christ. III, 10. p. 87. animadvertit: „Non autem praecipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem, et eo modo informat mores hominum.“ Propheticus et Apostolicus S. Sermo corda scindit ac penetrat; Heb. 4, 12. dura conterit; Jer. 23, 29. sanat Matth. 4, 4.; et convertit animas; Ps. 18, 8. minatur ac perterret; Ps. 118, 16. Isai. 66, 5. alit animum; Tit. 2, 8. beatam ac vitam dat aeternam. Joann. 5, 39. 6, 10. Eccli. 24, 31. Cum vero Dei gloriam omnibus in rebus et actionibus summum esse finem constet, adeo ut ad eam ipsa etiam nostra felicitas referatur; Dei Gloriam, Verbo scripto Divino effectum attribuendum esse facile intelligimus. Vis et efficacia Scriptorum Sacri Textus U. T. inter legendum — modo cetera serventur — tales excitat ideas, quales ipsi Scriptores, cum scribebant, habuisse creduntur. Unde rursus constat, non sine ratione dici: illam vim et efficaciam verborum S. S. comitari a vi quadam supernaturali. Pie creditur: Deum ordinarie quando ipsius Verbum loquitur, vel auditur singulare quoddam actuale auxilium legentium vel audientium animis offerre, quod legentis vel audientis cor illuminat et movet: salutares immittendo illustrationes ac pios affectus excitando. Ita ut sic voluntas flectatur ad exsequendum id, quod in S. S. loquens a nobis exposcit Deus. Utramque hanc vim et efficaciam, ut sacer Codex exserat, primum ferventi oratione opus est, tum assidua S. S. meditatione. „Haec meditans atque ea ratione legens uniuscuiusque sensum Spiritu duce consequi poteris“; scribit S. Athanasius, ep. ad Marcellinum, n. 33. I, 1003. Ad quod addendum est: Verbum Dei iuxta mentem Ecclesiae Catholicae lectum et intellectum, nonnisi illam energiam suam exserere; quod ideo animadvertere oportet; ne quisquam putaret singuli cuiusvis esse: verum S. S. sensum percipere et interpretari. Sacer enim Textus U. T. non est in omnibus per se clarus; sed habetur in eodem perspicuitas cum obscuritate sapienter temperata. Sed hac de re plura atque gravissima alio loco erunt dicenda.

§. 24. De S. Bibliorum U. T. usu.

„Quemadmodum, dicit belle d. Chrysostomus, de Lazaro concione III. 2. I, 739.: arma regalia reposita etiamsi nemo fuerit qui possideat, tamen iis qui habitant in aedibus ubi reposita sunt, multam praebent custodiam ac tutamen, dum neque latrones, neque parietum

perfossores, neque alius quispiam sceleratorum audet eam aggredi domum; sic ubicunque fuerint Libri spiritales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque inhabitantibus accedit virtutis consolatio, quandoquidem ipse etiam per se Librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum." Qui sanctissimo utilissimoque Sacrorum Bibliorum studio tenetur, in iisque optat proficere: primo constituat, quem in iisdem discendis propositum finem habet; hinc enim postea iudicandum, quanta eius esse debeat et qualis Divinorum Librorum cognitio, in iisque progressus; et ad hunc totus legendi modus subinde accommodandus erit. Nam sane aliter Sacrarum Literarum peritus esse debet, qui ad privatam suam eruditionem animique consolationem sacrae huic disciplinae operam dare vult; alia procedendi ratio iis sequenda, qui Theologi ac Doctoris nomen ac personam sustinere volunt; sicuti et illis qui certamen lingua aut calamo suscipiendum habent, cum multifariis Veritatis Revelatae hostibus; alium item modum tenere debet, qui cum officiis occupationibusve pastoralibus hoc studium coniungere vult. De hoc Sacras Literas ediscendi modo imprimis, egregie ut solet, S. Augustinus tractavit in optimis utilissimisque libris de doctrina christiana, quos plus semel laudavimus. Praeterea quamvis ab aeterna illa Sapientia, coelestis gratiae lumen, crebro ardenterque petendum; Jac. 1, 5. atque a Deo quidem potissimum exspectanda sit Sacrarum Scripturarum peritia; non haec tamen sola facienda, sed studium etiam et labor adhibendus erit. Quare cordatum virum, et cumprimis Theologum, decet, omnia nosse quae S. Scriptura continentur. Sed quia tamen non omnium iste animus modus tempusque; d. Chrysostomus, de Lazaro concione III, 3. I, 739. aliique S. P. et S. E. suadent: ea maxime et prius legi, quae Novi Testamenti sunt; nam profecto ea utiliora, clariora, magisque necessaria et nobis propiora. Inter eos qui rationem legendi S. Scripturas certo temporis spatio proposuerunt, quidam fuere qui annum civilem secuti, capita S. Scripturae in numerum mensium aut dierum diviserunt; ut ex hac divisione constet, quot capita cuilibet mensi, quot diei cuivis tribui debeant, et sic per unius spatium anni tota S. S. V. et N. T. percurratur. Alii vero morem Ecclesiae etiam in devotione particulari sequentes, hanc lectionem ad normam Breviarii disposuerunt. Postrema intentioni Ecclesiae magis convenire videtur, et res ita ordinari poterit, ut paucis demtis S. Scripturae unius anni decursu qualibet die tria aut quatuor capita legendo absolvatur. Cf. Dismae a Latere Christi Ord. Erem. disc. S. Aug., nov. disposit. S. S. in ordinem red. Vindob. 1769. p. 12. s.

Magnopere deinde secundo optandum, ut Sacrae Literae ab earundem studiosis diligenter identidemque legantur. „Erit, inquit d. Augustinus, de doctr. chr. II, 8. p. 38., Divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit notasque habuerit; et addit „etsi nondum intellectu, iam tamen lectione." Lectiones has assidue animo pio, non minus attento quam sciendi avido, repetere convenit, impedimentum enim maximum lectio vagabunda, quasi placens sibi modo, hoc modo illud legere, modo aliud facere. Vagatio exterior signum est vagationis animae, et ideo talis non potest proficere. „Quamobrem, monet Cassianus, collat. XIV, 10. p. 456., diligenter memoriae commendanda est et incessabiliter recensenda Sacrarum series Scripturarum. Haec enim meditationis iugitas duplicem nobis confert fructum. Primum, quod dum in legendis ac parandis lectionibus occupatur mentis intentio necesse est,

ut nullis noxiarum cogitationum laqueis captivetur; deinde quod ea quae creberrima repetitione percursa memoriae tradere laboramus, meditatione taciti revolventes clarius intuemur." Nihil in S. Scripturis per se aut parvum aut inutile putandum. „Nec illas, scribit S. Joannes Chrysostomus, ad popul. ant. hom. I, 1. p. 2., quidem quae tenues esse putantur Scripturarum sententias praetercurramus. Nam et ipsae de Spiritus Sancti gratia sunt; Spiritus autem gratia numquam parva aut vilis, sed magna et mirabilis, et dantis munificentia digna." Unde S. Bernardus, serm. XVI. in Cantica n. 1. p. 87.: se in his scrutandis curiosum existere ait, quia Scripturae sunt apothecae Spiritus Sancti.

„Ordo, studendi S. Literis notat S. Bonaventura, in Hexaemeron. serm. XIX. I, 57., diversimode traditur a diversis; sed oportet ordinate procedere, ne de primo faciant posterius, vel e converso." Prima ratio studendi S. Literis est critica, quae tamen non una sed rursus diversa est. Nam alii his nostris diebus omnem prope operam in eo collocant, ut in varias Earundem lectiones inquirant; et quae ex illis vera esse possit disputent; cum alii res grammaticas et minutissimos vocabulorum apices excutiunt. Criticos labores utiles imo necessarios esse, ut sensum S. Scripturae literalem, qui fundamento est ceteris, assequamur lubenter concedimus; non tamen expedit nec vacat sine magna temporis iactura, ut omnes vel etiam plurimi lectorum Sacri Codicis criticae operam navent. Qui vero apices sectantur, ingenio suo magis quam scientiae et utilitati student. Altera ratio est eorum, qui meditatione fidei mysteria et morum regulas inquirunt, sensum cum literalem tum mysticum ex interpretibus sedulo indagant, loca in speciem pugnantia conciliare discunt et magna diligentia ipsum s. Textum sibi familiarem reddere conantur. Qui ita agunt medullam S. S. gustant, et ad solidam S. S. scientiam contendunt; neque unquam inanibus quaestionibus aut investigationibus steriliter evanescent. Hanc studendi rationem praeter S. S. P. P. iam laudatos, prae reliquis commendant: Laur. de Villavincentio, Phrases S. Scripturae Antv. 1571. Fab. Justinianus, de S. S. eiusque usu. Rom. 1614. Hon. Jos. Bruneti, manuductio ad S. S. 2. vol. Par. 1701. Serarius, S. J. Prolegom. Bibl. c. 28. p. 193. J. Mabillon, tract. de stud. mon. II, 2. s. p. 238. s. J. M. de Turre, O. P., Inst. ad Verbi D. intell. Parm. 1711. III, 545. s. Franciscus a Puteo, diss. de Studiis eccles. Graecii. 1767. p. 98. s. J. Opstraet, Theologus Christianus, sive ratio vitae et studii instituenda a Theologo. Florent. 1789. p. 60. s. Meditationum solis S. S. verbis contextarum seriem scripsit N. Paulmier, S. J. quam recudi fecit Migne, Scripturae Sacrae Curs. compl. t. XXVII. suppl. Par. 1843. p. 198. s. Theologiam D. Scripturae sententiarum l. IV. digessit. H. Marcellius, S. J. Brux. 1658., repetiit Migne l. c. I, 909. Exempla Biblica in Materias Morales distributa dedit N. Hanapus, Ord. Praed. Patriarcha Jerosolym. saep. ed. rec. i. Aug. Vind. 1730.

Sacra Biblia memoriae mandare quoad partes quasdam praecipuas e Psalmis, Prophetis, Proverbiis, Ecclesiastico, Evangeliis et Epistolis, sane optimum est. Etenim eorum res et verba, quae memoriae mandentur, dignissima sunt. Qui sacrosancta Dei oracula, suum in pectus demiserint, memoriaque sepserint; Deo suam quodammodo memoriam consecrant; vel ideo quia perpetua ministris sacris esse debeat S. Scripturarum pertractatio, quo muniis suis sint aptiores. Laborem hunc praescripsit s. Hieronymus, ep. 52. ad Nepotianum n. 7. p. 262. „Divinas Scripturas saepius lege, numquam de manibus tuis sacra lectio

deponatur. Disce quod doceas; obtine eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana dicentes revincere." Qui magno studio S. Literas exacte norunt, horum conatui suus non deerit fructus. Hoc conatu, hac animi contentione, mirúm quantum plurimi S. P. et S. E. profecerunt. „Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis." In hanc d. Hieronymi, ep. 125, 11. ad Rusticum p. 939. sententiam, omnes eunt cordati interpretes. Nec vero ab iis dissentire poterit, qui praeclaram S. Literarum vim et efficaciam rite expenderit.

§. 25. An Scripturae quaedam Canonicae perierint?

Nostri instituti non est ratione „Locorum Theologicorum": de S. Scripturae insufficientia excurrere, sed paucis modo inquirere; an quidam Libri Canonici interciderint? Quaestio non parva est, possitne, qui Canonicus liber est, intercidere? Et sunt qui negent; — v. Salmeronis, proleg. IX. c. 4. p. 92. s. Thomae Stapletoni, de principiis fidei doctrinal. Controv. V. 1. IX. c. 5. Op. ed. Lut. 1620. I, 319. Th. Holtzclau, Instit. Scriptur. p. 100. — quia videtur ad Divinam providentiam spectare, curare ne id fiat. Neque Judaei quibus credita sunt eloquia Dei; Rom. 3, 2. neque Ecclesia fida Tabularum Sacrarum custos; aiunt, passura censenda est, ut tam eximium depositum periret. Coll. Luc. 16, 17. I. Tim. 6, 20. Ἀντίθεσις nihilominus probabilior esse videtur, qua affirmatur nihil vetare aliquem Librum Canonicum excidere, et de facto ita in pluribus accidisse; cum inveniantur Libri in S. S. V. F. commemorati, qui hodie non amplius exstent. Tales sunt: Num. 21, 14. liber bellorum Domini; Jos 10, 13. liber Justorum; plures libri historici et prophetici vatum. Chronicon, i. e. Liber verborum dierum Salomonis; III. Reg. 11, 41. Liber verborum dierum regum Israel; ib. 14, 19. Juda; ib. v. 29., Samuelis et Gad videntis. Nathan prophetae; Ahiae, Addonis, Semeiae, Jehu, Isaiae, Hozai; de quorum commentariis alio loco Hist. R. D. V. T. p. 459. diximus. Accedunt tria millia parabolarum Salomonis, eiusdem naturalia de plantis, arboribus, et omni animalium genere. Ib. p. 292, 312. Jeremiae descriptiones, item lamentationes in Josiam. Ib. p. 439. Liber iuris regii a Samuele scriptus, I. Reg. 10, 25. Joannis Hyrcani liber dierum sacerdotii, atque Libri Jasonis Cyrenaei. Ib. p. 572. De epistola quadam tertia ad Corinthios; item ad Laodicenos, quomodo se res habeat, meminimus in H. R. D. N. T. 402. s. 447. s.

Cur vero Scripturas has Deus permiserit perire? non facile in promtu est respondere; quia nostrum haud est in huiusmodi facta curiose inquirere eaque profane scrutari. Cf. S. Chrysostomi, in Matth. homil. IX, 4. p. 135. Illud autem omnes fatemur: providentiae Dei et permissionis huius rationes sapientissimas deesse nequaquam posse; ad quam omnino pertinet, ut Ecclesia Libris necessariis ad fidelium salutem in genere non careat. coll. II. Tim. 3, 15. s. Sed ad hoc opus, nullus certus eorum numerus in particulari est necessarius; quia qui relicti sunt Libri Canonici sufficiebant, ad fidei morumque documenta exinde haurienda. Neque fit alicuius vivendi regulae iactura, quando eadem haec regula in aliis libris adest. Vel cui nostrum dubium esse potest, multa quae interdum

Deus locutus fuerat per Samuelem, Eliam, Elisaeum, aliosque plurimos qui dicuntur a Domino missi; innumera item quae egit dixitque Christus; coll. Joan. 21, 25. non minus B. B. Petri et Pauli extrema acta; ceterorum Apostolorum ubivis terrarum gesta, potuisse fidelibus ad fidei morumque instructionem servire? quae tamen omnia Deus scribi noluit! Scripserat olim Deus digito suo Moysis tabulas priores, et tamen permisit, imo voluit eas a Moyse confringi; quid mirum si ea quae scripta fuerant quandoque obliterari passus est! Quibus rite expensis, apposite concluditur: sicuti non fuit contra Divinam providentiam, ut plura a Spiritu Sancto per Prophetas, Christum et Apostolos prolata, statim cum ipsa fere voce quasi perirent, nec ulla deinceps eorum superesset memoria; ita non fuit contra Divinam providentiam, ut qui iam tempore aliquo fuerant, Libri exciderent. Cf. S. Chrysostomi, in ep. I. ad Cor. hom. VII, 3. p. 53. Quaecunque vero causa sit: ut aliquis e Canonicis Libris pereat; non potest id Ecclesiae veteri in culpa dari, vel infidelitatis ipsa argui: nec enim infidelis depositi custos dici quit, cum depositum non diutius servandum sit, quam donec is repetat qui deposuit; quod facit Deus cum id curat, vel providentia sua permittit, ut aliquae Sacrarum Scripturarum intercidant. Ceterum hanc de tota quaestione sententiam fusius asseruere: C. R. Bellarminus, de controv. chr. fid. I. de Verbo Dei l. IV, 4. p. 260. s. Serarius, prolegom. bibl. c. 8. q. 14. p. 45. s. Huetius, not. ad Origen. I, 137. Bonfrerius, praeloq. in S. S. c. 6. p. 9. s. B. Germon, de veteribus haereticis Eccl. Cod. corruptor. P. II. c. 5. p. 167. s. Acatholicorum priscorum hac de re sensum tuentur: A. Pfeiffer, Critica S. Dresd. 1721. p. 11. et Fr. Spanhemius, Dubiorum evang. II, 88. et 89. ed. Gen. 1655. p. 590. s.

DE LIBRIS APOCRYPHIS ADDITAMENTUM.

§. 26. Qui libri dicantur apocryphi.

Unde quidam libri veteres dicantur „βίβλοι ἀπόκρυφοι‘; vel simpliciter ‚ἀπόκρυφα‘; non una est scriptorum sententia [1]. Quidam interpretum hanc adpellationem inde repetunt: quod apocryphorum auctores essent occulti et incerti; attamen cum etiam de quorundam Canonicorum V. T. Librorum scriptoribus haud constet; melius et analogiae linguae convenienter [2] vocari censentur absconditi, quia non essent publicae atque Divinae auctoritatis [3], verum obscurae atque humanae modo aestumationis [4]. Canonicis igitur Libris opponuntur apocryphi veluti ἀπο-

---

[1]) L. Suiceri, Thes. I, 458. Gieseler, Stud. u. Krit. 1829. p. 142. J. C. Thilo, Acta S. Thomae Ap. Lips. 1823. prol. p. XC. s. Guerike, Gesammtgesch. d. N. T. p. 561. Credner, Gesch. d. N. T. Kanon. p. 111. s. Bertholdt, hist. kr. Einl. p. 46. A. Hilgenfeld, der Kanon. p. 6. [2]) A graeco „ἀποκρύπτειν“, occulere, abscondere. [3]) Qui poterant „ἐκκλησιάζεσθαι“; i. e. publice in Ecclesia recitari. V. p. 7. [4]) Unde deberent ἀποκρύπτεσθαι, abscondi. Ita opponit Didymus

νόνιπα'; quo singulare hoc scriptorum genus e S. Voluminibus U. F. receptis ex auctoritatis iudicio excluduntur [1]. Longe maximo testium numero illa vocis ,ἀπόκρυφον' acceptio, a primis inde religionis christianae initiis, obtinuit; qua proprie: scripturae designantur, quae adulterinae haeretica fuligine tinctae; et ideo reiiciendae sunt [2]. Ex com-

---

Alexandrinus, in Acta Ap. 8, 39. ed. J. Chr. Wolfii, Anecdota graeca sacra et profana. Hamb. 1723. IV, 39.: „δεδημοσιευμένας βίβλους", libris „ἀποκρύφοις." Rufinus, expos. in Symb. Apost. n. 38. notat: „Ceteras vero Scripturas apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt." p. 206. Sic docet etiam d. Augustinus, contra Faustum XI, 2. p. 219. „Adpellantur apocryphi, non quod habendi sint in aliqua auctoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum praesumtione prolati sunt." In eundem sensum ait s. Isidorus, etymol. VI, 2. p. 255. „Apocrypha autem dicta i. e. secreta, quia in dubium veniunt. Est enim eorum occulta origo, nec patet Patribus, ex quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima et notissima successione devenit." Neque aliter habet antiqua glossa apud Arevalum, in ed. op. C. Sedulii, Rom. 1794. p. 420.: „Apocryphus dicitur secretalis, quo nomine censetur liber secreti aliquid in se continens, propter quod non est recitandus in publico."

1) Quamvis vocis „ἀπόκρυφος" apud Veteres non unus sit usus, et ille quidem haud ex sola etymologia, sed etiam e traditione discendus veniat. Hinc ut clarius elucescat, operae pretium facturi nobis videmur, si collatis aliquot Graecorum et Latinorum testimoniis, usum polysemae vocis ob oculos ponamus. „Ἀπόκρυφος" ergo interdum idem est ac Latinis arcanus, cumque de Libro Canonico adhibetur, vocatur is: cuius intellectus difficilis et obscurus est. Ita Apocalypsis b. Joannis Ap. a s. Epiphanio, haer. LI, 3. p. 423. dicitur „ἀπόκρυφον διὰ τὰ ἐν τῇ Ἀποκαλύψει βαθέως καὶ σκοτεινῶς εἰρημένα"; Petavio interprete „atque si — Alogi — Apocalypsi dumtaxat reiecta Evangelium admitterent, dici id posset subtili quodam et accurato iudicio fecisse, ut apocrypha respuerent; quod pleraque in Apocalypsi altissimos et obscuros sensus haberent." S. Cyrillus Hierosol., cat. IV, 33. p. 68. apocryphum Librum videtur vocare: de cuius auctoritate num divina num humana sit? non satis constet. Scribit enim: „Neque mihi quidquam apocryphorum, τῶν ἀποκρύφων, legas. Qui enim ea quae ab omnibus agnita et concessa sunt nescis, quid circa dubia et controversa infelix operam perdis." Idem tamen s. Cyrillus mox l. c. num. 36. p. 69. damnat Evangelia „ψευδεπίγραφα καὶ βλαβερά", quale erat Manichaeorum secundum Thomam Evangelistam, quod evangelicae adpellationis fragrantia coloratum, simpliciorum animas corrumpit." Praeterea idem s. Episcopus Solymaeus alia apocrypha novit, quae taxat. Catech. XV, 16. p. 232. 2) De his loquitur iam S. Irenaeus, adv. haer. I. 20, 1. p. 219. ubi Gnosticorum „inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperam scripturarum, quas ipsi finxerunt", commemorat. Concinnit Tertullianus, de anima c. 2. p. 171. „Quid autem, si philosophi etiam illa incursaverunt, quae penes nos apocryphorum confessione damnantur, certos nihil recipiendum, quod non conspiret germanae et ipso aevo iam natae paraturae." Eodem modo S. Athanasius, ep. fest. p. 961. monet: „neve deinceps libros alios

muni pene usu loquendi Veterum S. S. Patrum et Scriptorum libri apocryphi vocantur: qui ab hominibus infallibilitatis dono carentibus humana industria conditi, nominibus utcunque virorum in theocratia V. T., vel historia N. T. clarorum inscripti; sive ob finem bonum sive ob perversum exarati, a Canone attamen exclusi et a publico usu reiecti sunt[1]. Minime enim illud nomen a S. P. et S. E. primo proprium datur esse convincitur, illis Veteris Testamenti Sacris Voluminibus; quos Canon Hebraeorum hodie non continet, licet olim tenuerit[2].

---

legant, qui apocryphi vocantur"; et in fine ait p. 963. „nusquam apocryphorum mentio habetur, sed ii sunt haereticorum commentum, qui arbitratu suo libros conscribunt." His addi poterunt Origenes, prolog. in Cant. scribens: „quod essent de scripturis his, quae vocantur apocryphae, pro eo quod multa in iis corrupta, et contra fidem veram inveniuntur a maioribus tradita, non placuit iis dari locum, nec admitti ad auctoritatem." XIV, 325. S. Augustinus, contra adv. Legis et proph. I, 20. p. 270. n. 39. „Sane de apocryphis iste posuit testimonia, quae sub nominibus Apostolorum Andreae, Joannisque conscripta sunt. Quae si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quae ab illorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra et deinceps tempora perseverat." Similiter censet D. Hieronymus, ad Laetam ep. 107, 12. p. 688. „Caveat omnia apocrypha, et si quando ea non ad dogmatum veritatem sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis praenotantur; multaque his admixta vitiosa et grandis esse prudentiae aurum in luto quaerere." Gratulantur quidem Acatholici: se uno potissimum d. Hieronymo duce, qui in Prol. gal. scribit „quidquid extra hos — Canonicos sc. — est, inter apocrypha ponendum"; Libros S. V. F. extra volumen hebraicum positos, adpellasse apocryphos. Sed in his verbis non multum est laborandum, ubi attenderimus d. Hieronymum in Prologo galeato enarrare Canonem L. L. S. V. F. Judaeorum sui temporis. V. p. 32. Conspirat S. Leo M. ep. XV. ad Turribium Asturicensem ep. c. 15. ed. Fr. Ballerini. Ven. 1753. I, 706. mandans: „Curandum ergo est, et sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsati codices, et a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphae autem Scripturae, quae sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendae, sed etiam penitus auferendae sunt, atque ignibus concremandae."

[1]) Cf. Th. Stapletoni, de princip. fid. controv. V. l. 9, 5. p. 318. H. Goldhagen, Introd. I, 198. D. Czerny, Instit. Herm. I, 72. T. Sartori, Hermen. Harm. p. 36. R. Simon, Hist. crit. V. T. ed. Par. p. 47. Honorati a S. Maria, animadv. in reg. et usum Crit. I. 2, 7. p. 301. J. L. Hug, Einl. I, 119. J. N. Alber, Instit. Herm. S. S. N. T. Pestini. 1818. I, 227. Herbst, hist. crit. Einl. I, 49. Thilo, l. i. c. p. XC. Movers, in Welte's K. L. I, 325. s. Reithmayr, Einl. p. 41. Malou, Bibellesen II, 14. s. Reusch, Einl. p. 169. Lamy, Introd. p. 72. [2]) Apud Acatholicos apocryphi libri, indubitata confessione vocitantur, illi quos quidam ex nostris deutero-canonicos vocant; quique revera

§. 27. Quae ratio fuerit libros apocryphos secernendi a Canonicis?

Quod vero Ecclesia Catholica apocrypha reiecerit, id luculentissime testatur Synodus Romana anno Domini 496. habita praeside Gelasio S. P.; cuius celeberrimum decretum [1] recenset apocrypha: ‚quae ab haereticis sive schismaticis conscripta vel praedicata sunt'; et quae ‚nullatenus recipit catholica et apostolica Romana ecclesia.' Haec sunt Concilii verba, quibus nihil clarius dici poterat.

Ratione originis libri apocryphi S. Scripturae U. F. magnam habent analogiam cum libris priscorum ethnicorum arcanis; quorum auctores credebantur dii, aut heroes, quive esotericam continere sapientiam videbantur. Non sufficiens quibusdam curiosis vel perversis ingeniis visum est, quod de sanctissimis Religionis mysteriis in S. Codice legitur; indeque factum ut peculiares de iis libros apocryphos condiderint [2]. Inventi fuere ante Christum Judaei, qui iactarent praeter sacras Literas V. T.: esse traditionem perennem et a tempore Moysis continuam, absconditam

canonici sunt, liceat in originali hebraico non reperiantur et cum Canonicis libris in eadem compage coniuncti in editione approbata Vulgatae positi, ut divinitus inspirati canon fidei et vitae sunt totius Ecclesiae. V. p. 35. Exinde nullo amplius modo eos apocryphos dicere fas est. Quod faciunt viri acatholici: J. Rainoldus, Anglus Censura Librorum apocryphorum V. T. Oppenheimii 1611. I, 57. s. 236. s. 250. s. Hottinger, Thes. phil. II. 2, 1. p. 520. s. Pfeiffer, Crit. s. c. 14. p. 300. s. J. Fr. Buddeus, Instit. theol. Lip. 1723. p. 194. s. J. G. Eichhorn, Einl. in's A. T. I, 68. Hävernick, Handb. d. h. kr. Einl. I. 1, 69. s. Wette, Lehrb. d. h. kr. Einl. A. T. p. 392. Ullmann, kan. u. apocr., in Samml. v. Streitschr. g. Strauss. ed. II. Gotha. 1866. p. 161. s. Keerl, die Apocryphenfrage. Leipz. 1855. p. 1. s. Stier, die Apocryphen. Braunshw. 1853. Bleek, Stud. u. Krit. 1853. p. 267. Einl. i. d. A. T. p. 675. Keil, Lehrb. d. h. kr. Einl. p. 675. Cum vero libros apocryphos ab Ecclesia Catholica a Canone remotos, quos mox definivimus, pseudepigraphos ψευδεπίγραφα, — v. Oehler, s. v. Kanon in Herzogs R. E. VII, 260. Dillmann, ib. XII, 300. — vocant iidem Acatholici; oppido falsum dicunt, sunt enim apocryphi multi, qui nullum mentiuntur auctorem, proinde pseudepigraphi i. e. falsam pertexentes inscriptionem inscribi non possunt.

[1]) De quo v. J. Dallaei, de Pseudepigraphis Apostolicis. Harderv. 1653. p. 436. s. Fr. Balleriniorum, tract. de antiq. Coll. Can. app. ad S. Leonis M. op. Ven. 1757. III, CLI. s. C. J. Hefele, Conciliengesch. II, 597. s. A. Thiel, de Decretali Gelasii P. Brunsb. 1866. p. 15. 23. [2]) Eodem plane modo ut apud veteres paganos faciebant deceptores, qui sub falsis nominibus virorum mythicae antiquitatis, scripta vulgabant instruendae sapientiae gratia exarata; innumeris fraudibus, erroribus, nugis varie auctis referta, quibus virtutes divinas explicabant, praestigiam et magiam docuerunt.

atque occultam; neque passim omnibus sed senioribus tantum in Lege sapientioribus notam. Unde insana fingendi quaecunque libidine acti, sacrilege commentitia consarcinarunt scripta; quibus ut maiorem conciliarent auctoritatem, supposita nomina indiderunt. Non absimiliter a primis Ecclesiae christianae saeculis traditiones mendaces de ortu, infantia, deque fatis D. N. Jesu C., B. Maria V., et S. S. Apostolorum, curiositatem hominum occuparunt; atque non solum ore populi circumferebantur, verum literis haec figmenta committebantur improba [1]. Quare factum est, ut graece, syriace, latine, arabice saepe transscriberentur, atque in plurimas — etiam Occidentis linguas — converterentur. Exorti sunt haeretici, qui ut suos quos sparserunt errores fulcirent, ad illam artem confugerunt, falsas pro genuinis supponendi scripturas. Queis autem celerrime omnis auctoritas denegata est; quod ‚παράδοσις ἐκκλησιαστική' divinam earum originem ignoraret; imo ipsa istarum scripturarum suppositarum indoles, inspirato auctori non conveniret. Cum antequam proferrentur libri apocryphi, nec ullum exstaret eorum in Ecclesia Dei vestigium; mox uti innotuerunt a Canone exclusi sunt.

Quid causae fuerit: quod iam primis Ecclesiae Christianae saeculis, tanta prodierit apocryphorum librorum multitudo? quorum compilatores Sanctorum, quin ipsius Christi nomina inscripserunt; res est accuratiori indagini haud indigna? [2] Est autem ea duplicis generis. Alia quidem non mediocri numero scripta idcirco confinxerunt veteres haeretici, ut philosophiae quam tradebant, maiorem existimationem conflarent; alia ut Christianis persuaderent, se nihil alienum a doctrina divinitus revelata proferre [3]. Homines isti [4] scelestissimi fuerant atque praeter ‚γνῶσιν', nihil amplius quaerendum esse praecipiebant [5]. Improba haec et perversa factio cum Christi doctrinam a sua prorsus discrepare cerneret, qua nihil tamen volebat magis praeferre; Christum eiusque Apostolos privatim intimiores sequaces, longe alia ac populum publice docuisse, mentiebantur [6]. Etsi

---

1) V. Genthe, die Jungfrau Maria und ihr Evangelium. Halle 1860.
2) Olim iam Christi libros nonnullos ad Petrum et Paulum, continentes eas artes, quibus patraverint miracula sua circumtulisse desipientes quosdam: S. Augustinus, de Consensu Evang. l. I. c. 9. 10. p. 7. 8. testatur, eosque putidissimi mendacii iure arguit. Cf. eiusd. contra Faustum II, 6. p. 89. et Acta cum Felice Manichaeo II, 6. p. 489. ubi ait: „Habetis etiam hoc in scripturis apocryphis, quas Canon quidem catholicus non admittit, vobis autem tanto graviores sunt, quanto a catholico Canone excluduntur." Idem testatur d. Epiphanius, haer. XLVII, 1. p. 400. LXI, 1. p. 506. LXIII, 2. p. 521. et Photius, Biblioth. cod. 114. p. 390. 3) V. A. Hahn, Antithesis Marcionis Gnostici. Regiom. 1823. p. 34. 4) Quod testibus locupletissimis probare licet. 5) Cf. A. Neander, Antignosticus. Berl. 1849. p. 402. s. 6) Hanc eorum blasphemiam S. Irenaeus, adv. haer. I. 25, 5.

vero cuncta nequitia, quae a fraudum eiusmodi architectis abesse non potest, ad haereticos imprimis pertineat; tamen etiam a Christianis suppositorum voluminum auctoribus, haud omnis abest culpa. Non carebat, teste Tertulliano[1], prisca Ecclesia hominibus, qui non tam impietate quam intelligentiae quodam vitio, commenta stulta invenirent et scriptis consignarent[2].

Possunt autem scripta ‚ἀκανόνιστα', sive ‚ἀπόκρυφα', in duas classes commode dispesci: videlicet Veteris et Novi Testamenti. Suntque rursus vel scripta ab orthodoxis edita, quae aliquam utilitatem legentibus adferre possint; vel compilati libri ab impiis et haereticis, ideoque a privata etiam lectione ab Ecclesia iure meritoque exclusi. Priori censu veniunt oratio Regis Manassis[3]; III. et IV. Esdrae[4]; atque III. et IV. Machabaeorum[5]; item Epistola Barnabae, Pastor Hermae, quae magnae olim erant existimationis[6]. Postrema haec scripta singulare quoddam, idque apocryphis libris affine, genus efficere censentur[7].

§. 28. Recensus librorum apocryphorum Antiqui Testamenti.

Viri quorum sapientiam libri apocryphi Antiqui Testamenti se continere iactitant; sunt omnium notissimi, planeque praestantissimi in Historiis Populi Dei. 1. Adamus, cui inscribitur: Testamentum Adami;

---

p. 252. et S. Augustinus, contra Adversarium Legis et Proph. II, 2. p. 582. „Quis non hoc monstrum, non dico sensus Christianus, sed qualiscunque humanus exhorreat"; proscribunt.

1) De bapt. c. 17. p. 45. 2) Vide ceterum caute J. L. Moshemii, diss. de causis suppositorum librorum inter Christianos saeculi Primi et Secundi. Altona. 1740. Diss. I, 261. s. C. Tischendorf, de Evangeliorum apocryphorum origine et usu. Hagae Com. 1851. p. 12. s. 3) Apud Graecos teste Allatio, de libris eccl. gr. p. 62. inter Cantica usitata. Cf. e. Cellier, Hist. gen. des auteurs s. III. 1, 4. d. Par. 1729. I, 473. s. Hist. R. D. V. T. p. 416. 4) V. H. V. T. p. 578. s. Chr. J. van der Vlis, disp. cr. de Ezrae libro apocrypho vulgo quarto dicto. Amstel. 1839. J. Langen, das Judenthum p. 112. s. 174. s. 5) V. H. R. D. V. T. . 517. 518. 570. Langen, das Judenthum p. 74. s. 176. s. 6) Cf. J. B. Coterii, iud. de ep. s. Barn. p. 7. H. Goldhagen, Introd. p. 201. s. Cf. J. Hefele, as Sendschr. d. Ap. Barnabas. Tüb. 1840. Weiszäcker, z. Krit. d. Barnabasbr. . 1863. J. Kayser, Oest. Vierteliahreschr. 1864. III, 345. s. Id. ü. d. s. Barnabasbr. Paderb. 1866. 7) Haec autem diligenter in tractatione de apocryphis tendenda sunto, ne res hac voce indicatae perperam misceantur. Prouti reapse cerunt: Dupin, Diss. praelim. de auctoribus Libr. S. S. §. 2. ed. Par. 1692. 48. Alexander Natalis, hist. eccl. Saec. I. c. 12. ed. Par. 1730. III, 39. Tilleont, not. sur S. Barnabe. 6. Memoir. ed. Ven. 1732. II, 658.

liber de filiabus Adae; liber poenitentiae Adae, vita Adami, βίος Ἀδάμ; Apocalypsis; Psalmi atque praecepta Adae ad filium Seth[1]. Similiter habetur 2. eius uxor Heva auctor evangelii. 3. Sethus per dies quadraginta raptus in coelum edoctus ab Angelis. 4. Enochus propheta et scriptor librorum de astronomia[2]. 5. Mathusala. 6. Lamech[3]. 7. Noria coniux Noae, cuius fertur vaticinatio. 8. Cham a malis creatus angelis et malas artes edoctus. 9. Melchisedech Psalmorum scriptor, deinde traditionum theologicarum, ritus sacerdotalis, rationis temporum, prophetiae et Legum[4]. 10. Abrahamus auctor apocalypseos cuiusdam. 11. Jacobus cuius Testamentum et ἀναβαθμοὶ commemorantur. 12. Testamenta τῶν τριῶν Πατριαρχῶν, et αἱ διαθῆκαι τῶν δώδεκα Πατριαρχῶν[5]. 13. Josephi precatio προσευχή. 14. Jobi varia in LXX. addita. 15. Jamnes et Mambres, Moysis adversarii[6]. 16. Moyses, cui tribuuntur Testamentum, λόγοι μυστικοὶ Μωϋσέως, secreta Moysis, apocalypsis, anabasis sive analepsis[7], et alia quaedam[8]. 17. Eldad et Medad[9]. 18. Samuelis liber de iure regni[10]. 19. Davides, cui in nonnullis codicibus et editionibus τῶν LXX. inscribi solet Ps. 151.; post victoriam de Goliatho compositus. Ecclesiae interim universalis iudicium, et continua omnium aetatum suffragia; tamquam

1) Habetur arabice conscriptus, in cod. XXI. ar. Bibl. Vaticanae teste A. Maio, Script. Vet. Nova Coll. Rom. 1831. VII, 77. Codicem Nasaraeum, l. Adami appel. syriace transscriptum e mss. Par. N. 309. ed. et lat. redd. Matth. Norberg. Lond. Goth. I—III. 1815—6. 2) Cf. H. N. T. p. 495. Scriptoribus, quos ibi laudavimus, adde J. Langen, das Judenthum in Palästina. Freib. 1866. p. 35. s. 3) Coll. Montfaucon, Bibliotheca Coisliniana. Par. 1715. p. 194. 7. 4) Cf. Scipionis Squambati, Archivorum V. T. l. I, 21. p. 164. s. 5) De quibus erudite disputat J. E. Grabius, Spicileg. S. S. Patr. ut et haeret. Oxon. 1700. I, 130. s. J. Nitzsch, de testam. XII. Patr. libro V. T. pseudepigrapho. Wittenb. 1810. Vorstman, disq. de testamento XII. patriarch. or. et pret. Roterod. 1857. Langen, l. c. p. 141. 6) V. H. V. T. p. 102. 7) Ἀνάβασις Μωϋσέως fragmentum e Codice Bobiano Bibliothecae Ambrosianae vulgavit A. M. Ceriani, Monum. s. et prof. Med. 1861. I. 1, 55. s. Cf. e. Langen, l. c. p. 102. s. 8) E. g. De vita et morte Moysis l. III., quos e mss. primus interpretatus est Gilb. Gaulmyn; repetiit A. F. Gfrörer, Prophetae Veteres Pseudepigraphi Stuttg. 1840. p. 306. s. Apocalypsim Moysis e quatuor codicibus edidit C. Tischendorf, Apocalyps. apocr. p. 1. s. Idem porro editor librum istum non mediae aetati, sed saeculis p. C. n. tribuendum esse opinatur. 9) Super quos, ut scribit Moyses Num. 11, 26., requievit spiritus. Hos inter auctores V. F. recenset Pastor Hermae, I. 2, 3. eos in hunc modum allegans p. 332.: „Prope est Dominus convertentibus sicut scriptum est in Heldam et Modal qui vaticinati sunt in solitudine populo.“ Cf. e. Jachmann, der Hirte des Hermas. Königsb. 1835. p. 66. 10) V. S. Squambatum, l. c. II, 20. p. 281.

apocryphum istum Psalmum ponunt. In editione Complutensi omnino non legitur, in Romana asterisco notatur. 20. Salomonis Psalterium [1]. 21. Eliae Apocalypsis, revelatio et visio. Quae adhucdum restant atque nominibus scriptorum Canonicorum iunguntur, sunt: 22. Jesaiae ascensio et visio mirabilis, quae d. Trinitatis arcana et lapsi generis humani redemtionem continet [2]. 23. Manassae regis preces. 24. Jeremiae praefatio in threnos, et alia. 25. Apocalypses Sophoniae, 26. Habacuci, 27. Ezechielis; 28. atque Danielis prophetiae apocryphae. 29. Literae Baruchi ad decem tribus, bene distinguendae a libro ammanuensis prophetae Jeremiae in Canone posito. 30. Apocalypsis Zachariae patris Joannis B. 31. Esdrae liber III. et IV. atque Apocalypsis [3]. 32. Machabaeorum III. et IV [4]. Illud adhucdum annotare oportet: libros istos si non omnes, saltem plurimos, ante tempora Novi Testamenti a Judaeis conditos; post haec autem, ut in libris eiusmodi abstrusioribus saepe est factum, accidit: quod hinc inde a Christianis non minus quam ab haereticis interpolati fuerint. Innumerae fabulae; quibus scatent, fidem ipsis abrogant; non propterea tamen libelli hi penitus negligendi sunt, cum quaedam in illis si non directe ad veritatem stabiliendam, saltem ad agnoscenda errorum semina faciant. Enimvero sicut vetus dictum habet ‚non omnia fingere Cretes'; sic nonnullae in his, sub falsis licet iactatae nominibus, ex veteri traditione Judaeorum stricturae servatae sunt. Aliquando in iis genuinus Canonicarum Prophetiarum sensus,

---

[1]) Huetio, Dem. Ev. prop. IV. p. 188. Hellenistae alicuius opus esse creditur, hominis in S. Librorum lectione detriti, plurimaque cum ex Davidis Psalmis, tum ex Jesaia et Ezechiele et aliunde etiam ad id opus mutuati. J. Langen, das Judenthum etc. p. 69. libellum istum post captas a Pompeio Hierosolymas ortum censet. Salomonis Psalterium ex Augustanae Bibliothecae vetustissimis membranis ab Andrea Schotto S. J. descriptum, edidit cum latina interpretatione et Scholiis Joann. Lud. de la Cerda, Hispanus e. S. Lugd. 1626. Cf. e. Ceillier, l. c. p. 233. s. Grabe, ed. Cod. Alex. t. LXX. I. prol. c. I. §. 2. Fr. Delitzsch, Comm. ü. d. Psalter. L. 1860. II, 381. 451. [2]) Saepius edita latine Ven. 1522. Gieseler, progr. pent. Gott. 1832. A. Fr. Gfrörer, Prophet. vet. pseudepigraphi Stuttg. 1840. p. 4. s. Et ante a R. Lawrence, Ascensio Isaiae vatis, opusculum pseudepigraphum ... apud Aethiopes compertum cum vers. lat. et angl. Oxon. 1819. Item H. Jolowicz, Himmelfahrt u. Vision des Proph. Isaia aus dem aethiop. u. latein. in's deutsche übers. Leip. 1854. Cf. e. Gesenius, Comm. ü. d. Isai. I, 45. Nitzsch, Stud. u. Krit. 1830. p. 209. s. Lücke, Vers. e. v. Einl. ... in die ges. apocalypt. Literatur. Bonn. 1832. p. 125. s. ed. II. 1828. Langen, l. c. p. 157. s. [3]) Diversa a quarto libro Esdrae, quocum neque habito antiquitatis, neque auctoritatis respectu conferri potest. Apocalypsim hanc edidit C. Tischendorf, Apocal. apocr. p. 24. s. [4]) De quibus singulis attamen apocryphis agere, non est nobis sufficiens locus.

quem Judaei serioris aetatis tenuerunt, non sine singulari verborum emphasi exprimitur; quae omnia dignoscere ut labor, ita non minor utilitas esse potest.[1].

§. 29. Evangelia apocrypha.

Sicut Vetus, ita etiam Novum Testamentum libros suos habet apocryphos, sed diversi generis illos; et quidem satis antiquos, Gelasius enim Papa in Concilio Romano a. 494. apocryphorum N. T. longam seriem texit, et anathemate confixit[2]. Libros apocryphos N. T. sic distribuere licet, ut alii sint quos Christo, alii quos B. Mariae V., alii quos Apostolis et apostolicis viris auctoribus fabricatores vetusti acceptos tulerunt; quae aliqua ratione ad ,τὸ εὐαγγελικὸν', et ad ,τὸ ἀποστολικὸν' accedunt[3]. Unde scripta N. T. apocrypha sunt: Evangelia, Actus, Epistolae atque Apocalypses; quae rursus vel Apostolorum nominibus inscribuntur, vel anonyma sunt.

Quanta fuerit ,Evangeliorum' apud homines primorum p. C. n. saeculorum vis atque auctoritas; vel hinc discimus, quod ea etiam, qui doctrinam sanam corruperunt, se habere et venerari simulant: omnemque dant operam, ut quae dogmata falsa fovent, illa tametsi recentia specioso ,Evangelii' nomine tradiderunt. Id in ,Evangelio secundum Hebraeos vel Hebraeorum', atque in Evangelio Marcionis Gnostici accidisse comperimus. Quae e variorum Veterum — inter quos iam ea de re non satis constat. — de istis apocryphis colligere licet, probabile faciunt: Evangelii Hebraeorum scripturam fuisse primo quidem integrae fidei; i. e. ipsum τὸ ἀρχέτυπον s. Matthaei, ineunte autem saeculo secundo

---

1) Isti et alii horum apocryphorum usus ceteroquin causa exstiterunt: ut non semel descripta, deinde partim seorsum, partim collecta edita fuerint a J. A. Fabricio, Codex Pseudepigraphus. V. T. Hamb. 1713. ed. II. 1722. 23. Pro divulgatis libris apocryphis maxima encomia recepit Fabricius et a coaevis, et a posteris. V. H. S. Reimari, de vita et scriptis J. A. Fabricii c. Hamb. 1737. p. 117. s. 137. J. C. Thilo, Acta S. Thomae praef. p. 2. Prophetae veteres pseudepigraphi partim ex abyssinico vel hebraico sermonibus latine versi habentur: edente A. Fr. Gfroerer. Stuttg. 1840. Duo fragmenta ex ignotis libris apocryphis V. F. edidit A. Maius, Scriptorum Vet. Nova Coll. Romae. 1828. III. 2, 238. 2) Quae Decretalis Corpori Juris Canonici Dist. XV. c. 3. „Sancta Romana Ecclesia" inserta est. Apud Mansi, Ampl. Coll. VIII, 150. s. V. Hefele, Conciliengeschichte II, 579. s. A. Thiel, de Decretali Gelasii Papae de recipiendis et non recipiendis libris et Damasi Concilio Romano. Braunsb. 1866. 3) V. Comm. h. p. 36.

ab haereticis iudaizantibus — i. e. Nazaraeorum et Ebionitarum — fictis fabulis immutatum; ideoque ab Ecclesia reiectum fuisse. Alterum vero Marcionis multo nocentius institutum, ne e genuinis de rebus D. N. J. C. commentariis disciplinae gnosticae ab orthodoxae veritate diversitas proderetur, S. Lucae Evangelium truncavit et interpolavit; amputatis primis capitibus, deletisque quos Hagiographus allegat, V. T. locis [1]. Inter Evangelia, quae Apostolorum nomen inscriptum gesserunt, saepius in monimentis S. S. P. P. et S. E. [2] memoratur: ‚Protevangelium Jacobi‘ [3]; omnium quae supersunt antiquissimum. In hoc apocrypho compilator, quisquis ille fuerit, tractat de B. Mariae V. parentibus, nativitate deque eadem in templo oblata; et deinde Josepho procuratione desponsata. Circa medium saeculum secundum graece in Oriente prodiisse videtur; mox ad Latinos etiam pervenit. Hoc apocrypho non multo recentius est ‚Pseudo-Thomae‘, quod plerumque ‚de infantia Christi‘ nomen habet [4]. Evangelium Thomae a gnostico Doceta pueritiam Christi illustrare et historias

---

[1]) Qui plura de his scire cupit adeat: P. D. Huetii, not. ad Origenis comm. ed. Colon. 1685. II. 114. s. Grabium, annot. in s. Irenaei III, 11. ap. Stieren II, 882. Massuetum, ib. p. 886. J. S. Semleri, diss. exiguae frugis, de δεσποσύνοις, in progr. ac. sel. Hal. 1779. p. 427. J. Fr. C. Loeffler, Marcionem ep. et Lucae Ev. adult. dubitatur. Trai. ad Viadr. 1788., rep. a Velthusen, Comment. th. Lip. 1794. I, 181. s.; qua tamen scriptiuncula nihil demonstravit auctor. Emmerich, de Evangel. sec. Hebraeos, Egyptios etc. Argent. 1807. G. Volkmar, malae notae libellus das Ev. Marcions. Text u. Kritik. Leipz. 1852. Arneth, üb. d. Bekanntsch. Marcions mit uns. Kanon. Linz. 1809. Schütz, de Evang. q. ante canonica in usu Eccles. fuisse dicuntur. Regiom. 1812. A. Hahn, Marcions Ev. in s. urspr. Gestalt. Königsb. 1823. Ei. Antitheses Marcionis. ib. 1823. Thilo, das Ev. Marcions ib. 1823. Hug, Einl. II, 28. s. Neudecker, Lehrb. d. h. k. Einl. p. 25. s. Reithmayr, Einl. p. 372. F. X. Patritius S. J., de Evang. I, 26. s. Frank, de Marcione Luc. u. f. adulteratore Trai. 1849. [2]) Citata ista legesis apud Fabricium, Thilonem, Tischendorfium l. i. c.; nobis libri moles non admittit, ea hic per integrum describere. [3]) Multum aevo cumprimis medio per apographa propagatum; et saepe a M. Neandro, Oporini 1564.; deinde ex schedis G. Postelli a Th. Bibliandro. Argentor. 1570. Fabricio, C. A. N. T. Hamb. 1719. I, 66. s. item hoc saeculo ab A. Birch, Auctarium Cod. Apocr. Fabriciani Hamb. 1804. J. C. Thilo, Codex apocr. N. T. 1832. p. 159. s. C. A. Suckow, Protoev. Jacobi ex cod. mss. Venetiano. Vratisl. 1840. Tischendorf, Evangelia apocr. Lips. 1853. p. 1. s. partim graeca, partim latina, partim utraque lingua editum. Novissime G. Wright, contrib. to the Apocr. Literat. l. i. c., e syriacis codicibus vulgavit fragmenta e Protoevangelio Jacobi, atque integrum evangelium Pseudo-Thomae. [4]) Historia enim Josephi fabri lignarii, homiliae potius, quam historiae formam referens, saeculo fere quarto primum coptice scripta, post arabice circa initium saeculi quinti versa est.

Evangeliorum supplere volente congestum, resectis partibus multis, fragmentum graece et latine ad nos perlatum est [1]. Ad saeculum secundum idque fere medium, referenda sunt quoque Acta Pilati. Praeter Evangelistarum narrationes de passione, morte et resurrectione Christi, haud exiguo olim in usu fuerunt etiam testimonia ex Actis Pilati, quae tamen a scriptis iudiciariis quam plurimum abhorrent. Reperiuntur in libro, qui nunc Evangelii Nicodemi [2], antiquis ignoto, nomine insignitur [3]. Quo enim titulo apud Veteres notum fuerit, non constat; post Caroli M. demum tempora ‚Evangelii Nicodemi' adpellatio occurrit [4].

---

1) Plures interim libros „de infantia Salvatoris" etiamnum in bibliothecis latere perhibet Thilo, Codex apocryphus N. T. prol. p. CV., e quibus est: Evangelium infantiae Arabicum, ex Syro versum; non tam Evangelium quam collectio evangelica e s. Matthaeo, s. Luca, Pseudo-Jacobo, Pseudo-Thoma et fabulosis accessionibus: instituta a suo compilatore fuit ad hoc, ut quibusdam festis diebus Mariae dicatis, adhiberetur in S. conventibus. Haeresi Nestorianorum non ita multo posterius, magnam quidem partem insipidas res profert et absque iudicio compilatum est. 2) V. G. L. Brunn, disq. hist. cr. de indole, aetate et usu. Evangelii Nicodemi. Berol. 1794. Cf. Protheoriae N. T. p. LIX. s., ubi alios etiam scriptores n. 6. de Actis Pilati disputantes dedimus. 3) Evictum habetur Librum quemadmodum a Thilone, p. 487. s., atque C. Tischendorfio, p. 203. s. typis exscriptus est, duabus constare partibus; quarum prior c. c. I—XVI. narrationes continet de damnatione, supplicio, sepultura et resurrectione Christi, fabulis auctas ab homine e iudaica gente oriundo: ut Judaeis proavorum qui rebus ipsis interfuissent, ipsoque rerum eventu ab acerrima inimicitia ad fidem transiissent testimonio, de Jesu Christo persuaderetur. Exin manavit s. d. Narratio Josephi Arimathiensis. Posterior a c. XVII—XXVII. refert filiorum Simeonis e mortuis in vitam reversorum testimonia: „de Christi rebus apud inferos gestis." Levissimo cum Actis Pilati quidem vinculo iungitur, aetatis tamen haud inferioris est. 4) Cf. Tischendorfii, diss. de Evang. apocr. orig. et usu. Hagae Comitum 1851. p. 59. s. Evangelia apocrypha Jacobi, Thomae, Acta Pilati et testimonia filiorum Simeonis a diversis profecta auctoribus nulla re a se invicem pendent, quod haud exiguum argumentum praebet, esse eodem fere tempore orta. Circumferebantur et alia Evangelia, quae longa serie recenset J. A. Fabricius, l. c. I, 335. Eadem dilucidant Grabe, Specileg. I, 15. seq. Math. Schneckenburger, ü. d. Evang. der Aegyptier, Bern. 1834. J. Pons, Recherches sur les apocryphes du N. T. Montauban. 1850. R. Hofmann, das Leben Jesu nach den Apocryphen. Leipz. 1851. p. 11. s. H. Wallon, de la croyance due a l' Évangile. Par. 1858. p. 252. s. 281. s. Cf. e. H. R. D. N. T. p. 17. s. 306.

§. 30. Πράξεις Ἀποστόλων supposititiae spuriaeque epistolae.

Praeter Evangelia exstitere iam olim etiam: ‚Πράξεις δὲ ἄλλας καλοῦσιν Ἀποστόλων εἶναι[1]; seu acta varia Apostolis et viris apostolicis a veteribus falsariis supposita, vel a Christianis conficta, numquam tamen in Canonem S. S. admissa[2]. Etenim de S. Petri scriptis referens Eusebius[3] tradit: ‚Librum vero qui Actus Petri dicitur, et Evangelium eius nomine inscriptum, Praedicationes quoque et Revelationis eiusdem libros pro catholicis scriptis numquam esse habitos constat; quandoquidem nec vetustiorum quisquam, nec recentiorum Ecclesiae scriptorum, desumto ex iis libris testimonio usus fuit.‘ Uti sancto Petro[4], ita et divo Paulo partim dolo haereticorum, partim pia[5] quorundam Christianorum fraude, Actus inscribebantur. Ecquidem idem Eusebius[6] inquit: ‚Pro spuriis, habendi sunt Actus Pauli.‘ Apud Gelasium nulla horum Actorum Pauli fit mentio, quamvis ille ‚Actus Theclae‘ et ‚Pauli‘ apocryphis accenseat. In Stichometria[7] latina satis antiqua[8] inter Scripturas Sacras reperiuntur ‚Actus Pauli‘[9]; a quibus omnino distinguenda veniunt apocrypha acta Pauli et Theclae,

---

1) Teste d. Epiphanio, haer. XXX, 16. p. 140. 2) Cf. S. Philastrii ep. Brixiani, l. de haeres. n. 60. ed. Galland. VII, 494. S. Isidori Pelusiotae, ep. II, 99. p. 543. 3) H. E. III, 3. p. 72. 4) V. e. d. Hieronymi, de Vir. ill. c. I. ed. Fabr. p. 19. 5) Ut vulgo dicitur. 6) H. E. III, 25. p. 97. 7) Στιχομετρίαν dicimus elenchum, quae στίχους, i. e. minores distinctiones sive particulas Textus Sacri, quod ad numerum attinet, proponit. Cf. Millii, proleg. p. 90. s. Wetstenii, proleg. p. 74. Mos erat antiquitus per στίχους orationis partes distinguere, ita quidem, ut in unica saepe periodo tres, quatuor, imo quinque et sex aut plures στίχοι numerarentur. Horum exempla prope innumera sunt in codicibus biblicis mss., nam plerique omnes, qui alicuius vetustatis sunt, in calce στίχων numerum consignant. V. Bern. de Montfaucon, Palaeographiam graecam. Par. 1708. I, 4. p. 28. s. 8) Quam in proleg. ad Barnab. ep. edidit J. B. Cotelerius, I, 8. 9) Iis adscribuntur versus 4560. Unde patet maiores fuisse Actis Apostolorum canonicis, quibus ib. tribuuntur v. 2200. Ast nemo Veterum Actus Petri expresse citavit, praeter Origenem, in Evang. Joann. XX, 12. ed. Lomm. II, 222.; ubi Perionius legendum praecipit „ἐν ταῖς Πέτρου πράξεσιν“, quamvis in vulgatis codicibus: Παύλου legatur. Verum etiam ex illis Pauli nihil habemus reliquum demto unico brevissimo fragmento; quod in Rufini interpretatione l. περὶ ἀρχῶν L. 2, 3. ed. Lomm. XXI, 46. habetur. Diversi erant hi Actus Petri et Pauli, quos sub nomine „Πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου“ vulgavit post C. Lascarim, Placidumque Reyna, J. C. Thilo, Acta S. S. Ap. Petri et Pauli graece ex cod. Par. et lat. ex cod. Guelferbyt. annot. ill. Halis Sax. 1837. 8. atque C. Tischendorf, Acta Apostolorum apocr. Lips. 1851. p. 1. s.

quae ‚Περιόδων Pauli et Theclae' titulo insignierunt [1]. Multo recentior est ‚Historia certaminis apostolici', Abdiae ut dicunt primo Babyloniae episcopo adscripta [2]. Huc item referuntur ‚Periodi et Martyrium S. Barnabae' [3]. In decreto Gelasiano reiiciuntur ‚Acta S. Philippi' [4]. Prae aliis vero auctoritatem sibi conciliarunt ‚Acta Andreae' [5]; quae satis concordant cum presbyterorum et diaconorum Achaiae de martyrio S. Andreae epistola encyclica [6], et aetatis utcumque antiquae sunt [7]. Ex Actibus, quibus Leutio auctore usi sunt Manichaei [8] illa passim derivant [9].

---

1) Meminere horum iam Tertullianus, de bapt. n. 17. p. 45. et d. Hieronymus, de vir. ill. c. 7. p. 47., qui ad verba Tertulliani respicit, aliique Veterum, quos diligenter recenset Grabe, l. c. p. 88. s. Quamobrem fatemur nos non posse assentiri celeberrimo Hagiographo J. Stilting, qui in comm. hist. crit. de s. Thecla Act. S. S. Sept. VI, p. 546. s.: acta Pauli et Theclae, quae nunc habemus, a presbytero illo asiatico, quem Tertullianus et d. Hieronymus taxarunt, conficta haberi nolit. Celeberrimorum sociorum, quibus a Bollando nomen est, erat primus, qui Acta Theclae graece addita latina interpretatione edidit: hac inscriptione Martyrium sanctae et gloriosae Protomartyris et Apostolatu defunctae virginis Theclae l. c. p. 95. Post Th. Hearne curas integrum Actorum Pauli et Theclae textum typis describi fecit Tischendorf, l. c. p. 40. s. Th. Ittigius, de Bibliothecis et Catenis Patrum tractatus. Lips. 1707. p. 701. contra Grabium, qui veram historiam actis istis consignatam arbitratur, multas solidasque exceptiones oggerit; sed tamen nimium praefidenter ib. p. 705. negat: Theclae gestis aliquid veri inesse. 2) Libris X. comprehensa, apud Fabricium III, 402. s.; et ex parte sub nomine tamen Lini in Actis S. S. Junii V, 424. s. apud Cuperum S. J. edita. E Veteribus nemo huius scripti meminit, genus linguae et usus familiaris Vulgatae atque Rufini seriorem aetatem et archetypum latinum indicant. 3) Quas, Hagiographus D. Papebrochius, Act. S. S. Junii II, 431. s. publicavit et Mss. Vaticano cum Guil. Card. Sirleti interpretatione, h. t. Acta et Passio in Cypro sub nomine Joannis Marci, Barnabae, consobrini edita. Repetiit eadem Tischendorf, l. c. p. 64. 4) Horum duo descripsit Tischendorf exemplaria; unum ex peregrinationibus Philippi Ap. l. c. p. 57., et Acta Philippi in Hellade p. 95. s. cum add. in Apocal. apocr. p. 144. s. 5) De quibus iam Eusebius, H. E. III, 25. p. 97. s. Epiphanius, haer. XLVII, 1. p. 400. s. Augustinus, contra Advers. Legis et Proph. I, 20. 39. p. 570. loquuntur. Sed placet e s. Philastrii libro de haeres. n. 66, saepe male citato, verba huc facientia addere: „Manichaei apocrypha beati Andreae Apostoli, id est Actus, quos fecit veniens de Ponto in Graeciam, quos conscripserunt tunc discipuli sequentes Apostolorum." p. 494. 6) Quam Graece e cod. b. Bodleianae cum latina vers. not. diss. edidit C. C. Woog, S. Antiq. in Acad. Lips. Prof. ib. 1749. 7) Publicata sunt rursus haec acta a C. Tischendorf, l. c. p. 105. s. 8) Cf. s. Augustini, de Actis cum Felice Manichaeo II, 6. p. 489. Innocentii I., ad Exsuperium ep. n. 13. ed. Schoenem. p. 545. 9) Cfr. viri eruditi Thilo, Acta s. s. Ap. Andreae et Matthiae ex cod. Par. Halis 1846. p. VII. s. et Tischendorf, l. c.

In Actorum, quae sub nomine ,Apostolorum' circumferebantur, memoratione; nulla alia amplius recitantur, quam ,Actus' nomine ,Thomae Apostoli'[1]. Actus apocryphos ,Joannis' habuisse priscos haereticos[2], e decretis verbisque Veterum, quibus illos veluti suppositos proscribunt, certum est[3]. Ad eosdem Actus referuntur ,Martyrium Bartholomaei'[4]. Reiiciuntur etiam in decreto Gelasii praeter Evangelium nomine ,Thaddaei' apocryphum; etiam Acta quae eiusdem Thaddaei nomine exstabant[5].

Neque tantum Evangelia et Acta, verum etiam Epistolae Christi ad Abgarum[6] et ad s. Petrum[7], item literae Apostolorum apocryphae natae sunt; ita enim s. Paulo adscribuntur epistolae tam ad Laodicenses[8], quam Corinthios suppositae[9]. Eodem in censu habeantur

---

prol. p. 47. s. Idem porro Const. Tischendorf, add. ad Apoc. apocr. e codice unciali publicavit Acta Andreae et Matthiae p. 139. s. Quibus iunguntur veluti continuatio Acta et Martyrium S. Matthaei, a Tischendorfio primum edita in Act. apocr. p. 167. s.

1) Eadem iam olim nota fuerunt d. Augustino, contra Faustum XXII, 79. p. 409.; Turribio Asturicensi, epistola de non recipiendis in authoritatem fidei apocryphis scripturis c. 5. inter ep. Leonis. ed. Ven. II, 130.; Pseudo-Abdiae, l. s. c. XI, 1. p. 689.; Photio, cod. 114. p. 390. Istorum quidem insignem editionem fecit C. Thilo, Acta S. Thomae e cod. Par. prim. ed. annot. illustr. Lips. 1823., repetiit novis subsidiis auctam Tischendorf, l. c. p. 190. et add. Apoc. ap. p. 156. s. Ex eodem cum Actis fonte manavit Consummatio Thomae, ab eodem Tischendorfio edita Act. apocr. p. 235. s. 2) Encratitas, Manichaeos et Priscillianistas. 3) Nec exigua erat eorum moles, cum non paucioribus quam ter mille στίχοις constarent. Cf. Fabricium, l. c. p. 765. Editionem eorum paravit primus Tischendorf, l. c. p. 266. 4) Simillimum adulterinae Historiae b. Bartholomaei conflatae a Pseudo-Abdia certaminis Apost. l. VIII. apud Fabricium p. 669. s. libellum huc adusque non editum, typis e codice Veneto descripsit Tischendorf, l. c. p. 243. s. 5) Cf. P. Lambecii, Commentar de aug. Bibl. Caes. V. l. VIII. ed. A. F. Kollár, Vindob. 1782. p. 482. Haec quoque luce publica donavit Tischendorf, l. c. p. 261. s. Inserta est etiam his Actis epistola Abgari ad Christum, sed absque Christi responsoria. De qua epistola diximus ad calcem Hist. evang. p. 306. Usurpantur et alii Apostolorum Actus apocryphi, quorum prolixum catalogum adiectis testibus et fragmentis alphabetico ordine digessit J. A. Fabricius, l. c. p. 754—832., item III, 632—660.; verum catalogus iste plurimum imminui posset; si eos, qui sub variis titulis veniunt, ad unum archetypum revocaverimus. 6) V. H. N. T. p. 306. 7) Ab Amadutio, Anecdot. lit. Rom. 1773. I. 8. n. 4. primum edita. 8) Quam Pritii, Introd. in lect. N. T. inseruit Hofmann, p. 143. s. 9) Tertiam aliquam Corinthiorum ad Paulum, quas cum censuris doctorum virorum exhibet Fabricius, III, 667. s. Ullmann, ü. d. III. Brief Pauli an die Cor. u. d. Schr. der Corinth. Heidelb. 1823. V. H. N. T. p. 402. s. 447. s. Istas quidem finxerunt impostores nonnulli, perperam interpretantes ad Coloss. 4, 16. et I. Cor. 5, 9. Epistolas has nec genuinas et apostolicas, at nec orthodoxas

oportet, epistolae, quas numero sex s. Paulus ad Senecam, et octo, quas Seneca ad d. Paulum dedisse iam antiquis temporibus perhibebatur[1]; quas interim ab impudico falsario confictas esse, non oportet pluribus demonstrare[2]. Mittimus alias epistolas falso s. Pauli vel aliorum Apostolorum, imo ipsius B. Mariae V. nomine, iactatas. Habentur quoque duae epistolae Pilati et literae Publii Lentuli ad Senatum Romanum de Jesu Christo falsatae[3].

§. 31. Apocalypses confictae insigniores.

Neque tantum Evangelia, Acta, Epistolae Canonicae apocryphis auctae sunt; verum etiam divinae Joannis Apocalypsi, revelationes apocryphae additae sunt. Inter quatuor[4] s. Petro supposita volumina, iam olim habebantur. Praedictionis, ‚κηρύγματος' quoque et Revelationis, ‚ἀποκαλύψεως' eiusdem Libri[5]. Verisimile videtur ‚κήρυγμα Petri' saeculo post Christum secundo iam exstitisse[6]. Falluntur autem forte minime, qui coniiciunt Doctrinam et

quidem esse, sed post damnatos Nestorii et Eutychetis errores suppositas fuisse, dubitandi nullus locus illi, qui eas legit, relinquitur.

1) Cf. d. Hieronymi, de vir. ill. c. 12. p. 66. et s. Augustini, ep. ad Macedonium 153, 14. II. 529. Ei. de Civ. Dei. VI, 10. p. 250. Epistolas illas numero quatuordecim saepe; et anno quidem 1533. Venetiis ab Antonio et fratribus de Sabio s. t. Schedulae ad Senecam sex, in ep. d. Pauli tripl. ed. initio divulgatas reperimus. 2) Praestiterunt hoc opus C. W. Löscher, de epistolis Senecae ad Paulum hypobolimaeis. Wittemb. 1694. B. Elsingius, de pseudepigraphis S. Pauli Ap. Lips. 1707. Fabricius, l. c. p. 860. s. et alii ib. laudati. Ut adeo vehementer mirandum sit hoc saeculo F. C. Gelpke, de familiaritate, quae Paulo cum Seneca intercessisse traditur verisimillima. Lips. 1812., eas esse genuinas propugnasse. 3) Attamen si quis lectorum de his plura desiderat scire, adeat saepe laudatum Fabricium, p. 905. s. et 834. s. J. Lami, de erud. Apost. Flor. 1738. p. 191. s. Thilo, Acta S. Thomae praef. p. 84. s. 4) Quos d. Petro auctori adscriptos ab aliquibus memoravit Eusebius, H. E. III, 3. p. 72. 5) Clementi Alexandrino, apud Eusebium, H. E. VI, 14. p. 215. et Stromatum, I, 28. p. 427. VI, 5. p. 759 s. atque alibi saepius laudati. Praedicationis Petri mentionem facit quoque Lactantius, IV, 21. p. 210. s. Hieronymus, de vir. ill. c. 1. p. 19. Vetus interim scriptor anonymus de Rebaptismate, quem inter opera s. Cypriani edidere Benedictini p. 643., s. Petri praedicationem ab haereticis confictam esse tradit. Hoc idem aperte dicit Origenes, praef. l. de principiis n. 8. p. 24. 6) Enimvero teste eodem Origene, comm. in Ev. Joann. XIII, 17. p. 29.: Heracleon, quem tempore Papae Hygini vixisse constat, illum librum iam allegavit. Cf. s. Irenaeum, adv. haer. III. 4, 3. p. 439. et Origenem, l. c. II, 8. p. 117., qui eum γνώριμον Valentini vocat. Interim a s. Epiphanio, haer. XLI, 1. p. 300. Cerdon Heracleoni successisse dicitur.

Praedicationem Petri eundem fuisse libellum; in quem plura ex Evangelio secundum Hebraeos[1] translata fuere[2]. Relictis spuriis scriptis Petrinis progredimur ad Apocalypses, quae Doctoris gentium nomen mentiuntur. Ex his ,ἀναβατικὸν Παύλου', fabulis plena et stultissima praesumtione ficta Apocalypsis est, quam sectae gnosticae ,Cainitarum' asseclae repertam fuisse in ipsa Pauli patria Tarsi somniabant[3]. Horum haereticorum commenta iam Dionysius Alex. reiecit[4]. Jam olim inter libros quos nullatenus recipit Ecclesia Catholica et Apostolica Ecclesia Romana, Apocalypsim Pauli recensuit Gelasius, saeculo autem nono[5], Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus[6] supposititiis annumeravit: ,τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ Παύλου', quam ceu profanam suscipere non oportet[7]. E simili officina prodiit d. Joannis Ap. ,de transitu B. Mariae V.' liber[8]. Sanctum Joannem

---

1) V. p. 80. 1. 2) Vide Grabii, diss. Spicileg. I, 15. s. 56. s. Quod vero ad Apocalypsim Petri attinet, alicuius saltem in Oriente fuit auctoritatis cum Sozomenus, H. E. VII, 19. p. 735. scribat: „Revelationem Petri, quae ut adulterina a veteribus repudiata est, in quibusdam Ecclesiis semel quotannis legi animadvertimus.“ Grabe, l. c. p. 71. s. omnia quae de hac Apocalypsi exstant monimenta congerens, atque ad examen revocans, suspicatur: eiusdem auctorem catholicum potius quam haereticum, quempiam ex sectatoribus Petri fuisse; fatetur attamen illa, quae typis descripsit fragmenta, mira videri facileque posse cuipiam suspicionem haeretici commenti iniicere. Cf. Comm. h. p. 52. 3) Cf. Sozomeni, H. E. VII, 19. p. 735. Supposititii operis ansam ex eo ceperunt, quod Apostolus ipse testetur II. Cor. 12, 4., quoniam raptus est in Paradisum et audivit arcana verba. Cf. s. Epiphanius, haer. XXXVIII, 2. p. 277. 4) Apud Eusebium H. E. VII, 25, p. 276. ubi diserte ait: „cum tamen Paulus in epistolis nonnihil de revelationibus suis indicaverit, quas quidem ille in proprium volumen non retulit.“ Eadem reiicit etiam d. Augustinus, in Joann. Ev. c. 16. tract. XCVIII, 8. p. 743. scribens: „Qua occasione vani quidam Apocalypsim Pauli, quam sane non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam stultissima praesumtione finxerant, dicentes hanc esse unde dixerat se raptum fuisse in tertium coelum.“ Sozomenus, l. c. p. 735. vero narrat: „Eam quae nunc quasi Pauli Apostoli revelatio circumfertur, quam nullus Veterum agnovit, plurimi ex monachis valde commendant.“ 5) C. a. p. n. C. 814. 6) Can. III. apud Mansi, XIV, 122. 7) De hac Apocalypsi plura dabunt Grabe, l. c. p. 83. s. et Fabricius, l. c. p. 943. s. Inter Codices mss. graecos augustissimae Bibliothecae Caesareae Vindobonensis reperitur S. Joannis Ap. et Ev. Apocalypsis supposititia, in qua etiam agitur de Antichristo, quae absurdissima indocti cuiusdam graeculi phantasma distrahit. Cf. Lambecium, l. c. p. 89. 90. Apocalypsim Pauli e codice Ambrosiano saeculi XV. graece edidit C. Tischendorf, Apocalypses apocryphae Lips. 1866. p. 34. s. addita textus syriaci versione anglica, quam in ephem. the Journal of S. Literature 1864. VIII, 372. s. publici iuris fecit B. H. Cowper. Aetatem libelli huius quod attinet J. Langen, Literaturblatt Bonn. 1866. p. 302. monuit: vocem „θεοτόκος“ saeculum saltem quintum arguere. 8) Elberfeldi

nihil de morte B. M. V. scripsisse, diserte testatur antiquus ille scriptor, qui sub nomine s. Augustini latet [1], inquiens: ‚sed quid de his, de quibus loquor, dicam; cum nec ipse qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est Joannes de hoc posteris aliquid retinendum scriptis mandaverit.‘ Tamen aevo cumprimis medio liber de transitu B. Mariae sub s. Joannis nomine circumlatus multis placuit [2]; quamvis Gelasius Papa censura confixerit: ‚librum, qui adpellatur transitus S. Mariae apocryphum‘ [3]. Pseudepigrapho s. Joannis opusculo de dormitione et assumtione B. Dei-Genitricis commode iungitur apocalypsis Pseudo-Joannis dudum ab omnibus explosa [4]. Apocalypseos d. Bartholomaei fragmenta quaedam ad nostros usque dies perstiterunt [5]. Denique Apocalypsis s. Thomae, et d. Stephani, protomartyris, damnat Decretum Gelasianum [6].

1854. editus arabice ex recens. et interpr. M. Engeri. Syriacum textum duplicis quidem recensionis vulgavit Will. Wright, in eph. s. c. Journ. of S. Lit. Lond. 1865.; et in libro quem inscripsit: Contributions to the apocryphal literatur of the New Testament. Lond. 1865. Graecum textum consultis pluribus codicibus edidit C. Tischendorf, Apocal. apocr. p. 95. s. Sahidicae interpretationis meminit G. Zoega, Catalogus Cod. Copticorum Borgianorum. Rom. 1810. n. 120. p. 223.; vertit Ed. Dulaurier, fragment des révélations apocr. de s. Barth. etc. trad. s. l. textes Coptethébains ined. Par. 1835. p. 20. s.

1) In app. serm. 208, 3. p. 344. 2) Latinum quoque habetur de transitu B. Mariae V. apocryphum, quod typis descriptum reperitur, in Biblioth, P. P. Lugdun. 1677. II. 2, 298. seq. h. t.: „Melitonis Sardicensis Ep. liber de transitu b. Virginis.“ Ad saeculi quarti finem natales apocryphae narrationis „εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης“, non immerito retulit G. Bickell, in ann. Tüb. Quart. 1866. p. 472. 3) De hoc opusculo interim fusius perorat P. Lambecius, diar. S. itineris Cellensis, add. Prodr. Hist. Liter. Lips. 1710. p. 33 s. Cf. e. Comm. de Bibl. Vindob. VIII, 404. Fabricius, l. c. III, 533. Alexander Natalis, H. E. III, 298. s. Nic. le Nourry, App. ad Bibl. P. P. Par. 1703. I, 556. s. C. Thilo, Acta s. Thomae praef. p. 16. s. Exstat interim hic liber in unico codice Arabico, quem e legato A. Scholzii tenet Bibliotheca Universitatis Bonnensis; dicendi genere multo deteriore quam in reliquis apocryphis arabicis scriptus reperitur. Cf. Enger. prol. p. 17. Idem censet libellum hunc non immediate e graeco, sed mediate per syriacam interpretationem fluxisse, saeculo forte quarto. V. ed. c. p. 7. et 14. 4) Graecum eius exemplar e cod. Palatino-Vatic. s. XIV. coll. Vindob. typis describi fecit A. Birch, Auct. Cod. Fabr. Havn. 1804.; denuo quinque cod. adhibitis C. Tischendorf, Apoc. apocr. Mosis, Esdrae, Pauli, Johannis, item Mariae dormit. add. Evang. et Actuum apocr. supplem. edid. C. Tischendorf. Lips. 1866. p. 70. s. 5) Lingua sahidica exarata reperiuntur in cod. Bibl. Paris., unde ea edidit E. Dulaurier l. c. 6) Plura alia id genus scripta v. ap. Hoffmann, in Herzogs R. E. XII, 320. s. Le Hir, les Apocalypses apocryphes, in Études relig. hist. et litter. Par. 1866. Juin. p. 190. s. J. Langen, das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi. Freib. 1866. p. 84. s.

§. 32. Quaeritur de usu apocryphorum?

Mirantur nonnulli, libros apocryphos, his fere diebus, diligenter tractari et typis describi, cum tamen contra haec opuscula faciat prudens *Origenis*[1], regula: ,quae appellantur apocryphae, pro eo quod multa in iis corrupta, et contra fidem veram inveniuntur a maioribus tradita, non *placuit* iis dari locum, nec admitti ad auctoritatem.' Prophetica, Apostolica illa et sincera non esse, omnes hodie confitentur. Neminem interim putamus futurum esse priscae antiquitatis studiosum, quem poenitere posset, opuscula haec evolvisse, modo advertat ad sapientissimum d. Hieronymi praeceptum[2]: ,grandis esse prudentiae aurum in luto quaerere.' Suum manet libellis istis pretium, non tantum per se spectatis; sed etiam ad Canonicos Libros comparatis; quod est partim criticum partim exegeticum. Criticum momentum rursus dupplex est, alterum enim ad Librorum Sacrorum, sive totos sive partes spectemus, authentiam; alterum ad Textus S. integritatem refertur. In apocryphis enim opusculis, quae censuris haud unquam inficiandis confossa veluti iacent, *primum* illud cuiusdam frugis est omnino: a. Quod Divinam Librorum Canonicorum auctoritatem cum natura, tum historia, sustentant; illorumque fidem sua ipsorum falsitate egregie confirmant, uti iam Veteres luculenter probaverunt[3]. Testantur enimvero apocrypha, imprimis N. T., quanta Canonicarum Scripturarum in Ecclesia fuerit et vis et cognitio. Apocrypha siquidem adeo a Hagiographis pendent; ut qui illa compilarunt, ad hos continuo attendisse certissimum sit. Impostores qui eo consilio scribebant, ut sua commenta persuaderent, non tantum ac talem respectum Librorum Canonicorum habuissent; nisi hi ubique in Ecclesiis ut Divini recepti fuissent. Ut adeo falsatores ex illis proficisci, suaque nova veteribus his superstruere deberent. Latissime patet apocryphorum usus, ad *plenius* cognoscendam doctrinae Judaicae rationem, qualis sub initiis rei Christianae exstitit[4]. Maxime etiam diligens apocryphorum *examen* prodest, historiae dogmatum perscrutatoribus. Enimvero apocrypha, quemadmodum eorum temporum, quibus prodierunt, ingenium docent, ita etiam lucem afferre haeresium historiae; quarum origines aperiunt, progressiones mutationesque commonstrant[5]. Ad hoc authentiae

---

1) Prol. in Cant. XIV, 325. 2) Ep. 107. ad Laetam n. 12. p. 688. 3) Cf. Irenaei, adv. haer. III. 12, 7. p. 467. Tertulliani, adv. Marcion. IV, 5. p. 151. V. Thilo, praef. ad Acta S. Thomae Ap. p. 119. C. Movers, in Welte K. L. 325. s. Langen, das Judenthum p. 2. s. 23. s. 5) Cf. Fr. J. Arens, de

Divini Codicis ex apocryphis petitum argumentum, accedit b. alterum; quod a comparato inter se tenore utriusque generis librorum sumitur. In apocryphis saepe ad literam reperitur consensus cum Canonicis; ista vero textus apocryphorum ad eum Canonicorum conformatio, quae cum negari nequit, eo maioris ponderis est, quo illa sunt magis antiqua[1]. Ceterum facta est illa conformatio a variis varia ratione, ab aliis infelicius, et maiori libidine errores fabulis miscendi, ab aliis maiore specie et frequentioribus veri vestigiis, ex Hagiographis utcunque desumtis; sed et ab omnibus falsariis temeritate aequali ac detestanda[2]. Quae cum ita sint, ne inter speciosam falsitatem et certam veritatem dubii haereamus, criteria utriusque observanda erunt; quorum praecipua in sequentibus posita sunt: Quo in universum libri supposititii a certis, literae humanae a Divinis; apocryphae a Canonicis Scripturis discerni dignoscique felicius possint, tres notas S. Patres et Scriptores Eccl. praescripserunt. Cognoscuntur inde α. quod de librorum apocryphorum fide et auctoritate vetustissimae traditionis testimonio nihil probari possit. β. Sermo eorum cum sermone S. Literarum comparatus, neutiquam convenit. γ. Doctrina ipsa apocryphorum a Libris vere Sanctis et inspiratis toto coelo differt. Sed haec quae inter Scriptores utrosque Canonicos et apocryphos intercedit diversitas, egregie confert ad asserendam illorum fidem. Nativam enim Divini ingenii vim, sectatur simiae instar fraus impia. In apocryphis varia ars, in Canonicis sinceritas est[3].

Apocrypha, per multa saecula paucissimorum eruditorum[4] curis illustrata, nostro praesertim aevo diligentius in usum traducta sunt. Cum

---

evang. apocryph. in canonicis usu hist. cr. exeget. Gott. 1835. R. Hoffmann, praef. ad Leben Jesu n. d. Apocr. Leipz. 1851. p. V. s. C. Tischendorf, De Evangeliorum apocr. origine et usu. Hagae Com. 1851. p. 110. s. Ei. wann wurden uns. Evang. verf. Leipz. 1865. p. 29. s. P. J. Peltzer, historische und dogmenhistorische Elemente in den apocryphen Kindheits-Evangelien. Würzb. 1864.

[1]) Huius argumenti vis minime infringitur observatione, esse multa, quae in utrisque differant. Ad hunc utique finem apocrypha compilata fuisse novimus, ut fucosis inventis veri speciem simularent. [2]) Cf. C. Ullmann, Historisch oder mythisch ed. II. Gotha. 1866. p. 195. s. [3]) Tale reperitur collatis utrisque discrimen, quod inverti non potest; nisi insano quodam Criticorum, quos vocant, omnia addubitandi pruritu, aut perfidis vera falsis commiscendi artibus. Quod nuperrime aggressus est facere G. Volkmar, der Ursprung unserer Evangelien n. d. Urk. laut d. n. Entd. u. Verh. Zür. 1866. [4]) Ante Fabricium saepius iam laudatum de apocryphis disquisierunt: Th. Ittig, app. diss. de haeresiarchis aevi Apost. Lips. 1696. Ch. Chueden, Pseudo-Novum Test. Helmst. 1699. et J. E. Grabius, in spicilegio S. S. P. P. et haer., quod non semel citavimus.

ıutem olim ab iis potissimum lecta et propagata fuerant, quorum inepto rel maligno ingenio Canonicorum scriptorum sincera doctrina non satis-'aceret; his nostris fere diebus apocryphis abutuntur praesertim ii, qui 'anonicorum Scriptorum fidem vel impugnant vel negant [1].

[1]) Haec sunt quae de apocryphis U. T. libris monenda habuimus; plura iusdem farinae e fabulis immanibus consuta olim alia opera recensere non est ecesse; quod ea a Veteribus ita deleta sint, ut nunc fere nihil eorum praeter ola nomina supersit.

CAPUT SECUNDUM

DE VARIIS

S. SCRIPTURAE CONDITIONIBUS ACCIDENTALIBUS.

TRACTATUS PRIOR.

DIVERSAE TEXTUS DIVINARUM LITERARUM ORIGINARII VICISSITUDINES.

§. 33. Ingressio.

Plurima sane mysteria Religionis, fundamentum habent in Veteris Novique Testamenti Libris; qui quidem comprehendunt conditi et redemti mundi historias, ideoque valde superant cuiuscunque generis libros profanos. S. Scriptura censente divo Augustino est: „quae canonica nominatur eminentissimae auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus.“ De Civ. Dei XI, 3. p. 434. Nihilominus Revelatione iam tot miraculis comprobata, tot martyrum sanguine roborata, totumque late orbem tenente, quidam hoc tempore reperiuntur etiam Christiani, qui fidei nostrae fundamenta diruere tentarunt, cum S. Librorum integritatem in dubium vocant, eorumque auctoritatem evertere conantur. Habito eiusmodi libidinosae licentiae hac nostra aetate inter eruditos acatholicos tam infauste vulgaris respectu: operae pretium erit diversas Textus D. Literarum U. F. originarii vicissitudines, quantum exigit instituti nostri ratio, dilucidare: ut rite constet eas integritati S. S. U. T. nihil derogare, earumque auctoritatem omnium minime labefactare.

§. 34. Historiae Textus Codicis S. Veteris Testamenti antiquissimae.

Historiae Textus Codicis Sacri Veteris Testamenti, qualescunque sint contexendae, maxime in quantum ad antiquiora tempora spectat, propter defectum veterum monimentorum, ac fidem saepe valde sublestam traditionum iudaicarum, magnis premitur difficultatibus. — V. Chr. Schoetgenii, de fide R. Mosis Maimo-

nidae in adstruendis Antiquitatibus Hebraicis. Dresdae 1750. p. 4. s. — Ut autem iusto ordine procedant, certae periodi, per quas S. S. V. T. singulares quasdam vicissitudines passa est, constituendae sunt. His itaque attentis Historiae istae commode in quatuor periodos distribui poterunt; quarum prima decurret ab origine Sacrorum Librorum ad aetatem Origenis, S. Hieronymi et Talmudis i. e. saec. VI. p. C.; secunda abhinc usque ad tempus finitae recensionis masorethicae, sive saec. XI. p. C.; tertia usque ad medium saeculi XVIII.; denique ultima usque ad eam, qua nos vivimus, aetatem.

Accuratas libri cuiuscunque demum vicissitudines, ut ab origine repetamus, necesse est. Inquirere debemus quaenam fata postquam vulgatus est subierit, quomodo et inter quos servatus sit? Quodsi ad natalia Librorum V. F. sacrorum recurrere tempora, ipsaque S. Virorum autographa consulere possemus; nullas in iis scribendi aut legendi varietates deprehensuri essemus: verum ut vidimus s. p. 2. secus sapientissime visum est Providentiae divinae. Cum autographa interciderint, post tot ac tanta annorum intervalla nihil aliud, quam codices istos, qui diversis vicibus diversisque temporibus descripti et varias temporum calamitates experti sunt; aliquo modo a se invicem differre, omnino exspectandum est. Quominus id fieret, perpetuum divinum miraculum impedire debuisset, ne sub scribarum manibus variae in apographa irreperent diversitates. Quaenam Textus Hebraei conditio fuerit prima periodo, densissima caligine tegitur. Probabile quidem est, aliqua menda scripturae in apographos codices a librariis inducta esse; ante conclusum adhuc Canonem V. T.; sed ea in hodierno textu demonstrare sphalmata, quae tam remotam attingerent aetatem, foret nodum in scirpo quaerere. Ad cognoscendum, utrum et quaenam ubi in Codicem sacrum hac aetate irrepserint menda? praeter loca parallela in L. L. Regum, Paralipomenon, Psalmorum, duo supersunt monimenta: Versio graeca Alexandrina et Textus Samaritanus Pentateuchi; quorum cum Textu originario collatio luculenter docet, iam tunc codices hebraeos fuisse, in quibus varia essent librariorum vitia, multasque lectiones ab hodierna T. O. haud parum differentes. Sane iam olim S. Hieronymus, in Commentariis suis ostendit, in quam diversa abeant LXX., quos ex Hexaplis Origenis latine reddebat, a textu hebraeo Judaeorum temporis, quo ille vixit. Collato Textu Originario cum interpretatione graeca τῶν LXX. atque Pentateucho Samaritano, innumerae fere reperiuntur diversitates; sive in lectionum varietate, sive in levioribus additionibus: sive in omissionibus. Minime tamen exinde sequitur: recensionem illam, quae LXX. et Samaritae praesto fuit, omnes eas differentias exhibuisse, quas criticae disquisitiones nostro tempore annotarunt. Post D. N. J. C. Salvatoris benignissimi tempora, qualis fuerit Textus V. T. ratio critica repraesentant: interpretatio Chaldaica, Syriaca, ac demum Latina. Sed et constat tunc, imo iam diu ante, Judaeos codices mss. contulisse, variantes lectiones ex iis collegisse et hic illic loca quaedam emendasse. Quod e testimonio Talmudis Hierosolymitani — qui habetur circa a. 230. p. C. consarcinatus — et Babylonici — quod ad ducentos abhinc annos i. e. 430. p. C. referri solet, — cognoscitur. — Allegat illud Beni. Kenicott, diss. gen. in Vet. Test. hebr. Oxon. 1780. §. 34. p. 15. — Plurimum studii in crisi aeque ac interpretatione s. Textus collocavit versione et commentariis suis d. Hieronymus. E quibus liquet: lectionem Codicis hebraei, quo S. Doctor usus est in plerisque cum textu hodie usitato

convenire; quamvis non deficiant discrepantiae, quarum ipse pluribus in locis mentionem fecit; sed eae neque multae, neque magni momenti sunt. Cf. A. Geiger, Urschrift u. Übersetzung. d. Bibel. Bresl. 1857. p. 231. s. L. Reinke, Beitr. z. Erklär. d. A. T. VII, 28. s.

§. 35. Conditio S. Literarum a concinnato Talmude usque ad finitam Masoram.

Licet acerbissima essent post vastatas Hierosolymas Judaeorum per varias Imperii Romani oras dispersorum fata; ea tamen non impediverunt illos, quominus maxime in Oriente eruditioni sacrae operam navarent, variasque aperirent scholas, in quibus s. Literas docebant. In his clarum imprimis nomen adepta est schola Tiberiensis — v. not. terr. s. geogr. p. LII. — cuius moderatores sub principium saeculi sexti aerae Chr. in illas praeprimis curas incumbebant; ut genuinam lectionem textus originarii restituerent ac conservarent. — De Masora, v. Gilberti Genebrardi Benedictini Mosaceni, Εἰσαγωγὴ ad legenda Rabbinorum commentaria. Par. 1559.; quem cum eiusdem medit. et tab. rabbin. rursus typis describi fecit Hadr. Relandus, Analecta Rabbinica ed. sec. Trai. ad Rh. 1723. p. 7. s. J. Buxtorf, Tiberias sive Comm. masoreth. Bas. ed. III. 1665. Hottinger, Thes. phil. I. 3, 4. p. 398. s. B. Walton, in Biblia Polyglotta Prolegomena spec. ed. Fr. Wrangham, Cantabr. 1827. I, 414. A. Pfeiffer, diss. de Masora. Viteb. 1670. E. S. Ackermann, Masora illuminata. Jen. 1759. E. A. Frommann, de erroribus qui in interpret. V. T. a Judaeis manarunt. Cob. 1763. Kenicott, Diss. gen. II, 262. s. [Molitor] Philosophie der Gesch. Münst. 1857. ed. s. I, 633. Reinke, Beiträge VII, 46. s. —Hunc in finem observationes, quas ab aliis acceperunt, si accurate constituendae lectioni et interpretationi facere videbantur, collegerunt in unum librum, quem adpellabant מָסוֹרָה, i. e. traditionem. Unde et ipsi collectores „Masorethae“ dicti sunt. Eos excepere alii Judaeorum magistri, qui veteres novis observationibus auxerunt; adeo ut quid a primis auctoribus profectum, quid deinde additum ab aliis fuerit, dignosci hodie nequeat. An Masoretharum tentamina utilia fuerint an secus? affirmatur a multis, negatur ab aliis. Qui institutum Masoretharum accuratius expenderunt, et impensius considerarunt, non quidem dissimulant: praecipue posteriore aetate crisim quandoque fuisse curiosiorem, imo superstitiosam. Sed huic excessui opponunt alii, mirandos labores Masoretharum ad S. S. integritatem sartam atque tectam servandam. Unde מָסוֹרָה, a r. אָסַר ligare, sepes Legis סייג לתורה dicitur. Certe aequi rerum iudices concedunt: etiamsi notae istorum virorum, quae ad nostra pervenerunt tempora, mendis defectibusque laborent, multisque in locis sint lacunosae; eos ingentem consilio sane optimo, nec sine provida Numinis pro conservatione Codicis Sacri cura, in se suscepisse laborem; quem summo studio et incredibili plane opera exantlarunt. Masoretharum igitur annotationes in diiudicandis diversitatibus et eruendis genuinis lectionibus, alicuius sunt ponderis. Versabatur cumprimis Masoretharum industria circa numerum commatum vocumque S. Librorum, circa literas, puncta vocalia substernenda, codices biblicos castigandos, denique dirigendos librarios in describendis codicibus sacris. Illas e vasto Talmudis opere, in compendium quasi redactas,

exhibet libellus: מסכת סופרים, quem in latinum conversum et annotationibus explicatum edidit J. G. Chr. Adler. Hamb. 1779.

Collegerunt „בַּעֲלֵי מְסוֹרָה“ praesertim illas observationes, quae vocantur קְרִי et כְּתִיב, atque inter praecipuas Masorae partes numerantur, ideoque attentione dignae sunt. Masorethae ubi codices recentiores ad antiquiores revocarent, ipsosque antiquiores inter se conferrent, non correxerunt aberrationes, quae ad lectionis vel orthographiae diversitatem spectabant, sed eas in margine notarunt. Hinc duplex lectio exhibetur: a. textualis nimirum quae intra contextum comparet et circello supra vocem posito insignitur. Id est: כְּתִיב וְלֹא קְרִי, quae lectorem remittit b. ad vocem marginalem קְרִי וְלֹא כְּתִיב litera ק notatam, quam inter legendum in illius surrogandam locum censuerunt. Masorethae itaque novam constituerunt normam, qua Textus Sacri e sua opinione veram lectionem definiverunt; et quidem tanta auctoritate, ut ad illius deinde rationem omnes codices fuerint descripti. Indeque factum, nullum fere inveniri codicem V. F. mss. integrum, de quo certo probari possit illius aetatem saeculum undecimum superare; neglectis imo repudiatis a Judaeis omnibus codicibus mss. ante finitam recensionem masorethicam conscriptis. L. Cappellus, Criticae s. III, 6. p. 180. de lectionibus ק. et כ. hoc fert iudicium: „Pauca sunt admodum loca in quibus τὸ Keri meliorem gignit et commodiorem sensum quam τὸ Ketib. Imo non pauca sunt in quibus τὸ Ketib non sine ratione videri possit praeferendum τῷ Keri.“ Quod habita istarum lectionum ratione, verum esse deprehenditur.

Per hoc temporis intervallum Judaei conati sunt, rationem punctorum vocalium ad certas regulas constituere; sibique in omnibus locis conformem reddere. Vixisse feruntur saeculo undecimo ineunte duo Rabbini: Aharon ben Ascher et Jacob ben Naphtali, quorum prior in schola Tiberiadis, alter in Babylonia floruit; qui operam suam in novam Textus hebraici recensionem collocarunt. V. J. C. Wolf, Bibliotheca Hebraea. Hamb. 1715. p. 299. H. Hupfeld, de rei grammaticae apud Judaeos initiis. Hal. 1846. p. 2. s. Codices istorum duumvirorum collati, et discrepantiae quae in utraque recensione inveniebatur in indicem relatae sunt. Qui tomo VI. Bibl. Pol. Londinensium legitur. Omnis autem varietas inter recensiones istas, ad sola pertinet puncta vocalia, et nullius fere est momenti. Interim recensionem Ascheri communiter sequuntur Judaei Occidentales seu Europaei, Ben Nephtali lectionem sequuntur Orientales. Denique Masora diversimodo iam Textui s. iuncta, iam in distinctos commentarios relata, Christianis fere inaccessa manebat, donec eam saeculo decimo sexto Bombergus typis exscriberet. Cf. Hottingerum, Thes. phil. I. 2, 4. p. 106. s.

§. 36. Codicum manuscriptorum Hebraicorum notitia.

Opportune hoc loco de aetate, indole pretioque hebraicorum Codicum manuscriptorum observationes quaedam adduntur. Optandum quidem esset, ut de apographis S. S. V. T. quae supersunt aetate numeroque certo constaret; at de utroque ad hunc usque diem laboratur. Atque ut de aetate codicum loquamur, eruditissimus et harum rerum peritissimus de Rossi, Variae lect. I, prol. p. 116.

vetustissimum apographum n. 634. continens Lev. 21, 19. — Num. 1, 50. ad saeculum usque octavum refert. Pauci interim docente eodem Rossio, p. 16. supersunt antiquissimi codices; qui vero ad Graecorum, Latinorum, Syrorum, Coptorum antiquitatem ascendunt, nulli. Plures nobis abripuit aetas, longe plures Talmudistarum praescriptum in tract. Sopherim, quo cautum est ut: „Libri s. eorumque integumenta si attrita sint, sepeliantur." Ita multi codices interciderunt! Nec verisimilitudine caret, a Judaeis nonnullis superstitiosioribus deletos etiam multos ex antiquissimis codicibus, ob id unum: quod amasorethici, non emendati, illegitimi haberentur. Ad haec: minus exculta a Judaeis studia, rarioresque propterea ante saeculum duodecimum codices opinatur idem vir celeberrimus de Rossi; contra circa illud tempus doctiorum interpretum eruditione insigniter adauctos. Inde rursus sequitur, quod ad aetatem attinet, magnum hebraicos inter et alios codices veteres deprehendi discrimen. Nam quos secus „medii aevi" fere dicimus, si antiquitatem attendimus, hi apud Hebraeos vetustissimi merito habentur. Ut antiquus quodammodo dici queat hebraicus codex, esse debet saltem saeculi XIII. vel ineuntis XIV.; recentiores namque sunt codices s. XIV. exeuntis et XV.; recentissimi ac nullius usus qui post saec. XV. conscripti. Qui saeculum XII. excedunt, remotissimi aevi dicendi sunt; ideoque rarissimi, veraque bibliothecarum κειμήλια. Cuiusmodi est Codex Vindobonensis Kenicotti 590. D. q. v. A. Krafft, Catalogus C. MSS. Bibl. Pal. Vindob. II. Vind. 1847. n. 3. [15.] p. 9. s. coll. Pinner, Prospectus der Odessäer Gesellsch. f. G. u. A. gehör. ält. hebr. u. rabb. Manuscr. Odessa. 1845. n. 3. saeculi X. i. e. 916. p. C. item apud Kenicottum n. 591. Psalm. Job. Prov. Dan. ex aestimatione de Rossi, l. c. p. 16. sub initium saec. XI. exaratus.

Quod vero ad notas attinet, e quibus aetas codicum hebraicorum dignoscitur: in genere ex conditione ipsa superstitum codicum remotae antiquitatis petuntur, suntque fere sequentes: scriptura rudior inelegans; membrana flava, crassa, mollis, vetustate corrosa; atramentum evanescens exaesum; literae obsoletae rescriptae; Masora nulla vel rarissima; nullum vel rarissimum ad marginem קרי; *lectiones marginales in textum receptae; tetragrammaton nomen* יהוה *pro* אדני *saepe adhibitum; matres lectionis retentae; nullum vel exiguum inter libros ac sectiones spatium. Quidquid ceterum sit de codicum nostrorum aetate, illud ex vero affirmari potest: codices recentiores quam maxime simillimos exstitisse apographis vetustis. Obiter monemus, quod a quo tempore Canon V. T. obsignatus fuit, hi libri usu publico et privato sollicite custodiebantur. Providentia Divina id sane postulasse videtur, ut datam abs se Revelationem Deus custodiret integram, nec depravari permitteret Hebraeos Codices; cum quod ipsius Dei in Verbo suo causa agatur, tum quod ex illis deberent convinci Judaei ad credendum in Christum. Coll. Matth. 23, 3. Joann. 5, 39. Antiquissima memoria in Legis apicibus conservandis scrupulosa fuit Judaeorum industria. Magna vero licet esset vigilantia curaque adhibita, librariorum sive ignorantia sive oscitantia — ob summam inter se similitudinem — literarum ac vocum transpositionem; et adeo variantium lectionum copia irrepserat. Ne dicamus Judaeos maluisse extrema omnia pati, quam ut aliquid in Codice sacro mutaretur aut loco suo moveretur. Sed hoc argumentum ampliora spatia requirit, videantur: J. G. Vogel, de matribus lectionis librariorum olim arbitrio relictis Hal. 1767. G. Mayer, inst. interpr. s. Vind. 1789. p. 144. s. G. L. Bauer, Critica s. Lips. 1795. I, 343. A. Geiger, Urschrift p. 261. s. Reinke, Beiträge VII, 51.*

§. 37. Varietas Textus Hebraici ab initiis saeculi undecimi usque ad illa decimi quinti.

Cum usque ad initium undecimi saeculi Literarum S. in Oriente studia apud solos fere floruissent Judaeos Babylonios; illa ab eo inde tempore etiam ad Europam translata sunt, occasione data a vexatione, quae anno 1040. iudaicae genti in Oriente a Saracenis subeunda erat. Cf. Jost, Gesch. II, 287. Quippe ea urgente Judaei sedibus suis pulsi, magno numero in Europam, maxime in Hispaniam profecti, illuc eruditionem suam ac praesertim Sacri Codicis studium transtulerunt; unde et ingens ab eo tempore floruit, primum in Hispania, deinde et in Italia ac Germania eruditorum in hac gente, maxime saeculo XII. et XIII. numerus. Inter hos, qui de S. Scripturis bene meriti sunt, prae aliis memorandi erunt: Aben Ezra, Maimonides, Salomo Jarchi, Josephus et David Kimchi, Levi Ben Gersom aliique. Cf. Julii Bartolocii de Celleno, Vitae cel. Rabbinorum qui in S. Codicem scripserunt, in H. Relandi Annal. Rabb. p. 59. s. Isti quidem in universum sequebantur recensionem masorethicam, saepe tamen ita citarunt aut interpretabantur Codicem s.; ut diversas ab ea lectiones vel commemorarent, vel assumerent. Praeterea utebantur codicibus quibusdam, quos ceteris correctiores existimabant; quive veluti emendatissimi insignem inter Judaeos auctoritatem obtinuere. Saeculo XV. vixit R. Isaac Abrabanel, qui summa diligentia educatus crevit in virum lectum; pecuniariam attamen mercaturam literis iunxit. S. Codicis assiduus sed plerumque mendax interpres, Christiani nominis infensissimus exstitit inimicus; principum vero christianorum perpetuus fuit adulator. Ceterum ad Rabbinorum codices quod spectat, laudantur: codex Hillelis, deinde codex Ben Ascher, qui etiam Palaestinus dicebatur, codex Ben Naphtali alias Babylonicus, codex Hierichuntinus, codex Sinai aliique. Omnes hi codices nunc deperditi sunt; qui enim hodie in bibliothecis Hispaniae, Galliarum, Italiae, Angliae, Belgii et Germaniae asservantur, longe recentiores sunt.

§. 38. Primae editiones Bibliorum Hebraicorum typis descriptae.

Cum characteres literarum aere insculpi ac fundi, ex iisque fusis, connexis atque atramento obductis libri imprimi cepissent, in quo totum illum situm est typographiae artificium, quod omnium primi in orbe adhibuerunt Faustus et Guttenbergius: primum eorum artis specimen hebraicum Biblicum excusum fuit Psalterium hebraicum cum commentario Kimchii in quarto u. d., anno C. 1477. De quo sicuti et de aliis antiquissimis editionibus leg. celeberrimus J. B. de Rossi, de hebraicae Typographiae origine ac primitiis seu antiquis ac rarissimis hebraicorum librorum editionibus saeculi XV., rec. G. E. Hufnagel. Erl. 1778. p. 12. s. Ad editionem ipsam quod attinet Textus absque punctis, germanica typorum forma exscriptus est, sine addito impressionis loco. Commentarius Kimchii ea omnia continet integra, quae Christo christianaeque religioni adversantur. Posthaec

Bononiae 1482. in vulgus exierat Pentateuchus hebraicus cum punctis, addita Paraphrasi chaldaica et commentario R. Salamonis Jarchi. Prophetas priores cum Kimchii commentario a. 1486. imprimere aggressi sunt Soncinates; excusis vix prioribus, statim iidem operam convertebant ad posteriores typis describendos. Qui supererant Hagiographorum libri hucusque inediti Neapoli, ubi plurima eaque insignia enumerantur s. XV. edita hebraicorum typorum monimenta a. 1487. prodierunt. Singulae iam Bibliorum Hebraicorum partes seorsum hucusque variis temporibus, ac diversis etiam in locis cum commentariis editae sunt, quae si simul iungantur integrum corpus Bibliorum conficiunt; at honos totum volumen S. S. Hebraicum simul typis exscribere reservabatur Abrahamo Chajimo, qui undecim abhinc annis primum hebraicae typographiae foetum vulgaverat. Pisauri et Soncini, quod oppidum est non longe distans a Mediolano, exercuit artem typographicam, quo loco anno p. C. 1488. Opus Sacrum impressum edidit. Singuli libri maiusculis ligneis picturis ornatisque dictionibus ac literis inchoantur. Opus hoc quod binis columnis Sacrum Textum sistit extremae raritatis esse, animadvertunt scite Bibliographi. Octo circiter exemplaria in Europa existere cognoscuntur. Vindobonae habetur eorum unum, quod delineavit Ph. J. Lambacher, Biblioth. antiq. Vindob. Civ. Viennae 1750. p. 2. s. Post hanc ex antiquissimis editionibus imprimis memorabilis est: Brixiensis, quam cum punctis in quarto minori forma ad Biblia maiora anni 1488. recudi curavit editor Gerson ben Mose Soncinas a. 1494. 8. De raritate huius editionis v. J. Vogt. Catalogus historico-criticus Librorum rariorum. Francof. 1793. p. 119. Ex hac editione natales habet Textus Bibliorum polyglottorum Complutensium. Insuper prae aliis commemoratione dignissimae sunt illae editiones, quas fecit Daniel Bombergus, ea quidem correctione et elegantia; ut post eum procuratae editiones semper ruerint in deterius. Excudit primam omnium Venetiis 1518., quae Leoni X. P. M. inscripta est. Perfecit illam hortatu et ductu Felicis Pratensis — a loco nativitatis Prato cognominati. — hebraei ad Christum conversi, magistri deinde Theologiae. Felix huic editioni in margine adiecit notas masorethicas, quas Elias Levita Judaeus, cuius opera in sequenti editione a. 1521. usus est, reiecit; nihil eum qui illas apposuerat in Masora intellexisse causatus. Hanc editionem recusam dedit Bombergus, sed emendatam et accuratius elaboratam a. 1526. Habita ratione praecedentis S. Bibliorum editionis haec secunda est, vocata tamen est et prima, quae studio J. b. Chajim prodiit; qui cum multas invenisset Textum inter ac Masoram lectionis varietates, modo lectionem Textus, modo lectionem Masorae, pro suo iudicio secutus est. Textui iunctas sistit: Masoram cum instructione J. b. Chajim; lectiones variantes Ben Ascher et Ben Naphtali, interpretationes hebraicas et chaldaicas. Ad normam huius editionis ille Textus S. in plerisque editionibus repetitus fuit, qui hodie Textus masorethici nomine salutatur.

Haud supervacaneum fore arbitramur, quaedam: de singulari hebraicarum editionum saeculi XV. et ineuntis XVI. raritate, usu et praestantia observare. a. Editiones antiquissimas editas fuisse secundum codices manuscriptos, et eorum formam etiam referre; hincque quamquam in universum Masorae conformes, saepe tamen ab editionibus subinde vulgatis, haud parum differentes exhibere lectiones, res est non exigui sane momenti. Cum enim rarissimi iure habeantur quivis libri, sub ipsa typographiae incuna-

bula impressi; b. tum maxime hebraici habendi sunt, qui multis de causis ceteris sunt rariores. Paucissima enim ea aetate impressa sunt exemplaria; quorum maxima statim undique, ob MSS. Codicum pretium, a Judaeis facta est conquisitio; maximus ubique usus eorum invaluit, ita ut vix unum aut alterum, illudque plerumque detritum, ad nos pervenerit. In harum porro editionum praestantiam cedit c. non modo quod sint rarissimae; sed etiam quod inveniantur optimae. Splendidissima est papyrus; elegantissimi plerumque typi; atramentum lucidissimum, quam elegantiam auget, etiam quam maxime membranarum est praestantia, in quibus saepe excusae sunt. Unde omnes viri eruditi consentiunt: antiquissimas editiones quod ad usum magni faciendas esse, imo manuscriptis codicibus aequiparandas; quorum vicem non immerito supplere possint. Itaque latissime patet harum vetustissimarum editionum usus, sive in restituendis nonnullis, quae desiderantur commatibus; sive in corrigendis mendis; sive demum in suppeditandis melioris notae lectionibus.

Locupletior Bombergiana editio vulgata fuit a. 1549., collatis quoad Pentateuchum decem et amplius mss. codicibus a R. Menachem de Lonzano. Haec autem Veneta Biblia, cum et magni passim constarent, nec suis carerent mendis, emendata edidit J. Buxtorf pater, Basileae in fol. 1611. et 1618. Celebris quoque est Pentateuchus Ferrariae — urbe in qua Judaeorum copia academiarum splendore, doctorumque fama cum ceteris quibuscunque contendebat. — cum quinque Megilloth et cum Haphtaroth apud Abrahamum Usque a. p. C. 1555. typis exscriptus. De hac nitidissima et perrara editione disputat J. B. de Rossi, de Typographia Hebraeo-Ferrariensi comment. hist. c. 4. ed. Erl. 1781. p. 52. s. Imperante Vespasiano Gonzaga Colonna a. 1551. primordium cepit Typographia hebraica Sabionetensis, quae vulgavit splendidissimum Pentateuchum hebraicum et chaldaicum cum quinque Megilloth nec non cum Haphtaroth. a. p. C. 1557. Istius pulcherrimae et correctissimae editionis notitiam suppeditabit rursus saepe laudatus J. B. de Rossi, annales Typographiae Ebraicae Sabionetensis. Edit. Roos. Erl. 1793. p. 26. s.

Praeterire possumus reliqua Biblia rabbinica, paucisque considerare alias a Christianis procuratas V. F. editiones. In his potiores sunt: Münsteriana, anno 1536. Basileae a Sebastiano Münster adornata, cui latinam a se concinnatam iunxit versionem, et annotationes e Rabbinorum commentariis excerptas. Plantiniana, quae a. 1566. elegantissima prodiit Antverpiae, ex officina C. Plantini, inter lineas hebraicas versio latina Santis Pagnini, ab Aria Montano sociisque emendata; ita inserta legitur, ut singulis hebraicis latina responderent. Sequitur Stephanica, a Roberto Stephano, Lutetiae Parisiorum a. 1539—1544. pulchris quidem characteribus impressa, sed mendis scatens; quae quatuor voluminum nitorem turpiter foedant. Summo studio procurata est editio Josephi Athiae, typographi apud Amstelodamenses Judaei a. 1661.; notis hebraicis et lemmatibus latinis illustrata a Joanne Leusden linguae sanctae in Academia Ultraiectina Professore. Prima est editio, in qua singuli versus numeris certis sunt distincti. Exhibet Textum hebraicum cum Bibliis Bombergi et Plantini atque cum duobus mss. collatum. Secundum editionem 1667. J. Athiae divulgatus est Textus originarius ab Everardo van der Hooght accuratissime 1705., ut omnes editiones reliquas, sinceritate et correctione sua in plurimis superet. Typi sunt admodum distincte et clare novis formis excusi. Ad hanc Hooghtii tandem

omnes fere editiones, quarum usus in scholis fit, sunt recensitae; editionem eius stereotypam apparavit A. Hahn. Lips. 1833. et C. G. G. Theile. Ib. 1849.

§. 39. Tentamina critica circa editionem S. Codicis Hebraici ad nostros usque dies.

Cum itaque e communi fonte omnes editiones V. F. promanassent, mirum non est neglectum fuisse examen codicum manuscriptorum, veterum versionum, aliorumque subsidiorum criticorum; donec saeculo XVII. Acatholicorum quorumdam Theologorum nimium tenaci industria et male sedula cura, qui omnia veluti divina defendenda sibi sumserunt, quae Judaei olim circa Codicem S. statuerunt, haud pauci provocarentur ad puritatem textus masorethici impugnandam. Istorum quidem agmen ducit: J. Morinus, Congr. Or. P. cum in prolegomenis ad editionem versionis LXX. Par. 1628., tum in exercitationibus in utrumque Pentateuchum Samaritanum ib. 1631.; in מסורת הברית, exercit. bibl. de Hebraei Graecique textus sinceritate ib. 1633. atque diatribe elench. de sinceritate Hebraei graecique textus. ib. 1639. Successerunt: Ludovicus Capellus, in opere quod inscripsit: „Critica Sacra" Lut. Par. 1650. J. Vossius, diss. de LXX int. eorumque translatione et chronologia. Hagae Com. 1661. Richardus Simon. Congr. Or. P. Historia Critica textus V. T. Par. 1681. G. Whiston, an essay towards restoring the true Text of the old Testament. London, 1722. Quibus quidem et aliis operibus in publicum sparsis: Critica magno ausu, nec minori successu Textum V. F. hebraicum haud parum depravatum et corruptum sibi demonstrasse visa est. Non equidem defuere, qui Criticae huius artificium fallere observarent, eamque proscriberent. E. c.: Simeon de Muis, assertio veritatis hebr. Par. I. 1631. II. 1634. III. 1639. A. Bootius, vindiciae pro Hebr. ver. Par. 1653. J. B. Carpzow, Historia Critica V. T. auctore R. Simone edita discussa Lips. 1648. p. 18. s. W. Itchener, a defence of the Canon of the old Testament. Lond. 1723. J. G. Carpzov, Critica S. V. T. Lips. ed. sec. 1748. p. 792. s. L. Vogel atque J. G. Scharfenberg, in animadv. ad ed. Capelli Crit. S. Hal. 1775—1786. G. L. Bauer, Critica Sacra. Lips. 1795. p. 28. s. Abhinc modo singulari cura et sedulitate varians Codicis S. V. F. Scriptura examinabatur. Ita H. Opitius, Kiloniensium Professor, nulli operae pepercit, ut collatis subsidiis singulas Textus hebraici voces in sua recensione Kil. 1709. ad rigidum examen revocaret. Abr. Kallius, de codicibus mss. biblico-hebr. maxime Erfurtensibus disquisivit. Hal. 1715. Quod in hac disquisitione omisit, supplevit J. Chr. G. Diederichs, specimen Variantium Lectionum cod. hebr. mss. Erfurtens. in Ps. Gott. 1775. Idem praestiterunt: Th. C. Lilienthal, comment. cr. sistens duo. Cod. q. Regiom. obs. var. lect. Regiom. 1770. G. Schiede, biga obs. s. de Codice Cassellano. Brem. 1748. Nagel, descript. de trib. Cod. mss. Ebnerianis. Altdorf. 1748. Ei. diss. de duob. Cod. mss. V. T. Bibl. Norimb. ib. 1769. Ruckersfelder, syll. comment. Daventr. 1761. J. Fr. Schelling, descript. cod. mss. hebr. Stuttg. 1775. O. G. Tychsen, tentamen de variis Cod. Hebr. V. T. manuscript. generibus. Rostoch. 1772. Ei. Befreytes Tentamen v. d. Einw. ib. 1774. Anh. ib. 1776., aliique critici.

Adhibitis codicibus manuscriptis Erfurtensibus, consultis praestantissimis editionibus, ac Hebraeorum petitis criticis annotationibus, e typographia Orphanotrophei Halensis prodierat a 1720. diuturni indefessique laboris opus: J. H. Michaelis, Biblia Hebraica, singulari studio diligenter recensita. Haec Bibliorum editio, in qua masorethica Textus hebraei recensio accuratissime recognita est; largiorem simul suppeditat instructioremque, quam ante eam ulla, criticam varii generis suppellectilem, et illam quidem ita digestam: ut selectu instituto lectiones variantes maioris momenti in oris paginarum conspiciantur. Cf. C. C. Knappii, diss. de editionibus Bibliorum Halensibus, in scriptis varii argumenti, p. 692. s. Chr. Reinecii et J. Simonis Codicis hebraei editiones Lips. 1725. Hal. 1752., et saepius tironum usui accommodatae, nullas Criticae accessiones tulerunt. Tentamina J. H. Michaelis prosecutus C. F. Houbigant, Congr. Or. Pr. a. 1746. scripsit prolegomena in S. S., quibus propositum de edendo Codice Hebraeo communicaret. Secuta est anno 1753. editio promissa Bibliorum Lut. Paris. tomis 4. in f. splendida et quoad externam formam praestantissima, quae ad editionem Hooghtianam ita est exscripta: ut solummodo tantum vitia typographica emendata sint. Accedunt Libri, Graeci qui deutero — canonici vocantur. Punctis editor vocalibus nihil tribuit, hinc illa plane eliminata sunt; adiectae sunt criticae notae, quibus multa Textus hebraei loca emendare conatus est, ut dicitur ad codices mss., e bibliotheca regia Parisina; sed qui qualesve fuerint? ignorare editor permittit. Addita est porro versio latina ad notas criticas Houbigantii facta. Cf. Seb. Rawii, specimen observationum ad C. Fr. Houbigant O. D. J. S. Prolegom. in S. S. Trai. ad Rh. 1761. Ei. Exercit. III. adv. C. Fr. Houbigant Proleg. S. S. Amst. 1761. Lubenter fatemur Houbigantium de Ecclesia bene merendi studio hanc provinciam criticam suscepisse, atque adeo non abs re munificentiam Summi Pontificis Benedicti XIV. expertum esse. Sed ne quid dissimulemus: editor opus suum magna coniecturarum audacia in lucem produxit. Conqueritur tanta incuria Codicem Sacrum editum esse, quanta vix ullus codex qui fuit typographiae luce cohonestatus. In prolegomenis I, 1—191. duces J. Morinum et L. Capellum secutus, id demonstrare studet: maiorem esse Pentateuchi Samaritani et Veterum Versionum auctoritatem, quam Codicum hebraicorum; de quibus dicit ib. p. 4. „constat apud omnes illarum rerum peritos, hac nostra aetate hebraicum codicem superesse vix ullum sexcentis annis vetustiorem.“ Deinde ubi de variantibus lectionibus, aut emendando textu agitur, dubium manet, numne Houbigantius codicum auctoritate utatur, an vero quae in medium profert e propria editoris coniectura sint profecta? Cum taliter Houbigantius audaciter in coniecturis medicinam s. Textui quaereret, merito carpitur; id vero effecit, quod plures eruditos ad conferendos codices manuscriptos suo exemplo excitaret. Cf. C. Chr. Kallii, Prodr. exam. crit. Houbigant. in Cod. h. Havn. 1763. Feliciore cum successu editioni criticae incubuit Beniaminus Kenicott, scriptor libri „the state of the printed hebr. Text considered.“ Oxford. 1753.; iste quidem adhibita sociorum ope — inter hos celeberrimi P. J. Bruns — per varias magnae Britanniae et multarum regionum bibliothecas e codicibus et editionibus hebraicis, insimul 694., infinitam variantium lectionum copiam collegit, quas uno conspectu exhibuit h. t. „Vetus Testamentum hebraicum cum variis Lectionibus.“ T. I. Oxon. 1776. T. II. ib. 1780. Erant qui Kenicotto, viro si quis omni subsidiorum criticorum genere

abunde instructo, applauserunt; sed reperti fuere alii censores, qui in instituto ac crisi Kenicotti varia, et minime nihili pendenda, reprehenderunt. Lectorem harum rerum curiosum relegamus ad O. G. Tychsenii, libellos supra laudatos, p. 100. et G. Fabricy, des titres primitifs de la Revélation apud Migne Curs. compl. S. S. XXVII. s. p. 886. Accusati editoris causam defendit P. J. Bruns, de libello contra B. Kenicott eiusque collationem MSS. Hebr. Rom. 1772. J. D. Michaelis, Orient. u. exeg. Bibl. Francf. 1773. V, 1. s. XI, 72. s. app. ad XII, 1. s.; ipseque Kenicott patronum quoque suum Michaelis aggressus, epistola edita Lond. 1777. Diss. gen. p. 126. s. Eximie vero prae aliis post Kenicottum, de Textu s. V. F. meritus est J. Bernardus de Rossi, S. S. Theol. Doctor et in Academia regia Parmensi olim linguarum Orientalium Professor. Vir summus! optimis subsidiis atque ingenio criticis laboribus accommodatissimo praeditus, nec operae, nec industriae sumtibusque pepercit, novam passim ut adferret lucem edendo Textui hebraico. Collatis a se ipso cc. mss. 751., e quibus 567. nondum adhibiti; editionibusque vetustioribus 310.; variantes lectiones congessit, easque cum variantibus lectionibus Kenicottianis veteribusque versionibus denuo comparavit: additis etiam si occasio daretur, recentiorum criticorum emendationibus et correcturis. Universum apparatum criticum abs se collectum exhibuit opere praeclarissimo, quod inscripsit: „Variae lectiones Veteris Testamenti, ex immensa Mss. editorumque codicum congerie haustae et ad Samaritanum textum ad vetustissimas versiones, ad accuratiores sacrae criticae fontes ac leges examinatae" 4. Vol. in 4. Parmae. 1784—8. Voluminibus istis supperaddita sunt: „Scholia Critica in V. T. Libros, seu supplementa ad varias S. Textus lectiones." Parm. 1798. Ex opere de Rossiano clarissime patet, quam vir egregie doctus adhibuerit ἀκρίβειαν. Illud vel leviter et oculo, ut dicere solent, fugitivo inspectum docet: in codicibus V. T., quamquam ut plurimum cum textu masorethico convenientibus, multas reperiri lectiones ab eo diversas et versionum antiquarum cum iis consensu confirmatas. Esto satis accurate Codices recensuerint Sacros eruditi, lectionesque ex iis haustas ad examen revocarint, quam plurima adhucdum restare, quae criticorum in hoc genere exerceant ingenium et diligentiam. Ex ingenti copia variarum lectionum a Kenicotto et de Rossi collectarum, selectu instituto Biblia hebraica — olim a Chr. Reineccio edita — vulgarunt J. C. Doederlein et J. H. Meisner. Lips. 1793. 4. t. Variorum eruditorum, qui in exteris oris vixere aestimantes labores, oblivisci non decet domesticorum, quamvis numero pauciorum. Dicere oportet paucis de consimili opera, quam J. Jahn clarissimus olim in cathedra nostra praedecessor, in novam Bibliorum V. T. recognitionem apparandam contulit s. t.: „Biblia Hebraica digessit et graviores Lectionum varietates adiecit" J. Jahn. 4. vol. Vienn. 1806. Sumtibus Canoniae Claustroneoburgensis. Operam adiuverunt Mock, Schwoy, Teger et Ackermann Canonici Lateranenses. V. prol. p. 27. Multa sunt, quae hanc editionem, penitus iam divenditam, commendant. Typorum species, lectiones variantes cum suis testibus, notulae uti editori dignissimae ita discipulis exercitatioribus eximie utiles; tamen editor ipse annotat: se insolita ausum esse; quo illud referimus, quod ordinem S. Librorum immutarit, libros Paralipomenon dissectos ll. Josuae, Samuelis et Regum particulatim insereret; accentus modo Reges maiores adpellatos retineret, Masoretharum notas penitus negligeret. His

itaque et similibus aliorum laboribus conatus exhibentur, quibus Verbum Dei V. F. Archetypum pristinae integritati materiali quantum pote restituatur.

§. 40. Libri Hagiographorum N. T. autographi interciderunt.

Sacri Textus Novi Testamenti, ab ipsis velut incunabulis historias enarraturi, ad archetypa — sive autographa; sive idiographa, sive ammanuensium coll. Rom. 16, 22. fuerint. — Hagiographorum recurrere, atque hinc narrationem exordiri debemus. Archetypa Librorum S. Novi Testamenti exemplaria iam olim periisse, constat inter omnes. V. p. 66. Quomodo ergo se habuerit variis temporibus Textus originarius N. T., quas in nonnullis ex occasione subierit mutationes, ac quibus de causis, qualis denique per longum temporis tractum ad nos iam devenerit? de hoc deficientibus autographis, — quod nomen latius accipimus de archetypo quocunque. — paucissimis item existentibus codicibus, qui assurgant ultra annum ducentesimum supra millesimum: haud aliter quam ex allegationibus N. T. apud Veteres hinc inde sparsis; aut ex versionibus ad exemplaria graeca, quae tunc ferebantur, adornatis definire licet. — E. g. Ex ep. 108. s. Hieronymi, ad Eustochium de Joann. 4, 6. n. 13. I, 703. testantis: „Sichem, non ut plerique errantes legunt Sychar." — Cum pro instituti nostri ratione primas tantum Historiae Textus S. N. T. lineas, hoc loco describere nobis propositum sit; exponemus paucis, quae fuerit conditio critica Textus Sacrorum Voluminum N. F. per cuncta Ecclesiae saecula. Omnium utique Codicum S. S. N. T. is foret praecipuus summaeque auctoritatis, de quo constaret esse autographum; tales vero, ut saepius diximus, iam pridem nulli supersunt Libri. Ex quo sequitur interpreti recurrendum esse: ad Codices apographos Textus originarii, quos emendate scriptos esse oportet, quia secus dubium manebit: sint ne verba Hagiographorum bene reddita? Hinc rursus intelligitur S. Literarum studiosis notitiam codicum esse necessariam. Veterum illorum ex archetypis factorum exemplarium vestigia, in scriptis S. S. Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum merito restare creduntur; qui talibus libris usi sunt, quos autographis proxime accedere credimus; unde necesse est de iisdem disquirere. Ex illis qui post Apostolorum et discipulorum apostolicorum tempus floruerunt s. s. Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis, quorum quidem scripta e vasta veterum monimentorum clade ad nos devenere, omnium primus occurrit: Divus Clemens, Urbis Romae — ubi primo digestum esse Canonem N. T. vidimus p. 39. — et Orbis Pontifex, neque uno nomine primus, s. Petri discipulus, atque s. Pauli συνεργὸς. Philipp. 4, 3. Ex epistola I. s. Clementis ad Corinthios, non solum coll. c. 13. p. 73. testimonium non contemnendum Apostolicae Evangeliorum originis elici potest; sed et allegata ex Apostolo v. c. Hebr. 11, 37. coll. c. 17. p. 78. recitata comparare licet; quae eo maius pondus habent, quod s. Pater in sua prima epistola nullum librum apocryphum memoret. — Cf. E. A. Fromman, observ. ad interpret. N. T. ex Clemente R. Cob. 1768. I—III. — S. Ignatius, in epistolis suis genuinis nullos respexit suppositios, Canonicos vero Libros N. F. non minus quam S. Polycarpus, in brevi sua scriptione ad Philippenses plerosque fere laudat. Cf. de hac re G.

Jacobson, ed. Patr. Ap. II, 620. s. D. Justinus Martyr, qui ipsas Ecclesias custodes exemplarium Canonis N. T. viserat, quem Canonicis Evangeliis usum fuisse p. 37. evicimus; certe in citatis suis primaevae lectionis monstrat indicia: nec dubium est, quin codices is comparavit ad optimorum fidem accuratos, adiectionibusque — quae in Textu adhuc haud crebrae — fere liberos. L. Fr. Zastrau, de Justini M. biblicis studiis. I. II. Vratisl. 1831. 2. Cum Romae Tatianus Assyrius ad Justini disciplinam se contulisset, compegit διὰ τεσσάρων sive historias compendiarias rerum Domini ex Evangeliis nostris breves; quas propriis verbis Scriptorum contexuit. V. Proth. N. T. n. 14. p. XV. s. Ex S. Irenaei libris adversus haereses; in quibus sanctus Pater accurate passim, et ad exemplaris sui fidem citat s. Codicis loca, etiam integra haud raro capitula et bene largas periochas; idque non ex una aut altera parte N. T., sed pene ex omnibus: egregium plane haberemus specimen textus N. T. qualis iam primis ecclesiae temporibus ferebatur, si integri in lingua qua scripti fuere, ad nos pervenissent. Sed cum graeca maxima ex parte interciderint, et in his, quae supersunt, scriptores, quibus ea debemus, haud semper citaverint N. T. loca ad textum Irenaeianum, sed non nunquam ad codices suos posteriores seu etiam ex memoria; in latinis autem S. Scripturae testimonia exprimantur verbis Italae, factum est: ut haud paucis in locis nonnisi ex contextu assequi possimus, quaenam revera fuerit codicis S. Irenaei lectio? Cf. E. A. Frommann, interpretationes N. T. ex Irenaeo. Cob. 1766. I. II.

§. 41. Opera quae a Tertulliano et Clemente Alex. navata est Codici graeco N. T.

Quid saeculi secundi p. C. n. tractu passus fuerit N. T. Textus, constat e versione „Itala.“ Itaque si obscuram hanc partem Historiarum Textus N. T. pernoscere cupimus, evolvenda sunt Martianaei, Blanchinii, Sabatieri. Tischendorfii et Vercellonei a nobis s. l. laudanda volumina. Graeca ipsa quod attinet, ad quae expressa fuit haec Versio, mirifice congruunt cum iis unde manavit Syriaca, Coptica aliaeque Orientales Versiones; atque haud alia fuisse certum est: quam saeculi Apostolici proximi, cum Textus multo minus quam in codicibus posteriorum temporum, iniecta scholiorum labe, turbatus flueret; qua quidem parte ab exemplarium mss. nostrorum prope omnium et editionum textu discrepant, genuina ut recte arbitratur Millius, prol. p. 50., habenda sunt illa ipsa speciatim, quae solitaria et absque omni Codicum, S. Patrum et Versionum comitatu incedunt. Quorum certe beneficio loca N. T. haud pauca restituere licet originariae puritati suae. Cf. Tischendorf, ed. cr. m. VII. prol. p. 241. seq. Qui paulo post veterem Latinum interpretem scripsit Tertullianus, textu originario, an Itala, aut si mavis, propria interpretatione an aliena usus sit? disputatur. Pamelio Theologo Brugensi, in ed. Op. Col. 1617. ante indicem S. S. p. 15. persuasum fuit: Tertullianum non tam aliena versione, quam sua propria translatione usum fuisse. Hoc cum in aliis eius scriptis observare licet, tum vero magis illo de pudicitia; nisi quod loca s. Codicis neglectius, ex memoria, contracte, ad sensum haud sine levi

aliqua subinde mutatione citata sint. Cf. Griesbach, Historia Textus graeci epist. Paulin. III, 6. s. p. 114. s. Graeco numquam usum esse affirmant: Semler, ed. Wetstenii prol. in N. T. Hal. 1764. p. 586. s. et Lumper, Hist. th. cr. S. S. Patrum. Aug. Vind. 1794. VI, 678. s. aliique; qui putant Tertullianum secutum semper Latinam veterem translationem. Neque enim unquam dicunt Latinam istam, quam adhibuit Versionem comparat cum graeco quodam Codice; etsi vel maxime lectiones variantes adesse in codicibus variis fateatur. In scriptis Clementis Alexandrini, Stromatei adpellati, pro omnibus Libris N. T. testimonia reperiuntur. Multa S. S. loca adduxit ita, ad fidem exemplaris, quod tunc ipsi ad manum fuit, ut appareat: illud idem fuisse, quod saeculo altero et tertio post Christum Alexandriae habebatur. Questus autem est de corruptione Textus N. T. Strom. IV, 6. p. 582. Lectionum varietates inter nostram et Clementis editionem exposuit Griesbach, symbol. cr. ad suppl. et corr. variarum N. T. lectionum coll. Hal. 1793. II, 227. s.

§. 42. Quid Origenes, Pierius, Lucianus atque Hesychius in castiganda S. Scriptura N. T. praestiterint?

Cum multiplicatis Ecclesiis multiplicarentur etiam Codices S., qui describebantur a librariis — in quibus pauci erant viri docti ad scholae legem grammatici, qui apographa corrigerent —, non est mirum: si exemplaria facta sunt ab orthographia, aut aliis modis vitiosa. Ut castos atque bonos codices, Origenem tenuisse — ad cuius criticam in nostra tractatione delapsi sumus. — demonstremus, sufficit monere: eum tam opportunitatem tales nanciscendi habuisse, quam facultate et scientia instructum fuisse, melioris notae codices a minus bonis discernendi. Cf. Griesbach, de cod. quat. Evang. Origenis diss. cr. opusc. I, 232. s. Omnino tanta fuit codicum Origenis aestimatio, ut sagacissimus interpres S. Literarum d. Hieronymus, comm. in Matth. 24, 36. p. 199. in dubiis lectionibus maxime ad Adamantii et Pierii exemplaria provocaret. Imo comm. in ep. ad Gal. 3, 1. affirmet p. 418.: „hoc quia in exemplaribus Adamantii non habetur omisimus." Cf. J. J. Wetstenii, prolegom. N. T. ed. Amst. 1751. I, 67. Orta est controversia, utrum Origenes curam in se susceperit, ut codicibus pluribus et quidem vetustioribus inter se collatis, delectum faceret lectionum optimarum, per quas Textum N. T. primigeniae integritati restitueret; i. e. an s. d. recensionem S. S. N. T. adornaverit? Est autem digna res, quae accuratius cognoscatur ab omnibus, qui de Critica N. T. iudicare cupiunt. J. A. Ernesti, de Origene interpretationis Librorum S. S. grammaticae auctore §. XVII. s. in opusc. phil. et crit. Lugd. Bat. 1764. p. 306. s. Hug, Einl. I, 199. s. et Guerike, de schola quae Alexandriae floruit catechetica. Hal. 1825. II, 23. opinati sunt: Textum L. L. S. S. U. F. ab Origene castigatum, ciusque castigationis codices „exemplaria Origenis" dicta fuisse; praesertim cum Lucianus atque Hesychius, quos versionem τῶν ό recensuisse accepimus, simili diligentia editionem N. T. evulgarint. Sed haec sententia acumini eruditorum debetur, nullisque certis argumentis confirmari poterit. Jam olim Simon, Hist. cr. du Texte du N. T. ed. Rotter 1679. c. 29. p. 338. s. Millius, prol. n. 673. p. 64. Zacagni, l. c. praef. p. 65. sub exemplaribus Origenis

intellexere: codices ab eo ad interpretationem faciendam comparatos. Quod ad argumenta illorum, qui Origenem Textum S. S. recensuisse dicunt attinet, ea ultra levem probabilitatis gradum vix exsurgunt; praesertim cum a. haud parum differat ratio emendatae versionis τῶν ὁ, a recensione critica qua Origenem N. T. textum castigasse volunt. D. Hieronymus quidem aliquot vicibus ad stabiliendam lectionem, quae ipsi ceteris praeferenda esse videbatur, utitur testimonio codicum Adamantii, eosque aliis — exemplaria quibus usus est s. Doctor ea ipsa certe fuere, quae postea una cum operibus Origenianis, singulari studio conquisita, in Bibliotheca Caesareensi reposuit Pamphilus. — minus correctis anteponit. Sed ex eo quod Adamantii et Pierii exemplaria coniungit, recte infertur: eandem fuisse rationem exemplarium Origenis et Pierii, eandemque denominationis causam. Ecquidem assentimur interpretibus: qui sumunt Origenis codices „ἀκριβῆ ἀντίγραφα“, quo nomine eos Eusebius, Hist. eccl. VI. 23. p. 224. et 32. p. 231. salutat, dici meruisse. Concedimus etiam virum κριτικώτατον, qui plurimos contulit codices, membranas, quas in interpretationibus suis adhibuit, ad antiquiorum et meliorum exemplarium fidem correxisse, et quae librariorum vitio peccata putabat emendasse. Sed qui emendatis codicibus uti malebant, non possunt dici novam Textus N. T. recensionem adornasse; secus enim innumerae fere forent N. T. recensiones, quarum aliae vix quibusdam in locis a ceteris differrent, aliae vero mirum quantum a reliquis diversae essent. E sententia Criticorum is tantum recensionis auctor haberi potest: qui vel totum N. T., vel aliquod eiusdem volumen, ab initio ad finem usque ita ad examen revocat: ut optimarum lectionum facto delectu, Textum sibi privum ac proprium constituat. Accedit b. si Origenes revera „ἔκδοσιν“ N. F. procurasset, ipsum etiam consequenter textum abs se emendatum sequi oportuisse; sed aliter rem se habere Commentariorum Adamantii ratione evictum habetur. Cf. Griesbach, l. c. p. 244. s. Origenes eadem allegata e textu N. T. iisdem in libris, paucis saepe interiectis commatibus diversimodo laudat; quin quaedam allegata in libris prioribus consonant iis, quae in posterioribus reperiuntur, quamvis in operibus intermedio tempore concinnatis eadem allegata aliter recitentur. In scriptis, quae senex exaraverat, interdum sequitur lectiones, quas olim reprobaverat. Ut adeo istac discrepantiae satis superque testentur: nullam unquam ab Origene recensionem N. T. tentatam fuisse. Cur tandem c. nemo Veterum laudat curam Origenis circa Textum S. N. F.; cur Eusebius in tradendis ceterum Adamantii rebus diligentissimus — Origeni totus fere liber sextus Historiae Ecclesiasticae est dicatus. — ne litera quidem huius recensionis meminit? cum tamen de Hexaplari opere accurate exponeret. His ita se habentibus: recensionem Origenis non admittimus, διόρθωσιν autem codicis cuiusdam N. F. abs eo factam lubenter largimur.

Neque existimandum est: Lucianum Antiochenum et Hesychium Aegyptium, episcopum, eodem saeculo tertio — sed extremo — viventes, recensionem sive magis editionem N. T., recepta multo perfectiorem ita aggressos fuisse; ut inde Alexandrinae ab Hesychio, et Byzantinae a Luciano, sive Asiaticae codicum familiae originem ducant. Vir multae eruditionis J. L. Hug, l. c. p. 203. s., id quod d. Hieronymus, praef. in Paralipom. fortassis „hyperbolice“, de triplici V. T. LXX. interpretum recensione scribit: „Alexandria et Aegyptus in Septuaginta suis

Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat. Mediae inter has provinciae Palaestinos codices legunt; quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt, totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat": arbitratu suo ad universum Codicem Sacrum U. T.; tanquam abs his triumviris recensitum, et per varias mundi regiones propagatum transtulit. Idem porro criticus codices mss. dispiciens „τὴν κοινὴν ἔκδοσιν" interpolationibus attamen foedatam in cod. D. E. F. G.; Hesychii recensionem in A. B. C. L.; Luciani in omnibus fere mss. litera minuscula distinctis; Origenis in translatione Philoxenis, sibi detexisse visus est. Sed quamvis d. Hieronymus, ad Damasum praef. in quat. Ev. X, 661. testetur: „Praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio; quibus utique nec in Veteri Instrumento post LXX. interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse." — Coll. de vir. ill. c. LXXVII. p. 168. adv. Ruf. II, 27. p. 522. — Porro cum decretum Gelasii s. c. p. 75. damnet et reiiciat: „Evangelia quae falsavit Lucianus, Evangelia quae falsavit Hesychius"; liceat nobis, donec certiora argumenta quis afferat, etiam de recensione cura et labore Luciani et Hesychii adornata modeste dubitare. Lucianum et Hesychium maiorem quam Origenem in conficiendis exemplaribus N. T. licentiam sibi sumsisse, et minore cum successu id egisse, e testimoniis s. Hieronymi et Gelasii colligimus; verum recensionis auctores eos nullo pacto habere possumus. Obstant enim contra gravissimae rationes. α. D. Hieronymus et S. Pontifex Gelasius non de toto N. T., sed modo de quatuor Evangeliorum libris loquuntur; quorum editionem Hesychius et Lucianus fecerunt. Quoniam vero Papa Gelasius eam falsatam adpellat, ideoque apocrypham et reiiciendam: — Thiel, de Decretali Gelasii P. p. 24. — falsare, utique non est recensoris opus, sed interpolatoris. Auctore porro β. d. Hieronymo, hanc editionem Luciani atque Hesychii, cum quidquid usquam exstaret graecorum codicum et promiscuarum interpretationum reclamaret; nonnisi pauci quidam perversi ingenii homines receperunt. Si aetate d. Hieronymi nonnisi pauca exemplaria Luciani et Hesychii interpolationes exhibebant; multo magis hodie ii codices, quos ab his duumviris derivat Hug, de eiusmodi corruptelis suspecti forent; id quod ne de uno quidem istorum monimentorum, absit de omnibus, demonstrare vir doctissimus potuit. Denique γ. etiam, hic ut supra, obstat quam maxime isti opinioni: silentium totius Antiquitatis.

§. 43. Opinio de antiqua quadam recensione N. T. Orientali, Occidentali et Alexandrina quanti facienda sit?

Postquam J. A. Bengel — Apparatus Criticus ad N. T. ed. sec. cur Ph. D. Burk. Tub. 1763. II. Tractat. pot. loca variantia discern. p. 428. — canonem de duabus classibus codicum „asiaticis et africanis" statueret scribens: „Codices, Versiones, et Patres in duas discedunt familias, Asiaticam et Africanam";

adstipulante Semlero, ad Wetstenii libell. ad crit. N. T. pertin. §. 83. p. 177., hypothesim hanc excoluit J. J. Griesbach, curae in hist. t. g. ep. Pauli opusc. II, 95., item diss. crit. de cod. quat. Evang. Orig. ib. I, 235. s. et comm. crit. in textum N. T. Jen. 1811. meletemata de vetustis Textus N. T. recensionibus II, 41. s. Famosus iste criticus universos codices mss. e tribus quasi principibus exemplaribus derivavit, quas „recensiones" dixit; sc. ab orientali, occidentali et alexandrina. Huic sententiae opposuit se Griesbachii adversarius acerrimus Fr. Matthaei, ü. d. sogenannten Recensionen, welche B. S. u. G. in dem gr. T. d. N. T. wollen endeckt haben. Ronneb. 1804., omnemque de recensionibus doctrinam explosit. Ab his rursus toto coelo differt A. Scholz, cur. crit. in histor. text. Evangel. Heidelb. 1820. Bibl. krit. Reise nebst einer Gesch. des Textes d. N. T. Leipz. 1823. p. 136. s. Edit. N. T. I. prol. p. 51. s. Comm. de virtutibus et vitiis utriusque codic. N. T. familiae. Bonn. 1845. p. 2. s. Constituit duas codicum familias: asiaticam cum Textu recepto plerumque consentientem; atque alexandrinam ab eo quam maxime recedentem. Scholzium, quocum facit G. C. Rinck, lucubratio critica in Acta Apostolorum epist. Cath. et Paulinas. Bas. 1830. p. 2. s. 11. s., sobrie refutavit G. Secchi, d. C. d. G., Esame della rec. ediz. d. N. T. gr. d. d. Scholz, in ann. d. sc. r. Rom. 1839. f. 26.; iniquius oppugnavit C. Tischendorf, de recensionibus quas dicunt N. T. ratione habita potissimum Scholzii. Lips. 1840. p. 9. s. Opiniones hypothesesque de recensionibus quibuscunque reiecit J. G. Reiche, Cod. mss. N. T. aliquot ins. in Bibl. Reg. Par. asserv. novo descr. Gott. 1847., et Comm. crit. in N. T. Gott. 1853. I. Et sane non desunt illis viris, qui contradicunt graves rationes. Enimvero opinio: tres antiquitus Textus Novi Testamenti recensiones institutas esse, sua sponte se offert qua talem, quae iustis argumentis probari nequit; et Textus historias ex ingenio potius, quam e testimoniis conficere videtur. Sunt plurima, praeter ea quae in specie monuimus s. p. 105. s., quae etiam in universum omnem hanc opinionem incertam reddunt. Nam a. absque dubio constat, olim iam alterius terrae codices in alteram transvectos esse. Constantinus quidem Eusebio Caesareensi iussit: „quinquaginta codices Divinarum Scripturarum, in membranis probe apparatis, ab artificibus antiquariis venuste scribendi peritissimis describi." Theodoretus, Eccl. Hist. I, 16. ed. Val. p. 45. addit: „Ceterum, ipse Eusebius narrat, de vita Constantini. IV, 37. p. 544., eius dicta continuo ipsum opus excepit." Ecclesiae pro inita arctiore societate et mutuo commercio, exemplaria secum communicabant; et ita priscis iam temporibus codices variorum librariorum — quo nomine intelligimus: quemlibet L. L. S. S. dictantem, recognoscentem vel describentem, — in una eademque regione ferebantur. Sic fieri potuit, ut apographa ab Eusebio curata a se invicem discreparent. Neque ulla ratio existimare suadet: uno certo exemplari principe usos fuisse omnes librarios. b. Omnes eruditi, qui codices, versiones, allegata s. Patrum secundum recensiones diversas accurate disponere voluerunt, hac maxima difficultate premuntur; quod nullum ex iis, quae aetatem tulerunt textus N. T. monimentis, ullam eiusmodi recensionem exhibeat puram et integram. Textus N. T. conformationes omnino supponuntur magis, quam demonstrantur; nam codicum varietas non tam ex certis recensionibus, quarum u. v. p. 105. s. nemo unquam Veterum meminit, consulto factis; sed e successiva congerie glossarum et scribendi errorum fortuito

orta est. Unde omnia manuscripta N. F. Volumina, quae adhucdum supersunt „ἀδιόρθωτα" reperiuntur; mixtique generis textum exhibent. Quare Tota de recensionibus quaestio praeiudiciis nititur; quae pro argumentis valere non possunt, incerto enim fundamento caduca est bella domus!

§. 44. Clari S. S. interpretes e Graecis quali Textu N. T. usi fuerint?

S. Athanasius, cui Alexandria eruditionis et S. Literarum sedes nobilissima, nihil non in hoc genere optimum suppeditabat; iubente fratre imperatoris Constantii: „ut Divinarum Scripturarum tabellas adornaret", confectas illas ad ipsum transmisit. Apolog. ad imp. Const. N. 4. I, 297. S. Cyrilli Hierosolymorum episcopi, S. Epiphanii; et S. Ephraemi Syri, qui Graeca fideliter patrio sermone reddidit: e Codice Sacro petita loca indicant, quomodo tunc temporis incedebat Textus Novi Testamenti. Commonstrant hac tempestate sc. iam in contextum insertas fuisse aliquas explicationes marginales. Quos eadem haec aetas tulit omni sanctitatis, eruditionis et eloquentiae laude florentissimos viros: S. Basilium M. et utrumque D. Gregorium; eos plura inspexisse contulisseque exemplaria S. S. Voluminum; et subinde unius, subinde alterius textum, uti ferebat animus, usurpasse liquet. Jamque ordine temporis deducti sumus ad s. Joannem Chrysostomum, qui in tractatibus, commentariis, orationibus et homiliis maximam partem N. T., quod elocutione sublimi et ornata interpretabatur, conspiciendam exhibet talem: qualis exstabat in ipsius codice, e quo S. Scripturae verba accurate ac pene ad verbum laudat. Videtur S. Chrysostomi codex ex accuratioribus istius aevi fuisse. Theodori Mopsuesteni fragmenta exegetica in N. T., habito etiam hoc respectu, d. Chrysostomo inferiora sunt. S. Isidorus Pelusiota, vir in S. Literis insigniter eruditus, S. Scriptorum referens loca, utcunque probo utitur exemplari. Magna copia genuinarum lectionum invenitur in locis N. T. per opera S. Cyrilli Alexandrini sparsis; qui codicem nactus est admodum emendatum. De multis iisque gravissimis locis S. S. a S. Cyrillo Al. excitatis, ubi variatio facillima erat, illud exemplar praestans fuisse demonstravit J. J. Vater, Specilegium observationum ad usum Patrum Graecorum in Critica N. T. pertinentium. Regiomonti. 1810. I, 13. II. III. 1811. Theodoreti scriptoris huius temporis longe feracissimi, exemplar recentioris calami; et quidem graviter alienis commixtum fuerat. Euthalius nactus est codicem, qui collatus fuerat ad emendatiora exemplaria, quae in Caesareensi Eusebii Pamphili Bibliotheca asservabantur. Eiusdem notae, certe optimis, quae habemus, Apocalypseos apographis in plerisque congruum fuit id, quo usus est Arethas Cappadox, Caesareae Episcopus. Floruit saeculo nono exeunte atque ineunte decimo. Cf. Le Long, Bibl. s. II, iuxta quem saeculo sexto claruit; sed aetatem eius seriorem evicit Otto, des Patriarchen Gennadios von Konstantinopel Confess. Wien. 1864. p. 21. n. 29. Tristia illa, quae insecuta fuerant saecula, oppido paucos tulerunt scriptores graecos: Photium, Niconem, Suidam, Hesychium, Oecumenium, Macarium, Chrysocephalum, Theophanem Cerameum, Theophylactum, Euthymium Zigabenum; e quibus qualis fuerit in istius aevi libris N. T. Textus

discimus. Post Euthymium Graeci S. Literis explicandis vacare desiere, et in alia — E. c. synodica, liturgica, polemica, historica, philosophica, et si quid simile. — abiere. Apud Latinos, ut eorum quoque paucis memoriam iniiciamus, Hieronymianae versionis correctio, prorsus iam ad se omnia abstraxerat eruditorum studia. V. Beda in retractationibus suis in Acta Apostolorum usus est fide pervetusti codicis graeci Actuum Apostolicorum.

§. 45. Notitia et Divisio Codicum Manuscriptorum N. T.

Graeci vel Latini cuiusque scriptoris „Classici" salus fere in singulis posita est exemplaribus, neque valde antiquis, neque curiose scriptis, iisque ipsis saepe deperditis; ut adeo dubia apographorum fides fallat, et criticorum animos suspensos teneat. Contrarium obtinet in Divinis Scriptoribus Novi Testamenti: apud quos in singula vix usquam concludimur exemplaria, plerumque longe pluribus uti licet iisque antiquis, et fere etiam omnibus valde accurate, quibusdam summa cum fide ac religione scriptis. Quodque penes Classicos aliquando raris quibusdam vestigiis cognoscimus, id in Hagiographis perpetuo usu venit; ut quae uno eodemque tempore diversae gentes in suis exemplaribus legerint, testibus tradita teneamus locupletissimis. Divinae igitur Providentiae adscribendum est, quod multi iique antiqui et optimi codices N. T. manuscripti servati sunt; quorum descriptionem exhibent libri Wetstenii, Griesbachii, Schulzii, Hugii, Scholzii, Tischendorfii. In his codices literis uncialibus exarati signantur literis latinis et graecis maiusculis; reliqui numeris arabicis, sub quibus signis etiam allegantur.

Dividuntur a. ratione usus: in Codices publicos et privatos. Inde ab ipsa collectione Canonis, quaedam apographa archetyporum facta sunt ab iis, de quorum singulari fide et diligentia episcopis Ecclesiarum probe constabat; et quidem plerumque omnes in usum liturgicum — v. s. Justinum, Apol. I, 67. p. 159. — rarius in gratiam episcoporum. Tale fuisse s. Polycarpi exemplar, ostendit epistola eius ad Philippenses: in hac enim haud pauca proferuntur ex Evangeliis et 'Αποστολικῷ, quae textum referunt exemplari primaevo consentaneum. Vetustissimi enimvero codices mss. mire cum s. P. et S. E. antiquis lectionibus conspirare inveniuntur. Ceterum inter codices Ecclesiarum, et privatorum hominum hoc fere interfuit: quod isti prout e librariorum manibus exierant, integri, notis marginalibus liberi in Ecclesiarum tabulariis remanserint; hi vero ab ipsis, in quorum gratiam fuerant conscripti, statim fere inter lineas aut ad marginem, glossis, scholiisque fuerint conspersi: maximopere in id incumbentibus S. Literarum studiosis, ut Textum S. quem apud se habebant, explicatiorem i. e. intelligentiaeque magis in dies ac magis idoneum redderent. Cf. Clementis Alex., Strom. IV, 6. p. 482. Annotationes autem istiusmodi primitus utcunque a Textu ipso distinctas, relatas tamen ad locum, quem explicatum dabant, descriptores ignari pedetentim in corpus contextus N. T. inseruerunt. Scripturam singularum paginarum plures librarii binis, pauci ternis, aliqui quaternis columnis distinxere.

Ratione scriptionis b. distribuuntur praeterea Codices in unilingues et bilingues. Illi nonnisi unicum Textum Graecum, hi praeter fontem ipsum versionem sibi habent adiunctam. E quibus rursus Graeco-latini, quorum e

numero sunt Claromontanus, Cantabrigensis aliique, translationem Latinam, ex iis quidem quae ante Hieronymum fuerant, continent. Veteres librarii interdum in usum suum converterunt aliquam membranam iam conscriptam; ubi prius scripta abradere et detergere debebant, deinde nova substituere poterant. Hoc vero codicum genus Palimpsestum — α πάλιν iterum, et ψάω rado. — vel Rescriptorum adpellatur. Cf. Montfaucon, Palaeographia gr. Par. 1718. I, 2. p. 19. s. Vercellone, di un Codice Biblico Palimpsesto della Bibliotheca Vaticana, in Diss. Acad. Rom. 1864. 1. s. Talia sunt fragmenta palimpsesta IV. V. VI. VIII. saeculi, cum Novi tum Veteris Testamenti, quae edidit C. Tischendorf. Lips. 1855. 1857. 1860.; et imprimis 1865. vol. V. Epistolae Pauli et Catholicae fere integrae ex libro Porphyrii epis. palimpsesto s. VIII. vel IX. Cf. Proleg. p. XV. s. In eiusmodi membranis textus S. S. N. T. radendo vel abluendo deletus, et aliorum scriptorum opus inscriptum fuit; vetustior autem scriptura pressius infixa haesit, viaque chemica nostris diebus per artis peritos educebatur. Ceterum remittimus L. B. ad φωτο-λυθογραφουμένας codicum imagines, quas ad calcem huius commentarii exhibemus.

Denique c. distinguuntur ratione temporis: suntque vel antiquae; vel mediae, vel recentioris aetatis. Varia habentur indicia aetatis codicum, neque tamen omne dubium excludentia. Maximi saue Critici inter plura saepe saecula fluctuant, cum de aetate codicum e scripturae charactere iudicium ferendum est. Bernardus Montfaucon, Palaeographia gr. III, 1. p. 193. vir in re antiquaria versatissimus declarat: „aevum codicum qui ante septimum saeculum scripti sunt, nulla potest certa nota distingui, quandoquidem omnes eadem pene literarum forma sunt exarati.“ Quod ergo ad aevum sive vetustatem alicuius codicis attinet, saepe arbitrario defigitur; unde patet, quid de altercationibus Criticorum sentiendum sit, qui de Alexandrini, Sinaitici et Vaticani Codicis antiquitate litigant. Si igitur tempus scriptionis nusquam annotatum est, imo aliquando haec ipsa temporis nota suspicione falsi laborat; ad alia indicia aetatis confugiendum erit, quibus coniectura fiat. Eiusmodi statuuntur modus scribendi. Codices antiqui uncialibus maiusculis, sive grandioribus rotundis aut quadratis literis, sine accentibus et interpunctionibus una serie sunt conscripti. Codices omnes usque ad saeculum septimum accentibus carent. Spiritus quidem, ac magis etiam apostrophus, teste C. Tischendorf, ed. cr. VII prol. p. 131. passim inveniuntur. Eodem referente nonnulli e. g. cod. B. partibus iis, quas secundus corrector usui ecclesiastico aptas reddidit, posteriore aetate accentibus donati sunt. Plane autem abhorret a scriptura unciali iota subscriptum. Ib. p. 133. Aliquando in ferendo iudicio de antiquitate codicum adiuvant Historiae. Ita codices quicunque Eusebianos canones — v. Protheor. n. 14. p. XVII. — comprehendunt, Eusebio sunt iuniores. Nomen „θεοτόκος“ de B. Maria V. adhibitum, Nestoriano aevo recentiorem demonstrat originem. Character scripturae solus et per se nequaquam antiquitatis est documentum; cum librarii vel propter inscitiam, vel ut operis augerent pretium, veterem haud raro imitati fuerint scribendi modum.

Bonitas Codicum pendet quidem ex parte ab eorum aetate, cum ceteris paribus verosimilius sit, authenticas lectiones antiquo potius quam iuniore msso. exhiberi; sintque teste Critica et hebraici et graeci codices vetusti iidem

praestantes: tamen bonitas exemplaris iudicatur vel maxime a diligentia, quam librarius in describendo adhibuit; ideoque reperiuntur recentiores codices antiquis haud paulo meliores. Nimirum Codex quantumcunque iuvenis, descriptus esse potest ex apographo fideli, interdum antiquissimo; sicuti vicissim satis vetustus codex, ex alio non multo vetustiore et mendis valde vitiato. Itaque praestantia codicis tam vetustate quam fidelitate aestimatur. Magnus Codicum N. T. numerus aetatem tulit; maior interim temporum iniuria periit. Qui vero aetatem tulere rarissime omnes S. L. L. N. T. continent; plerique Evangelia; alii epistolas s. Pauli, Catholicas cum Actis, vel Acta sola referunt; paucissimi Apocalypsim. Atque etiam in his saepe saepius lacunae reperiuntur, vel plane integrae partes desunt. Ab his probe seiungendi sunt codices, qui nonnisi pericopas consignatas habent atque Lectionaria vulgo audiunt, e quibus Evangelistaria 50. lit. unc. 150. minusc. noscuntur. Lectionaria strictiori sensu 2. lit. unc., 60. minusc. computantur. In his celebre habetur exemplar, quod possidet Ecclesia Cathedralis Trevirensis; editum a R. M. Steininger h. t.: Codex S. Simeonis exhibens lectionarium Ecclesiae graecae DCCC. c. ann. vetust. ins. Trevir. 1834. Nomina quoque Codicibus imponebantur a diversis dominis, in catalogis vero editionum criticarum literis signantur; et unciales quidem Latinis et Graecis maiusculis, reliqui numeris arabicis distinguuntur. His signis etiam ut testes critici in Apparatu allegantur.

§. 46. Describitur codex antiquissimus N. T. ‚Vaticanus'.

Inter Codices manuscriptos graecos N. T., iure meritoque antiquissimus omnium putatur * Codex Vaticanus B. dictus; signatus numero 1209., literis uncialibus continentibus scriptus. Nomen suum traxit a Bibliotheca Vaticana, ubi teste C. Vercellone — dell' antichissimo Codice Vaticano della Bibbia Greca. in Diss. Acad. p. 116. s. Ei. praef. ed. I, 4. — ab ipsis primordiis hodiernae Bibliothecae asservatur. Comprehendit Vetus atque Novum Testamentum, uno volumine; truncato tamen initio atque fine. Desunt Geneseos cap. I—XLVI, 28. — particulas istas editor C. A. Maius supplevit e duobus nobilibus vatic. cod. olim Reginae Suecae. D. q. v. Vercellone, l. c. p. 8. — et Ps. 105, 27—137, 6. — quos Eminentissimus vir in suam editionem derivavit e recentioribus eiusdem codicis membranis, collatis tamen Cod. Alex. et ed. Sixtina. — Ad Novum autem Testamentum quod spectat, tali ordine positum est: primum locum occupant Evangelia, his succedunt Epistolae Catholicae; quas demum Paulinae, alia tamen ac in Bibliis nostris serie, insequuntur. Ultimae plagulae sunt deperditae, unde desiderantur ambae epistolae ad Timotheum, Titum et Philemonem, cum aliqua parte epistolae ad Hebraeos, in qua sc. post c. 9, 14. omnia deficiunt. Excidere penitus L. L. Macchabaeorum, — quos e codice pervetere Reginae Suecae sumsit Angelus Maius. V. ed. IV, 407. not. — nec non Apocalypsis. — Epistolarum vero d. Pauli mancam collectionem explevit eminentissimus editor e Cod. vat. n. 1761., Apocalypsim dedit e cod. vat. num. 2066. — Scriptus est, teste eruditissimo J. L. Hug, de antiquitate Codicis Vaticani comm. Frib. 1810. p. 6. s., qui accurate conditionem huius codicis investigavit: in membrana levissima, supra modum tenui et vix non pellucida, manu eleganti et imper-

territa, ductu simplicissimo. Omnes porro literae ita sunt comparatae, ut figura quadrangula aequilatera possint circumscribi; earum character maiusculus est, et simillimus illi qui in voluminibus conspicitur ex Herculanensi strage protractis. D. q. v. J. Winkelmann, Sendschr. v. d. Herculanischen Entdeckungen. Dresd. 1762. p. 80. s. Chr. Th. de Murr, comm. de Papyris seu vol. gr. Herculanens. Argentor. 1804. Omnes ceterum literae magnitudine pares sunt, nisi spatium angustum in fine coegerit librarium contrahere ductum. Nullae habentur literae maiores, nedum in initiis singulorum voluminum; sed quae praefiguntur s. s. Matthaei, Marci et reliquorum exordiis, superadditae sunt deleta primaeva scriptura. Haec res, praeter Herculanensia volumina edita Neapoli a. 1793., plane peculiaris et priva est soli codici Vaticano. Singulae literae adeo continua serie semet excipiunt, ut nusquam disiunctis per intervalla vocibus dignoscendum sit initium aut finis vocabuli, sed quaelibet linea unum tantum continere verbum videatur. In illis modo locis, ubi narratio integra absolvitur, aut in Epistolis; ubi finita quadam conceptuum serie ad nova transit oratio, dimidiae et nonnunquam integrae literae intercapedo vacua mansit, admonendi causa lectorem aliam sententiarum seriem ordiri. Prima attamen facies literarum rarissime conspicitur; praeterquam enim quod atramentum hic illic membranas arrosit, atque lineamenta vocum pellucent quasi a vermiculis exesa: literae undique adeo expalluerunt, ut vix non evanuissent penitus; nisi recentior manus subvenisset, quae eas summa cura novo atramento illevit. Lapsu temporis tertia quaedam manus in variis locis iteravit, ubi evanidus color opem exegit, ut adeo primaevi characteres ibi solum se spectandos offerant, ubi librarius vetustissimus aliqua perperam vel bis scripsit; — e. c. Joann. 13, 14. Rom. 4, 4. quae aeri incidi curavit Hug, l. c. p. 3. — eiusmodi literas et sententias, quibus exstinctis exemplar erat correctius, fato suo reliquere librarii recentiores. Codex Vaticanus aperte nullam habet interpunctionem, etiam seriores librarii ubi pallorem literarum novo atramento reficerent; nonnisi raro ausi sunt illi signum aliquod distinctionis addere. De accentibus vero et spirituum signis litigatum fuit inter collatores. A. Birch, in proleg. ad IV. Evang. gr. Havn. 1785. p. 15. a prima manu literis impositos dixit; Hug, l. c. p. 10. ad evidentiam demonstravit: „ubicunque nativus calligraphi ductus nitet intaminatus et nulla serioris atramenti tinctura obrutus, in omnibus iis vocibus et sententiis nullos spiritus nulla penitus accentuum signa deprehendi." Hugio assentitur Tischendorf, qui facta nova collatione, in diario Stud. u. Krit. 1847. p. 129. s., addito facsimili duorum locorum, qui ab eo, qui literas novo colore imbuit, intacti perstiterunt, ideoque nullos habent adnexos accentus. Idem docuit Codici B. nisi in partibus iis, quas recentior librarius usui lyturgico aptas reddidit, accentus et spiritus inductos fuisse.

§. 47. Disquiritur de aetate et praestantia Codicis Vaticani.

Cuncta haec, quae enarravimus γνωρίσματα, ad quae accedit forma peculiaris codicis — latitudo voluminis plus tertia parte altitudinem excedit, quaelibet pagina tres areas sive columnas offert. — declarant Codicem B.: omnium quotquot

exstant antiquissimum esse; atque ea scriptum fuisse aetate, qua a voluminibus ad libros transitum est. Quod ad orthographiam codicis attinet, correctissimis accenseri meretur. Inscriptiones libris praefixae simplicissimae, charactere paulo minori reperiuntur; neque in ipsa columna scripturae inclusae, sed in superiori margine, et hic propemodum in extremitate paginae adiectae. Quin imo in Epistolis d. Pauli ipsius scriptoris nomen in fronte abest. Subscriptiones ad calcem additae, inscriptionibus ad unguem conformantur ita, ut tantum repetitiones sint inscriptionum, quo si forte casus initium voluminis delevisset, ad umbilicum libri de auctore constaret. Tantum abest ab Euthalianis — v. p. 61. 2. — subscriptionibus ut nequidem eas habeat multo simpliciores, quae saeculum quintum praecesserunt. Absunt omnino etiam sectiones Ammonii, et canones Eusebii Evangeliis apponi solitae. Sectiones quoque Actuum atque Epistolarum a posteriori manu adiectae, conveniunt, quod ad numerum, initium et finem singularum sectionum attinet, cum veteribus ante Euthalium more usuque traditis; quod egregium suppeditat argumentum ipsissimo illo tempore, quo Codici Vaticano hae sectiones apponebantur, nondum viguisse Euthalii divisionem; multo minus igitur illo aevo, quo praeclarissimum hoc exemplar scriptum fuit. Epistolae d. Pauli omnes simul sumtae continua, a prima ad ultimam usque pergente. capitum divisione insignitae sunt. Jam vero ante Euthalium in cuiuslibet Epistolae initio de capite Literarum ab unitate numeros sectionum recensitos fuisse vidimus. Haud alterius aetatis indicium est ordo Epistolarum in nostro Codice obvius; et mentio urbis in salutatione ad Ephesios a secunda demum manu in margine addita. Ed. Maii IV, 399. Cf. Tischendorf, l. s. c. Horum argumentorum in unum collectorum vis universa: Codici Vaticano summam asserit vetustatem; sed legitimis iustisque criteriis in specie sine ambagibus saeculo quarto, et quidem non exeunti sed ineunti assignatur. V. Hug, l. c. p. 27. Locus natalis Vaticani non minus, quam illius cui nomen Alexandrini indidere codicis, in Aegypto quaerendus est. Rationes habentur apud Hug. l. c. p. 14. s.

§. 48. Enarrantur editiones codicis Vaticani.

Utrum codex Vaticanus a Leone X. P. M. missus fuerit ad C. Ximenium. pro adornanda Complutensi Bibliorum editione — quemadmodum J. Blanchinius, Evangeliar. Quadrupl. Lat. Vers. Antiq. Rom. 1748. I, 495. aliique affirmarunt — : adhuc dubitari potest. Cf. Vercellone, praef. p. 4. 5. Innotescere cepit ex ed. V. T. Sixtina Rom. 1587., ut habet praefatio, iuxta lectionem eius ad verbum expressa. Erasmo quoque eum innotuisse, patet cum e contentionibus, quae ipsum inter et Hispanos emerserunt, tum ex annotatione in Act. 27, 16.: „quemdam admonere in codice graeco Bibliothecae Pontificiae scriptum haberi καῦδα." Op. V, 537. Coll. ed. C. Vat. V, 288. hic solus inter omnes ita legit. J. M. Caryophilum ep. Icon., in paranda editione cod. B. usum, liquet ex discrepantibus lectionibus ab ipso collectis, et ad calcem Catenae gr. in Marcum. a P. Possino S. J. vulgatis. Codicis deinde vindicias egit J. Morinus, exercit. bibl. IX, 1. p. 387. et L. A. Zacagni, Coll. mon. vet. gr. §. 45. prol.

Facta est a. 1669. collatio a Bartoloccio ad ed. Ald. 1518.; et altera iussu et sumtibus R. Bentley a. 1726. a Micone ad ed. Argent. 1524. ab Abbate Rulotta; repetita per And. Birch, in edit. Evang. cum var. a textu lect. cod. mss. bibl. Vat. Barber. Laurent. Vindob. Escur. Havn. vers. syr. vet. Philox et Hieros. sumtibus regiis adornata Havn. 1788.; atque in Variis lect. ad text. Act. Ep. Cath. et Pauli ib. 1798. ad text. Apocal. ib. 1800. ad Ev. ib. 1801. Birch codicis Vat. B. — quem demto Lucae Joannisque Evangelio totum contulit. — descriptionem proposuit et varias lectiones exhibuit. Lectionibus vel sua opera vel officiosa comitate A. Maii acquisitis, varias lectiones recensuit C. Tischendorf, ann. Stud. u. Krit. 1847. p. 133. s.; qui etiam Nov. Test. Vatic. propediem edendum spondet. Card. A. Maius, „cuius indefessis studiis, fatente ipso Tischendorf, ed. cr. VII. m. prol. p. 267., multa debentur literarum patristicarum incrementa, quae in rem criticam nondum conversa sunt"; a summis P. P. Leone XII., Pio VIII., Gregorio XVI., PIO IX. — quem Deus sospitem diu servet! — totius codicis Veteris, cuius iam exemplaria deerant et Novi Testamenti, cui editioni Sixto vita comes defecerat, publicationem facere iussus est. V. praef. I, 23. Quae plurimorum votis iam diu cupidissime expetebatur. Absolvit eam quidem iam anno 1838., attamen fato praereptus mense Septembri 1854., vulgandam reliquit viro inclyto C. Vercellone Sod. Barn. Prodiit in publicum s. t. „Vetus et Novum Testamentum ex antiquissimo Codice Vaticano edidit A. Maius S. R. E. Card. Rom. 1857. Vetus Testamentum t. I—IV. Novum autem V. tomo continetur. Ad fidem editionis Romanae N. T. accuratius impressum est Lond. 1859. et Lips. e. a. Atque ubi Ph. Buttmann intellexit: „textum Vaticanum integritate tantopere omnes codices, qui totum fere N. T. amplectuntur superare, ut unus ille codex tantumdem, ne dicam plus, valere videatur, quantum omnes alii, quos habemus coniunctim"; in adornanda altera editione N. T. gr. Lips. 1860. fundamentum Textus solum Codicem Vaticanum posuit. Cf. ei. vind. in ann. Stud. u. Krit. 1860. p. 341. s. Constituerat Maius adornare editionem suam praestantissimis Vaticanorum cod. variis lectionibus; sed crescente immodica editionis mole, mutato consilio, nudum Bibliorum Textum typis exscribendum suscepit. Prophetiam Danielis e Theodotionis interpretatione profectam exhibet IV, 330. s.; addita insuper versione κατὰ τοὺς O e codice Chisiano Romae 1772. evulgata. IV, 373. s. Praeter lacunas, quarum in causa deperditae membranae fuere, quaedam reperiebantur a scriptore primo vel data opera, vel imprudenter omissa; quae e vulgatis editionibus in suam recepit Maius. E. g. Exod. 26, 12. 21. Deut. 12, 27. IV. Reg. 25, 10. Matth. 12, 47. Marc. 15, 28. Luc. 22, 43. 44. Joann. 5, 3. 4. 7, 55—8, 12. I. Petr. 5, 3. Joann. I. 5, 7. De his sicuti et de ceteris, quae ad expoliendam editionem fecissent, commonet praefatio Vercellonei; qui etiam p. 17. indiculum dedit vocum, quas adhibitis χειροτύποις emendavit A. Maius. „Quod quamvis laudabili cura praestitum, tamen non diffitemur, inquit Vercellone p. 11. nonnihil adhuc limandum superesse." Cf. ei. Vercellone l. Ulteriori studii sul novo Testamento greco dell' antichissimo Codice Vaticano. Rom. 1866. Plurima sunt quae a Criticis editori — C. Maio, qui ut Tischendorf, Proleg. ad t. ed. V. T. r. LXX. Lips. 1860. I, 89. fatetur „de literis et sacris et profanis meritissimus o labore sibi ipsi non satisfecerat." — vitio vertuntur, saepe nimis

exaggerata. Dolendum vero homines morosos, in virum tantae gravitatis et eruditionis, cruda probra coniecisse. Omnium collationum Cod. B. supplementa praebere plurima, atque non exiguum sui apparatus exstitisse subsidium, ingenue confitetur Tischendorf, prol. p. 149. Idem dat libenter Lünemann, not. ad Wette, Einl. p. 77. Maii editionem ad archetypum revocare coniecturis conati sunt Kuenen et Cobet. Lugd. Bat. 1860. Suffecerint autem notitiae istae ad Codicem B. penitius cognoscendum; de quo saepe laudatus eruditissimus editor recens Romanus his fere diebus sequens cecinit carmen Phalaecium: „Cum multos veterum libros recondat; et scripta aurea maxime, sed uno; gaudet bibliotheca Vaticana; graeco codice Foederis, quod aiunt; Utriusque. Brevi hunc videre nobis, excussum arte nova, simillimisque; typis autographo ut nihil vel hilum; exemplaria differant ab ipso; Romae scilicet addit hunc honorem; Patronus PIUS artium bonarum; quo clarus memori coletur orbi; orbis delicium usquedum decusque; vetustas fuerit, sacerque codex.“

§. 49. Expenditur codex Alexandrinus atque Sinaiticus.

Transeamus ad mssm. cod. * Alexandrinum lit. A. notatum Musei Britannici, a Cyrillo Lucari P. C. per Th. Rowaeum legatum anglicum patriam repetentem Carolo I. R. dono missum; — v. C. G. Woidii, not. cod. Alex. ed. Lips. Spohn. c. a. 1788. p. 6. s. — quod ille in Bibliotheca sua tanquam maximum decus reponi curavit, Georgius II. autem Museo Britannico intulit. — Coll. T. Smith, Vitae q. erud. vir. Lond. 1707. p. 24. s. in vita Junii. — Praeerat tunc Museo P. Junius; qui primus ex hoc codice librum Jobi in Cat. P. P. gr. foras emisit, plures etiam forte omnes V. T. libros ei emittere propositum erat, imo et N. T. quod maxima cum cura examinavit ad ed. Leid. 1633. Sed labores eius Walton, proleg. in P. IX. de vers. gr. n. 34. II, 124. Smith, l. c. p. 33. et Grabe, prol. I, 2. non probaverunt; quod in multis ubi Junio iudice librarius errasset, sibi a lectione codicis Alexandrini recedendum esse statuerit. Lites ortae, mors Fellii, Smithi et Pearsonii conatus editionis ad umbilicum perducendos retardarunt. Post hos viros codicem hunc tractavit J. Millius, eiusque collationem suae N. T. ed. inseruit. Diversas eius a Rom. ed. Cod. B. lectiones in Polyglottis Waltoni dederat Al. Huissius. Idem N. T. accurate, minutissimis non neglectis, recensuit. Continentur in codice Alexandrino utriusque Testamenti L. L.; membrana est formae maioris in folio, binae in quavis pagina columnae, literae ubique unciales, perpendiculares, elegantes, rotundae; in initio paragraphorum maiores, in lineis minores. Nullos habet accentus vel spiritus, voces sine ullo discrimine coniungit. Orthographia Codicem in Aegypto fuisse scriptum suadet. Cf. B. H. Cowper, Introd. ad ed. N. T. p. XX. s. Duplicem manum in describendo produnt diversitas atramenti et membranae, varietas in denotandis initiis librorum capitulorum, antiquorum — quorum indicem ante initium Evangeliorum ponit — et sectionum tum Ammonii tum canonum Eusebii, nihil vero distinctionum Euthalii. Praeterea quod margine abscisso initium vel finis plurium literarum deest; mutilum est Ev. s. Matthaei a c. 1—25, 6. ad vocem „ἐξέρχεσθε“, a qua orditur. In Evangelio d.

Joannis desiderantur c. 6, 50—8, 52., in Epistola II. ad Cor. deficiunt c. 4, 13—12, 7. Eruditorum qui de aetate huius Codicis iudicarunt, nimium discrepant opiniones; — quas in unum collectas exhibuit Spohn, l. c. p. 43. s. — aliis eum ad IV., aliis ad V. VI. VII. imo et X. saeculum referentibus. Dubitatur merito de antiquitate illius notae, quae in aversa parte folii S. S. indicem texit, atque tradit: „hunc librum scriptum fuisse calamo Theclae martyris"? Quamquam Grabe, prol. I. 2, 4. s. et Woidius, not. cod. al. p. 49. s. multo studio probare conati fuerint intra medium et finem saec. IV. exaratum; certum hoc solum est codicem saec. X. antiquiorem esse. De saeculo quinto saltem probabiliter disputari potest. Cf. Montfaucon, Palaeogr. gr. app. p. 513. Semler, coniect. de aetate Cod. Alex. Hal. 1759. C. Tischendorf, ed. Cod. Ephr. S. rescr. Lips. 1845. prol. I, 3. et 7. p. 6. 10. Quidquid eius rei sit, illud certe constat hunc librum sane vetustum Latinae antiquae S. Bibliorum interpretationi plurimum favere, et a Textu Graeco recepto discordare. Cf. Cowper, Introduct. p. XXX. s. Uter sit codex melior A. an B. inter Criticos quaeritur? F. A. Stroth, de cod. Alexandrino Hal. 1771. Grabe, l. c. §. 10. aliique in extollendo suo nimii, „ipsi etiam primaevae Vaticani Libri Scripturae Alexandrinum codicem longe praeferendum esse" dixere. Sed Spohn, append. ad sect. V. et VI. not. Woidianae p. 254. s. probe demonstravit: praestantiam codicis Alexandrini, magno ardore et studio ab aliquibus laudati, non esse tantam, quantam eius laudatores volunt. Cf. e. J. S. Hichtel, exerc. cr. de antiquitate et praestantia cod. Romani prae Alexandrino. Jen. 1734.

Superest de ipsa editione Codicis addere; opera editionis principis mansit Grabio, Borusso, qui ad Anglos abiit. Veteris Testamenti L. L. x. τ. LXX. J. E. Grabius IV. vol. Oxon. 1707—1720. typis theatri Scheldoniani in lucem publicam produxit, — v. Long, Bibl. s. ed. Masch. Hal. 1781. II. 2, 297. s. —; locupletate it. edidit J. J. Breitinger. Tig. 1730—1732. Typis ad similitudinem ipsius Codicis fideliter descriptis, denuo imprimi curavit H. Herv. Baber. Lond. 1816—28. 4. v.; cum variis lectionibus R. Holmes et J. Parsons. Oxon. 1798—1827. 5. t. Recensionem Grabianam ad fidem Cod. Alex. aliorumque denuo recognovit Fr. Field, Oxonii 1859. Novum Testamentum adiutoribus S. Harper et Gosset anno 1786. forma max. Londini edidit d. v. ad fidem ipsius codicis descriptum G. C Woide Musei Britanici Bibliothecarius h. e. „N. T. gr. e. cod. mss. Alexandr. qui Londini in Bibliotheca Musei Britt asserv."; repetiit accurate B. H. Cowper. Lond. 1860.

Arbitramur lectoribus gratum fore: si aliqua de Codice * Sinaitico, nuperrime chartae et typorum maximo splendore a Const. Tischendorf edito, literaque ℵ notato intersereremus. Scripsit de hoc editor in „Notitia edit. Cod. Bibl. Sinaitici." Lips. 1860. et in Prolegom. ad ed. C. Frid. Aug. Petrop. et ad N. T. gr. e Codice Sinaitico Lips. 1865. Legi meretur etiam diss. viri clarissimi Holzammer, ü. d. Sinait. Bibelhandschrift u. d. Herausg. d. C. T. in ann. Katholik. 1863. p. 414. s. atque Muralto, in St. u. Kr. 1860. p. 730. s. observationes. Ubi C. Tischendorf, mense Maio labente anni 1844. in monasterio S. Catharinae ad montem Sinaiticum versaretur, inter veteres libros scriptos detexit LXX. interpr. fragmenta; e quibus 43. folia I. Par. Esdr. Tob. Lam. Jer. Neh. Esth. reliquias continentia secum accepit. Redux eas nomine Cod. Friderico Augustani edidit

Lips. 1846. Alias easque ampliores huius codicis partes, in his Esaias et Machabaeorum libri cum aliis, ut cederent monachi, impetrare haud potuit. Descripsit tamen Esaiae vaticiniorum atque Jeremiae unam paginam, quam in Fragm. s. palimps. Lips. 1855. p. 213—16. publici iuris fecit. Totum vero codicem non modo V. T. libros sed etiam N. T. amplectentem, obtinuit in itinere orientali 1859.; impensisque Imperatoris Alexandri II. Russorum, tribus vol. V. IV. N. Petropoli 1863. evulgavit. Membrana Codicis quaternionibus compositi, non tam alba quam subflava est, magna ubique levitate et subtilitate, quamvis singula folia satis inter se differant; atramentum plerumque fuscum, saepe etiam cineracei aliquid habet. Minio scripti sunt Psalmorum tituli et numeri; tituli ad Canticum Canticorum illustrandum additi; numeri item quibus Ammonii sectiones cum Eusebii canonibus indicantur. Interpunctio et rarissima — aliquot quamvis paucissima primae manus esse videntur. — et simplicissima reperitur. Passim lineola, sicut in papyris fit, versibus interiecta ad distinguendum Textum facit. Puncta diacritica multo saepius omissa, quam posita reperiuntur. Antiquissimum iam Textum quatuor librarii e sententia Tischendorfii scripserunt. Repetitis deinde vicibus a variis correctoribus codex iste tractatus fuit. Antiquitatem quod attinet, editor Sinaitico parem vel maiorem quam Vaticano, qui solus cum eo comparari potest, vindicat. Primum venerandae vetustatis argumentum in scriptura positum esse dicit, quae formas unciales ad ipsorum voluminum Herculanensium usum accedentes habet. Pro summae antiquitatis iudicio adfert alterum argumentum, etiam a Hugio pro Codice B. excitatum: e Palaeographiae graecae ratione ductum, sc. quod in libris poeticis sive stichometricis, quavis pagina quatuor columnas exhibeat, ita ut expanso libro octo columnae conspiciantur. Ut autem vaticana in tribus respective sex columnas divisi ratio in perpaucis, ita sinaitica octo duarum quaternionum in nullo alio Codice inventa est. Quam quidem scriptionis rationem inde derivandam statuit, quod Codex Sinaiticus e papyro aegyptiaco descriptus fuerit. Accedit cum Orthographia, tum universa ea grammatica ratio, quae nominum declinatione, verborumque coniugatione, et syntaxi a sinceritate graeca multifariam discedit. Argumentum antiquitatis porro editori praebet librorum N. T. ordo; qui Actus, non „πράξεις" inscriptos, Epistolis Paulinis postpositos habet. Nec vero parvi faciendum censet editor, quod codex Sinaiticus tanquam ad ipsum Canonem — ? - pertinentes Barnabae epistolam et Pastorem Hermae sistat. Cf. Not. ed. cod. Bibl. Sinait. p. 10. s. Ceterum non reperiri Codicem, qui tanta quanta Sinaiticus antiquissimorum Latinorum testium cognatione distinguatur. Cum vero, fatetur ingenue editor acatholicus, antiquissima Textus s. Historia et ipsum studium restituendi antiquissimam eius scripturam, a nullis testimoniis magis pendeat, quam a veterrimo Latino interprete; satis apparere codicem sinaiticum propius Vaticano ceterisque omnibus ad similitudinem eorum accedere codicum, quibus summa christiana antiquitas utebatur. Sed haec sufficiant.

Lubenter concedimus magnam, quam editor codici suo vindicare studuit, competere antiquitatem; silere attamen haud possumus: de vestigiis quibusdam quae recentiorem aetatem, quam ea est codicis B. produnt. Huc referimus a. capitula Ammonii cum canonibus Eusebii, quae omnia in Vaticano desunt. b. Annotationem L. L. Esdrae et Estherae appositam, qua scriptor monet eos ad vetustissimum exemplar collatos esse a Pamphilo recognitum c. a. 305.

Nonne haec temporis nota cod. Sinaiticum a saeculo quarto removet? — Holzammer, l. c. p. 432. ad s. VI. vel VII. collocat. — Nec praetereundum est c. prae multis correctorum emendationibus primaevum codicis textum vix erui posse; qua re praestantiae et fidei dignitati lectionum var. cod. א. plurimum derogari, sponte sua sequitur. Interim C. Tischendorf contra adversarios suos Russicum Archimandritam Porphyrium Uspenskium, et colonellum Anglicum Macdonaldum disputavit libello: Die Anfechtungen der Sinai-Bibel. Lips. 1863. et prol. in N. T. gr. ex Sinait, Cod. omn. antiquiss. Lips. 1865. p. XIV.

§. 50. Enumerantur alii codices graeci N. T. antiquiores.

Sunt vero praeter hosce summe memorabiles Codices B. A. א. non pauci alii, qui a Criticis haud exiguo in pretio habentur, quorum aliquos in summa recensebimus. Proximi his tribus sunt * Parisiensis C. in bibl. o. reg. nunc imp. Par. n. 9. Mire ille consentit quod ad versuum numerum cum Vaticano et Alexandrino quod ad literas commatum attinet; quae spongia quidem deletae sunt superscriptis Ephraemi Syri opusculis — unde et Codex Ephraemi Syri rescriptus dictus —, sed ita ut veteres legi possint. Membrana codicis levis et tenuis, in plurimis foliis perforata et detrita est; foliis constat 209. Praeter scripturam antiquissimam exhibet illam primi et secundi correctoris, denique librarii, qui XII. circiter saeculo; — iuxta Montfaucon, Palaeogr. gr. III, 3. p. 213., Tischendorf, prol. sect. VI. p. 19. sumit saecul. XIII. — novarum membranarum penuria pressus, varia opuscula S. Ephraemi graece versa induxit. Antiquissima autem scriptura pulcra et elegans, neque accentus neque spiritus habet; formam vero literarum cod. B. et A. repraesentat quam simillimam. A prima manu nonnisi puncto, eoque fere ad mediam literam posito, interpungebatur. Continet 64. foliis *fragmenta* e l. l. Jobi, Prov. Ecclae. Cant. C. Sap. Sirac. iuxta LXX. stichometrice, et quidem ab alia manu scripta, diversa sane ab ea quae N. T. scripsit. N. F. *fragmenta* 145. foliis absolvuntur; desunt ex 89. Ev. c. c. fere 37.; de 28. c. c. Act. fere 10.; de 21. c. c. Ep. Cath. fere 7.; de 100. c. c. Ep. Paul. fere 35.; de 22. c. c. Apoc. fere 8.; in summa fere octava pars totius codicis N. T. intercidit. Ordo, pro constanti antiquorum mss. more, singulorum L. L. ita dispositus fuisse videtur, ut Epistolae Catholicae Acta Ap. exceperint. Patria codici C. eadem cum Vaticano et Alexandrino fuit Aegyptus. Cf. D. Schulz, disp. de cod. Cant. p. 5. Tischendorf, ed. prol. p. 17. Aetas Codicis undique probatur antiquior Alexandrino, atque cum ille verosimiliter saeculo quinto sit exaratus, codex C. eodem ineunte scriptus merito habetur. Post P. Allixium, cui debetur prima fragmentorum nostrorum notitia, contulerunt et inspexerunt codicem hunc J. Boivinus — cuius meminit B. Lamy, app. Comm. in Harm. p. 656. — J. J. Wetstenius, — Proleg. I, 27. s. — Lessius — Michaelis, Or. Bibl. IX, 142. — Griesbach, — Symb. crit. ad suppl. et corr. var. N. T. lect. coll. accedit multorum cod. gr. descript. et exam. Hal. 1785. I, 4. s. — atque Scholz, Prol. N. T. I, 39. Inducta Giobertiana, quam adpellant tinctura C. Hase, Bibl. imp. l. mss. Par. conserv. multa folia ad claritatem revocavit; quae Fl. Fleck, Stud. u. Krit. 1841, 126. seq. primus ex parte examinavit, totum denuo et accurate iteratis curis eruit, tractavit, descripsit, demumque edidit C. Tischen-

dorf, s. t. „Codex Ephraemi Syri Rescriptus sive Fragmenta N. T. e codice Graeco Parisiensi celeberrimo quinti ut vid. p. C. saec. Lips. 1843."

Codex D. Cantabrigensis textum Evangeliorum una cum Actis Apostolorum et brevi ep. III. Joann. fragm. Graecum et Latinum exhibet, non sine lacunis recentiore manu saec. IX. et X. suppletis. Hic a Th. Beza bibliothecae Academiae Cantabrigensis, quam etiamnum ornat, dono cessit. Idem cum eo, quem Robertus Stephanus in ed. a. 1550. lit. β. signavit. Post s. Matthaeum ponit s. Joannem, tum s. Lucam denique s. Marcum. Textus Latinus Antehieronymianus dexteram; graecus sinistram occupat. Nihilominus aestimatur propter insignem cum cod. B. consensionem. Qua aetate scriptus sit? disputatur. Alii saeculo quinto, alii saeculo sexto scriptum volunt. Illud certum est: nec ante ultima decennia saeculi quinti, nec post saeculi octavi tempora exaratum fuisse. Lectiones variantes, quae Cod. D. propriae sunt, ex interpretationis alicuius orientalis usu repetit D. Schulz, disp. de cod. D. Cantabr. Vratisl. 1827. Auspicante eadem Academia codicem hunc edidit not. adi. Th. Kipling. Cantabr. 1793. 2. vol. fol. Acta Ap. ad cod. Cantabrig. fidem recensuit Fr. A. Bornemann. Grossenhainae 1848.

Inter Basilienses, qui dicuntur codices duo sunt celebriores, qui olim C. Joannes de Ragusis fuerunt. † 1444. In altero E. quidem Evangelia, sed non sine plurimis lituris reperiuntur. Alii saeculo IX. adscribunt, alii quod vero propius est, cum Tischendorfio saec. VIII. medio scriptum arbitrantur. Alter si Apocalypsim exceperis, integrum sistit N. T. s. */. minusculis literis in membrana. Textus Evangeliorum insignis indicatur. Vindicatur saec. X. Reuchlinianus quoque vocatur, quod illius usum permiserit Erasmo in condendo suo N. T. Cf. Schmelzer, de antiq. Bas. Bibl. Cod. gr. Gott. 1750. C. Beck, Diss. de cod. mss. gr. N. T. Bas. 1774. Tischendorf, in ann. Stud. u. Krit. 1844. S. P. Tregelles. new. studies on the Codex Reuchlin, in Manuscript discovers by Fr. Delitzsch. Lond. 1862. p. 1—16.

Suum e claro monte, antiquissima apud Arvernos — Auvergne — sede episcopali nomen duxit †† D. codex Claromontanus, regius Imp. Paris. n. 107. Graeco-Latinus continet Epistolas s. Pauli omnes; exceptis paucis versibus h. o. Ep. ad Rom. ad Cor. I. II. Gal. Ephes. Coloss. Philipp. Thes. I. II. Tim. I. II. Tit. Philem. interiecta stichometria U. F.; agmen claudit. Ep. ad Hebr. Forma est quadrata eaque minori, membranis vero constat tenuissimis foliorum 533. Per totum Codicem et graeci et latini Textus scriptio continua est. Scriptura qua antiquissima manus utebatur graeca, ex eo uncialium literarum genere est: quale reperitur in cod. B. A. ℵ. C. Accentus et spiritus ad veteres mssi correctores spectant. Latina simillima est Cod. Cantabr. Interpretationis signa non habet, sed compensat eo, quod stichometrice fuerit scriptus. Cum autem constet stichometricam rationem ad Pauli epistolas ab Euthalio Al. p. C. c. a. 462. esse adhibitam primum V. p. 62. 83.; sponte sua sequitur, Claromontanum codicem post hocce tempus scriptum fuisse. Saeculo sexto recentior haberi nequit. ac magis eo ineunte quam medio vel exeunte scriptus probabiliter statuitur; faciunt ad hoc statuendum causae palaeographicae; quarum non minima cernitur in eo, quod codex Claromontanus, sicuti exquisitum fragmentum ep. Pauli Coislinianum. signatura † H. n. 202. Bibl. imp. Par. constans 14. foliis, inter antiquissimos codices Europae numerandum — cuius originem et fortunas narrat B. Montfaucon.

Bibl. Coisl. II. 1. p. 251. s. — a prima manu nec accentus, nec Euthalianas subscriptiones adiectas habuerit. Alia etiam nota codicis huius antiquitatem testatur, forma videlicet literarum comparanda cum vetustissimo exemplari Dioscoridis; iussu et liberalitate Julianae Aniciae Augustae conscriptus sub initium saeculi sexti — quod erudite delineavit P. Lambecius, comm. de Augustiss. Bibl. Caes. Vindob. 1669. II, 7. p. 519. s., ed. Kollár, p. 219. s.; illustravit Montfaucon, Palaeogr. gr. III, 2. p. 195. — comparanda. Alia argumenta aetatem patriamque codicis Aegyptum demonstrantia dabit Tischendorf, prol. p. 14. seq. Post Bezae, Morini, Wetstenii, Sabatieri, Griesbachii, symb. cr. II, 31—77. curas et collationes, codicem Claromontanum gr. et lat. primum edidit C. Tischendorf. Lips. 1852. 4. Graecum Textum cum Latino coniunctum habent, ipsiusque Textus Graeci indole proxime ad Claromontani similitudinem accedunt codices: Boernerianus † G.; †† F. Augiensis; — inde nomen suum obtinuit, quod olim ad coenobium Augiae maioris in Helvetia pertinuerit, nunc Collegii S. S. Trinitatis Cantabrigiensis. — Boerneriano codici ut ovum ovo, quod ad Textum graecum attinet, similis. Latina versio, quae in Augiensi alteram columnae partem efficit, frequentissime conspirat cum emendatione s. Hieronymi, qualem antiquissimi codices mssi. praeseferunt. Saeculo IX. partus esse creditur. Cf. Tischendorf, Anecdota s. et prof. Lips. 1855. p. 212. s. Sangermanensis e Bibliotheca Abbatiae S. Germani in Galliis acquisitus, hodie Petropoli conspicitur. Apographum Claromontani cod. saec. X. vel XI. factum habet Griesbach, symbol. cr. Hal. 1793. II, 77. s. C. Boernerianus, ita a C. F. Boerner eius quondam possessore vocatur, nunc Bibliothecae R. Dresdensis. Folia habet 111. In membrana exaratus est crassa et lutulenta. Folio primo legitur interpretatio S. Matthaei, a secundo incipit Ep. ad Rom., centesimo explicit Ep. ad Philemonem; eodem continuatur in altera pagina interpretatio d. Matthaei. Lacunas cum cod. F. communes habet: Rom. 1, 1—5. 2, 16—25. I. Cor. 3, 8—16. 6, 7—14. Coloss. 2, 1—8. Philem. 21. s. Item desideratur tota Ep. ad Hebr. Latina versio lineis interiecta Graecum supra Textum scripta fuit ab homine occidentali; quem monachum Hibernum vel Scotum habet Tischendorf, ed. VII. cr. prol. p. 188. Graeca et Latina Ep. s. Pauli scriptura ab eodem scriba sunt. Similitudine literarum gaudet cum Psalterio charactere unciali descripto saec. IX. manu Sedulii Scoti, quod illustrat Montfaucon, Palaeogr. gr. III, 7. p. 236. In universum „rarum ac grave literarum S. monumentum" est, quod summa fide et diligentia transscripsit ediditque Chr. Fr. Matthaei. Misenae 1791. rep. 1818., praemissis doctorum virorum de codice relationibus et iudiciis, prol. p. 7. s. et animadv. edit. p. 101 s.

§. 51. Subiiciuntur libri manuscripti N. T. graeci serioris aetatis.

Praeter codices hactenus memoratos, magna adhuc aliorum librorum manuscriptorum N. T. graecorum copia superest, quorum aliquos brevissime perstringemus. Laudatur cod. gr. s. G. et L. quondam Card. Dom. Passionei, nunc Bibl. Angelicae Rom. mon. S. Aug. saec. IX. habet Act. Ap. a. c. 8, 10. s. Epist. Cath. et Paulinas. Cf. Blanchini, Mantiss. I, 564. s. Birch, var. lect.

ad T. Act. Ep. c. et P. H. 1798. pr. p. 14. Hug, Freib. Z. 1834. VII, 86. s. Vaticana S. Romanae Ecclesiae Bibliotheca prae ceteris optimos habet codices, ex quibus Textum N. T. originali nitori restituere queamus. Reperiuntur in Vaticana, stricte sic dicta, codices mssi.: 349. 351. 354. 356. 358. 359. 360. 361. 363. 364. 365. 665. 756. 757. 758. 1067. 1158. 1160. 1210. 1229. 1254. 1548. numeris signati; item codices Palatino-Vaticani s. n. 5. 89. 136. 171. 189. 220. 227. 229., quibus sub Urbano VIII. dono Maximiliani Electoris aucta fuit Bibliotheca Vaticana. Magni fit codex nota 2. distinctus Evangeliorum Bibliothecae Urbino-Vaticanae, quem Clemens VII. Urbino Romam transtulit. et Vaticanae Bibliothecae inseruit. Aestimantur etiam Codices Evangeliorum in Bibliotheca Barberiana asservati s.n. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 115. 208. 211., quos s. XVII. pro singulari in literas amore collegit Fr. Barberini S. R. E. Cardinalis; ex istis cod. mss. iussu eiusdem Emssi. viri lectiones ad curandum N. T. congregavit J. M. Caryophilus. D. q. p. 114. De his sicuti et de cod. mss. Rom. S. Mariae in Vallicella, Angelicae, Hieromonachorum S. Basilii, Borgianis; item de Laurentianis, Florentinis atque Venetis fuse et erudite dixit And. Birch, in prol. ad q. Ev. gr. p. 3—57. Item in var. lect. ad t. Apoc. Havn. 1800. prol. p. 8. s. Adde ad Florentinos, eos quos A. Maria Biosconius, Bibl. Mediceo-Laurentianae catal. Flor. 1777. II. v. digessit. Codicem, qui a Stephano Borgia, olim Collegii Urbani de fide propaganda a secretis, appellatur tituloque I. s. T. insignitur, accurate edidit A. A. Georgi. Rom. 1789. Thebis Aegyptiorum Romam advectus pretiosissimi saeculi ut videtur quinti, Evangeliarii fragmenta ex Ev. Joann. 6, 28. f. c. 7. i. et 8, 1—23. charactere unciali graeco in membrana complectitur; Textui originario adiecta est versio Coptica. Inter Codices Regios dictos, quos regia nunc imperialis Bibliotheca Parisiensis possidet, quorumque ingens est numerus, memorari meretur cod. K. n. 63. signatus, plerumque Cyprius dictus, quia ex insula Cypro a. 1673. in Bibliothecam Colbertinam delatus est. Quatuor nobis praebet Evangelia, unciali charactere oblongo et erecto. Cf. Montfaucon, Palaeogr. gr. III, 6. p. 231. Palaeographiae periti S. IX. scriptum affirmant. Plura de hoc mss. exponit Scholz, comment. de Codice Cyprio. Heidelb. 1820. Celebres sunt quinque Laudiani codices, quos inter maxime excellit n. 1119., qui Apostolorum Acta, graeco-latina habet, κατὰ λέξιν charactere perantiquo et maiusculo. Cf. Catal. Libr. mss. Angliae et Hib. Oxon. 1697. p. 65. Integrum hunc codicem typis describi fecit Oxoniensibus Th. Hearnius 1715. Liber insigniter rarus, cuius tantum 20. supra 100. sumtibus editoris e theatro Scheldoniano prodiere exemplaria. Cf. Le Long, Bibl. s. I, 183. ed. Masch, p. 323. Nobiles quamquam aetate recentiores sunt Codices N. F. graeci in Caesarea Bibl. Vindobonensi repositi; quorum notitiam primus dedit Dan. de Nessel, Catalog. mss. gr. or. Bibl. C. Vind. 1690. p. 42. s., ampliorem reddidit P. Lambecius, Comment. d. A. B. C. Vind. III. ed. alt. 1776. 1. s., supplere conversis in usum suum posthumis Lambecii schedis cepit A. Fr. Kollár, Vind. 1790. I, 10. s. Celeberrimus est C. Theol. gr. membranaceus et optimae notae fol. 623. ab A. Busbeckio olim Constantinopoli comparatus, ab initio tamen et in fine mutilus. Continentur eo Biblia S. V. et N. T. cum antiquis notis marginalibus. Juxta Codicem Vindobonensem Lamb. I. Ness. 23., saec. X. vel XI., Novum Testamentum additis lect. var. ex aliis cod. gr. et tribus Slavon. quos recenset II. 1202. 3., typis vulgavit Fr. C. Alter, Prof. Gymn. Vind. 2. t. a. 1787.

Ad Codices in Hungaria asservatos pergimus; quorum diligentissimam descriptionem exhibet Appendix Introd. gen. in S. S. L. N. T. p. 209. s. scripta a S. Márkfi, O. S. B. viro doctissimo, piaque memoria recolendo. L. Schopper Gy., emlékbeszéd Márkfi Samu felett. Bud. 1861. Sunt autem * Cod. 78. Musei Pestinensis, quondam celeberrimae Bibl. Corvinianae, in quam Rex Mathias magnam codicum mss. ex Oriente congessit partem — v. Moller, de meritis Mathiae Corvini in rem liter. Thoruni 1707. X. Schier, de Bibliotheca Budensi. Vienn. 1799. Wallaszky, Conspectus Reip. lit. in Hungaria. Bud. 1808. p. 122. —; posthaec Carpzovii Lipsiensis, deinde nobilis Hungari N. Jankovich de Vadas, e cuius collectione acquisitus hodie in Museo Pestinensi $\frac{1.}{\text{Qu. Gr.}}$ inscribitur. Eius usum fecerat L. Kusterus, in ed. Millii N. T. praef. ad lect. p. 8.; Wetsten, proleg. I, 54. Griesbach et Scholz, I, 46. autem sua omnia ex Kustero habent. Constat 292 foliis membranaceis in quarto, multum iam attritis. Tria Ev. s. s. Matthaei Marci et Joannis integra habet; sed Lucae uno folio c. 23, 11—16. mutilum. Kuster, l. c. saeculo XII. adscribit. Minus adhucdum innotuit Codex 100. Universitatis Pestinensis in 4. sign. VIII. c., olim Joannis Vitézii episcopi Quinque-Ecclesiensis fuisse videtur. Exhibet integrum Evangeliorum Textum, demto ultimo versu s. Joannis. Adduntur scholia in modum Catenae contexta, diversa ab iis quae a Possinio, Corderio atque Cramero edita laudabimus. Constat 374. foliis, e quibus prima octo et totidem postrema sunt charta, reliqua in membrana. Saeculi undecimi habet eiusdem solertissimus editor S. Márkfi, qui cum sumtibus Illmi. Eppi. Caesaropolitani S. Deáky, Pestini 1860. cum interpretatione Hungarica Textus et Scholiorum vulgavit. Idem porro clarissimus vir in citata ante Introd. p. 218. 228. utriusque Cod. Pestin. 78. et 100. fac-simile, atque p. 229. s. eorundem codicum lectiones variantes orbi literarum communicavit. Accedit denique cod. Lycei Pisoniensis gr. quatuor Evangeliorum, Bengelio, introd. in Cr. p. 376. Byzantinus dictus; Wetstenio prol. p. 55. Griesbachio, N. T. ed. Hal. 1796. prol. s. VII. p. 110. et Tischendorfio, ed. cr. VII. prol. p. 201. sub s. 86. citatus. Ut communis apud nostrates fert traditio, praelaudatae quondam Bibliothecae Corvinianae portio habetur, e communi huius librorum infausto casu divina providentia servatus; post longum in Silesia exilium initio saeculi XVIII. patriae redditus est. Eiusdem criticum examen instituit erud. St. Fr. L. Endlicher, Hungarus Pisoniensis, quod typis excusum habetur in E. Fr. C. Rosenmüller, comment. theol. Lips. 1832. II. 2, 49. s. Textus Evangeliorum in 32. quaterniones divisus in f. 4. membrana 254 foliis continetur. Saeculo XI. certe non est inferior.

Succedant Codices Escuriales, e quibus Esc. I. eximiae existimationis: Evangeliarium membranaceum, quod Maria Hungariae Regina pretiosissimi instar cimelii obtulit Philippo II. Interim alios longa serie recenset Birch, in prol. qu. Ev. I, 65. s. Memorari adhucdum merentur etiam Codices Guelpherbytani rescripti, e quibus sign. P. n. continet fragmenta IV. Evang.; sign. Q. n. fragmenta . s. Lucae et Joann. iudice Knittel, qui ea typis exprimi curavit in editione Ulphilae Brunov. 1762., saeculo VI. exarata. Cf. Chr. Fr. Matthaei, ed. Ev. S. Marc. Rig. 1788. app. II. de cod. Guelph. a Knittelio examinatis p. 319. Tischendorf, Monum. s. nov. coll. Lips. 1860. III, 11. 12. 36. s. Idem editor novae collectionis Monum. sacr. inedit. vol. V. Epist. S. Pauli et Cathol. fere integr. e libro Porphyrii ep. palimps. saec. VIII. vel. IX. Lips. 1866. vulgavit. Codices

Mosquenses, ita vocitati, quod scrinia Bibl. Caes. Mosq. incolant, bene multi numerantur; sed nullus invenitur qui saeculo nono foret vetustior. Duae sunt maxime memorabiles collectiones Mosquenses, instrūctae mss. gr. Altera olim dicta Patriarchalis nunc Synodi in arce — Kreml —; altera typographei Synodalis. Ex his aliisque diligenter perquisitis N. T. XII. t. gr. et l. ed. Chr. Fr. Matthaei, Rigae 1788. Notitiam centum cod. mss. var. Bibl. Mosq. quos evolvit plerorumque additis speciminibus in praef. et append. ad s. t. E. g. VI, 257. s. X, 182. s. 272. s.; idem lectiones inde sumtas ibi indicavit. Codex Sangallensis — monasterii olim S. Galli in Helvetia, cuius thesauros aperit: M. Gerbert, iter Alemannicum Ital. Gall. San-Blas. 1765. p. 87. s. — gr. lat. interlinearis Quat. Evang. saec. IX. quem ad modum mssi. lapidibus delineandum curavit H. C. M. Rettig. Turici 1836. IV. Codex Neapolitanus rescriptus, VIII. saec. a Tischendorfio — qui eius editionem parat — in ann. Vindob. für Wiss. u. Kunst. 1847. n. 117, 8. s. delineatus sign. Wb. distinctus. Accedit Monacensis s. X. n. saec. IX. fragmenta IV. Evang. tenet. Codicis cuiusdam Molsheimiensis olim Collegii S. J. mssi. indolem describit meritissimus H. Goldhagen, ed. cath. N. D. N. J. C. T. Mog. 1753. praef. p. 12. n. 14. Non semel eius lectiones allegavit, sed tacet quando fuerit exaratus. Ubi nunc lateat? non comperimus.

Sunt et alii, quos longo ordine enarrare, non est nostri instituti. Fecerunt id scriptores, quorum libros non semel laudavimus. In genere teste Tischendorfio, prol. ed. VII. p. 130. pro Textu Evangeliorum ad nostra usque tempora collati sunt codicum literis uncialibus scriptorum 40.; ad Actus ap. 9. unc.; ad Epistolas Cath. u. 5. ad Paul. 21.; ad Apocalypsim 3. Neque oportet existimare omnia iam exhausta atque accurate notata esse, etenim multi codicum nonnisi cursim collati et inspecti sunt a viris eruditis.

§. 52. Admonitio de editionibus N. T. gr. impressis.

Sub initiis fere Typographiae natum est laudabile consilium graeci Textus N. T. edendi, et ut alii ac plures codices, qui prodesse corrigendo Textui posse viderentur, inventi sunt; ita animum plures ad novas editiones concinnandas adiecere, quae si rationem earum spectemus varii iterum sunt generis. Singulae vero si inter se conferuntur, aliae deprehenduntur cardinales, normantes, seu principes; aliae vero normatae, quae ad normam priorum effigiatae sunt; aliae nudum sistunt Textum, aliae vero criticae varias lectiones et observationes Textui subiiciunt. De his igitur ita dicemus, ut familias quasi editionum digeramus, et unde quaeque et quomodo facta sit, breviter tradamus; atque ita hanc editionum notitiam ad indicandum L. B. accommodatam reddamus. Nam nuda editionum enumeratio, quae sola editorum, locorum ac temporum notitiam dat, utilitatem nullam habet. Numerum autem omnium quotquot exstant Bibliorum Graecorum N. T. editiones inire, singulasque recensere; opus est quod nobis supra humanas vires positum esse videtur: cum hac nostra imprimis aetate, librorum copia in immensam fere crescat molem. Neque etiam eiusmodi recensus, magni foret usus, siquidem plures haud correctae habeantur, et saepe nonnisi alicuius antiquioris repetitiones. Quare de celebrioribus tantum editionibus N. T., quas rerum periti aestimant, sumus acturi.

§. 53. Prima Textum Graecum S. Codicis N. T. typis describendi studia C. Ximenii.

Princeps omnium N. T. et nobilissima editionum Complutensis est; quae in grandi illo nunquamque satis celebrando opere in Polyglottis Complutensibus habetur. Cum editionem hanc animo volveret F. Ximenius, tit. s. Balbinae Cardinalis et Archiepp. Toletanus. — D. q. v. Alvares Gomesii, l. II. de gestis Fr. Ximenes. Compl. 1569. p. 47. s. H. v. d. Hardt, memoria Ximenii. Hemlstd. 1717. S. Seemiller, de Bibl. Complutens. Ingolstdt. 1785. C. Hefele, der C. Ximenes Tüb. 1851. c. 2. p. 113. s. — Summus ille vir Adamantii exemplum imitatus, arcessivit partim Roma, partim aliunde viros linguarum cognitione peritissimos Aelium Antonium Nebrissensem, Demetrium Cretensem, Ferdinandum Pintianum, Lopidem Astunigam, Joannem Vergaram, Alphonsum Medicum Complutensem, Paulum Coronellum et Alphonsum Zamora. Cf. Hefele, l. c. p. 124. Cum his viris de suo consilio sermones contulit, impensas liberalissime fecit; singulis praemia proposuit. Ad obeundas editionis partes tradidit lautam plane mss. — de quorum ingenio tamen nihil editores prodiderunt — supellectilem. Conquisiti sunt undique U. T. vetustissimi codices, ad quorum fidem castigatio fieret; vitiata loca sanarentur, et quae dubia essent illustrata collucerent. Sed potissimum adiumento fuerunt Bibliothecae Vaticanae venerandae antiquitatis libri, quorum copia per Leonem X. P. M. benignissime Ximenio facta est. Accesserunt alii cum Roma — codices postmodum Barberiani p. 122.; coll. Bengel, Introd. in Cris. N. T. §. 35. App. p. 70. — tum ex aliis peregrinis locis, variisque in Hispania Bibliothecis magnis sumtibus Complutum delati. Anno 1502. opus ceptum, cum N. T. gr. l. eiusque editio munificentissimi Maecenatis auspiciis ad finem perducta est die 10. Januarii 1514.; sed demum toto Bibliorum Polyglottorum opere a. 1517. absoluto, lucem aspexit. Textum exhibet sine spiritibus et distinctione accentuum; in omnibus tamen polysyllabis vocibus acuti tonici cernuntur. Facta est haec editio quasi cynosura reliquarum editionum; cumque ea iam ante defectionem Lutheri, rem impensissime promovente atque approbante Leone X. P. M. vulgata fuerit; sponte sua sequitur: quam perperam Acatholici de excitata ad vulgandos S. Bibliorum Libros in Textibus originariis industria sibi gratulentur. N. T. ad exemplar Complutense expressum accurate edidit P. A. Gratz. Tub. 1821. ed. nov. Moguntiae 1827. 2. vol. Optandum autem omnino esset, ut editio haec magnifica sicut omnium prima erat, ita sola quidem fuisset, cuius Textus — demto uno vel altero vitio, quod in iterata editione sustulit Arias Montanus. — integer et illibatus in editiones posteriores quasque transiisset. Praestitisset omnino principi huic editioni, seu immobili fundo, ad marginem lectiones, quae meliores iudicarentur adiecisse; quam sublatis iis, has in ipsorum locum, in corpore textus subrogasse. Suspicio illa iniquaque criminatio, quam iam olim aluit Erasmus: editores Complutenses citra ullius codicis graeci auctoritatem subinde nonnulla mutasse, atque Graecum Textum ad Latinam versionem detorsisse; e litera quidem admonito lectore, nostro quoque tempore a Tischendorfio — post similes accusationes Wetstenii, proleg. p. 117. s. J. G. Walch, Biblioth.

Theolog. sel. Jen. 1765. IV, 168. J. S. Semler, Appar. ad liberal. N. T. interpret. Hal. 1767. p. 39. J. J. Griesbach, N. T. gr. ed. II. Hal. 1796. prol. p. 5. s. — resuscitata est ed. cr. VII. p. 83. s. Sed repugnat fides Textus Complutensis concinnante etiam ipso, quod sibi praestituerant, editorum consilio. Quas viri acatholici calumnias spargunt, illae refelluntur etiam tota N. T. editionis oeconomia: qua literis iisdem tam vocibus in graeco contextu, quam in versione latina e regione collocata, appositis; sicubi plus reperitur in latino quam esset in Textu graeco, per integrum eiusmodi spatium catenula ducitur. Pro defendenda ed. N. T. Complutensi egregie scripsit iam contra Semlerum; Prolegomenorum Wetstenii editorem, acath. J. M. Goeze, Vertheidigung der Complutensischen Bibel, insonderheit des N. T. Hamb. 1765.; item: Ausführlichere Vertheidigung des Compl. gr. N. T. ib. 1766. et Fortsetzung der ausführl. Vertheid. ib. 1769. Goezium eruditum a Sacris Catholicis alienum, maximo studio in ipsam editionis huius conditionem inquisivisse fatetur Masch, ed. Bibl. Long. p. 270. Contra fas etiam pretium codicum, quibus usi sunt diminuere iidem viri acatholici conati sunt; sed non minus diligenter responsum est ab iis, qui accuratam editionis Complutensis collationem instituere, eiusdem non paucas esse lectiones praeclarissimas, easque omnium minime ubique contra omnes Veteres cum iunioribus facere. Proh dolor! per plures annos, editio illa praestantissima Complutensis, a viris eruditis, qui edendo N. T. Textui Graeco occupati fuere, neglecta est; donec tandem Christophorus Plantinus, Antwerpiensium typographus: N. T. gr. cum Vulgata interpr. lat. gr. cont. lineis inserta atque alia Ariae Montani. 1571. in Bibl. Polygl. et 1572. separatim eam recuderet. Attamen quod maxime dolendum, non sinceram et genuinam, sed lectionibus Erasmi interpolatam; quem deinde alii secuti sunt, quibus editiones normatas debemus. Graecum Textum ad illum a. 1571. exscriptum recensuit P. Herm. Goldhagen, S. J. Mog. 1753., qui cum plurimis erratis novis excusus fuit Leodii. 1839.

§. 54. Editiones **Erasmi**, R. et H. **Stephani**, **Bezae**, **Elzeviriorum** recensentur.

Normantium sive cardinalium editionum, quarum editores e solis mss. cod. textum Graecum dabant, altera est illa: Erasmi Rotterodami prima, quam cum 1516. vulgaret ad mss. codices plerumque basileenses — de quibus videatur Wetsten, l. c. p. 120. Bengel, l. s. c. p. 70. s. Comm. h. p. 120. — recurrere ipsi aeque necessum fuit; nam Complutensis illa adhuc retinebatur, cum prima Erasmi editio in publicum h. t.: „Novum Instrumentum omne, diligenter ab Erasmo Rotterodamo recognitum et emendatum. Basileae in aedibus Joannis Frobenii mense Februario a. 1516." prodiret. Nimis suos praecipitasse conatus, multaque non e libris manuscriptis; sed e critico suo cerebro mutasse, merito a viris doctis Erasmus reprehenditur. Neque sequentibus editionibus Textum recognovisse Erasmum, errata typi produnt; ex una editione in aliam et tertiam transmissa. Codex e quo Apocalypsim descripsit lacunosum fuisse, lacunasque Erasmum latina graece vertendo supplevisse demonstratum est a J. Alb. Bengel, fundamenta Criseos Ap. §. 17. ed. App. c. p. 495. s., et Fr.

Delitzsch, handschriftliche Funde. I. Leipz. 1861. Variae inde Erasmo ortae controversiae — d. q. v. Masch, l. c. p. 292, — imprimis scandalo fuit quod I. Joann. 5, 7. s. suppressisset; tertia tamen editione locum sublesta fide omissum supplevit. Nihilominus Erasmica editio N. T. longe plures ac Complutensis invenit laudatores et editores: partim ob raritatem ed. Complutensis; partim e causa religionis. Sicut Reuss, et ipse vir acatholicus fatetur l. c. p. 404.: „diese Ungunst hängt zum Theil wohl mit der kirchlichen Trennung zusammen." Secunda a. 1519. et tertia vice a. 1522. suum ille N. T. edidit; cum Complutensi Textu potiretur recensionem quartam demum adornanti 1527. praesto fuit et editio Hispana, e qua complures in Apocalypsim lectiones sumsit, nonnullas dubitanter in margine posuit. Quartae sat accurate respondet quinta editio 1535. Dissimulari vero non potest Erasmi in serioribus quoque editionibus observata festinatio atque licentia, qua contextum mutavit, addidit, detraxit utcunque ei visum est. Successerunt varii typographi editionibus N. T. descriptis. Sic orta est Venetiis 1518. Aldina, Hagenovae Gerbelii 1521.; qui tamen omnes fere ad normam Erasmicarum editionum, suas novas iteratasque expresserunt editiones. Atque harum sane ingens est numerus, plurimas enumerat Reuss, l. c. p. 406. s.

Varias post haec Codex N. T. Graecus virorum eruditorum curas ac labores expertus est, qui non solum Textum graecum ad mss. codices revocarunt; sed et ipsum secundum codices, qui ad manus erant immutarunt; lectionesque alias aliis eliminatis substituerunt, atque editiones pararunt, quae variis in locis ab aliis discedunt. Primus inter illos fuit S. Colinaeus, qui a. 1534. Parisiis editionem procuravit, in qua Erasmicam III. ad aliquot codices recognovit. Secundus inter hos est Robertus Stephanus, qui pro operis sui solo stravit codices, editionem Complutensem et Erasmianam. Et Roberti quidem Stephani Typographi Regii Parisiensis quatuor editiones numerantur. Priores duae quae ab initio praefationis — O mirificam Regis Nostri optimi et praestantissimi principis liberalitatem etc. — „mirificae" audiunt; Lutetiae Par. a. 1546. et 1549. lucem aspexerunt. Editiones a nitore et divisione Textus in versiculos v. p. 63. laudatae; sed excellere immunitate ab erroribus typographicis falso sunt creditae. Immutationibus et mixtura textus Complutensis et Erasmi quoque deformatae habentur. In III. editione 1550. Stephanus Erasmum presso pede sequitur, ita tamen ut simul excerpta a folio suo ex XVI. codicibus, quos regia bibliotheca Parisiensis suppeditavit, conquisita consuleret. Henricus Stephanus, filius, octodecim annorum iuvenis, non ea qua par erat, opus sibi adiunctum persolvit. Hanc nomine „Regiae" adpellatam insecuta est Genevae, quo pater relicta filio Roberto officina Parisiensi abierat; 1551. editio quarta cum duplici versione Erasmi et veteris interpretis latina. Tertiam Roberti Stephani editionem Henricus Stephanus, notatis ad oram lectionibus variantibus decem codicum, et editionum pene omnium quae Stephanicam praecedebant locupletavit. Hoc exemplar Robertus Stephanus Theodoro Bezae, homini Calvinianae sectae addicto, in manum tradidit; isque s. t. „J. C. D. N. N. T. cuius graeco Textui respondent interpretationes duae — latinae — una vetus altera nova Th. Bezae. a. 1565. Excudebat Henricus Stephanus." fol. Genevae. Editionem hanc secundis curis prelo subiecit, ita tamen, ut obvias in margine lectiones suas aliorumque coniecturas, quae et ipsi et opinionibus eius arridebant, in textum ingereret; diligentis et modesti critici laudem, ne ipsi quidem Ernestio — Institutio Interpretis N. T.

ed. IV. Havn. 1776. p. 113. — meritus. Bengelio, Introd. in Crisim N. T. p. 71. iudice: „ex coniectura diffingere sustinuit, praesertim in editione quarta.“ Ceterum Bezae editiones, quae quidem vere illius sunt — quia plures spuriae circumferuntur — quinque habentur. Prima a. 1556. Genevae exiit, et nonnisi Vulgatam et novam Bezae N. T. versionem cum eiusdem annotationibus continet. Reliquae annorum 1565. 1582. 1589. 1598. Textum dant graecum ab ipso Beza formatum. Editiones Bezae quamvis magnam, apud s. d. Reformatos imprimis, nactae sint auctoritatem; ad textum tamen R. Stephani redire satius visum est viris harum rerum peritis. Elzevirii famosi Typothetae Lugduni Batavorum inde ab a. 1624. N. T. Libros variis editionibus excoluerunt, quae cum ob typorum praestantiam, tum ob curam in emendandis naevis adhibitam, merito aestimantur. Hi quidem, vel potius A. Thysius praefationis auctor, alterae editioni, quae vulgata est a. 1633. praelocuti sunt verbis: „Textum ergo habes nunc ab omnibus receptum; in quo nihil immutatum aut corruptum damus.“ Inde nomine „Receptae“, quod paulo post invalescebat, inter eruditos nota exstitit. Quamvis — ut bene monet Lachmann, N. T. l. pr. p. 3. 4. — e Stephanica et Bezae mixta ista recepta editio potius „vulgaris“, vel plebeia, vel denique tolerata, cum vix tolerabilis sit, rectius diceretur. Certatim secuti sunt Elzevirianam postea editores; isque Textus in coetu acatholico tantum apud multos auctoritatis habuit; ut qui ab eo discederet, haud dubie corrumpere Spiritus Sancti verba videretur. Multae etiam saeculo XVII. procuratae sunt editiones; quarum nulla cum altera ubique consentit. Saeculo hoc XVII. interim editiones Bibliorum Polyglottae Parisiensis 1645. et Londinensis 1657., haud parum contulerunt ad fontes antiquissimos Textus S. N. T. penitus cognoscendos.

§. 55. Discutiuntur editiones N. T., quas vocant, ‚criticae‘.

Indefessa librorum manu et typis descriptorum collatione: saeculo XVIII. ineunte, N. T. coepit ad certas leges constitui; ex quo tempore Joannes Fell, editioni suae quam Oxonii e Theatro Scheldoniano 1675. emisit N. T., variantes lectiones, ex plus 100. mss. cod. et antiquis versionibus collectas adiecerat. Successorem nactus est, virum solertissimum J. Millium. J. Millius theologus Oxoniensis, non tantum apparatui, qui hucusque codicibus, versionibus et s. Patrum scriptis congestus fuerat, eximie locupletando consuluit; sed etiam indolem et auctoritatem testium criticorum accuratius indagavit. Assidua diligentia variantes 30.000 lectiones collegisse creditur. De historia Textus N. T. sobrie disputavit in prolegomenis; — eruditione quam maxime conspicua Prolegomena Milliana seorsum edidit, notisque illustravit D. Salthenius. Regiom. IV. diss. 1733. 4. — ubi tamen saepius a se ipso discrepat, eo quod aliena quoque opera in illis conficiendis uteretur. Millius quidem triginta annorum laborem in editionem suam impendit, quae quatuordecim circiter dies ante eius obitum Oxonii 1707. in folio adspexit lucem, altera editio facta est locuplete XII. mss. collatione a Rudolpho Kustero. Amstel. 1710. Millius a mutando Textu omnem abstinuit manum, tertiam Stephani editionem repetiit; collectione variantium

lectionum textui submissa. Millius non unum nactus est censorem, inter quos celeberrimum Danielem Whitby, qui in examine variantium lectionum J. M. Lond. 1710. II. 1727. multa menda Millii correxit. Exemplum Millii secutus in Germania J. A. Bengelius 1734., editionem apparavit Tubingae; quae e. a. Stuttgardiae; et a. 1753. rursus Tubingae exiit. Ille quidem genuinam cuiusvis loci lectionem, quae in editionibus probatis occurrebat, investigando in Textu proposuit; cum aliis tota nitebatur documentis, eam marginis lectionibus, conspicuo iudicio munitam inseruit; praeterquam in Apocalypsi, ubi codicis Alexandrini aliorumque subsidiorum ope, Textui sinceritatem semet restituisse profitetur. Subiecit p. 369. —884. apparatum Criseos sacrae Millianae, sed vero emendatae, compendium. Plurimum criticas explanationes Bengelii auctas et recognitas exhibet eiusdem Apparatus criticus ad N. T., curante Ph. D. Burkio Tub. 1763. sec. editus. In quo habetur Introductio ad lectionis varietatem in universum et singulatim discernendam, cum epilogo rationem huius scrutinii ad suos usus referendi demonstrante. Bengelium morose inconstantiae et levitatis reprehendit Wetstenius, Proleg. in N. T. p. 157. Etiam C. B. Michaelis, tract. crit. de var. lect. N. T. Hal. 1749. et C. A. Bode, Pseudocritica Millio-Bengeliana. 2. vol. Hal. 1767. 9. Bengelii artem criticam taxarunt. Ceterum iure meritoque eundem Bengelium: „pro acumine, diligentia et religione sua, qua Literas S. tractavit", laudavit Matthaei, N. T. II. prol. p. 30. Idem porro J. J. Wetstenius textum receptum hic illic mutandum ratus, consultis de novo mss. codicibus, versionibus, S. S. P. P. atque S. E. Amstelod. 1751. 2. duob. volum. in lucem edidit: N. T. gr. ed. receptae cum lect. var. Textum ex Elzeviriana descripsit, notatis interim, subiunctisque variis signis et annotationibus; quibus ea, quae omittenda vel inserenda sibi visa sunt, sat aperte indicavit. Accedit typis minoribus lectionum variantium ingens descripta farago. Quod igitur ad internam editionis conditionem Textus N. T. Wetstenii attinet, prioribus quibuscunque praeripit palmam; quamvis et haec non levibus vitiis laboret, et fluctuanti saepe fide nitatur; hinc fructus e tanto labore redundans minime ipsi respondet exantlato W. labori. Plura immiscuit, quae mentem impiam satis produnt, et ipsum gravissimorum errorum in doctrina fidei suspectum reddunt. Unde et Wetstenius Basilea, ubi Theologiam docuit, a munere publico ideo dimissus, ad Amstelodamenses abiit, penesque Remonstrantes officium magistri gessit. † 1754. Cf. Ordinis Theol. Basil. declar. de N. T. Wetsten. 1757. in Bibl. Hagana III, 1. Acta betreffend die Irrthümer J. J. W. Bas. 1730. Ernesti, specim. castig. in J. J. W. edit. N. T. Lips. 1754. Hagenbach, in Ilgen Z. 1839. p. 73. s. Textum gr. N. T. uti Wetstenius, si licuisset, eum editurus fuisset, typis exscripsit Anglus Guil. Bowyerus. Lond. 1763. 2. vol. Meritis hic quoque laudibus ornandus est Rich. Bentleius, vir de collatione cod. mss. celebratissimus. Magna exspectatio fuit editionis ab ipso promissae, cuius specimen 1720. prodierat: s. t. „Ἡ καινὴ Διαθήκη" gr. N. T. versionis vulgatae per S. Hieronymum ad vetusta exemplaria gr. castigatae et exactae, utrumque ex antiquiss. cod. mss. cum gr. tum lat. ed. R. Bentleius. Specimen, quod quidem solum lucem vidit, repetiit A. Dyce, Sermons preached at Boyle's Lecture. Lond. 1838. p. 487. et Tischendorf, ed. cr. VII. p. 88. s. Perfectius schedas Bentleii collegit: A. Ayres Ellis, Bentleii, Critica sacra. Notes on the Greek and Latin text of the New Testam., extracted from the Bentley mss. in Trinity Colleg. Cantabr. 1862. Quam

Wetstenius praeiverat rationem, editionem S. Textus disponendi; eam secutus est in recensione sua J. J. Griesbach, Libri hist. N. T. gr. I. a. Synops. Ev. Matth. Marci et Lucae Hal. 1774. b. 1775. Joann. et Acta II. Epist. N. T. et Apoc. ib. 1775. Editio princeps Griesbachi totum N. T. amplectens prodiit Hal. 1796. et 1806. 2. vol. Splendidissima vero cartarum et literarum respectu Lips. 1803—7. 4. t. Editio nova emendata, sed tantum Evangeliorum, curata est a D. Schulz. Berol. 1827. Cum lectionum numerus in immensam excreverit farraginem, Griesbach in hoc desudandum esse existimavit: ut illarum numerus minuatur potius quam augeatur; prudensque delectus habeatur, qua in re plurimam collocaverat operam. Textum s. d. receptum multis in locis correxit, aliis quae sibi videbantur apta locis commendavit; in aliis receptam lectionem vocavit in dubium: magnae attamen rei, quam amplexus erat, non omni ex parte satisfecit. Nimis interim acerbe in Griesbachium invehitur Matthaei, praef. Ev. s. Marc. Rig. 1788. II, 30. scribens: „Griesbachius, qui Wetstenii copiis pro libidine usus et abusus est, plerosque codices quos ipse tractavit, cursim tantum inspexit. Quibus autem in locis inspexerit, nullibi memoravit. Qui ergo postea eos inspexerit, eum reprehendere non poterit, cum sit ignotum quid inspexerit. Acceperat autem oculum a magistro.“ Rixarum fastigium est famosus libellus: Matthaei, ü. d. sogen. Recens. Ronneb. 1804. Lectu dignissimae sunt Griesbachii lucubrationes et commentationes criticae; e quibus nos quoque multa ad rem criticam in hoc commentario pertinentia praeclara hausisse, ultro fatemur. Qui abhinc editiones N. T. gr. minores scholis usuique communi adornaverunt C. Ch. Knapp, Hal. 1797. ed. V. 1840. H. A. Schott, Lips. 1805. ed. IV. 1842. A. H. Tittmann, Lips. 1820. recogn. A. Hahn, 1840. J. S. Vater, Hal. 1824. C. G. Theile e recog. Knappii emend. ed. ster. Lips. 1844. ed. VII. 1858., Griesbachianae recensionis praecipuam habuerunt rationem; etiamsi interdum eius lectiones desererent. Utilissimis ed. min. N. T. adnumeranda est: Fr. X. Reitmayri. Monac. 1847.

§. 56. Scholzii, Lachmanni, Tischendorfii, atque Tregellesii recognitiones N. T. graeci exponuntur.

Ut Sacrorum Librorum N. T. editio exstaret, quantum fieri potest, a mendis quibuscunque expurgata, Textum ad codicum, versionum et s. P. P. et S. E. fidem, industria magna examinavit J. M. A. Scholz, Prof. Theol. Bonn. cath. † 1852.; itineribus rei criticae causa susceptis clarus. Cf. Ei. Biblisch kritische Reise durch Frankreich, die Schweitz, Italien, Palästina und den Archipelagus. 1818. —1821. Lips. 1823. Hic permultorum codicum nondum collatorum lectiones variantes; item antiquorum monimentorum ecclesiasticorum veluti: Conciliorum, S. S. P. P. et Scriptorum E., vel primo vel iterum collata testimonia produxit in ed. sua: „N. T. graece.“ Textum ad fidem testium criticorum recensuit, lectionum familias subiecit vol. I. Quat. Ev. et Synaxaria codicum K. M. 262. 274. Bibl. imp. Paris. Lips. 1830. vol. II. Act. Ep. Apoc. Synax. et Menol. Cod. Coisl. 205. — d. q. v. Montfaucon, p. 266. — Lips. 1836. 4. In recensendo Textu iis, quae de codicum familiis disputavit — v. p. 108. — conformiter, hanc sibi legem prae-

scripsit: „In unoquoque archetypum ipsorum scriptorum quaerimus; id quale fuerit bonorum documentorum ex illo uno profectorum consensus demonstrat; nihil igitur ex textu illo primis saeculis vulgato, quem refert classis constantinopolitanorum codicum, demendum aut mutandum, nisi quod falsum aut improbabile esse apparet.“ Prol. IX, 58. I, 169. Carpendus autem erat Scholzius, quod I. Joann. 5. 7. perperam deleverit. II, 152. Cf. H. N. T., p. 506. s.

Laudabili sane studio: „ut quae testium ex diversis orbis christiani partibus colligendorum, simplicium et incorruptorum consensus sacris auctoribus adscriberet“; ea iis vindicarentur, dissensus autem curiose expositus lectori examinandus relinquatur — nam in quo longinquarum regionum libri consentiunt, id ex antiquissimis in diversa loca diffusum esse credibile. p. VII. — Novum Testamentum graece et latine recensuit Carolus Lachmannus, — v. Stud. u. Kritiken 1830. p. 817. s. N. T. ed. ster. pr. Berol. 1831. rep. 1836. 1847. — assumto socio Philippo Buttmanno, qui graecae lectionis auctoritates apposuit. Berol. tom. I. 1842. II. 1850. Adhibuit, ut praefatur p. XXV. prol. testes numero quidem non multos, sed fide et auctoritate maximos; et quidem graecos orientales: Codicem Alexandrinum; Vaticanum; regium Ephraemi palimpsestum; reliquos autem pene solos occidentales Codices, id est: D. Δ. E. G. H. P. et Q. T. Z.; latinos vero codicem Vercellensem Evangeliorum, Veronensem, Colbertinum atque Cantabrigiensem Evangeliorum et Actuum et III. Joannis; nec non cod. e. f. ff. g. h. Quod vero ad Latinum interpretem attinet, quem inter testes s. d. criticos maximi facit, adhibuit codices: Fuldensem a Victore Capuae episcopo correctum; Laurentianum sive Amiatinum et alios. Morem denique Veterum secutus editioni N. T. graecae versionem latinam integram adiecit. Admisit N. T. citata in libris S. Irenaei, Origenis, S. Cypriani, S. Hilarii, Luciferi Calaritani, Primasii; qui priscum interpretem latinum in plerisque sincerum exhibent. Videtur ait Lachmann, p. IX., singulari Providentiae benignitate effectum esse: ut testes omnium antiquissimi et aetate paene pares essent, et ex diversis prodirent regionibus, Hieronymi autem editio — primis N. T. annis, non amplius ducentis posterior. — ad eam rem est, ne quid extremo quarto saeculo recentius admittatur. Sed in illis duarum regionum testibus adhibendis duplex urgere incommodum, editor clarissimus ipse sincere profitetur. p. XXIV. Nam cum graeci codices in occidente scripti, praeterquam S. Pauli Epistolarum, nulli quibus confidere possimus supersint, verendum est: ne in formis vocabulorum et in ceteris, quae latine satis accurate exprimi non potuere, Aegyptiorum auctoritati nimium saepe obtemperemus, aliarum regionum consuetudine neglecta. In Orientis exemplaribus vero cavendum esse: ne forte interdum aliquid saeculo quarto nondum cognitum, ex novitio usu susceperint. Sed huic quidem malo paratum remedium concludit idem celeberrimus vir p. XXV. est; nam latina ab Hieronymo emendata, quorum restituendi consilium cepit Lachmann, quoties ab antiquioribus latinis discrepant, ita cum illis Graecis exemplaribus conspirant: ut in haec vix quicquam novitii adscitum esse appareat. Suffecerint autem confessiones istae, ad scopum Lachmanno praefixum rite cognoscendum. Quae Lachmann in prolegomenis de cr. recensionis N. T. indole veritatis amore sequenda esse putavit, Verbi Dei cultores aequi bonique consulent; facileque eodem veritatis amore ducti dabunt: nulli prae-

terquam Vulgatae Latinae textui venerandae antiquitatis suffragium competere. Itaque divinum Ecclesiae oraculum, quo in Synodo Tridentina: „authenticam" pronunciavit Veterem ac Vulgatam, quae longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata fuerit; laboribus criticis Acatholicorum quoque legitimum demonstratur. Quae autem contra recensionis Lachmannianae principia saepe mordaciter monuere critici: D. Schulz, de aliquot locorum N. T. lectione. Berol. 1833. et C. F. A. Fritzsche, de conformatione N. T. critica quam C. Lachmann edid. comm. Giess. 1841.; ipsam eorum praestantiam neutiquam elevant, sed nondum perfecte applicatas esse Lachmanni Textum N. T. recognoscendi normas evincunt. Atque haec ὡς ἐν παρόδῳ, contra viri, tanta gravitate et eruditione conspicui, obtrectatores monuisse sufficiat.

Quam Lachmannus praeiverat rationem Textum critice constituendi, eam secutus est Constantinus Tischendorf, Theol. Profess. Lipsiensis. Quae inde ab anno 1840. circa Textum Sacrum suscepit opera, fuse enarrat ipse ed. sept. Lips. 1859. I. prol. p. 13—25. 122—129., atque eius πανηγυρικὸς J. E. Volbeding, C. Tischendorf, in seiner 25-jähr. schriftstell. Wirksamkeit. Lips. 1863. Editionum ab ipso factarum prima prodiit Lips. 1841. II. Par. 1842. III. catholica [?] ib. e. a. IV. Lips. 2. 1849. Stereotyp. 1850. N. T. tryglottum 1854. ed. acad. ex triglottis 1855. rep. et corr. 1857. N. T. gr. et lat. 1858. N. T. gr. ed. sept. crit. maior 1859. rep. 1865. s. Hac in re T. ita versatum se esse profitetur: „Textus unice petendus est ex antiquis testibus, et quidem potissimum e graecis codicibus, sed interpretationum Patrumque testimoniis minime neglectis." Itaque omnis textus nostri confirmatio colligit idem, ab ipsis testibus proficisci debebat, non a recepta quam dicunt editione. Testibus autem discrepantibus, primo loco ponenda sunt ea, quae tuentur codices graeci antiquissimi; i. e. a saeculo IV. inde usque ad IX. fere saeculum scripti. Rursus in his qui vetustate antecellunt, iidem auctoritate praevalent. Haec auctoritas ut magnopere augetur, si interpretationum ac Patrum accedant testimonia, ita non superatur dissensione plurimorum vel etiam omnium codicum recentiorum; i. e. eorum, qui a nono saeculo usque ad decimum sextum exarati sunt." Prol. ed. VII. p. 27. et 28. Absit a nobis laudi, quam e laboribus criticis sibi comparavit Tischendorf — quos ubi locorum fieri debuit, semper exposuimus. — aliquid detrahere; attamen reflexiones quasdam super iis subiicere necessarium duximus. Displicet merito in Tischendorfio, alto supercilio de aliorum virorum doctorum meritis prolata censura. — E. g. l. c. p. 100. recenset „quanta sit in Scholziana editione negligentia, quanta rei quam suscepit fuerit inscitia, quanta levitate." De mathematica vero quam adpellåvit recensionis Lachmannianae ratione p. 106. pronunciat: „in factitanda re Novi Testamenti critica quid maxime utile, quid grave, quid necessarium sit circumspicienti vix dubium, erit quanto in errore omnis Lachmanni ratio posita sit." P. 107. „Lachmann, dicit idem, plurium errorum quam ipse se ducem praebuerat, aliorum socordia auctor factus est." P. 110. ait quod L. „incredibilis suae temeritatis gravis ipse accusator exstiterit." Rursus „Propositum erat hoc loco etiam docere quam male officio functus sit adhibendi ad Graeca Lectiones Latinas." ib. — Bene observavit de superba ista aliorum operas aestimandi Tischendorf ratione Márkfi noster ὁ μακαρίτης, Introd. I, 217.: „Quid vero dicendum est de Griesbachii et Matthaei mutua cavillatione, qui

se invicem per lutulentissimam sentinam raptare videntur? Nec Tischendorfius humanior est erga Collegas, sive dum Scholzium inscitiae, negligentiae levitatis arguit sive dum Ed. de Muralto „de incredibili inscitia socordia perfidia" laudat, nacturus forte vicissim hominem, qui ipsum etiam more criticorum emungat. Errare humanum est." Revera Lachmann paucis, sed severe ed. cr. I. prol. p. 23. de Tischendorfii editione N. T. 1842. iudicat: „illa editio si verum dicendum est, tota peccatum est." Neque aliter fecit S. P. Tregelles, an account of the printed text of the Greek new testament with remarks on its revision upon critical principles. Lond. 1854. p. 184. s. Mittimus Porphyrii Uspenskii archimandritae et collonelli Angli Macdonaldi reprehensiones, de quibus diximus p. 118. C. Tischendorfii, sane eiusmodi est de viris doctissimis iudicandi ratio, qua se praebet hominem nemini non iniuriosum. Alterum est Tischendorfium in arte critica abs se adhibita, minime sibi ipsi constare; ideoque in singula recensione alium fere N. T. textum exprimere. Praestitit certe in suis operibus variis et plurimis Tischendorf haud pauca ad S. Textum castigandum; sed et more rerum humanarum, plura reliquit aliis peragenda!

Vetustissimis denique testibus rite collatis, et accurata trutina pensitatis, textum Apocalypseos gr. et lat. veluti specimen apparandae ed. N. T. Lond. 1844. publicavit S. P. Tregelles, s. t. Ἀποκάλυψις Ἰ. Χρ. ἐξ ἀρχαίων ἀντιγράφων ἐκδοθεῖσα; atque ib. 1857. The Greek New Testament edited from ancient authorities with varions readings and the latin version of Jerome vol. I. s. s. Matthaeum et Marcum complectens. Continuatio huius editionis multorum votis expetitur.

LEGES CRITICAE SACRAE.

§. 57. De natura et usu Criticae in universum.

Ut Codicibus mss. sive exemplaribus typis exscriptis S. S. L. L. V. et N. T. recte utamur, de principiis sanae „Criticae" constare debet. Ad scripta Veterum, cuiusmodi e manibus auctorum exierunt, repraesentanda omnino duabus utimur artibus: nam et qui scriptor quid scripserit disputamus, et quo in rerum statu, quid senserit et cogitarit exponimus. Harum prima iudicium constituit „κριτική", ἀπὸ τοῦ κρίνειν dicta; altera interpretationem, ἐξηγητικὴν efficit. Judicantis est: genuinum spuriumve sit, integrum an incorruptum, vitiosumve et corruptum? detegere; ante omnia vero quid scriptores tradiderint quaerere? Deinde autem quae perperam a librariis reddita; ea Critica verbalis sive therapeutica, conatur quantum fieri potest primo suo pristinoque restituere nitori: i. e. emendare, eiusque rei modum et rationem tenere, id quod recensere dicitur. V. p. 106. Critica itaque V. et N. T. therapeutica, de qua nobis in praesenti sermo est, operam collocat: in quaerenda et restituenda vera Lectione Textus Sacri Utriusque Testamenti. Constat enim u. s. v. p. 2. 93. s. 103. s. exemplaria Codicis Sacri toties descripta, librariorum negligentia et incuria atque interpretationum ambiguitate suos hinc inde admisisse

naevos particulares, qui hodie lectores attentos exercent. Criticae etiam in interpretatione necessitas inde intelligitur, quod sine ea nec locum quidem habeat interpretatio, frustra enim interpretari conamur; quod est vitiosum. Unde olim iam recte S. Augustinus quidem praecepit: „Codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno dumtaxat interpretationis genere venientes." De Doctr. Chr. II, 14. p. 47. Neque modo nostris diebus invaluit Critica, sed longo saeculorum decursu exercita, apud Ecclesiam semper in pretio fuit; eiusque bene periti viri inter principes theologorum sunt numerati. Sicuti: Origenes, S. Gregorius Naz., S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Isidorus Pelus., Theodoretus; similesque qui S. P. P. et S. E. vestigia feliciter prementes, pium modestumque Divinarum Literarum scrutinium adhibuere. Cf. Honorati a S. Maria, Animadvers. in regulas et usum Critices, I. 2, 6. p. 76. s. Ex instituto qui de Critica Biblica cognoscere cupit, adeat H. Valesii, de Critica l. II. Amstel. 1640. J. Clerici, Ars critica. Lugd. B. ed. VI. 1778. 3. vol. G. L. Bauer, Critica Sacra. Lips. 1795. Carpzovii, Critica S. V. T. Lips. 1748. Bengelii, Introd. ad univers. lect. variet. iud., in Appar. Crit. I, 4. s. J. M. A. Scholz, de Critica N. T. gen. in ed. N. T. H. Mutinghe, Brevis expositio Critices Vet. Test. Groning. 1827. F. Schleiermacher, Hermeneutik u. Kritik mit bes. Beziehung auf das N. T. Berlin. 1838. J. M. A. Loehnis, Grundzüge der bibl. Herm. u. Kritik. Giess. 1839. p. 233. s. Habentur item plurimi alii, quorum partim iam meminimus, partim adhuc in sequentibus mentionem faciendi occasio se offeret.

§. 58. Criticae Sacrae ratio qualiter iucunda sit?

Criticen esse: artem iudicii ferendi diximus; atque ideo in critico id praesertim desideratur, quod vulgo rectam intelligentiam adpellamus. Oportet igitur LL. SS. criticum curare: ut solide iudicet et sagaciter discernat: eiusque iudicium recta et sana ratio moderetur. Adhibitis legibus, quae mentem in suis ratiocinationibus dirigant verae criticae indolem et naturam cognoscat: eiusque in iudicando veritate aut falsitate, bonitate aut pravitate facilem instituat usum. Enimvero religio magna adhibenda est: ne in Textu Divinorum Voluminum: qui nunc in manibus est, fingendo, nimis faciles simus. Cum Textui emendando animum adiicimus atque ille alicubi peccare invenitur, oportet quidem eum revocare ad verum; sed testium locupletissimorum et fide dignissimorum examine facto, lectio dubia perficiatur et roboretur. Auctoritas primum esto Criticae S. principium. Res ipsa autem flagitat, ut in ambiguitate auferenda et in certitudine codicum stabilienda, praecellat Scriptorum Ecclesiasticorum, s. Patrum et Doctorum Ecclesiae testimonium; quorum opera a Conciliis probata, et singulari honore ab Ecclesia affecta aliis testimoniis praestant. Interim satis, imo nimis quam frequenter occurrit; ut neglectis testimoniis Veterum praeter limites et modum urgeantur argumenta negativa, invadanturque veritates clarissimae per horum ratiociniorum abusum. Legi omnino meretur de hoc abusu J. Mabillon, de studiis

monasticis II, 13. p. 539. s. Certo quidem certius est, cum de scientiis humanis, de Historia, de Chronologia et aliis eiusmodi negotium est: auctoritatem s. s. P. P. et S. E. tanti fieri dumtaxat, quanti sunt momenta, quibus fulcitur eorum disquisitio. De his rebus vera manifeste tradentibus, nemo dubitat fidem esse adiungendam; posthabito s. Patris etiam et Scriptoris Ecclesiae iudicio. Sed extra controversiam est porro: in Sacris Literis iudicandis, s. Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis obtemperandum esse; attentis et in subsidium vocatis aliis omnibus etiam adiumentis, quae praesto sunt. Sententiae huius observatio necessitatem habet, cum in scopulis evitandis, tum in ostendenda erga s. Patres Scriptoresque Ecclesiae observantia.

Qui vero fines istos praetergradiuntur, et imprimis Criticae, quae coniecturalis audit, indulgent; hi abutuntur Critica, sive indigni potius sunt critici nomine. Vix tamen quidquam hodie adeo invaluit, quam Critica coniecturalis. Tanta passim in hoc genere sumitur libertas, tantique committuntur abusus; ut in aprico sit, maiora pruritum criticum animis inferre praeiudicia, quam adferre potest error et ignorantia. Quandoquidem remota, quae decet Hagiographos, qui divino Spiritus Sancti afflatu concitati loquebantur reverentia, temeritate atque licentia non toleranda pronas remittunt phantasiae viri isti habenas. Haud pauci nostrorum dierum critici audent, quo libertatis fert impetus, non solum in rebus grammaticis et philologicis; verum etiam in ipsis fidei dogmatibus confidenter decisiones effutire. Quos homines nisi auctoribus profanis versandis assuefactos, a Sacra Critica amolimur; atque eo relegamus, ubi campus patet liberrimus, ubi frena laxare ingenio, ac minimo peccare possunt periculo. Et cum praesertim in Divinis Voluminibus, quibus nulli ex casca antiquitate correctiores ad nos pervenerunt, quae supersunt codicibus; menda ea neque adeo copiosa, neque adeo desperata sint; ut a criticis sanioris doctrinae laude insignibus non possint feliciter sanari: maximo quidem iure critici isti profani reiiciuntur. Quamobrem et egregiam aliquam censemus, et perversam aliam esse Criticam. Illa beneficum quoddam lumen est, illuminans id quod a scriptore proficiscitur; haec autem venenum quoddam periculo plenum, quod postquam rationem corrupit, etiam iustum iudicium super S. Libros pessumdat. Unde quod nimium est Criticae, taxarunt etiam viri acatholici: J. L. Moshemius, Observ. sacr. et hist. crit. Amstel. 1721. I, 430. s. L. C. Valkenaer, or. de S. N. F. Critice a literatoribus quos dicunt non exercenda. Franecq. 1745. p. 44. s. J. D. Titius, de prudentia in disquisit αὐθ. d. Joann. I. 5, 7. observanda. Witt. 1766. p. 9. s. Dathe, de difficultate rei criticae, in opusc. p. 66. s. J. J. Doedes, or. de Critica studiose a Theologis exercenda. Trai ad Rh. 1859. p. 9. s.

Ut igitur Critica legitima sit, suoque nomine digna, cautiones quasdam observet. Oportet a. ut res iudicanda sit de iudicantis competentia. b. Judex debitam adhibeat diligentiam, ut semel rite informet de re iudicanda. c. Numquam iudicet absque congruis praemissis. d. Nullis praeiudiciis teneatur, nulloque affectu praepostero capiatur. Istae recti iudicii conditiones requiruntur in Critica S. U. T., quae revera nihil aliud est: quam iudicium quoddam applicatum.

§. 59. Variantium in Textu Sacro Utriusque Foederis lectionum origines.

Qui in criticis studiis biblicis operam suam recte collocare volunt, iis ea imposita est necessitas; ut ante omnia „de veritate lectionis“ indicent. Etenim cum ut iterum iterumque iam monuimus v. p. 133., Libris Divinis iste quidem casus cum aliis communis sit: ut hominum vitio temporumque iniuria paullatim aliqua menda contraxerint; fieri aliter non potest, quam ut veterum exemplorum fide, verba Hagiographorum primitiva quantum potest restituantur. Operam itaque Criticae circa varietatem lectionis commonstraturi, quid nobis isto veniat nomine, describendum erit. Latiori sensu nomine „Varietatis Lectionis, Variarum Lectionum, Variantium“ adpellari possunt: quaecunque etiam leves in diversis codicibus occurrunt scriptionis mutationes, calami errantis vitia. Et sane hac significatione, maxima ex parte, variantes lectiones a plurimis earundem collectoribus acceptas fuisse; vel ipsa, quae nunc exstat, illarum farrago luculenter docet. Nemo autem non videt, quod admissa hac notione, variantium numerus in infinitum crescat; et vel manifesta librariorum errata, in diversarum lectionum censum veniant. Hinc sensu strictiori: eae solummodo differentiae, quae sensus adferunt diversitatem, nomen „Varietas Lectionis“ meretur; et quae e probatae fidei testibus hausta, lectores omnino dubios de sensu S. S. facere quit.

Jam vero Varietatis huius, ut accurata consideratio docebit, tres sunt praecipue fontes: I. meri scriptionis errores, II. falsa librariorum iudicia, III. malevolum Textus corrumpendi studium. Sive adhuc dilucidius loquendo: omnes aberrationes vel casu ortae sint, vel consilio. Ad primum variantium lectionum fontem, qui latissime patet, quod attinet atque meris scriptionis erroribus continetur, est: in librariis, eorumque oscitantia et attentionis remissione. Librarii omittendo, addendo, transponendo et permutando literas, puncta, integrasque voces, vitia intulere Textui S. plurima et locum varietati lectionis fecere; id quod mature factum e Veterum unanimi testimonio constat. Unde casu accidisse dicimus: varietatem omnem quae fit cum librarius — per curam in res ac non in verba conversam, adeoque festinationem, cuius maxima vis est. — labitur, nec lapsum lituram fugiens corrigit. Facillime autem memoria, oculi vel etiam aures, cum male excipit librarius, quae non satis articulata voce dictata fuerunt ab altero, male intelligit: alienis rebus feruntur, et a proposito verbo avertuntur. De his copiose et erudite egerunt: Bauer, Critica S. p. 168. s. Bengel, Apparatus criticus ad N. T. cur. Ph. D. Burkio. Tub. 1763. p. 13., qui prae aliis consuli merentur. Cf. e. J. Maciejowsky S. J., Critica Hebraeorum S. Wirceb. 1761. H. S. Reimari, diss. III. de differentiis vocum Hebraicarum, in Rosenmüller, Comment. theol. II. 2, 207. s. J. M. Fabri, pr. II. quibus ostenditur literas, olim pro vocibus in numerando a scriptoribus V. T. esse adhibitas. Ib. p. 314. s. Reinke, l. s. c. VII, 57. s.

Altera varietatis classis est: quae e falsis iudiciis eorum orta est, qui codices descripserunt. Utpote a librariis, qui suo iudicio temere ad corrigendum Textum impellebantur, hi enim interdum e locis parallelis, quae obscuriora

perturbata, omissa videbantur interpretari, glossemata in Textum inferre, ex aliis fontibus addere; atque ita Textum varie interpolare ausi sunt. De qua re queritur iam Origenes, comment. in Ev. Matthaei t. XV. n. 14. ad 19, 21. ed. Lomm. III, 357. Utrumque Testamentum habet menda sua, hac ratione illata. Maxime omnium proclives fuere mutationes in Novo Foedere, cum librarii idiotismum, ellypsim, orationem suspensam pro vitio sermonis censuerint et emendarint; scholia in memoria aut margine haerentia pro verbis nativis substituerint, vel addiderint. Saepe varietas casu cepta, consilio continuata fuit. Librarius aberrans et negligens, aliquid omissum omissione animadversa mox transposuit; vel ut constructio constaret, voces sequentes ad mutationem casu factam accomodavit. Neque hoc rarum: ut obrepens mendum, alio mendo corrigatur. Cf. Chr. D. Beckii, de Glossematis crit. quaest. I. Lips. 1831. P. II. ib. e. a.; cont. de iis, quae in Sacris Libris occurrunt ib. e. a.

Denique tertio consilio perfido peccarunt omnis generis descriptores; cum aliquid in exemplari sibi praeiacente de suo emendarunt. Judaeorum fidem in servanda integritate Divinorum Voluminum sibi concreditorum, aliqui Theologorum in dubium vocarunt; cum alii non a Judaeis sed a Samaritanis Vetus Testamentum corruptum esse defenderent. — Cf. Hottinger, Thes. phil. I. 2, 4. p. 127. s. J. Vossii, de septuag. interpr. Hagae Com. 1661. p. 18. s. app. p. 69. s. Kenikott, diss. II. s. rat. t. H. c. 1. p. 17. s. J. H. Verschuir, diss. cr. qua lectio hebr. cod. Deut. 27, 4. defenditur. Leov. 1773. — Sacras Literas manu sacrilega adulterare tam impium, tam detestabile scelus est; ut videatur incredibile, istud ab aliquibus hominibus olim perpetratum. Sed vero B. Germon S. J. l., de veteribus haereticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus Par. 1713. evicit: inter haeresum magistros exstitisse non paucos, qui sua S. Literarum exemplaria dolo malo falsaverint. V. Comm. h. p. 73. s.

§. 60. Excutitur opinio: S. Literarum V. F. codices a Judaeis olim fuisse corruptos.

Opinionem illam: de Codice S. a Judaeis corrupto, s. P. et S. E. antiquos docuisse, haud diffitemur. S. Hieronymum quod attinet, qui S. Codicis corruptionem queritur, Comm. in ep. ad Gal. 3, 10. p. 431. ad S. August. ep. 112, 22. p. 755.; nonnulli inter ipsos Catholicos — v. C. J. Ansaldi, de authent. S. S. apud S. P. lectionibus. Ven. 1747. II, 3. p. 271. — rem exaggerasse arbitrantur. Animadvertunt isti quidem scriptores: magnum illum virum, esse immensum mare, quod arcano spiritus impetu percitum intumescens, in unum littus ita fertur penitus, ut alterum ei oppositum siccum destituat; utque oceanus, postquam exaestuans hanc plagam longe lateque inundavit, mox in alveos sibi a Deo definitos redit; ita nostrum illum doctorem, ubi in vitiatum aliquod effusus longius excurrerit, mox se recolligere seque ad eum placidae aequalitatis referre modum, qui aedificet domum Dei. Itaque et Morinus acerrimus Judaeorum criminator, exercitat. bibl. I, 3. p. 31. s., non potest non ultro concedere ib. IV, 3. p. 171.; consuetudinem illam fuisse d. Hieronymo: „σηματικῶς“ admodum loqui et „ἐμφατικῶς“; atque propter verborum vim et „ὑπερ-

βολὴν" s. doctorem haud raro ea sentire videri, quae tamen constanter negat; aut certis tantum circumscriptionibus adhibitis fatetur. Cf. ei. comm. in Isai, 6, 9. p. 97. Divus vero Justinus, dial. cum Tryph. n. 72. p. 249. obiicit Jer. 11, 19. e Textu recisum. Sive haec cum Bellarmino, — de Verbo Dei II, 2. p. 110. ubi etiam aliorum S. P. et S. E., quae in contrarium obiiciuntur testimonia expendit. — de textus gr. LXX. interpretum copiis; sive ad literam de corruptione codicum hebraicorum intelligantur; semper corruptio illa merito particularis habetur, quae reliquis mss. intacte relictis, Textus integritatem non affecit. Verba enim Jeremiae 11, 19. controversa, de quibus loquitur s. Pater, etiam hodie apud Judaeos in omnibus exemplaribus leguntur. Cf. cet. Carpzovii, Critica s. I, 3. p. 111. s. Fabricy, des titres primitifs de la révélation, ou considérations critiques sur la pureté et l'intégrité du texte original des Livres Saints de l'Ancien Testament. ap. Migne, S. S. C. C. XXVII, 559. s. Glassii, tract. de textus Hebraei in V. T. puritate apud Bauer, l. c. p. 83. s. et omnium hac de quaestione copiosissimi scriptoris L. Reinke, l. c. p. 292. s.

Sed quamquam reverentia, qua Judaei Libros Sacros V. T. semper prosecuti sunt; et insufficientia exemplorum, quae pro adulteratione S. S. proferuntur, Judaeis impingere crimen vetat corrupti studio Textus Hebraei: tamen negandum non videtur, Judaeos in locis, ubi varietas lectionis quodammodo Judaicae ac Christianae doctrinae discrimen attingit, eam lectionem praetulisse, quae iudaicis opinionibus aliquid praesidii subministrare posse videretur. E. g. Ps. 16, 10. חֲסִידֶיךָ Ps. 22, 17. כָּאֲרִי; Isai. 53, 8. נֶגַע לָמוֹ Pro חֲסִידְךָ, כָּאֲרוּ, נֶגַע לַמָּוֶת. Cf. Jahn, Einl. I, 484. s. Wette, Einl. p. 116. 148. H. V. T., p. 284. Illa autem loca et paucissima esse, et facile sanari posse, simul est certissimum.

§. 61. Annotatio de ingenua Textus graeci N. T. veritate.

Novi Testamenti codices graecos non esse in universum corruptos, facile demonstrari potest; quia numquam non diligenter advigilarunt Episcopi, qui non permiserunt Libros Sacros falsari. Evangelia tanquam ab idiotis Evangelistis composita sub Anastasio Imperatore emendata — ut post Victorem Tununensem, Chronicon ad a. 506., tradidit s. Isidorus Hisp., Chronicon n. 113. ed. Migne V, 1053. atque Liberatus, Eccl. Carth. Archid. Breviar. caus. Nestor. et Eutych. c. 19. apud Gall. XII, 152. — esse; omnium antiquissimorum testium consensu refellitur. Nullum huius emendationis vestigium reperitur in S. P., S. E. — videlicet codicumque mss. Rom. Sin. Alex., Anastasio vetustiorum — allegatis et locis; qui testes cum iis, quae post Anastasium facta sunt apographa, omnino conspirant. Impossibile etiam fuisset omnes in toto mundo dispersos codices Evangeliorum emendare. Altum est, ut iam Millius, proleg. n. 1015. p. 98. animadvertit, apud Historiarum scriptores hac de re silentium; neque exstat ex omni scriptorum turba, qui ῥαδιουργίας huius aliquam facit mentionem. Videtur Victor, ea quae rumor ferebat, false percepisse, et literis mandasse. Cf. C. M. Pfaffii, diss. inaug. th. de Evangeliis sub Anastasio Imp. non corruptis contra A. Collinum Anglum. Tub. 1717. p. 14. s. Accessit quidem

haereticorum et impostorum S. S. depravatio v. p. 76. 137.; quae tamen omnium minime obfuit, nimis incurrente in oculos impudentia depravationum. Data opera ostendit id vir insignis B. Germon S. J., l. de veteribus haer. Eccl. Cod. corrupt. p. 135. s. Omnis illa denique varietas, quae reperitur collatis vetustissimis N. T. exemplaribus graecis et antiquis interpretationibus; sive sit literarum; sive vocum multitudinis aut paucitatis; sive limitum; semper ex indole sensus, quem offert et antiquitate temporis, quo iam locum habuisse traditur, diiudicanda erit.

§. 62. Regulae in iudicanda Lectionum varietate observandae.

Quamquam ingenii felicitas, et diligens studium quemvis facile usu docebit, quid in universo iudicio et delectu variantium lectionum observandum, quid vero fugiendum sit; haud tamen inutile erit, regulas quasdam cognitas habere, quae iudicium de varietate lectionis bene moderantur. Sane cum maxima polleant sanctitate Libri, de quibus agitur; eam ob causam etiam, quo reverentiam potiorem iure suo sibi dari postulant, eo magis diligenter certis canonibus iudicium de illis debet gubernari. Est interim hoc negotium perdifficile; nec ulla regula statui potest, quae universe valeat, et non habeat magnas in usu cautiones. Est enim iudicium de lectionum variarum in S. S. pretio, propter peculiarem rationem rerum et dictionis a Scriptoribus S. usurpatae magis implicatum, quam in ullo alio libro. Nam quo magis haec a scribendi genere occidentis recedit; hoc tanto minus potest ad nostras leges severe iudicari. Deinde extra dubium positum est: rem magni, imo maximi momenti esse, Sacrarum Literarum integritatem; quas fontem, etsi non unicum, Revelatae Veritatis divina Sapientia constituit. Quam fallax foret hoc modo iste thesaurus regularum fidei atque morum, si concessum foret coniecturis suis lectioni Textus Sacri vim inferre? Quisque videt conamina ista fructus esse audacis criticae, quae hodie multis nimium quantum placet. V. p. 135. Luxurianti itaque ingenio frena iniicienda sunt ad aberrationes praecavendas idonea. Cf. J. G. Sapper, de variantium Lectionum Scripturae N. T. usu et abusu. Altorfi 1712. p. 35. s.

Poterunt vero haud aegre omnia lectionis genuinae secernendae praecepta ad duo primaria revocari. Eorum unum hoc est: nulla lectio temere, sed auctoritatibus consultis expensisque loco moveatur. Praeceptum alterum sic habet: ratio semper habenda est sensus atque contextus. Ceterum multa hinc iam fluunt corollaria, ad quae attendere oportet. Igitur reverentia quae Libris Sacris prae omnibus debetur, id a nobis requirit, quod vel a parum modesto critico in humanis libris diligenter observari praecipimus; ut caveamus, ne emendemus quae emendatione non indigent, cuncta prius agenda sunt, antequam alicuius loci S. S. emendationem tentemus. Omnis vero lectionis cuiusdam emendatio temere instituitur, quae fit vel ex ignorantia, vel e vitio voluntatis. Ex utroque fonte audacissimas in Textu U. F. promanasse emendationes, sive rectius depravationes, testes sunt commentarii multi Acatholicorum huius temporis.

Si autem opus sit emendatione: ea in universum lectio praeferatur quae antiqua, bona et simul vera sit. Plurima hoc praecepto continentur,

quae fusius exponenda sunt. Summa omnium huc redit: ut veram iudicemus, nullam, quae non sit eadem antiqua et bona. Bonitatis opinio nimium laxa est; palmam ei praeripit antiquitas; nam sane genuina omnis lectio antiquior est, quam serior depravata. Sed negligendum haud erit, longe ante graecos codices hodie superstites; quippe saeculo iam secundo varias exstitisse N. T. lectiones, et interdum nec S. Patres et S. E. veteris Ecclesiae decernere audent, sed malunt utramque explicare. V. S. Chrysostomus, in II. Cor. 5, 3. homil. X, 1. ed. Montf. X, 506. Nec refert quot saeculis, mutationum feracibus, nunc divellatur; sed quantum distet a manu apostolica. Ceterum si una antiqua et bona est, recte praefertur ceteris; si pariter antiquarum alterutra melior haec sequenda; et e pluribus aeque bonis antiquior deligenda est. Atqui fieri etiam potest; aliquando utramque lectionem tam bonam, quam antiquam esse; ut difficile sit constituere, utra ob sensum et contextum magis praeferenda sit? Accidit, ut melior cuidam videatur lectio, quam alius quis iudicet inferiorem esse alteri; prout quisque aliam in interpretando rationem sequitur. Quo circa ne semper incerti vagemur, ea lectio praeferenda est, si reliqua paria sunt; quae quiddam priscum, grave et difficile habet. Scilicet probabile est librarios, quidquid paullulum reconditae erat intelligentiae, planius subinde et plenius lectoribus suis similibus accommodasse. Quare vix fallitur, qui eam lectionem quae maioris perspicuitatis plenitudine blanditur, tanquam consilio introductam duriori et obscuriori postponit. Librarios nusquam magis, quam in N. T. ad emendandum addendumque promtissimos fuisse; multae correctiones in nullam editionem admissae testantur, nonnullae tamen hinc inde in editiones quoque irrepserunt. Quolibet fere loco lectio rarior suae integritati reddenda est. Ubi e duabus lectionibus codicum graecorum antiquis et bonis, altera consentit cum S. Patribus Graecis, haec deligetur; nec mirum videri debet S. Patrum et Scriptorum E., testimonia aequari codicibus Librorum Sacrorum; imo ipsis interdum etiam praeferri. Enimvero codices, quibus illi usi sunt, antiquiores fuerunt; plerumque etiam accuratius castigati omnibus, quos nunc habemus.

Bonitas porro lectionis partim e verbis, partim e sententia eruitur: Primo enim lectio, si verba spectentur, eo melior est, quo verisimilius est scriptorem iis verbis usum esse, quae lectio quaedam exhibet; deinde secundo, si spectatur sententia, eo melior censenda est lectio, quo magis convenit cum consilio scriptoris et universa oratione contexta. Quae lectio nullo modo cum scriptoris cuiusque consuetudine scribendi convenit, genuina non est. Potest nimirum lectio quaedam bonum per se sensum fundere; quae si cum tota verborum serie, in qua posita reperitur, conferatur, ei plane non convenit. Antiquitas pendet cum ex aetate, tum ex acribia codicum mssm.; quibus vel ipsi utimur vel quibus usi comperiuntur, qui de ea testantur. Rarior et prima specie minus recta praeferenda est faciliori, vulgatiori et grammatice rectiori. Itaque si in S. Scriptoribus N. T. altera est hebraizans, anteponi debet bene graecae; quod haec glossae notam habet, a Graeco profectae, non illa. Deinde in examine vocum vel additarum, vel omissarum, vel mutatarum eae lectiones sunt praeferendae; quarum vel additionis, vel omissionis, vel mutationis probabilior dari potest ratio. In genere ratio emendationis, si fieri potest, reddenda est.

Dudum cautum est solertiore iudicio — Birch, Qu. Ev. prol. p. 63. — „lectionis alicuius praestantiam non ex testium numero, sed auctoritate aestimare." Atque hinc intelligitur ratio illius regulae; multitudinem testium, non semper iudicium bonae lectionis esse. Videndum prius, ut uno exemplo rem demonstremus: an none decem codicibus, qui unam eandemque lectionem tradunt, novem ex uno descripti fuerint? quodsi factum, tunc fides omnium, non maiorem vim habebit quam auctoritas unius. Summa itaque est haec: nulla in Codice Sacro locum habere potest lectio quamvis bona, sine bonis testibus; et vicissim boni de cetero testes, sine bono sensu, non praevalent contra lectionem Textus. Antiquissimas vero Versiones in hoc negotio esse adhibendas vix est, quod moneamus; sed etiam antiquissima versionum auctoritas, non adeo nimis evehenda est, ut Textui originario praeferatur. Etenim facilius semper error in versionibus, quam in Textu originario quaerendus est. Nam in hoc unus errandi modus fuit, librarii nempe negligentia; in iis vero vel interpres, vel descriptor potuit labi, vel uterque simul.

Atque haec sufficiat monuisse de ratione legum, ad quas omnis varietas lectionis in V. et N. T. diiudicari potest atque debet, plura aventi dabunt: *G. Chr.* Teller, de iudicio super variis lectionibus Codicis Hebraei Divini recte faciendo disp. Lips. 1757. Bohn, disput. de restituendo codice Hebraeo. Jen. 1770. Chr. B. Michaelis, tract. cr. de variis lectionibus N. T. caute colligendis et diiudicandis Hal. 1749. Ch. M. Pfaffii, diss. de genuinis N. T. lectionibus ope canonum q. cr. fel. indagandis. Amstel. 1709. J. A. Bengel, Appar. cr ed. Burk, p. 13. s. ei. tract. de sinceritate N. T. gr. tuenda. Hal. 1750. rep. in App. p. 762. s. Rossi, Var. lect. I. prol. 2. de auctoritate fontium variarumque lectionum canones critici. p. 49. s. et v. IV. diss. praelim. Griesbach, N. T. ed. Lips. 1825. p. 7. s. Reinke, l. c. p. 53. s.

Coniecturae autem „criticae" qualemcunque habeant probabilitatis speciem, numquam in Textum S. S. recipiendae sunt; cum numquam certo *nobis* persuasum esse queat, utrum coniectura veram exhibeat lectionem, an secus? Summa certe Textus S. oriretur confusio, lectionisque incertitudo; si cuivis liceret ingenii sui inventa in Textum inferre: graviter itaque peccant critici nostri aevi, qui ubicunque fere propter sua praeiudicia in Divinis Paginis offendunt, ad emendationem ex ingenio depromtam confugiunt.

§. 63. Adminicula pro Lectionis Varietate diiudicanda.

Grato animo erga Divinam Providentiam agnoscimus: hac nostra aetate *sufficientia* adminicula et subsidia dari; quibus adhibitis, feliciter in emendando Textu Utriusque Foederis versari possimus. A variis viris enim cum cura et eru*ditione* hanc partem s. disciplinarum ornatam fuisse ex iis, quae per integram hancce sectionem iam narravimus, ultro constat.

Et quidem quoad Textum Sacrum Veteris Testamenti, qualis fuit ante recensionem masorethicam auxilium, attinet, subministrant: a. Pentateuchus Hebraeo-Samaritanus; b. Collatio locorum parallelorum; c. scripta

Josephi et Philonis, S. Patrum atque Scriptorum Ecclesiasticorum. d. Versiones quaedam antiquiores, ex ipso fonte Hebraeo confectae, e. g. LXX. et ceterae Graecae, paraphrases Chaldaicae, Peschito, Vulgata, Arabica. — C. F. Schmid, Vers. Alexandr. opt. interpr. Libr. S. praesidium. I. II. Lips. 1663. 4. J. Fr. Fischer, Prolusiones de Versionibus Graecis L. L. V. T. literarum hebraicarum magistris. Lips. 1772. C. Fr. Horneman, Specim. exercit. cr. in Vers. LXX. interpr. Gott. 1773. Cf. i. G. C. Knapp, de Versione Alexandrina in emendatione exempli hebraici caute adhibenda. Hal. I. 1775. II. 1776. F. V. Reinhard, de vers. Alexandr. auct. et usu in constit. Libr. Hebr. lect. genuina. I. II. Witt. 1777. J. C. Koenicke, de caus. vers. Alex. ab archetypo dissensus. ed. s. Magd. 1784. Houbigantii, prol. art. III. J. A. Dathe, disp. in Aquilae reliquias interpr. Hoseae, in opusc. Lips. 1796. p. 3. s. Bauer, Critica S. p. 426. s. — e. Talmud. f. Masora. Textui vero, prout recensione masorethica constitutus est, restituendo faciunt: Versiones quaedam secundum hanc confectae; citationes in scriptis Rabbinorum, codices mss., editiones principes V. T. typis exscriptae, scripta s. P. et S. E. Singillatim haec subsidia h. l. illustrare, ideo supervacaneum ducimus; quia hunc laborem ad quodvis subsidium sua in serie subivimus.

Quod vero ad scripta Novi Testamenti attinet, primum locum obtinent: codices mss. Graeci non interpolati; ss. deinde Patres et Scriptores E.; alterum tenent Versiones antiquae e graeco factae; in tertiam denique classem reiiciuntur cetera adminicula. Editionum vero gravitas, non ab editorum fama; sed a fonte aestimantur, e quo editio manavit. *Quodsi autem ad notionem genuinam „editionis criticae" alicuius libri attendatur, omnino fatendum erit: nullam propemodum L. L. S. S. U. F. editionem, quae hoc nomine gloriatur, ita perfectam esse, ut numeris omnibus absoluta censeri possit. Enimvero editio critica illa existimatur: in quam ne verbum quidem recipitur ullum, quin prius consultis omnibus priscis exemplaribus, habitaque singularum varietatum* „κρίσει ἀκριβεστάτῃ"; *ubi ita scriptoris ingenium, argumenti indoles, linguae ratio inter se concilientur, ut qualis liber prima manu exiit, talis hodie legatur.*

Quodsi sobrietate et sedulitate horum subsidiorum usus fiat, sinceritas Textus Originarii S. Bibliorum in dies magis magisque clarescet. Negandum non est: menda sinceris S. Literarum scriptis admixta fuisse; sed non tanti momenti sunt, ut in iis, quae ad summam fidei et morum faciant, Sacra Volumina aliquid patiantur. Etsi forte locus aliquis, qui summi momenti esse videtur, uni alteri seu etiam pluribus codicibus exciderit; nusquam inde periclitatur revelata veritas, quia adest infallibile Ecclesiae Magisterium, quod illam ex tot periculis, haereticorum fraudibus, impiorum artibus ereptam servavit et tradidit. Ut adeo praeclare luculenterque in hoc negotio conspiciendam semet praebeat: Spiritus Sancti circa Verbum Dei scriptum cura mirifica.

TRACTATUS ALTER.

HISTORIAE S. TEXTUS U. F. IN LINGUAS VARIAS TRANSLATI.

§. 64. Notio Versionis sive interpretationis.

Inter ea quae Sacris Bibliorum effectibus connexa sunt, primum tenet locum: ipsa S. Bibliorum interpretatio. Ea vero duplex habetur: una est e primigeniis linguis in alias conversio; quae s. Epiphanio, de pond. et mens. n. 2. p. 159. „ἑρμηνεία“ *interpretatio dicitur, aliis* „μεταβολή“ *translatio, quod* εἰς ἑτέραν γλῶτταν *illa S. S.* μεταβάλλεται *i. e., in aliam linguam transferuntur. Altera est, sensus eorundem in quaque tandem lingua explanatio; quae* „ἐξήγησις“ *explicatio adpellatur; illaque vulgo omnis sermo comprehenditur; quo fit, ut res minime intellecta percipiatur. Ad genus explicationis referuntur: Commentarii i. e. erudita et fusa sensus S. S. explicatio; Scholia sive succinctae annotationes, quae circa obscuriores dictiones e* Θεωγράφοις *illustrandas versantur; Paraphrasis quae est uberior continuae tamen orationis terminis alligata sensus S. S. elocutio; et reliqua eiusmodi. Qui apud alios scriptores nomine „interpretum“ venire solent, eos nobis lubentius „commentatores“ vocare placeret: ideo quod interpretis adpellatio rectius illis respondeat, qui sermonem ex una lingua in aliam transferunt. Celerum monente divo Augustino, de quantitate animae c. 36. n. 80.: „innumerabilibus modis eaedem res et adpellari et dividi possunt rectissime ac subtilissime; sed in tanta copia modorum utitur quisque, quo se congruenter uti existimat.“ I. 439.*

§. 65. Quae sit Versionum S. S. utilitas.

Ne temere vagetur oratio, in principio monendum declarandumve est: nos omnium minime Historias omnium Versionum, quas diversa aetate ab unaquaque natione procuratas habemus, enarraturos, deque iis sententiam laturos. Nam quis esset dicendi finis? „Lybici velit aequoris idem discere quam multae Zephyro turbentur arenae!" Sed illustres tantum, quae priscis retro saeculis auctoritatem sunt adeptae, interpretationes considerabimus; easque ipsas non copiose, quod hominis opus foret otio abundantis, sed strictim delibabimus. Vernaculas recentiores et recentissimas, item editiones polyglottas appendicis perbrevis ratione attingemus. Utilitatem vero e Versionum Historiis multiplicem capi posse existimamus: α. Criticam; cum ab artis criticae peritis dudum probatum sit, e translationibus saepe haud obscure colligi „si de fide exemplarium quaestio verteretur" — s. Augustinus, c. Faust. XI, 2. p. 219. —; quid interpres antiquus in suo vetusto codice legerit? Quam quidem utilitatem eo largius afferunt Versiones, quo sunt magis ad verbum factae. Sed β. etiam Hermeneuticam habent Versiones utilitatem. Juvant commentatores in explicationibus vocum, quas „ἅπαξ λεγόμενα" dicunt. Consuetudinem loquendi in N. T. graecam ex LXX. aliisque interpretibus graecis cognoscendam esse, notissimum habetur. Quid quod in Veterum translationibus traditionis cuiusdam exegeticae monimenta diligenter quaerentibus, haud exigua eiusdem stamina pateant; quae eo tutius adhibere possumus, quo remotioris sunt aetatis. Praeterea γ. ex Versionum Historiis illustratur Historia Ecclesiastica. Enimvero ubi recenter novi populi, in unam adunati sunt Ecclesiam, mox etiam in ipsorum linguas versiones S. S. L. L. U. F. adornatae sunt; ut adeo translationes istae totidem sint trophaea victoriarum, quas Lux Evangelii de tenebris ethnicae superstitionis retulit. Denique praeter momentum historicum iure meritoque adscribitur Versionibus δ. ethnographicum. Apud plurimas, imprimis barbaras, nationes a translationibus S. Bibliorum incipit nova aera educationis, civilitatis, atque culturae. Versiones haud raro prima iacuere semina Literaturae nationalis; cuius obiectum dignissimum erat Verbum Dei. Quam ob causam vehementer errant, qui Historias Versionum negligunt, vel obiter perstringunt.

§. 66. Versionum S. S. U. F. partitio et dotes.

Variis modis considerari possunt S. Bibliorum Versiones; vel ratione temporum, quibus fiebant, et sic antiquae et novae; vel ratione linguarum, in quas convertuntur illa, et sic sunt antiquae Graecae, Chaldaicae, Latinae e. s. p.; aliae vero vulgares praesertim ac vernaculae. Ratione Librorum, qui convertuntur; et sic vel sunt: generales Utriusque Foederis, vel particulares, Librorum aliquorum. Habito respectu fontis distinguuntur in versiones immediatas, quae ex ipso Textu originario parabantur; et in mediatas, quae ex alia Versione factae sunt. Relate ad usum duo Versionum genera attendi debent; unum quod publico usui destinatur, alterum quod privato. Haec seiungenda esse; et res ipsa loquitur, et praeceptorum utrique generi

observandorum diversitas evincit. Cum Versiones S. Bibliorum privatae, quod ad regulas translationis attinet, ab interpretationibus quibuscunque librorum e lingua minus nota in notiorem, non admodum differant; publicae summam ἀκρίβειαν sive accuratiam, in rebus potissimum fidei et morum praeseferant necessum est. Ratione plagarum seu regionum, mundi in quibus ortae sunt, ingens versionum multitudo in duas distinguitur classes: aliae sunt versiones Orientales aliae vero Occidentales. Orientales iterum duplicis sunt generis, nimirum antiquiores et recentiores; e quibus priores imprimis ad propagandam religionem Christi inter orientales populos sunt confectae. Eiusmodi sunto: Versiones Chaldaicae, Samaritanae, Syriacae, Arabicae, Aethiopicae, Copticae, Persicae, Armenae. Occidentales, si ipsae linguae, quibus diversis in partibus Europae et Africae Divina Eloquia exponuntur, inter sese conferuntur, ad plures denuo species reduci queunt. Nimirum ut in summa rem enunciemus: dispescuntur in Graecas, Latinas et idiomate cognato exaratas, Germanicas et Slavicas cum Bibliis in linguas sibi pariter cognatas expressas. Remanent vero nonnullae Versiones, quae singulis regionibus tantum propriae sunt. E. g. Hungaricae. Quemadmodum ad omnes peraeque gentes Divinorum Voluminum fructus pertinet atque utilitas; ita in omnes propemodum linguas certatim S. Biblia fuere conversa. Placuit Deo: ut vera Religio salutarisque rerum Divinarum cognitio, non intra unius regionis limites arceretur; sed ut appropinquante tempore Messiae, a gente Judaica, cui primum Eloquia Divina concredita erant Rom. 3, 2., ad alias transiret, et cognitio Dei Verbique Eius totum per orbem divulgaretur. Pauciores quidem exstiterant Versiones antequam generi humano salutem Christus comparasset, qui postquam coelos ascendit, et in omnem terram Apostolorum sonus exivit; Rom. 10, 18. ne barbarae quidem et toto penitus orbe divisae gentes reperiebantur, quin Patris illius, qui in coelis est, Utrumque Testamentum recens sibi traditum, in patriam linguam transferrent. Qua de re graviter scribit Theodoretus, graec. affect. curat. disp. V. t. 4. 2, 839. 40. „Nos autem vobis apostolicae propheticaeque doctrinae vim et robur manifeste ostendimus. Universa enim quae sub sole est terra his sermonibus referta est. Et Hebraica lingua, non in Graecorum modo linguam versa est; sed etiam in Romanorum, et Aegyptiorum Persarumque et Indorum, et Armeniorum et Scytharum ac Sauromatarum, atque ut semel dicam in linguas omnes, quibus ad hunc diem nationes utuntur.“ Sane Genti electae τε πρῶτον, primum et quidem iure promissionum Divinarum, a Servatore ipso Novi Foederis Religio annunciata est. Apostoli eius atque discipuli Scripturas divinitus inspiratas eidem genti consecrarunt; sed his spretis et reiectis ad gentes extra Theocratiam viventes, divina ita volente gratia, in communionem Regni Divini colligendas transiere. Natae exinde sunt variae in diversis regionibus Ecclesiae, et cum his Sacrarum Literarum in vernaculas linguas translationes; prouti propria erat cuique regioni dialectus, vel lingua, vel plane singularis vel cum alia lingua cognata. Nec enim post Theodoreti tempora Ecclesiam Catholicam acquievisse priscis interpretationibus, sed indefessum laborem adhibuisse, ut sua cuivis populo lingua S. S. — ipsis Hebraeis N. T. hebraice — traderentur; huius rei locupletes testes sunt Divinorum Voluminum translationes, quas singulae deinde sequentes aetates tulerunt.

Quod ad dotes attinet Versionum, illud observamus: bonas versiones claras et accuratas esse debere. Clarae ut sint, eiusmodi voces seligantur oportet, quae in eo sermonis genere, quo interpres utitur, facile intelligi possint; accuratae vero habentur, si membrum membro ita respondeat, ut nec plus nec minus sit in versione quam in archetypo legatur, deinde indoles quoque sermonis biblici servetur. Ex quo sequitur: non verborum modo, sed etiam dicendi generis diversitatem exprimendam esse. Quamquam qui idiotismi V. et N. T. retinendi, qui dimittendi, nemo unquam diserte docuerit; est enim res magnis nonnunquam obnoxia difficultatibus, exceptionique non uni patet locus. Quo fit, ut omnes fere versiones sua habeant vitia, quorum rursus variae assignari possunt causae. Prima imperfectarum versionum causa in archetyporum mendis sita est; quodsi enim exemplar unde transferendum est, in mendo cubet, necessarium omnino est, etiam id in versionem transire. Sed Textus varietas non sola est, quae translationem difficilem faciat. Sensum S. S. intelligere propter specialem linguae Biblicae indolem non est adeo pronum; faciles in ea re sunt lapsus. Linguae huius prae alio quolibet idiomate aequivoca ratio, interpretem in quolibet passu remoratur; et magna solertia atque circumspectione iter prosequi cogit. Omnem vero interpretationem commendat elegantia, non illa communis sed plane quaedam propria, qua eximia in selectum verborum cura adhibetur, qua porro selecta rectissime in ordinem rediguntur, omnis alienus fucus reiicitur; et ita attentio Lectorum conciliatur atque figitur. Ardua sane res est, Bibliorum S. translatio, multaque in bono interprete requiruntur: praecipue utramque linguam calleat, eruditione haud mediocri polleat, accedat ingenium cultum, iudicium subtile, ad classica exemplaria exactum.

§. 67. Pentateuchus Samaritanus.

Textum Samaritanum a colonis novis Samariae nomen traxisse, res est notissima [1]. Ante omnia in aetatem sive originem Textus, prout exstat in Libris Samaritanorum, inquirendum erit. Tres habentur apud criticos hac de re opiniones. Pentateuchum Samaritanum a Moysis manu exaratum, ipsumque adeo authenticum exemplar esse aliqui sumebant [2]. Natales longe recentiores assignant plerique Critici huius temporis [3]. Jam

[1]) Quae hic de Textu S. S. Samaritano sub quaestionem veniunt: ad aetatem, indolem, auctoritatem Pentateuchi Samaritani eiusque Versiones spectant; nam de Samaritanorum gente atque religione in H. R. D. V. T. iam p. LVI. LVII. et 363. 494. 585. mentionem fecimus. [2]) Et quidem primus hoc affirmavit J. Morinus, in ed. Vet. Test. sec. LXX. Lut. Par. 1628. I. de Textu gr. et hebr. praef. n. 42. V. Comm. p. 100. 137. Illius vestigia legit L. Capellus, Crit. S. III, 20. p. 576. Mazade, sur l'orig. de Pent. Sam. Genev. 1830. et alii. [3]) Cf. S. Kohn, de Pentateucho Samaritano eiusque cum versionibus antiquis nexu. Bresl. 1865. p. 5. Cum ab Assyriis translatus fuerit populus Cuthaeus, dicunt sacerdotem gentem Samaritanorum ad veri Dei cultum formantem, Libri

autem eximia veri specie commendatur eorum opinio, quae statim, postquam colonias migrabant Samaritani, eos etiam Pentateuchum accepisse statuit [1]. Argumenta huius opinionis alii alia promunt; nobis haec potissimum se probarunt. α. Sacerdos a rege Assyriorum missus, ut cum deportatis maneret illosque doceret modum legitimum colendi Terrae Deum, id praestare non potuit: absque Pentateucho, quo cultus ille describitur. β. Ipso Manassis apostatae sacrificuli tempore, acerrimum inter utramque gentem odium iam pridem exarserat; unde recte colligitur non eo demum aevo a recenti institutione, sed a diuturna maiorum consuetudine Samaritanos Pentateuchum suum tenuisse. Imo quandoquidem γ. Samaritani solos recipiunt Libros Moysis, debet constare ipsos Pentateuchum a Manasse non accepisse; quoniam ille ad Samaritanos consequenter non tantum quinque Volumina Moysis, sed Libros S. omnes ad illud usque tempus scriptos tradidisset. Sed quia a primo incolatus sui Palaestini aevo, Samaritae Legem tantum, opera sacerdotis ad eos missi, acceperunt; eam dumtaxat solam admittebant [2]. Accedit δ. quod Templi Solymaei exstruendi societatem a Judaeis haud petere potuissent, nisi tunc iam amplecterentur Pentateuchum [3].

§. 68. Indoles critica Textus Samaritani.

Altissimum fuit per mille et ultra annos de hoc Textu Samaritanorum apud Theologos silentium, licet antiquissimi S. P. et S. E. illius

---

Legis in Patria superstitis codicem rudi populo tradidisse. Denique originem adhuc humiliorem his nostris temporibus Pentateucho, de quo quaerimus, adscribere placuit. Manassem sc. sociosque cultus divini apud Samaritanos purioris conditores, volumen Legis Mosaicae secum attulisse et introduxisse. Ita post a. Dale, ep. ad St. Morinum, app. Diss. de o. ac. pr. Idol. Amst. 1696. p. 681. s. R. Simon, Hist. cr. I, 10. p. 59. s. statuit: Gesenius, de Pent. Sam. orig. ind. et auctorit. Hal. 1815. p. 9. s., eiusque pedisequi: Hupfeld, St. u. Kr. 1830. p. 280. s. Hengstenberg, Beitr. II, 39. s. Wette, Einl. p. 118. Keil, Einl. p. 588. Bleek, Einl. ed. II. p. 339. s. L. Herzfeld, Gesch. d. Volkes Israel II, 553. s. Kohn, l. s. c.

[1]) T. J. Schwarz, exercitationes h. cr. in utrumque Samaritanorum Pentateuchum. Vitemb. 1756. post J. Clericum, sentimens des quelques theologiens d'Hollande sur l'Hist. cr. du R. Simon. Amst. 1686. p. 129. Carpzovius, Critica S. II, 4. p. 603. s. J. L. Hug, Beitrag z. Gesch. des Sam. Pent. in Z. f. a. G. d. Erzb. Freib. 1834. VII, 35. s. Herbst, Einl. I, 102. E. Arnaud, le Pentateuque Mosaïque défendu. Par. 1865. app. II. [2]) E relationibus peregrinantium satis liquido patet: Samaritanos demtis Mosaicis, nullum librum hodie quoque pro divino agnoscere. Cf. Bargès, les Samaritains de Naplouse. Par. 1855. p. 47. s. 88. s. [3]) L. H. R. D. V. T. p. 494.

olim meminerint[1]. Verum ubi C. Oratorii presbyter Joannes Morinus[2] literarum Samaritanarum in Europa instaurator, primum typis exscribi curavit, cum versione latina[3]: de diuturno silentio in graves strepitus criticis inter se super eius aetate, indole et auctoritate altercantibus, eruptum est. J. Morinus cum animadvertisset, Pentateuchum Samaritanum non modo cum Versione τῶν LXX. contra Masorethas facere; sed etiam sensum fundere intellectu plerumque faciliorem; pronunciare non dubitavit: eum Codici recepto, Hebraeorum ignorantia et negligentia corrupto, non solum aequandum; sed infinitis modis praeferendum esse. Interim quae Morinus, aliique eius opinionem secuti[4], in laudem nimiam Codicis Samaritani protulerunt; coniecturarum limites minime egreditur. Non defuerunt interim alii ex orthodoxis theologis acatholicorum coetuum, qui metuentes, ne periclitaretur Canon S. S. Hebraeus, ipsis sola fidei regula; usum Pentateuchi Samaritani nullum, vel exiguum esse dixerunt, eiusque dignitati labefactandae impensam operam navarent[5]. Sed

---

[1]) Quorum testimonia suis in locis ad Hexapla Origenis annotavit Montefalconius. Pentateuchi Samaritani meminerunt praeter Eusebium imprimis Origenes, in Hexaplis ad Num. 13, 1. ed. Montf. p. 158. Num. 21, 13. p. 163. Num. 31, 21. p. 171. Cf. P. D. Huetii, Origenian. l. III. s. q. n. 4. ed. Lomm. XXIV, 183. s. Africanus, d. Hieronymus, quaest. hebr. in Gen. 4, 8. p. 312. comm. in ep. ad Gal. 3, 1. p. 431. S. Cyrillus Alex., in Genes. Glaphyr. l. I. de Cain et Abel. I. ed. Migne. II, 31. Theodoretus, quaest. XV. in Exod. I. 1, 133. aliique, quos etiam prolixa serie recenset J. Morinus, exercit. eccl. in u. S. P. III. 1, s. p. 219. s. [2]) Editione anni 1632. tomo V. Polyglottorum Parisiensium item Exercitationibus eccl. in utrumque Sam. Pent. ib. 1631. Opusculis hebraeo-samariticis ib. 1657.; denique in Antiquitatibus Ecclesiae Orientalis ib. 1682. [3]) E codice quem ab ipsismet Samaritis Damasci obtinuerat Petrus a Valle: deinde vero Achilles Harlaeus Sancius, tunc apud Turcarum Imperatorem Galliarum legatus, post haec episcopus Macloviensis, Congregationis Oratorii et ipse Presbyter. [4]) E. g. J. Vossius, de LXX. interpr. c. 29. c. 90. s. Capellus. Crit. S. p. 480. s. Houbigantius, Prolegom. Alexius a S. Aquilino Carmel. Pentateuchi Hebraeo-Samaritani praestantia in ill. et emend. textu Masorethico. Heidelb. 1783. J. M. Lobstein, Codex Samaritanus Parisinus S. Genovevae. Franc. 1781. De Rossi, Prolegom. I, 28. s. L. Bertholdt, h. kr. Einl. in d. Sch. d. a. u. n. T. Erl. 1813. II, 474. [5]) Impugnarunt P. S. Simeon de Muis, assertio veritatis Hebr. adv. ex. eccl. in u. S. P. J. Morini. Par. 1631. I. ib. 1634. II. J. H. Hottinger, exercitat. Antimorinanae de Pent. Sam. eiusque udentica αὐθεντίᾳ. Tig. 1644. p. 306. s., et in Thes. phil. I. 2, 4. p. 147. s. Stephanus Morinus, exercitat. de lingua primaeva eiusq. append. Trai. 1694. p. 199. N. Fullerus, Miscellan. IV, 4. p. 431. ed. II. Arg. 1650. app. p. 782. Pfeiffer, Critica S. p. 242. Rau, obs. ad C. Houbigant, prol. p. 19. Carpzovius, l. c. p. 608. s. Keil, Einl. p. 590. A. Geiger, Urschrift u. Übersetz. d. Bibel. Bresl. 1851. p. 99. s. 234. s.

horum plerique praeiudiciis occupati sententiam ‚de puritate Textus Originarii V. T.' propugnarunt: Samaritanorum Pentateuchum labes plurimas contraxisse; hinc in parem cum Textu Judaeorum hebraico gradum dignitatis non assurgere, et vix in secundis tertiisque consistere [1]. Accuratam fidelemque in conservando suo Legis codice Samaritanos diligentiam adhibuisse; prae ceteris inde a viris dignitatem Textui Samaritanorum asserentibus, conficitur: quod [2] testimonia Veterum probent, conformem esse textum Samaritanorum illi, qualis exstitit ante mille et amplius annos. Plura occurrunt, ubi Pentateuchus Hebraeo-Samaritanus Masorethico clarior esse deprehenditur; in Masorethico quoque textu occurrunt diversae lectiones, quae meliores sunt Samaritanis. Ambo ergo hac in parte pares, concludunt, reperiuntur. At si res penitius examinetur, nulla argumenta suppetunt, quae Pentateucho Samaritano praecellentiam supra Masorethicum conciliant. Quandoquidem lectionem eius saepe concinniorem et planiorem, neutiquam propterea praeferendam esse, satis constet. Ex examine enim utriusque Codicis variarum lectionum abunde liquet, Samaritanos descriptores liberiores fuisse, et plus aequo sibi indulsisse; imo Samaritanos aperte loca quaedam licentius emendasse, alia addidisse et supplevisse. Hinc igitur dici non potest, eorum exemplar Masorethico Codice magis fidum esse atque probatum. Nedum vero affirmari quit, Hebraicum Textum, ubi Samaritano concisior existit, erroris et corruptionis accusandum esse. Cum potius commodum argumentum inde eliciatur: maioris eius cum autographis scriptorum conformitatis; praesertim ubi perfectus est sensus. Quod tamen nihil vetat, quominus et ille quandoque iuxta Samaritanam lectionem castigandus sit; quippe unius eiusdemque Libri apographa ambo sunt; quae cum suas perfectiones, sua vitia habeant, mutuam sibi opem ferre possunt, imo debent [3].

---

[1]) Jactantiam vero, quam laudatores Pentateuchi Samaritani venantur, non esse ferendam dixerunt. Apographum enim esse ex Hebraico exemplari depromtum, textum reddens in peregrinum transfusum characterem, solumque esse textum Hebraicum, ex quo, ut interpretationes omnes, Samaritanus Codex eiusque versio emendanda castigandaque venit. Universam contentionum seriem enarrant J. C. Wolf, Bibl. hebr. II, 427. G. Gesenius, de Pentateuchi Samaritani origine indole et auctoritate comm. ph. cr. Hal. 1815. p. 22. s. [2]) Ut S. de Muis quoque acerrimus Morini impugnator, l. c. fatetur. [3]) In hunc fere modum sobrie iudicavit R. Simon, l. c. c. 11. et 12. p. 63. s. R. Simoni assentiuntur B. Waltonus, Prolegom. XI. de Samaritanis n. 15. s. ed. Fr. Wrangham. Cantabr. 1828. II, 333. s. J. Clericus, Comm. in Pentat. ed. Tub. 1733. vol. II. index II. p. 24. J. G. Eichhorn, Einl. ins A. T. ed. II. Reutl. 1790. II, 149. s. G. L. Bauer, Critica S. I. tr. III, 94. p. 331. s. A. Hayd, Auctoritas Textus hebraei asserta.

Ceterum omnis Samaritani Textus varietas ad octo capita referri poterit. Quae sunt: emendationes ad leges vulgaris grammaticae exactae; glossae in Textum receptae; emendationes coniecturales: lectiones e locis parallelis correctae vel suppletae; additamenta maiora ex iisdem interpolata; castigationes locorum difficultate quadam in rebus praesertim historiarum laborantium; formae ad dialectum Samaritanam attemperatae; loca denique ad theologiam et hermeneuticam Samaritanorum domesticam conformata. Ad ultimum denique i. e. octavum genus mutationum pertinet: quod quidquid vel anthropomorphismum, vel anthropopathiam sapit in Codice Sacro, Samaritis Deo eiusque attributis non videbatur convenire; ideoque illa loca vel removere, vel lenire studuerunt translatores [1]. Superesse tamen quasdam lectiones quamquam perpaucas, quae tanquam genuinae unius primaevi Textus Originarii habendae sint; concedunt omnes, quotquot de indole Textus Masorethici circumspecte iudicium tulere. Largimur equidem lubenter, ut rem in pauca verba contrahamus: illud quod hodie exstat Pentateuchi Samaritani exemplar, Hebraico Codice, quo nunc utimur, minus esse emendatum, nonnullis in locis interpolatum et depravatum. Sed etiam confitemur Samaritanam versionem illius textus venerandae antiquitatis nomine suam eamque insignem, non secus ac priscas S. Bibliorum translationes, habere utilitatem. Quod patet e sequentibus eiusdem momentis. Praeterea quod α. Textui Samaritanorum, praesertim si succurrant veteres versiones in eandem lectionem conspirantes, ponderatis ponderandis grave in iudicanda integritate vel mendositate S. Codicis Hebraei adscribamus testimonium; certo momenti plurimum addit β. idem authentiae quinque Librorum Mosaicorum, quos signo evidenti confirmat, tempore intermedio non esse a recentioribus compilatoribus suppositos Judaeisque obtrusos. γ. In permultis Pentateuchi locis οἱ τῶν ὁ interpretionem; sed et Veteres Versiones alias [2] ad Samaritanum magis quam Hebraicum exemplar accedere, pridem observatum est [3].

Frib. 1790. A. Gins, diss. utrum Judaei hebraicum textum voluntatis malitia corruperint? Erford. 1792. Cumprimis autem G. Gesenius, qui diss. s. l. cura summa nec minore labore p. 24. s. Samaritanum cum Hebraeo Textu contulit, discrepantias annotavit, et quaenam unde ortae sint de industria quaesivit. Gesenium κατὰ πόδα sequuntur recentiores passim omnes. V. Reinke, l. c. p. 43. s.

[1]) Cf. Gesenium, l. c. p. 58. [2]) E. g. Chaldaicam, Syriacam et Latinam V. Kohn, l. c. p. 59. s. [3]) A. Guil. Postello; Ludovico de Dieu; Seldeno; Edm. Castello, animadvers. Samariticae in tot. Pent. app. ad Polyglotta Lond. t. VI. n. IV. p. 1—34. Hottingero, Thes. phil. I, 3. q. 4. p. 295. Hassencampo, diss. de Pent. LXX. i. non ex Hebraeo sed Samaritano t. converso Marb. 1765. J. D. Michaelis, Anmerk. ü. d. s. T. A. B. XI, 177. s. XXII, 185. s.

Unde rursus hoc sequitur interpretationem Alexandrinam et recensionem Samaritanam, e codice fluxisse valde antiquo hebraeo sibi simili; qui in regno Israel invaluit[1]. Cum igitur Textus iste a populo, qui ab Hebraeis usque nunc toto animo abhorret, servatus fuerit, etsi in naevis hic illic cubet: recte ad illa instrumenta critica refertur, quibus κριτήριον de Textus Originarii V. T. qualitate sobrie aestimanda instituimus[2].

§. 69. Versiones Codicis Samaritanorum.

Quo melius promiscue Textus Samaritanorum intelligeretur, in eam, qua vulgo utebantur lingua, samaritanam, deinde in arabicam et graecam transtulerunt. Et sic orta est interpretatio triplex huius Pentateuchi: Chaldaeo-Samaritana, Arabica et Graeca. Antiquissima earum haud dubie habetur versio descripta in dialectum Samaritanam, quae Samaritanis olim propria fuit et vernacula[3]. Lingua Samaritanis priva, sive vocum spectentur significationes, sive constructionum ratio, medium quoddam genus hebraicum inter et aramaicum sermonem constituit[4]. Postquam Hebraicum idioma inter Samaritanos paulatim deficere cepit, dialecto ipsis priva Textus Hebraicus interpretatus fuit, quo vero auctore et aetate? non constat; etsi paucis post Christum Natum saeculis conscripta esse haec versio, non sine fundamento sumatur. E necessitudine enim, quae inter Onkelosum et interpretem Samaritanum intercedit, origo translationis samaritanae primis a Natalibus Domini saeculis, cum aliqua veri specie infertur[5]. Samaritanus interpres exprimit contextum

---

N. O. B. III, 192. V, 216. s. Loca plus quam mille a viris eruditis annotata habentur; in quibus LXX. et Samaritanus contra Textum Masorethicum facit.

[1]) Cf. Gesenium, l. c. p. 14. s. [2]) Ter typis exscriptum comperimus, primum quidem a J. Morino; iterum, sed collatis tribus cod. Usserii, a B. Waltono in Polygl. Lond. I. characteribus Samaritanis i. e. hebraeis antiquis — de q. v. J. Pezholdti, comm. Hebraeo-palaeographicam. Lips. 1837. p. 7. s. imag. n. in app. —; demum literis quadratis cura et studio B. Blayney Oxon. 1790. [3]) Hodie enim, ut ceteri Palaestinenses, dialecto arabica vulgariter utuntur. V. Bargès, les Samaritains p. 71. s. [4]) Cfr. Walton, prol. c. n. 20. s. 2. p. 351. Leusden, diss. d. lingua Sam. ad c. sch. Syr. Ultrai. 1672. Cellarius, horae Samaritanae. Cizae 1682. p. 109. s. O. Celsius, Natales ling. et lit. Sam. Ups. 1717. O. Boberg, de lingua et lit. Sam. ib. 1733. Bartolocci, Biblioth. Rabbinica de script. et s. hebr. Rom. 1693. IV, 171. s. G. B. Winer, de Versionis Pentateuchi Samaritanae indole. Lips. 1817. p. 7. G. Gesenius, Carmina Samaritana e cod. Lond. et Goth. Lips. 1824. p. 8. s. et p. 12. s., ubi index omnium Librorum Sam. qui partim editi, partim inediti exstant texitur. H. Petermann, in Herzogs, R. E. XIII, 374. [5]) Cf. J. G. Eichhorn, Einl. I, 555. J. G. Ch. Adler, kurze Uebers.

Hebraeo-Samaritanum; quocum omnibus in locis, quae propriam istam recensionem efficiunt, conspirat, raro admodum hebraici sive u. v. masorethici textus sequitur auctoritatem; a nobili illo codice Samaritano undecimi saeculi, unde textum receptum fluxisse constat, in paucissimis discedit. Tamen ne interpretis arbitrio adscribamus, quod codicis ab eo adhibiti indole nititur, aliquando enim a Samaritano aeque ac a textu Hebraico diversas habet lectiones; interdum cum paraphrasi Chaldaica convenit, claro indicio, auctorem ea iam usum fuisse. Unde patet fluxisse interpretationem hanc e codice hodiernis simillimo, ab iis tamen in aliquibus diverso [1]. Si cum veteribus interpretibus graecis, chaldaeo et syro conferatur, in sensu S. S. bene scienterque reddendo inferior deprehenditur; sed in orationis colore et antiquitatis facie repraesentanda, non minorem sibi comparavit laudem. Quae ob indolem linguae et sermonis orientalis difficultatis aliquid habent, ita a Samaritano translata sunt; ut etiamsi interdum peccarit, in universum tamen reliquis Pentateuchi interpretibus, non multum cedat. Quae divinae maiestati derogare posse putabat, interpres corrigere, rectius corrumpere satagebat; voces de rebus obscoenis aliis permutare, membra quae disiecta censebat in ordinem redigere studuit. Pervenit ad nos etiam quaedam versio, altera Samaritano-arabica studio cuiusdam Abu-Saidae [2] facta e textu Hebraeo-Samaritano, adhibitis in subsidium Versionibus Saadiae et interpretis Samaritani [3]. Tertia denique a criticis passim addi solet Graeca, e Patrum

eine bibl. krit. Reise nach Rom. Altona. 1783. p. 138. s. Specimen e Cod. B. Barberinae ap. Blanchinium Ev. Quadr. II, DCIV. tab. __. Unus Winer quidem l. c. similitudinem omnem e traditione antiqua hermeneutica, de qua J. G. Rosenmüller, in pec. diss. Lips. 1786. exposuerat, atque ex interpolatione derivat; addit tamen p. 67. se etiam contrariae sententiae, non pertinaciter repugnaturum.

[1]) Edita est cum Pentateucho Hebraeo-Samaritano, studio et opera Joannis Morini, Tom. V. Bibliorum Polyglottorum Parisiensium e Codice P. Vallaei: Peirescii enim senatoris Aquensis, samaritanus Liber Damasci emtus 1631. — e testamento Card. Fr. Barberinio legatus — absoluta demum typorum descriptione Parisios perlatus est. Addita est ab editore latina eius versio. Utramque correctis nisi manifestis typographicis erroribus, in Londinensia recepit Walton. [2]) Saec. XI. vel XII. florentis. V. Gesenium, l. c. p. 20. [3]) Quamquam septem eiusdem codices mssi. in Bibliothecis Europae asserventur; tamen partes tantum evulgatae habentur. Praefationis Abusaidae e cod. Par. n. 4. version. Abb. du Four de Longueruë legitur: in Le Long, Bibl. Sacra in binos syll. diss. ed. III. Par. 1723. I, 117. Arabice est in Schultensii, op. p. 236. s. Specimina ediderunt de Sacy, Mémoires del' academie des inscriptions 49, 1. s. A. Chr. Hwrid, spec. inedit. vers. Arab. Sam. Pent. e cod. Baberin. Rom. 1780. Eundem celeberrimum Codicem samaritanum triaplum Samaritani textus, Samaritanae Versionis, item Samaritano-Arabicae, Bibliothecae Barberinae descripsit doctissimus de Rossi,

Graecorum scriptis conquisita; de qua tamen an unquam exstiterit? iuste ambigitur [1]. Ceterum etiam Samaritano-Arabicae versionis, in re critica ne minima quidem conceditur auctoritas [2].

§. 70. Origo Paraphrasium Chaldaicarum.

Pentateucho Samaritano eiusque Versionibus commode iunguntur Versiones Chaldaicae ‚Targumim' תַּרְגּוּמִים dictae. Ut exponamus quid nominis sit תַּרְגּוּם? existimamus illud derivari [3] a radice quadr. תִּרְגֵּם, transtulit ex una lingua in aliam; unde תּוּרְגְּמָן, interpres [4], dicitur. Significatio proinde h. v. est generalis [5], sed κατ' ἐξοχὴν, et in specie usu obtinuit: translationem in linguam chaldaicam adpellare תַּרְגּוּם, quin et ipsa lingua chaldaica ob celebrem istam translationem ab Hebraeis לשון תרגום vocatur. Misso interim paraphraseos chaldaicae nomine, eius originem enarremus. Quod ad originem et antiquitatem Targumim attinet; non exigua reperiuntur apud scriptores iudaicos divortia. Quidam ad prophetas post exilium viventes; alii ad tempora versionem τῶν LXX. antecedentia; alii ad Christi aetatem; alii demum ad aevum post vastationem Templi secundi natales earum referunt [6]. Quidquid eius rei sit, ne longius hinc evagemur; vera origo Targumim ex Historiis Hebraeorum haud difficulter eruitur. Postquam e captivitate Babylonica reduces fuerunt Judaei, qui per id tempus linguae suae obliti, Chaldaeorum linguam didicerant; tum necessarius fuit apud eos interpretationum usus [7]. Librum quidem Legis in originaria lingua ab Esdra lectum esse narratur [8]: ‚cunctis qui poterant intelligere.' Iis ergo, qui hebraice nesciebant, vernacula versione opus erat. Hinc cepta est consuetudo, ut post lectionem Textus Hebraici sequeretur Chaldaica eius interpretatio; quae rudi populo, cui sermo familiaris redditus erat chaldaicus, in vernacula redderet illa, quae ex fonte hebraeo praelegebantur. Neque ulli dubitamus:

Spec. var. lect. s. t. et chald. Esth. add. ed. II. Tub. 1783. p. 150—196. Codicem mss. v. sam. Bibl. Lugd. Batav. descripsit partemque inde excerptam Exod. 3. 4. Lev. 11. Num. 21. Deut. 28. vulgavit Guil. van Vloten. Lugd. B. 1803. IV.

1) Cf. Herbst, Einl. I, 191. s. 2) Cf. Paulus, comm. crit. exhibens e Bibl. Oxon. Bodl. spec. vers. Pent. sept. inedit. Jen. 1789. p. 8. s. 3) Cum G. Gesenio, Thes. p. 1264. 4) Cf. تَرْجَمَ ar. quod quidem nomen etiam in alias linguas turcicam, hispanam, gallicam, italicam, anglicam transiit. 5) Coll. Esdr. 4, 7. T. O. 6) Quorum sententias habes in M. A. Pfeiffer, diss. phil. de Targumim. Wittenb. 1683. c. 2. p. 1. Bartolocii, Bibl. Rabb. Rom. 1675. 1, 405. s. Herzfeld, l. c. p. 58. s. 551. s. Geiger, Urschr. u. Übers. p. 162. s. 7) Cf. II. Esdr. 13, 23. 8) II. Esdr. 8, 3. s.

ipsum Divinissimum Salvatorem lectionem S. S. exponendae sive pro more, sive propter quosdam linguam hebraicam intelligentes, e Textu Originario instituisse; interpretationem tamen eundem adiecisse lingua aramaica, quam omnis populus calluit. Orales vero istae interpretationes, posteriori tempore literis commissae sunt [1]. Quando? certo quidem nemo unquam determinabit, ob defectum monimentorum; interim post versionem LXX. illas demum natas esse, inde coniici potest, quia variis ex locis interpretes Chaldaeos illam versionem Graecam respexisse, quin et in subsidium vocasse, abunde apparet [2].

§. 71. Recensentur Targumim.

Celeberrimum est I. Targum ‚Onkelosi' in Pentateuchum. Quisnam fuerit Onkelos [3] quave aetate vixerit? ab antiquis inde temporibus vehementer disceptatum est [4]. Controversia longe gravissima in eo cernitur, quod alibi Judaei Onkelosum ante Templi interitum, alibi post illum ponant. Ceteris opinionibus praeferenda est sententia, quae [5] Gemarae Babylonicae testimonio suffulta: Onkelosum Gamalielis [6] discipulum fuisse existimat. Gamalielem senem, Hillelis nepotem, non ita longe ante vastatum Templum obiisse constat [7]. Onkelos proinde nascenti Ecclesiae Christianae σύγχρονος fuit. Nullis licet, omni dubio maioribus, testimoniis probari

[1]) Cf. Vitringa, de synagog. vet. p. 689. s. 1015. s. Zunz, die gottesdienstl. Vortr. der Juden hist. entwickelt. Berl. 1832. p. 8. s. [2]) Targum, ut alia Hebraeorum volumina, primitus sine punctis vocalibus scriptum fuit; progressu temporis puncta vocalia addita sunt, sed valde ἀνομάλως. Antequam ad singulorum Targum auctores descendamus, commode hac occasione monere possumus, non ad amussim S. S. Chaldaicas translationes a criticis „paraphrases" adpellari, cum paraphraseos non sit — ut passim faciunt Chaldaici interpretes. Cf. Winer, de Onkeloso eiusque paraphrasi chaldaica. Lips. 1820. p. 35. s. – orationem leviter mutatis vocabulis illustrare; sed sensum scriptoris continua uberiore attamen elocutione exponere, ita quidem ut orationis terminis adstricta maneat. V. p. 143. Ab hoc et eiusmodi studio abstinent translatores chaldaei. Ceterum ratione sinceritatis puritatisque linguae distingui possunt, aliqui ad Chaldaismum Biblicum proxime accedunt, alii Syriasmis, quidam μιξοβαρβαρία squallent. Octo autem diversorum auctorum in diversas S. Scripturae partes, chaldaicae hodie numerantur versiones. [3]) אונקלוס. [4]) Cf. de Onkeloso Chaldaico, quem ferunt P. Paraphraste et quid ei rationis intercedat cum Akila Graeco V. T. interprete. R. Anger Lips. 1846. p. 5. s. Winer, l. c. p. 7. s. [5]) Aboda sara. fol. 11. ed. Vindob. t. 8. [6]) De quo summa cum probabilitate agitur Act. 5, 34. 22, 3. V. H. N. T. p. 328. [7]) Cf. Bartoloccium, l. c. p. 727. s. C. H. Grannii, Historiam Gamalielis senis. Witt. 1687. p. 5. s. J. F. Buddeum, Introd. ad Histor. Phil. Hebr. Hal. 1702. p. 92. J. Chr. Wolfium, Bibl. Hebr. Hamb. 1721. II, 822.

possit haec vetusta satis traditio Judaica; tamen indole interna ipsius versionis confirmatur. Oratio certe Onkelosi chaldaica, quae Chaldaismo biblico simillima est, magis quam aliorum interpretum chaldaicorum sermo, ad Danielis et Esrae puritatem accedit [1]. Laudant in eo communi consensu, quod Textum originarium κατὰ πόδα u. d., sequatur; et veritati hebraicae fere ad verbum respondeat. Onkelosi quoque interpretandi ars ad hanc magis de eius aetate, quam aliam sententiam stabiliendam, facere videtur. Classica q. v. loca Pentateuchi [2] sensu christiano reddidit. Ab omnibus tamen naevis minime immunis reperitur. Ut enim lectoribus suis Onkelos succurreret, additis mutatisve vocabulis illustrat, quae minus perspicue dicta esse putavit; et emendat, quae summi Nominis honori et auctoritati aliquid detrahere viderentur [3]. In locis quae e genere poëtico sunt; partim a ῥητῷ discedit, partim solito prolixior fit [4]; repente mutat personam atque ieiunis et fusis admodum operam dat declamationibus [5]. Haud temere autem suspicantur viri docti [6]: translationem Onkelosi hinc inde, si quae inveniuntur, fabulis [7], ex aliis versionibus chaldaicis auctam esse. In universum eam Onkelosus rerum hebraicarum scientiam interpretandique usum ac facultatem probavit; ut optimis Librorum S. interpretibus accenseri debeat [8]. Legitur eius Targum in Bibliis Rabbinicis [9], et Polyglottis; praeterea saepe saepius cum Pentateucho hebraeo, vel cum Textu hebraeo Pentateuchi et commentariis Rabbinicis [10]. Praeter Onkelosi exstat hodie etiam aliud quoddam Targum supposititii Jonathanis filii Uzielidis. Causa cur modo omnes sibi persuadeant Jonathanem, cui Targum in Prophetas natales debet, neque esse neque esse posse consarcinatorem huius libri, merito sumitur ob diversam ipsius et versionis in Prophetas loquelam [11]. A Targumos.

---

1) Cf. L. Hirzel, de Chaldaismi Biblici origine et auctoritate cr. comm. Lips. 1830. p. 5. s. 2) E. g. Gen. 49, 10. Num. 24, 17. 3) Omnes, quibus indulget immutationes, ita comparatae sunt; ut ad singula plerumque vocabula, non ad integras sententias pertineant. 4) De indole Critica l. s. D. Luzatto, אוהב גר, Philoxenus sive de Onkelosi chald. Pent. vers. diss. herm. cr. Vindob. 1830. 5) Enimvero cum Carmina Sacra passim laudes et spes populi Israëlitici canant; non poterant non pro eo, qui omni tempore fuit in hac gente rerum suarum flagrantissimo amore, altiores quosdam spiritus iniicere; et ad exornanda ea, quae a S. Prophetis exposita erant impelli. 6) E. g. Winer, l. c. p. 24. 7) Quibus olim vehementer delectabantur Judaei. 8) Ob hoc etiam aliis translatoribus a Judaeis praefertur, quia sua se diligentia eruditum Judaeum prodit. 9) De quibus v. p. 98. 10) Editiones vide apud Long — Masch, II, 1. p. 34. 11) Dicendi genus veri Jonathanis ad dictionem Danielis et Onkelosi proxime accedit; Pseudoionathanis impurum multisque exoticis vocibus refertum est. Commemorantur a supposititio isto interprete quaedam, quae Jonathan scribere non potuit.

d. Pseudo-Jonathanis differt Anonymi Targum, quod incertum, an a dialecto, an a loco originis ירושלמי, Hierosolymitanum adpellatur. Cum priore eiusdem est indolis, varia e variis [1] libris absque iudicio comprehendit collectanea. Abundat anilibus fabulis, meritoque arguitur recentissimae originis [2].

Onkeloso proximum est II. Targum Jonathan Uzielidis in Prophetas tam priores quam posteriores, incertae aetatis [3]; valde tamen verisimile aera christiana haud paucis annis posterius esse [4]. Quidquid huius aetatis erit, id certum est: Jonathanem castam illam ceteroquin et fidam Onkelosi, cuius utinam religionem imitatus fuisset, interpretationem haud aequare. Laxe vagatur in posterioribus cumprimis Prophetis reddendis, abestque a priori illa pura babylonica lingua. Non igitur eiusdem cum

---

E. g. nomina urbis Constantinopolitanae Num. 24, 19. et regionis Lombardicae Num. 24, 24. Fabulae manifesto e Talmude positae clare docent compilatum opus recentis aetatis, saltem saeculo sexto haud antiquius. Quid quod ante Petrum Galatinum, vel Paulum Burgensem, nulli interpretatio ista innotuerit?

[1]) Imprimis ex Onkeloso. [2]) Targum Hierosolymitanum in Pentateuchum exhibet codex mss. Vindobonensis S. XIV., quem descripsit A. Krafft, Cat. Cod. mss. Bibl. Palat. Vindobon. P. II. Cod. Hebraici. Wien 1847. p. 28. s. Cf. de his: Winer, de Jonathanis in Pent. Paraphr. chald. spec. Erl. 1823. J. H. Petermann, de indole Paraphr. quae Jonathanis dicitur. Berol. 1839. Levi, ü. Onkelos u. s. Übers. d. Pent., in d. wiss. Zeitschr. f. jüd. Theol. Grünberg. 1844. Frankel, ü. d. Zeit d. früh. Übers. d. A. T., in d. Verh. d. e. Vers. d. u. a. Orientalisten. Leipz. 1845. Idem, einiges z. d. Targumin, in Zeitschr. f. d. relig. Interess. d. Judenth. 1846. p. 110. s. A. Geiger, Urschr. u. Übers. d. Bibel Bresl. 1857. p. 110. s. 451. s. H. Seligsohn, üb. d. Geist der Übers. d. Jonathan b. Usiel z. Pent., in Frankel, Monatschr. f. Gesch. d. Jud. Dresd. 1857. p. 110. s. Id. de duabus Hier. Pent. paraphr. Vratisl. 1858. [3]) De eo Judaei tradunt cum multa hyperbole in Bababatra c. VIII. f. 134. 11. ipsum e numero discipulorum Hillelis fuisse; adeoque iam ante Christum natum claruisse. Quam tamen opinionem aegre conciliare poterunt: a. cum silentio primorum saeculorum S. P. et S. E. Idem sequitur b. e lingua qua utitur minus pura quam Onkelos; c. e variis fabulis ex suo marte adiectis, queis opus suum foedavit. Accedit quod d. testimonia de Messia haud raro pervertat. E. g. Isai. 9, 6. 23, 5. 52, 13. Clarissimum vero documentum e. capitur ex Isai. 53. et 63, 1—5.; ubi hinc piis tribuit, quae de Messia dicuntur; hinc in Judaeorum hostes retorquet, quae de hostibus spiritualibus, quos Messias debellavit, sunt intelligenda. Quae omnia commonstrant Jonathanem id agere voluisse: ut opiniones iudaicas tempore quo iam disputationes, super loca quae Messiam respiciunt, inter Judaeos et Christianos fervebant, contra veritatem christianam firmet. Editiones Jonathan communes habet cum Onkeloso, quocum eiusdem est apud Judaeos auctoritatis. [4]) Neque enim novum est Talmudicis compilatoribus, ut libro cuidam maiorem conciliarent auctoritatem, specioso antiquissimi scriptoris titulo vestitum exponere. Cf. J. Morini, exerc. bibl. II. 8, 2. p. 321. s.

Onkeloso est utilitatis, sed usu critico non caret. Etsi vero Targum Jonathanis labem traxerit, multiplex tamen est eius utilitas; nam ex ipso eruimus vocum aliquarum difficilium significationes. Obscuriora Textus Originarii cum illustrat capita, persaepe aperit antiquas Hebraeorum opiniones et consuetudines; qui ad angustias redacti, loca de Messia sonantia, suis perversis explicationibus Christianis eripere volebant. Reliqua Targumim certare invicem de absurditate videntur; omnium vero maxime ridiculi sunt Psalmorum et Proverbiorum expositores [1].

§. 72. Historia ‚οἱ Ἑβδομήκοντα' apud Aristeam fabulam sapit.

Antiquissima S. Bibliorum Veteris Testamenti versio Graeca nomen traxit a praetensis septuaginta et duobus interpretibus; sed compendii causa, assumto numero rotundo, passim Versio septuaginta interpretum, κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα; item LXX. viralis et τῶν LXX. [2] dicitur. Veterrima sane, quae de Versione Graeca S. Literarum studiosos instruit narratio, scripta est illa: quae sub Aristeae, homine ut ferunt Ptolemaeo Philadelpho aequali et inter eius amicos cooptato, nomine venit; quem commentarios de Judaeis i. e. s. historia edidisse constat [3]. Habetur eius ad Philocraten [4] epistola, quae integra ad nostram transmissa est aetatem [5]. Summa eius huc fere redit: Demetrius Phalereus, Bibliothecae

---

[1]) Horum interpretationem e versione Syriaca factam demonstravit Dathe, in opusc. p. 107. s. In Hagiographa pleraque tribuitur Targum aliquod Josepho lusco, quem Onkeloso et Jonathane longe sequiorem habent et ineptissimum translatorem. Exstat etiam satis prolixum Targum in quinque Megilloth, imo tria in Librum Estherae, diversorum auctorum. Sed vix ullam praestant utilitatem praeter historicam, cum sententias aut exegeses Synagogae et traditiones communi Judaeorum applausu exceptas narrant. Eiusdem ut praecedentia indolis est Targum in Libros Chronicorum. Primum e msso. Erfordiensi, editum a M. F. Beckio, Aug. Vind. 1680. et 1683. 2. vol. accur. a D. Wilkins, Amstel. 1715. Diu post tempora Onkelosi et Jonathanis illud concinnatum prodit I. 5, 10. nominatio הַגְרָאֵי; coll. Targ. Ps. 83, 7. ubi וְהַגְרִים legitur. Frequenter etiam graecas voces adhibet. Alias editiones v. ap. Winer, Handb. der theol. Lit. Leipz. 1838. I, 53. [2]) Subintelligitur virorum vel interpretum dicitur. [3]) Ex Eusebii, Praepar. evang. l. IX. c. 25. ed. Heinichen II, 32.; sed ista paucissimis fragmentis apud Eusebium VIII, 2. I, 363. s. servatis demtis, periere. [4]) Apud Josephum, Antiq. XII, 2. I, 585. reperitur; nec Philoni prorsus ignota fuit. Cf. de vita Moysis l. II. 6, 7. p. 660. [5]) Saepissime excusa legitur. Cf. Fabricii, Bibl. Gr. III, 661. Integram, subnexa interpretatione latina, l. de Bibliorum textibus orig. praemisit H. Hodius, s. c. p. 1. s.

silium subfuisse, ut Judaeos post mortem Antigoni denuo sibi subiectos secundum ipsorum leges regere, atque ita eorum animos Ptolemaeus sibi conciliare posset. Quos ut sibi obstringeret rex, interpretationem e Codice authentico Hierosolymis petito, per aliquot e legatis linguae graecae cognitione imbutos conficiendam imperasse; et in bibliotheca honorifice reposuisse. Atque ea quidem omnia ad finem Olympiadis 119.; tercentis circiter ante aeram nostram Christianam annis accidisse [1]. Favet huic sententiae α. testimonium Aristobuli Judaei [2]; confirmaturque β. auctoritate cuiusdam scholii latini [3], quod e vetustis et genuinis Callimachi atque Eratosthenis, Bibliothecae Alexandrinae praefectorum, scriptis haustum creditur. Interim consilio politico ex parte regis, iungere oportebit ecclesiasticum simul ex parte Judaeorum. Insignis enim multitudo ista aetate in Aegypto agebat, quibus cum avita lingua patria sensim paulatimque obsolesceret, et in desuetudinem abiret, graeco tantum idiomate in quotidiano sermone usis, et usus lyturgicus versionem flagitasset; viri pii et prudentes prospectum iverunt, Legemque Mosaicam [4], in graecum omnibus

[1]) Cf. H. R. D. V. T. p. 538. Z. Frankel, über den Einfluss der palästinensischen Exegese auf die alexandrinische Hermeneutik. Leipz. 1851. p. 230. s. [2]) Apud Clementem Alex., Stromat. I, 22. p. 409. s. Hodius, contra Hist. LXX. interpr. I, 9. p. 45. quidem, eiusque pedisequus Dale, super Aristea c. 28. p. 212. s. imperterrite affirmant; nullum unquam exstitisse Aristobulum Judaeum praeceptorem Ptolemaei regis, et testimonium supradictum fictitium esse. Ceterum eruditissimus Valkenaer, diatribe de Aristobulo Judaeo, ed. J. Luzac. Lugd. Bat. 1806. p. 22. s. rep. in ed. Eusebii Praep. Evang. Gaisford Oxon. 1843. IV, 390. s. J. Ammersfoordt, diss. de variis lectionibus Holmes. q. l. Pent. ib. 1815. p. 14. s. A. F. Dähne, gesch. Darstell. der jüd. alex. Religionsphilosophie. Halle 1834. II, 73. s. Z. Frankel, Vorstudien zu der Septuaginta. Leipz. 1841. p. 13. s. L. Herzfeld, Gesch. des Volkes Israel von Vollendung des zweiten Tempels. Leipz. 1863. II, 534. s. Keil, Einl. p. 527. Jost, Gesch. d. Judenth. Leip. 1857. I, 102. s. Fr. Hülskamp, Rohrbachers Universalgesch. d. kath. Kirche. Münst. 1863. III, 426. s.: vera esse posse dicunt, quae de translatione graeca Aristobulus, l. c. n. 22. refert, non item ea, quae de alia ante Ptolemaei Lagi filii aetatem usurpata graeca S. S. interpretatione narrat. Quamvis enim antiquiorem LXX. exstitisse, levibus coniecturis ducti quidam crediderunt; tamen qualis ea fuerit, a nullo idoneo huius rei teste proditum est. [3]) Quod detexit Osannus, descripsit Ritschl. Cf. Thierschii, de Pentateuchi Versione Alexandrina l. III. Erlangae 1841. p. 8. s. [4]) Cuius prae reliquo Codice Sacro potior usus erat et religio V. Comm. de S. S. p. 10.

cognitum transtulerunt sermonem. Alexandrinos autem Judaeos passim eius interpretationis auctores fuisse, neutiquam vero Palaestinos; dialectus graeca probat Alexandrina, quae in hac translatione viget[1]. Idem sequitur inde: quod Aegyptias res Aegyptiis nominibus insigniunt, atque Judaeorum Alexandrinorum pronunciationem in omni pene nomine proprio Hebraico Versioni huic inserto servaverint[2].

§. 74. Quaeritur, cuius ambitus et indolis fuerit τῶν LXX. interpretum translatio?

Quorum Librorum fuerit: an solum ‚τοῦ νόμου'; vel universorum S. S. V. T. Librorum? optime solvitur testimonio S. Hieronymi, qui[3] tradit, quod ‚et Aristeus et omnis schola Judaeorum quinque tantum libros Moysi a Septuaginta translatos asserant'[4]. Divus Hieronymus theologos recentioris aetatis ita habet consentientes, ut certatim iudicarent Ptolemaei tempore: solam Legem i. e. Pentateuchum fuisse translatum, neglectis tantisper ac sepositis reliquis Librorum S. ordinibus, Prophetis atque Hagiographis. Horum interpretatio privatis curis relicta, et tempore procedente sine dubio sensim ita instituta est; ut ii Libri, quorum usus magis necessarius erat, prius verterentur, ii autem, qui minus adhiberentur, serius. Rem ita se habere, ipsum diversum genus linguae pariter ac dictionis, et varia versionis indoles ac modus evidenter arguit. Contrariam sententiam propugnantium argumenta e quibusdam testimoniis petita, sola versionis Librorum singulorum collatione corruunt. Pentateuchus multum differt ab interpretatione Jobi, Ecclesiastes a Jeremia[5]. Codices, e quibus LXX. versionem suam transtulerunt,

---

[1]) Copiose hoc argumentum prosequitur Thierschius, l. c. p. 65—110.; eiusque in rei fidem allegat: voces singulas, quae natura sua produnt Aegyptiacam originem, orthographiam sive modum scribendi, idiomata grammatica atque syntactica. Demonstrat, quomodo τῷ κατ' Ἀλεξάνδρειαν τοπικῷ χαρακτῆρι in translatione usi fuerint. [2]) Cf. Thierschium, l. c. p. 27. s. [3]) Comm. in Ezech. 5, 13. V, 54. [4]) Idem iisdemque verbis inquit ad Mich. 2, 9. VI, 456. [5]) Sed multa sunt nimis, quae de his critici disputant, nos quin his detineamur, breviter dicemus, quod scitu dignum videbitur. V. P. de Lagarde, Anmerkungen z. griech. Uebersetz. der Proverbien. Leipz. 1863. p. 2. s.

erant hebraici non punctati; cognati illis, e quibus fluxit Samaritanus Textus. Revera multae inter Textum graecum et hebraicum diversitates inde sunt natae, quae quidem non adeo frequentes reperirentur, si textum masorethicum usurpare graecis interpretibus contigisset[1]. Omnes omnino Libros versionis LXX. in Aegypto, et quidem a Judaeis aegyptiacis translatos, non vane sumitur[2]. Si autem singuli interpretes inter se comparentur, eorum valor diversimode aestimandus est. Omnes reliquos linguae hebraeae et graecae peritia vincit interpres Pentateuchi; et dubium non videtur, ceteros V. T. Librorum translatores, versionem Pentateuchi prae oculis habuisse[3]. Ea est interpretis huius hebraeas voces graece convertendi ratio, ut quamvis archetypum suum sequatur ducem; tamen imprimis studet, ut sit perspicuus et dilucidus[4]. Praeterea elegantiae graecitatis operam dat, ita ut tropos duriores fugiat, lepores vero orationis et poëticas dictiones imitetur; denique suum dicendi genus diversis operis partibus accommodet[5]. Haud tamen pauciora et leviora sunt loca, in quibus Textus Originarii dignitatem minime assequitur Moysis interpres[6]. Quocunque vero tandem

[1]) Non paucae inveniuntur literarum, figura similium, permutationes, ex alphabeto scripturae quadratae nisi explicandae. V. Hist. R. D. V. T. p. 519. Th. E. Toepler, de Pentateuchi interpretationis Alex. indole cr. et herm. Hal. 1830. p. 3. [2]) Satis hic fuerit indicasse, quod Hodius prolixa dissertatione l. II. p. 90. s. hoc argumentum tractaverit. [3]) Quo enim propius Pentateuchi translatio ad illam accedit aetatem, ubi Judaei patrium sermonem nondum penitus cum peregrino commutarunt; eo veriorem certioremque fuisse traditionem exegeticam, qua Legis graecus interpres usus est, facile intelligitur. Unde fit, ut cum in singulis dubiis vocibus, et difficilioribus commatibus, ubi alii interpretes vel ancipites haeserunt, vel prorsus a vero aberrarunt; bene imo optime eum reddidisse textum originarium deprehendamus. Cf. Toepler, l. c. p. 59. s. [4]) Perspicuitatis iustae est, — praeter vulgaris Alexandrinorum dialecti usum — quod Hebraismis non ita repleverit Versionem, quin commode possent intelligi; quod obscurioribus dilucidiora statim, ubi occurrebant, substituerit; atque ita cum idiotismos temperarit, tum nomina propria et extranea explicarit. Cf. Frankel, über den Einfluss der pal. Exeges. auf. d. al. Herm. p. 4. s. [5]) Maxime hebraizat in sectionibus genealogicis et geographicis, in legibus imprimis Levitici; iucundior est oratio in historicis; omnium maxime abhorrent ab imitatione exemplaris Hebraici colloquiorum in historiis formulae. V. Thiersch, p. 62. s. [6]) Nam praeterquam quod Alexandrinus iste interpres copiosa in omnibus libris Pentateuchi referat incrementa, quae Scholiis et Glossis textum illustrantibus similia videntur: modo nonnulla plane desiderantur, modo verborum ordo mire turbatus offenditur. Neque

tempore et per quoscunque etiam Versio reliquorum Librorum facta fuerit[1]; ceteros inter translatores post illum Pentateuchi, iisdem nominibus laudari meretur interpres Proverbiorum Salomonis[2]: qui etiam ibi haud raro ingenium suum ostendit bene cultum, ubi manifesto a vero aberrat[3]. Interpres Psalmorum, atque translatores reliquorum Librorum poëticorum, omni caruerunt ingenio poëtico[4]. Quod ad Prophetas attinet, hoc observarunt viri docti: non omnes Propheticos Libros ab uno interpretatos fuisse, sed plures versores eorum exstitisse[5]. Librorum. S. V. T. qui Historias narrant interpretes, etiamsi Pentateuchi dignitatem non assequantur, haud mediocriter in arte transferendi exercitati fuerant. Dicendi genus graecum ad Novi Testamenti sermonem accedere, neminem Veterum vel Recentiorum scriptorum fugit.

desunt emendationes coniecturales, errores et hallucinationes, tam grammaticae quam etymologicae. D. q. v. Toepler, l. c. p. 11. s. 49. s.

[1]) Nepos Siracidae c. a. 130. a. C. — v. H. R. D. V. T. p. 540. — in prologo ad Ecclesiasticum perspicue docet, iam suo aevo Libros S. S. V. T. in graecum sermonem translatos fuisse. [2]) Cf. J. G. Jaeger, observ. in Prov. Salam. vers. Alex. Mildorf. 1788. Lagarde, l. c. [3]) Additiones, omissiones, transpositiones in textu graeco huius libri recenset W. Smits, Proverbia Vulg. ed. elucid. Antv. 1746. proleg. p. 34. s. et Lagarde, Anmerk. z. gr. Ueb. der Proverb. p. 5. s. [4]) A puriori sermone graeco longe distat Psalterium; maiori in copia ac ceteri Libri didactici — demto Jobo d. q. v. H. V. T. p. 328. — laborat defectibus. Cf. W. Smits, Psalterium vulgatum elucid. Antv. 1744. I. prol. p. 58. s. Interpres imprimis Ecclesiastae nimium presse sequitur verba Hebraea. In libro Jobi reddendo et propter sermonis difficultatem, et propter imperfectam linguae hebraicae notitiam aliasque causas, interpres additionibus, omissionibus, perversis explicationibus maxima licentia sensum archetypi commutavit. Vertendo interpres Graecorum poëtarum haud hospes, id potissimum attendit, ut quam elegantissime scriberet. Perquam exiguae, vel omnino incertae est utilitatis in Critica. Cf. A. L. G. Krehl, Observ. ad interpr. graecos ac lat. veteres L. Job. Lips. 1834. G. Bickell, de indole ac ratione versionis Alexandrinae in interpretando Libro Jobi. Marburg. 1863. p. 11. s. [5]) Apparet id e sermonis diversitate, imprimis ex eo, quod eadem fere in aliis locis feliciter, in aliis infelicissime converterint; saepe potius sensum contraxerint quam transtulerint. Non omnes disërti aeque fuerunt, sed alii aliis peritiores et doctiores: Principatum inter hos tenet Amosi et Ezechielis interpres, imperitior est is Obadiae, praeter ceteros autem Jesaiam nactum esse interpretem sese indignum omnes fatentur. Jeremiae interpres nec fidus nec bonus dici potest, ubique imperitiam et audaciam praesefert. Cf. Hist. R. D. V. T. p. 444. s. Danielis vero versio tot abundabat vitiis, ut Ecclesia illius loco usa fuerit versione Theodotionis L. H. R. D. V. T. p. 488. s.

§. 75. Enumerantur editiones typis descriptae τῶν LXX.

Editiones Versionis τῶν LXX. principes, unde reliquae omnes manarunt, sunt numero quatuor: Complutensis, Veneta, Romana et Oxoniensis. a. Complutensis a. 1517. sub auspiciis C. Ximenii prodiit, mixta partim e LXX.; partim ex Origenis additamentis; partim ex Aquilae, Symmachi aliorumque interpretum imo et commentatorum graecorum verbis, et ideo plurimum Criticis displicuit. Editores ipsa exemplaria non ita delineaverunt, ut de illorum auctoritate quidquam iudicari possit. Carpuntur, quod glorientur de vetustissimis; et antiqua et correcta sane iis non deerant: sed vana est suspicio, editores illos exemplaria sua vetusta mss. Textus Graeci ad Hebraicum et Vulgatam immutare non recusasse V. p. 125. Certe lima, quam Textus passus fuisset, merito reprobaretur. Versio Latina graeci Textus ad verbum facta, inter lineas inserta est. Eam editionem repetunt Polyglotta Antverpiensia et Parisiensia; atque Theilii et Stierii, cum plurimis sane mendis. Proxime Complutensem secuta est b. Aldina seu editio Veneta a. 1518. Venetiis in aedibus Aldi Manutii, qui procul dubio manuscripta illa, quorum paucis praefatio mentionem, facit conquisierat; ab Andrea Ansulano socero suo excusa et publicata fuit. Complutensi purior, sed haud ab omni admixtione verborum Theodotionis libera esse censetur. Quae c. Vaticana dicitur, seu Romana, mandato Pii V. et Gregorii XIII. Summorum Pontificum elaborata, iussu et auctoritate Sixti V. Pont. Max. — qui cum adhuc Cardinalis foret, opus vehementer urserat. — publicam lucem conspexit Romae ex Typographia F. Zanetti anno Salutis 1587. Maxime secundum exemplar Vaticanum cod. B. — de quo vid. p. 112. s. — expressa est; cum nullus illo praestantior esset inventus, ut praefatio refert, quam scripsit Antonius Caraffa Cardinalis S. Sedis Ap. Bibliothecarius. Vaticanum exemplar „quod eius valde probaretur auctoritas de verbo ad verbum“, „nisi ubi manifestus apparebat librarii lapsus“ repraesentatum est. Quae vero desunt in Codice Vaticano, ex aliis, qui ad eius vetustatem longe proximi intervallo accedunt: e libris C. Bessarionis, Caraffae, et Mediceae Bibliothecae Florentiae petita sunt. Praeter C. Caraffam, cui editionis et expositionis cura demandata fuit, operam navarunt diverso tempore multi viri doctissimi uti: Guil. Card. Sirletus, Fr. Turrianus. S. J., E. S. Franc. Toletus, Emmanuel Sa, Ant. Agellius, J. Maldonatus, P. Morinus, R. Bellarminus, P. Ciaconus aliique; quos enumerat Petrus Morinus, ep. ad. Sixt. V. de LXX. interpretibus in Gr. Bibl. edit., in Opusc. et Ep. P. Morini Par. ed. J. Quetif. O. Pr. Par. 1675. p. 308.

C. Vercellone, Var. Lect. Vulg. Rom. 1860. I. prol. p. 23. s. Editio e rei peritorum iudicio omnium, quae exstant, maxime sincera, et proxime ad archetypum LXX. accedens habetur. Cf. acath. A. F. Ruckersfelder, ap. Velthusen, Comm. th. III, 27. s. Quam sit immunis liber ille Vaticanus a transpositionibus Origenis, patet e collatione locorum, quae apud Philonem atque s. P. et S. E. citata reperiuntur. Cf. J. Morini, exerc. I. 9, 3. p. 409. Secundum eius rei testimonium petitur ex editione libri Josuae per A. Masium d. q. i., qui instituta collatione Codicis Syri de ipsis Origenis Hexaplis cum diligenti asteriscorum et obeliscorum adscriptione conversi, collegit: Vaticanum illum Codicem continere V. T. κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα *ab adulterinis additamentis admodum defecatum. Postremum argumentum, quod unusquisque proprio marte experiri nullo negotio potest, elicitur e lectionibus variis, quae in Cod. B. servatae sunt. Cum lectio cod. Alexandrini innumeris fere locis ad recensionem masorethicam accedat; Vaticana ab eadem recedat, dubitare non possumus: quin genuina et Origene antiquior lectio servata sit in editione Romana. Quodsi eruditissimi editores paulo curatius archetypum suum exprimere voluissent, magis adhuc et plurimum labor eorum probaretur; manarunt tamen iudice Montefalconio, praeliminaria in Hex. Orig. 4, 5. p. 43. et in hanc editionem non pauca ex Hexaplis. Textus Graecus sine latina versione prodiit, quam deinde Flaminius Nobilius Romae 1588. e fragmentis veterum Latinorum Interpretum compilatam, peculiari volumine vulgavit. Hanc editionem Bibliorum Graecorum fidelissime et studiosissime iteravit J. Morinus. Lut. Par. 1628. apposita e regione textus Graeci Latina translatione, versuum quoque numeris, qui antea nulli erant, adscriptis. I. II. Tom. III. continet N. T. Waltonus quoque editione Romana usus est. Repetierunt exemplar Vaticanum cum animadv. et compl. J. N. Jager, II. vol. Par. 1839. 45.; var. lect. subi. C. Tischendorf Lips. ed. III. 1860. II. vol. d. De editione Oxoniensi, in qua expressus est textus codicis antiquissimi Alexandrini A. sed saepe multum immutatus, dicenda iam praeoccupavimus. p. 117. Fragmenta cod. VII.; saeculi, uti sumunt, quinti — Pentateuchi Gen. 31, 15. usque ad Lev. 19, 19. et lib. Jos. cum pluribus tamen lacunis — edidit Ceriani, Monum. sac. et prof. Mediol. 1864. 6. t. III. 1. 2. f. Isaiam et Malachiam integrum, Jer. Dan. Bar. Ezech. Osee, Amos, Sophon. Aggaei et Zachar. partes exhibet codex. saec. XIII. quem Grottaferratae detexit J. Cozza monachus O. S. Basilii. D. q. v. diss. C. Vercellone, un Codice graeco palimpsesto scoperto dai monaci Basiliani di Grottaferrata. Rom. 1866. Novissime Testamentum Vetus graece iuxta LXX. interpretes ex cod. Vatic. edid. lacunas suplevit ex codic. Alexandr. et ex Bibl. polygl. V. Loch. Ratisbon. 1866.*

§. 76. Exponitur auctoritas qua olim pollebat versio τῶν ό.

Versio τῶν ό olim maxima pollebat auctoritate. Enimvero certum est, veteres Ecclesiae priorum saeculorum s. Patres et Scriptores e.[1] — demto Origene et d. Hieronymo — hanc interpretationem ob creditam illam Aristeanam fabulam, innocenti errore divinam et inspiratam habuisse. Fuit graeca τῶν ό interpretum translatio, Ecclesiae antiquae per aliquot saecula Revelationis Divinae sub Oeconomia V. T. factae unicum documentum; Evangelicaeque lucis e penetralibus Judaeae gentibus oriturae, mundoque affulsurae quasi aurora praenuncia[2]. His illud accedebat, quod gravius est: putasse S. P. et S. E. Christum Servatorem nostrum, atque Apostolos LXX. interpretes sedulo legisse; et ubi loca e V. T. allegant, non ipsum Textum originarium, sed versionem τῶν LXX. adiisse. Id sane apud coaevos suos tanti ponderis fuisse vidit d. Hieronymus; ut translationem suam Hebraico e Textu vindicaturus, haud ita certum fuisse dicat: Christum et Apostolos testimonia S. Scripturarum ex LXX. Interpretatione recitasse; cum ex V. T. locis quae in N. T. laudantur, plura sibi viderentur cum Hebraico Textu magis, quam cum Graecorum elucubratione convenire[3]. Mansit tamen

---

[1]) Apud S. Justinum, Apol. I, 31. p. 76. s. S. Irenaeum, adv. haeres. III. 21, 2. p. 533. Clementem Al., l. c. S. Cyrillum Hier., catech. IV, 34. p. 68. S. Ambrosium, Hexaemeron, III, 5. p. 51. S. Hilarium, prol. in l. Psalm, n. 8. II, 217. S. Epiphanium, de mens. et pond. n. 2. 3. p. 160. s. S. Augustinum, de Civ. Dei. XVIII, 44. p. 291. de doctr. chr. IV, 7. p. 126. Theodoretum, praefat. in Psalm. I. 6, 605. s. Imo id ipsum decrevit quodammodo Justinianus Imperator, Novell. 146. [2]) „Nam cum felix illud tempus instaret, inquit belle Eusebius, Praep. evang. VIII, 1. ed. Heinichen p. 363., quo salutaris huius Servatoris nostri doctrinae lux sub Romanis Imperatoribus in cunctos sese homines longo lateque diffunderet...; Deus ille tantorum bonorum auctor, divinae scientiae vi futurum intuitus; singulari egit providentia, ut quae de venturo paulo post generis humani Servatore..... praedicta iam olim essent, ea demum accurata explicatione patefacta, cunctorum in lucem venirent." [3]) Cf. praef. ad Pent. et ad libr. Paralipom. V. H. R. D. N. T. p. 296. Unde in omnibus pene Prophetarum commentariis versionem LXX. viralem reprehendit: nam in uno solo in Jesaiam Commentario dicit LXX. addidisse aliquid in cap. 10, 28. 29. IV, 153.; ademisse c. 2, 20. p. 43.; mutasse c. 9, 15. s. p. 139.; extenuasse subvertisseque fortissima contra Judaeos testimonia c. 49, 5. p. 564.; miscuisse plura vocabula in unum c. 37, 8. p. 460.; deceptos fuisse literarum similitudine ר et ד c. 8, 9. p. 120. Multa eiusdem s. Hieronymi hanc in sententiam scripta pronunciataque omittimus. Cf. interim eiusdem de optimo genere interpretandi ep. ad Pammachium 57, 11. p. 316. „Longum est nunc revolvere quanta

versio Alexandrina unicum S. S. exemplar; quod in controversiis cum Hebraeis advocarunt. Et initio quidem satis feliciter S. P. et S. E. ea usi sunt contra Judaeos; a quibus illam acceperant. Etenim Philonem et Josephum in suis scriptis instrumentum graecum secutos fuisse, dilucide demonstratum est [1]. Tempore Tertulliani [2] ‚Judaei palam lectitant', versionem Alexandrinam [3]. Tum demum τῶν ό translatio apud Judaeos vilius haberi cepit; ubi Christiani ex illa clarissime probarunt: promissum Messiam certo venisse et esse hunc D. N. J. Christum [4] Neque seriori aevo interpretatio graeca exciderat auctoritate, qua olim gavisa fuit. Enimvero in plurimas linguas uti: latinam, syriacam, arabicam, aethiopicam, copticam, armenam, ibericam atque slavicam est translata. Neque bellum adversus οἱ ό saeculo decimo et septimo praecipue ab acatholicis Theologis motum, ex hac antiqua dignitate versionem graecam depellere valuit [5]. Nostris diebus recentiorem plerique, non tam religionis

---

septuaginta de suo addiderint, quanta dimiserint." Illud quoque hic haud possumus praeterire, si quid S. P. et S. E. de inspiratione τῶν LXX. interpretum minus accurate crediderint et dixerint; illud neque adeo magnus error haberi debet, neque eorum testimonio in aliis rebus fidem detrahit. Nam cum — ut recte animadvertit P. Maranus, praef. in S. Justinum c. 13. p. 56. — ipsum S. Scripturae contextum divinitus inspiratum esse inter omnes conveniret; periculosius multo non erat interpretationem divinitus inspiratam credere, quam accurate et diligenter elaboratam. Eadem de causa leve aliquod erratum in rebus minime ad fidem et mores spectantibus; de eorumdem S. P. et S. E. pondere aliquid iure minuere potest in illis, quae ad catholicae fidei defensionem Veteres docuerunt.

[1]) Cf. C. Fr. Hornemann, spec. exercit. crit. in versionem LXX. interpretum ex Philone. Gott. 1773. exerc. prael. §. VI. p. 29. s. L. T. Spittler, de usu Versionis Alexandrinae apud Josephum. ib. 1779. J. G. Scharfenberg, de Josephi et Vers. Alex. consensu. Lips. 1780. [2]) Apologet. c. 18. p. 82. [3]) Negat Frankel, l. c. Judaeos quos Hellenistas adpellamus, versionem LXX. in synagogis praelegisse, sed praeiudicio manifesto id facit. Cfr. hac de re testimonia apud J. Morinum, exerc. bibl. de Hebraei graecique textus sinceritate exerc. 8. c. 1. s. p. 352. Hodium, l. c. III, 1, 1. p. 224. J. Wichelhaus, de Jeremiae versione Alexandrina. Hal. 1847. p. 19. s. [4]) Utrum subita haec mutatio acciderit e decreto Rabbinorum: quo cuiuslibet Literarum Sacrarum versionis exemplar a synagogis exesse iuberetur; utrum e veris τῶν LXX. interpretum erroribus? id definire difficile est. [5]) Cum L. Capellus ex hac LXX. virali cui in Critica sua s. conferendae maxime incumbit, noster vero Joann. Morinus e Pentateucho Samaritano, qui pene canonicam videbatur ipsi habere auctoritatem, probare studerent; in Judaeorum codicibus varias lectiones, errores corruptelas inesse, quaedam iis deesse, nonnulla superesse. Unde et non dubitarunt Textum Hebraicum omni modo emendare. V. p. 100.

quam cognoscendae antiquitatis causa textum Hebraicum et Graecum scrutati ad opiniones redierunt aequiores [1].

§. 77. De Versionibus Aquilae, Symmachi, Theodotionis, V. VI. VII. et Veneta.

Cum christiani Doctores e versione LXX. ad Judaeos convincendos testimonia proferre solerent; de singulis locis mox disceptatum est, esset ne vera, quam versio Alexandrina exhiberet, interpretatio nec ne? Christiani admodum offendebantur, si quando Judaei rem non sic se habere in Textu Hebraico, opponerent[2]. Spreta versione LXX. contradicentes Judaei laudabant versionem, quam ad interpretationis huius supplendum locum fecit Aquila, Ἀκύλας, Ponticus genere, Synope oriundus[3]; qui propter astrologiae studium a Christi sacris exclusus, ad ritus Judaicos se convertit. Hic graecam interpretationem verborum, ipsorumque etymorum tenacissimam contexuit; priusquam d. Irenaeus suas adversus haereses disputationes exararet[4]. Apparuit igitur iuxta haec, Aquilae interpretatio circa a. p. C. n. 182., atque Judaeis adeo placuit, ut ipse

---

1) Certe erratis eorum virorum, quos aliquibus criticae magistros adpellare placuit, nos esse monitos decet; ne leviter e quavis versionis discrepantia Textus quoque varietatem repetamus, nisi probe ante versionis origo, natura et indoles quantum fieri potest, explorata fuerit. 2) Cuius cum Judaeis disceptationis vestigia prima apud s. Justinum exstant L. s. c. V. p. 137. Origenes, ep. ad Africanum n. 2. XVII, 23.: ait „Sic enim Aquila hebraicae lectioni serviens edidit; quem Judaei Scripturam studiosius interpretatum esse credunt, et quo maxime uti solent Hebraicae linguae imperiti, utpote ceteris omnibus melius sensum assecuto.“ Et n. 3. „In multis quoque aliis Sanctis Libris invenimus alicubi quidem plura esse apud nos quam apud Hebraeos alicubi vero pauciora.“ Cf. e. d. Augustini, de Civ. D. XVIII, 43. p. 287. 3) Secundum S. Epiphanium, de pond. et mens. n. 14. II, 170. Cetera autem quae adiecit de vita rebusque gestis Aquilae n. l. et s. suspicioni obnoxia esse videntur. Cf. Montfaucon, praeliminaria in Hexapla c. 5, 1. p. 47. 4) Enimvero S. Irenaeus, III, 21. scribit: „Non ergo vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam Isai. 7, 14. Ecce adolescentula in ventre habebit et pariet filium: quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus et Aquila Ponticus, utrique Judaei proselyti.“ I, 532. Quamvis quo tempore sint scriptae laudatae disputationes definire difficillimum sit, a vero tamen haud procul discesserit, qui sub finem Eleutheri Pontificatus anno circiter C. 192. absolutas esse sumserit. Cf. R. Massueti, de Irenaei scriptis diss. II, 47. II, 223.

secundis postea curis eius magis correctam editionem faceret[1]; et haec penes Judaeos, cumprimis eos, qui sermonis Hebraei ignari erant, summa olim auctoritate valebat[2]. Ex illa porro duplici Aquilae versione secunda, quia nimia accuratione concinnata erat, ab Origene in Hexaplis apponebatur[3]. Si e reliquis eius fragmentis[4] iudicium ferendum sit[5]: merito vituperatur Aquila, quod superstitiose idem vocabulum repetere maluerit, quam lectionis perspicuitati et facilitati consulere[6]. Quamvis autem ore barbarus sit, et sensu obscurus; multa tamen suppeditat ad Textus Hebraici lectionem, qualis tunc erat, constituendam et illustrandam[7].

Ad secundi saeculi finem, vel sub sequentis initium alia graeca versio publicam lucem conspexit, priori minus literalis, sed multo elegantior, auctore Symmacho. Symmachus[8] a Judaeis ad sectam Ebionitarum deficiens, ut popularium suorum opiniones subverteret, novam Veteris Instrumenti translationem Graecam

---

1) „Aquilae secunda editio, quam Hebraei κατ' ἀκρίβειαν nominant"; testatur Hieronymus in Ezech. 3, 15. p. 32. 2) Cf. Hodium, de Bibl. text. orig. III, 1. p. 235. s. R. Anger, de Akila gr. V. T. interpr. Lips. 1845. p. 10. s. 3) Divus Hieronymus, cuius aetate versio illa adhuc integra supererat, ep. 36. ad Damas. n. 15. p. 167. scribit: „Aquila qui non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur." Idem saepius eius defensionem suscipit contra opinionem, quod loca V. T. quae futurum Christi adventum praenunciabant, de industria in translatione sua in alium sensum detorserit. Cf. ep. ad Marcell. 32, 1. p. 152. comm. in Habac. 3, 13. VI, 656. Quare putaverimus s. Hieronymum alibi, ad Pam. ep. 57, 11. p. 316. in Isai. 49, 5. p. 564.; ubi Aquilam rei chr. adversum carpere videtur, e vulgari aliorum, qui praecesserant, Veterum sententia locutum fuisse. 4) Deperditam fuisse dolemus. Geddes, de vulg. S. S. Vers. l. Bamberg. 1787. p. 29. eius interitum constitutioni Justiniani Imp. Auth. coll. IX. t. 29. nov. 146. adscribit. 5) Cf. P. Wesseling, de Aquilae in scriptis Philonis fragmentis. Ultrai. 1748. 6) Certe Sinopites, quo nemo unquam magis minuta ad literam adhaesione hebraicam veritatem retulit, hac servili interpretationis ratione, impolitoque scribendi genere plurimum offendit. 7) Cf. Dathii, disput. in Aquilae reliquias int. Hoseae, in opusc. p. 4. s. C. Fr. Bahrdt, ed. Hexapl. Orig. Lips. 1769. I, 107. s. n. C. Vercellone, avvertenze critiche sulla versione fatta da Aquila. Rom. 1847. repet. in Dissert. Acad. p. 143. s. Denique observare placet: controversum esse, quid Aquilae cum Onkelo rationis intercedat apud scriptores Judaeos, an Onkelus idem sit qui Aquila? Unum eundemque intelligendum esse statuunt alii — e. c. Anger, l. c. p. 11. — negant alii. E. g. Montfaucon, praelim. V, 6. p. 51. 8) Si Eusebio, H. E. VI, 17. p. 218. quocum faciunt notitiae Syrorum apud Assemannum, Bibl. Orient. II, 278. III, 1, 17., credimus.

condidit[1], quam etiam repetita editione perpolivit[2]. Laudant hanc translationem, in qua ut notat d. Hieronymus[3]: ,non solet verborum ,κακοζηλίαν' ut Aquila, sed potius intelligentiae ordinem sequi Veteres[4]. Merebatur sane laudem interpres iste a perspicuitate, elegantia[5] atque exacta ratione. Fragmenta, quae huius versionis supersunt, codicem Hebraeum interpreti observatum fuisse produnt. Atque in difficillimis locis sensum ita legenti exhibent, ut statim intelligatur. Quod vero non magis usu invaluerit, inde derivandum est, quia facta fuit ab homine, per sectam suam Judaeis aeque ac Christianis inviso.

Symmachi versio in ordine Hexaplorum praecessit illam Theodotionis[6]. Θεοδοτίων post Aquilam, et ante Symmachum interpretationem suam edidit[7]: inde ante annum p. C. n. 182., quo circiter natam fuisse Aquilae translationem sumsimus. Theodotion in iis unus, qui fidem in Christum cum Legis cerimonialis Mosaicae observantia coniungebant[8], quantum eius institutum patiebatur in versione τῶν LXX. ibi immutavit tantum, ubi declinare eam sibi reperire visus est ab Hebraeis libris mss. Non parem tamen ubique legem interpretandi secutus est: Aquilae quoque vestigia premit. Imo in reddendo celeberrimo vaticinio Danielis de Christo propius ad Christianorum i. e. sensum huius verum accedit. Cuius quidem versionis opus ex voto peractum, quod adeo simile editioni τῶν ό esset, Christianis etiam placuit. Unde factum est.

1 S. Epiphan. de pond. et mens. n. 16. p. 172. 2 Testatur hoc S. Hieronymus, comm. in Nahum III. 1. p. 568. scribens: „in altera eius editione [illegible]." 3 Comment. in Amos 3. 11 p. 256. 4 Cf. etiam S. Hieronymi, Comm. in Isai. [illegible] p. [illegible] „Symmachus more suo manifestius." Adde iudicium Eusebii. Comm. in Psalm. [illegible] p. [illegible] Ps. 46. 14. p. 190. 5 V. C. A. Thieme. [illegible] Symmach. Lips. 1755. 6 Quem S. Irenaeus Ephesium et [illegible] S. E. Graecis [illegible] [illegible] quod [illegible] e saepe laudato loco d. Irenaei. [illegible] Aquilam et Theodotionem [illegible], quod Isai. 7, 14. vocem [illegible] [illegible] Si autem Symmachus tunc iam versionem [illegible] cum et ipse [illegible] transtulerit. [illegible] S. Hieronymus, qui comm. in Isai. 36. 10. p. 694. observat: „Symmachus et Theodotionis secta [illegible]." Contrariam sententiam defendit [illegible] 8 Cf. d. Hieronym. [illegible]

ut versio Theodotionis in Danielem, cuius tota series in LXX. praepostere posita erat, τῶν ὁ loco substitueretur, hodieque sola in Ecclesiis graecis legatur. Versio LXX. viralis Prophetae Danielis pro inutili habita, atque a librariis neglecta [1] fere interiit [2]. Solent A. Σ. Θ. commemorari sub nomine ‚τριῶν' [3]. Ceterum etsi istae versiones, ut interpretationi LXX. derogarent, fuerint conflatae; ad illius tamen usum eliminandum nunquam valuerunt.

Aliae praeterea exstitere olim tres, quinta, sexta, septima, signatae ‚ε' ϛ' ζ''; interpretationes anonymae quorundam voluminum, imprimis metricorum, Codicis Sacri: quas primus Origenes in lucem protraxit [4]. Quarum quae prior, quae posterior concinnata fuerit, an a Christianis an secus? difficile est dictu; nec potest iis de rebus vel coniectando aliquid proferri. Sed omnes admodum παραφραστικῶς Textum Hebraeum reddiderunt. Iam ubi de omnibus graecis versionibus diximus, restat ut Venetae, quae et Marciana [5] adpellatur, memoriam iniiciamus; illam utcumque sumunt auctore grammatico quodam Christiano, e Byzantio orto [6], inter s. VIII. et XI. ex Hebraicis codicibus factam fuisse. Aquilam in accuratione, interpretem Iobi τῶν ὁ in dicendi genere sectatur [7]. Inservire potest ad cognoscendam conditionem Textus masorethici, qualis erat s. IX. et X.; ideoque in Critica s. V. F. non omnino reiicienda est.

---

1) Cf. s. Hieronymi, praef. in Dan. p. 619. s. comm. in e 12, 13. p. 730. H. R. D. V. T. p. 488. 2) Post annos enim fere mille quingentos e Tetraplorum O. codice Chisiano Danielem secundum LXX. evulgavit Simeon de Magistris. Romae. 1772. Ceterum dissensum versionis LXX. senum et Theodotionaeae, iudicio doctrinaeque interpretum adscribi posse, lubenter largimur Simeoni de Magistris, l. c. p. 219. 3) Cf. Eusebii, comm. in Jesaiam 13, 21. ed. Montf. II, 412. S. Hieronymi, comm. in Ezech. 5, 15. p. 55.: qui adpellat „tres alii interpretes." Theodoreti, in Abd. 19. II, 1456. „οἱ τρεῖς ἑρμηνευταί." 4) Cf. Eusebii, H. E. VI, 16. p. 217. 5) Quae cum ex A. M. Zannetii et A. Bongiovanii catalogo Bibl. d. Marci Codicum mss. Ven. 1740. innotuit, eam ediderunt J. B. C. d'Ansse de Villoison, N. V. gr. Prov. Eccl. Cant. Ruth. Thren. Dan. ex unico Marci Biblioth. cod. Argent. 1784. et C. Fr. Ammon, N. V. gr. Pentateuchi ex unico S. Marc. Bibl. Cod. Erl. 1790. 179. 1. 3. vol. ultimo v. legitur ei. comm. de usu, indole, aetate Vers. Marcianae. p. 112. s. 6) Cfr. Bauer, Crit. s. I, 286. 7) Cf. J. G. Dahler, animadv. in Vers. gr. Prov. Salamon. ex Venet. ed. Argent. 1786.

§. 78. De corruptione et emendatione editionis LXX. quae ‚Κοινή' est dicta.

Versio Alexandrina per quadringentos annos duraverat sola, et cum inter Judaeos Ἑλληνίζοντας non minus, quam penes Christianos frequenter describeretur; incuria librariorum pariter atque correctorum temeritate valde depravata vitiosa, innumeris locis contaminata et cum reliquis graecis versionibus commixta fuit. Ecclesia cum adhuc adolesceret, saepius disputando Synagogae committebatur, unde in congressibus sive publicis, sive privatis accidit: ut Christianis de translatione Graeca testimonia petentibus Judaei in cachinos effunderentur, exprobrarentque illa modo non haberi in Hebraico; modo etiam obiicerent, eiusmodi interpretationem in Christianorum Ecclesiis praelegi solere, quae Hebraicae veritati in omnibus non consentiret[1]. Utrumque ut tolleret, maculas videlicet quae in LXX. occurrebant emendando te varietates ex aliis versionibus resecando, laborem suscepit Origenes ille Χαλκέντερος[2]; ‚quem post Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negabit'[3]. Et nullus sane par tanto molimini magis erat Origene. Ad firmam corporis valetudinem, ingenii perspicaciam, et stupendam plane memoriam, adiunxit parem, omnium forsan coaevorum superantem, diligentiam[4]. Insatiabilis sciendi aviditas omnes Origenem rimari angulos fecit, ut rariores et melioris notae colligeret libros; atque Maecenatum liberalitate factum est, ut et eos obtineret. His subsidiis instructus serio cogitavit, ut occurreret LXX. ex optimorum exemplarium fide castigatione, neque tamen emendationem suam editioni κοινῇ substituere ausus, id sibi tantum proposuit; ut interpretationem τῶν ἑβδομήκοντα Textui originario, quantum potest, conformem redderet. Quia vero indefessus vir invenit, LXX. saepenumero ab Hebraeo recedere; et vel addere vel omittere, utilissimum ratus est opus

[1]) Cf. Origenis, ep. ad African. n. 4. 5. p. 25. 26. Cf. E. Grabe, de vitiis LXX. interpr. ante Origenis aevum illatis. Oxon. 1710. J. Fr. Fischer, Prolusiones de Versionibus Graecis. Lips. 1772. p. 22. J. P. Nickes, de V. T. Codicum Graecorum familiis. Monast. 1853. p. 2. s. O. Fr. Fritzsche, Liber Judicum sec. LXX. interpr. Turici. 1867. p. 4. s. [2]) A s. Hieronymo adpellatus ad Paulam ep. 23, 1. p. 153. [3]) S. Hieronymus, praef. in libr. nom. hebr. III, 3. De cuius opera castigandi Textus τῶν LXX. liquidius pronunciare licet, cum Veteres eius castigationis modum praesidiaque satis distincte tradiderint. [4]) Cf. Tillemont, Memoir. III, 497. s. J. A. Ernesti, de Origene interpr. L. L. S. S. gramm. auct. in opusc. ph. et cr. ed. Lugd. Bat. 1764. p. 294. s. Guerike, de Schola quae Alexandriae floruit catechetica. Hal. Saxon. 1825. II, 18. s.

se moliri: si versionem, quae in omnibus Ecclesiis in usu erat cum ad ipsum originarium conferret archetypum, ad interpretationes Aquilae, Symmachi et Theodotionis compararet; deinde vero idem Origenes, ubi quid deesset, asteriscos cum praetermissis vocibus inseruit, quae autem LXX. praeter Hebraei fidem adiecissent praefixo obelo signavit. Atque haec quidem de asteriscis ⋇ et obelis ÷ [1] Veteres praeeunte ipso Adamantio [2] tradiderunt [3]. Ubi quid minus habetur in Graeco ab Hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit, et signum posuit asterisci, id est stellam...: ubi autem quod in Hebraeo non est, in Graecis codicibus invenitur obelon, id est iacentem praeposuit virgulam.' Quae signa concludit s. Hieronymus, et in Graecorum Latinorumque poëmatibus inveniuntur.' Unde et ab Origene translata sunt [4]. Ad duo autem signa illa priora, accedunt alia duo lemniscus et hypolemniscus, λημνίσκος ÷, ὑπολημνίσκος ⸓; quae quamvis iam priscos s. Patres [5] exercuerint, tamen quam revera vim habuerint? non usquequaque constat. Cum res tota praeter nomen [6], coniecturae felicitate nitatur; nobis maxime illa [7] probatur: Origenem cum varias aliquas Lectiones τῶν LXX. et Theodotionis codices assererent, adscripsisse lemniscum; hypolemniscum vero ad ea, quae solius erant Theodotionis adiecit. Continebatur haec recensio in Tetraplis, Hexaplis et Octaplis, Origenianorum operum omnium nobilissimis et laudatissimis [8]. De Tetraplorum ordine, deque interpretum

---

[1]) Juxta figuras codicis Leidensis Origenianae Octateuchi editionis, ineunte saeculo quinto scripti et a C. Tischendorf, Mon. s. ined. nov. coll. vol. III. Lips. 1860. editi pr. p. 16. [2]) Comm. in Matth. tom. XV, 14. ed. Lomm. III, 375. [3]) S. Epiphanius, de pond. n. 17. p. 173. D. Hieronymus, ep. 106. ad Sunniam et Fretelam. n. 6. p. 645. [4]) Cf. e. s. Hieronymi, ep. ad S. Augustinum, 112, 19. p. 752. [5]) S. Epiphanium, de pond. n. 17. p. 173. et S. Isidorum Hisp. Etymologiarum I. 21, 5. p. 96. [6]) De quo vide Hesychii, Lexicon II, 466. [7]) Bahrdtii, not. ad prael. Montf. I, 85. [8]) Horum rationem accuratissime s. Epiphanius tradidit, in libro de ponderibus et mensuris, cuius igitur praecipue vestigia sequi in iis describendis Origenianis libris decet. Ac Tetrapla quidem distincta fuisse ab Hexaplis, testantur s. Epiphanius, de pond. n. 19. p. 175. et Eusebius, Hist. Eccl. VI, 16. p. 218. Hexaplis Tetrapla etiam tempore priora fuerant. Tetrapla, Τετραπλᾶ seu τετραπλοῦν ex natura sua indicat quadruplex τετρασέλιδον, unde etiam a non paucis Graecis sive „quadruplex columna" adpellatur. Ἑξαπλᾶ, ἑξαπλοῦν, ἑξασέλιδον, opus est sex columnarum. Tetrapla se prius edidisse, quam Hexapla dicit ipse Origenes. Cf. not. ad Gen. 47, 6. ed. Montf. I, 52. Quod idem etiam inde elicitur; Origenem coll. Ps. 86, 5. I, 602. in Tetraplis LXX. non correxisse, sed quales in optimis mss. reperit inseruisse; si ea in gratiam studiosorum fuissent separata ex Hexaplis, textum τῶν ό ordini suo restitutum prae se tulissent. Accedit testimonium non parvi momenti, quod

situ [1], nulla iam oriri potest controversia. Constabant editionibus per columnas dispositis: Aquilae, Symmachi, LXX., Theodotionis [2]. Hoc Tetraplorum opere magno cum applausu excepto, et a S. Literarum studiosis avide expetito; ,Hexapla' adornare aggressus est [3]. Hexaplis hae ipsae interpretationes quatuor Tetraplorum eodem ordine collocatae erant, praemisso Textu Originario hebraicis, et eodem graecis characteribus exarato. Sed quia in quibusdam S. S. Libris et maxime his, ,qui apud Hebraeos versu compositi sunt' [4], tres alias editiones reperit: ,quam Quintam et Sextam et Septimam translationem vocant; auctoritatem sine nominibus Interpretum consecutas' [5]; eas ceteris adiunxit, atque hac ratione octo columnae iisdem in Libris e regione positae ,Octapla', ὀκταπλᾶ adpellabantur [6].

---

reperitur apud Montfaucon, Palaeogr. gr. p. 226. et Praelim., p. 14. 15. sumtum e codice mss. Eusebii; cuius auctoritate constat Isaiae et Ezechielis libros ab editione Hexaplari exscriptos, ad fidem Tetraplorum collatos atque castigatos fuisse.

1) Post s. Epiphanii, l. c., d. Hieronymi Comm. in ep. ad Tit. 3, 8. p. 734., item speciminis codicis Barberini, apud Montf. praelim. p. 16. testimonia. 2) Septuaginta virorum interpretationem tertio loco posuit; ut ad eam quam omnium existimabat esse accuratissimam, reliquae per columnas dispositae respicerent. Et ita ut textus textibus oppositi sibi invicem responderent, facilius exigi et examinari possent. 3) Verosimile autem est Origenem positis totius structurae rudimentis; cum Caesareae ageret a. 231. p. C., iis edendis serio manum admovisse. Sic statuerunt duumviri clarissimi D. Huetius, Origenianorum I. 3, 3. ed. Lomm. XXII, 69. et Montfaucon, l. c. p. 13. 4) S. Hieronymus, l. s. c. p. 735. 5) S. Hieronymo teste l. s. c. 6) Hoc itaque opere prima conspicitur a christiano publicata editio Textus Hebraei. E fragmentis autem quae exstant apparet, iam tunc plerumque ceteris lectionibus praelatam fuisse eam; quam et postea recensio Masoretharum ceu meliorem elegit. Quod enim Textum S. Bibliorum hebraicum ex optimis quorum facultas erat exemplaribus sumserit — eorum autem copia viro celeberrimo in Palaestina commoranti non deerat. — testatur in epistola ad Africanum professus: „τοῖς Ἑβραϊκοῖς ἀντιγράφοις" n. 2. p. 22. se pro modulo suo graeca exemplaria contulisse. Quod ipsum rursus fidem facit, Origenem literarum Hebraicarum non fuisse imperitum. Quae laus, a quibusdam nostrae memoriae in dubium vocata, manet Origenem etiam inde; quia vocales literis Graecis expressit, ne fluctuaret lectio, sed veluti quibusdam vinculis stabilis et certa consisteret, quod sine Hebraicae linguae cognitione non potuisset perficere. Talia vero tantaque opera tantorum sumtuum Origenes, mediocris fortunae vir, exsecutus est hortatore operis Ambrosio, viro ad summa nato, locupletissimo homine; qui cumulate facultates subministravit, ut notarii et librarii semper ad manus ei essent. Verum cum ingentia illa volumina pauci prae inopia sibi comparare possent, quidam existimant — e. g. Morinus, de Hebraici Graecique textus sinc. exerc. I, 4. 1, 5. p. 159. — Origenem exemplaria omnibus utilissima et parabilia vulgasse separata emendatae a se editionis LXX., quam ex Hexaplis

Quantae fuerit operae integra Octapla describere, et res ipsa per se clare loquitur, et d. Hieronymus expresse tradit; cum[1] ait: ‚se pro virili parte offerre linguae meae hominibus, ut pro Graecorum ἐξαπλοῖς, quae et sumtu et labore maximo indigent, editionem nostram habeant'. Certum est post Origenem perpaucos fuisse, qui huiusmodi patronos cum scientiarum desiderio et pecuniis pro voto suo habuerint sicuti ille. Cumque prima Hexaplorum exemplaria usu attrita fuissent, ex scribendi negligentia totum opus in perniciem ruit. Magna illa Origenis fama fecit, ut omnes quibus Biblia Graeca erant, sua ad Hexaplarem editionem reformarent; sed haec recensio aliorum malorum origo fuit. Si signa Origenis studiose semper a librariis servata fuissent, non exiguum inde Critica s. caperet commodum; sed mox librariorum oscitantia exemplaria Versionis LXX. novis in dies deformabantur inquinamentis[2]. Illud vero annotare oportet, quod ab hoc inde tempore non emendata LXX. editio nomine ‚κοινῆς'; i. e. communis, vulgata dicebatur[3].

Degenerante magis magisque editione Hexaplari, restituere eam conati sunt Eusebius et Pamphilus, ex ipso αὐτογράφῳ; quod erat in Caesareensi Bibliotheca, restitutam vero et seorsum magna diligentia descriptam publicaverunt: atque ea editio Palaestina dicta est[4]; vel quod Pamphilus ex Hexaplis in Caesareensi Palaestinae Bibliotheca repositis illos desumtos una cum Eusebio evulgavit, vel quod Palaestini eos codices Christiani in publicum usum — demto tamen Psalterio. — primi omnium receperint[5]. Cum repurgandis Hexaplis hanc navabant operam Eusebius

exemit et seorsum publici iuris fecit; sed pro hac sententia nullae afferuntur validae rationes. Hexaplorum perpauca facta esse apographa omnes largiuntur.

[1]) Praef. in Josue. [2]) Cum librarii praesertim asteriscos eorum et obelorum annotationem vel insuper haberent, vel non satis diligenter administrarent; ingens incedebat rerum perturbatio. De confusis et permixtis cum LXX. Theodotionis additamentis queritur S. Hieronymus, prol. Galeat. ipsum Origenem huius vitii reum faciens: „sed quod maioris audaciae est, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit." [3]) Cf. S. Hieronymi, ep. ad Sunn. et Fretel. 106, 2. p. 643. „Κοινὴ autem ista, hoc est Communis editio ipsa est quae et Septuaginta. Sed hoc interest inter utramque, quod κοινὴ pro locis et temporibus et pro voluntate scriptorum vetus corrupta editio est." [4]) Cf. Huetii, Origenian. III. 4, 8. p. 405. Usserii, de edit. LXX. interpr. c. 7. p. 73. s. [5]) En triplex editio LXX: Origeniana haec quae in Hexaplis; altera prioris mere germana Eusebii et Pamphili; tertia vetus illa quae Origenis emendationem praecessit, et Κοινὴ seu Vulgata adpellata; qua utebantur Sunnia et Fratella, piae et eruditae feminae, ad quas scripsit S. Hieronymus saepe laudatam epistolam. Ex qua clare intelligimus: quid vulgatam inter et illam, quae iacebat in Hexaplis, editionem discriminis interfuerit?

situ [1], nulla iam oriri potest controversia. Constabant editionibus per columnas dispositis: Aquilae, Symmachi, LXX., Theodotionis [2]. Hoc Tetraplorum opere magno cum applausu excepto, et a S. Literarum studiosis avide expetito; ‚Hexapla' adornare aggressus est [3]. Hexaplis hae ipsae interpretationes quatuor Tetraplorum eodem ordine collocatae erant, praemisso Textu Originario hebraicis, et eodem graecis characteribus exarato. Sed quia in quibusdam S. S. Libris et maxime his, ‚qui apud Hebraeos versu compositi sunt' [4], tres alias editiones reperit: ‚quam Quintam et Sextam et Septimam translationem vocant; auctoritatem sine nominibus Interpretum consecutas' [5]; eas ceteris adiunxit, atque hac ratione octo columnae iisdem in Libris e regione positae ‚Octapla', ὀκταπλᾶ adpellabantur [6].

---

reperitur apud Montfaucon, Palaeogr. gr. p. 226. et Praelim., p. 14. 15. sumtum e codice mss. Eusebii; cuius auctoritate constat Isaiae et Ezechielis libros ab editione Hexaplari exscriptos, ad fidem Tetraplorum collatos atque castigatos fuisse.

[1]) Post s. Epiphanii, l. c., d. Hieronymi Comm. in ep. ad Tit. 3, 8. p. 734., item speciminis codicis Barberini, apud Montf. praelim. p. 16. testimonia. [2]) Septuaginta virorum interpretationem tertio loco posuit; ut ad eam quam omnium existimabat esse accuratissimam, reliquae per columnas dispositae respicerent. Et ita ut textus textibus oppositi sibi invicem responderent, facilius exigi et examinari possent. [3]) Verosimile autem est Origenem positis totius structurae rudimentis; cum Caesareae ageret a. 231. p. C., iis edendis serio manum admovisse. Sic statuerunt duumviri clarissimi D. Huetius, Origenianorum I. 3, 3. ed. Lomm. XXII, 69. et Montfaucon, l. c. p. 13. [4]) S. Hieronymus, l. s. c. p. 735. [5]) S. Hieronymo teste l. s. c. [6]) Hoc itaque opere prima conspicitur a christiano publicata editio Textus Hebraei. E fragmentis autem quae exstant apparet, iam tunc plerumque ceteris lectionibus praelatam fuisse eam; quam et postea recensio Masoretharum ceu meliorem elegit. Quod enim Textum S. Bibliorum hebraicum ex optimis quorum facultas erat exemplaribus sumserit — eorum autem copia viro celeberrimo in Palaestina commoranti non deerat. — testatur in epistola ad Africanum professus: „τοῖς Ἑβραϊκοῖς ἀντιγράφοις" n. 2. p. 22. se pro modulo suo graeca exemplaria contulisse. Quod ipsum rursus fidem facit, Origenem literarum Hebraicarum non fuisse imperitum. Quae laus, a quibusdam nostrae memoriae in dubium vocata, manet Origenem etiam inde; quia vocales literis Graecis expressit, ne fluctuaret lectio, sed veluti quibusdam vinculis stabilis et certa consisteret, quod sine Hebraicae linguae cognitione non potuisset perficere. Talia vero tantaque opera tantorum sumtuum Origenes, mediocris fortunae vir, exsecutus est hortatore operis Ambrosio, viro ad summa nato, locupletissimo homine; qui cumulate facultates subministravit, ut notarii et librarii semper ad manus ei essent. Verum cum ingentia illa volumina pauci prae inopia sibi comparare possent, quidam existimant — e. g. Morinus, de Hebraici Graecique textus sinc. exerc. I, 4. 1, 5. p. 159. — Origenem exemplaria omnibus utilissima et parabilia vulgasse separata emendatae a se editionis LXX., quam ex Hexaplis

Quantae fuerit operae integra Octapla describere, et res ipsa per se clare loquitur, et d. Hieronymus expresse tradit; cum[1] ait: ‚se pro virili parte offerre linguae meae hominibus, ut pro Graecorum ἐξαπλοῖς, quae et sumtu et labore maximo indigent, editionem nostram habeant‘. Certum est post Origenem perpaucos fuisse, qui huiusmodi patronos cum scientiarum desiderio et pecuniis pro voto suo habuerint sicuti ille. Cumque prima Hexaplorum exemplaria usu attrita fuissent, ex scribendi negligentia totum opus in perniciem ruit. Magna illa Origenis fama fecit, ut omnes quibus Biblia Graeca erant, sua ad Hexaplarem editionem reformarent; sed haec recensio aliorum malorum origo fuit. Si signa Origenis studiose semper a librariis servata fuissent, non exiguum inde Critica s. caperet commodum; sed mox librariorum oscitantia exemplaria Versionis LXX. novis in dies deformabantur inquinamentis[2]. Illud vero annotare oportet, quod ab hoc inde tempore non emendata LXX. editio nomine ‚κοινῆς‘; i. e. communis, vulgata dicebatur[3].

Degenerante magis magisque editione Hexaplari, restituere eam conati sunt Eusebius et Pamphilus, ex ipso αὐτογράφῳ; quod erat in Caesareensi Bibliotheca, restitutam vero et seorsum magna diligentia descriptam publicaverunt: atque ea editio Palaestina dicta est[4]; vel quod Pamphilus ex Hexaplis in Caesareensi Palaestinae Bibliotheca repositis illos desumtos una cum Eusebio evulgavit, vel quod Palaestini eos codices Christiani in publicum usum — demto tamen Psalterio. — primi omnium receperint[5]. Cum repurgandis Hexaplis hanc navabant operam Eusebius

exemit et seorsum publici iuris fecit; sed pro hac sententia nullae afferuntur validae rationes. Hexaplorum perpauca facta esse apographa omnes largiuntur.

[1]) Praef. in Josue. [2]) Cum librarii praesertim asteriscos eorum et obelorum annotationem vel insuper haberent, vel non satis diligenter administrarent; ingens incedebat rerum perturbatio. De confusis et permixtis cum LXX. Theodotionis additamentis queritur S. Hieronymus, prol. Galeat. ipsum Origenem huius vitii reum faciens: „sed quod maioris audaciae est, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit.“ [3]) Cf. S. Hieronymi, ep. ad Sunn. et Fretel. 106, 2. p. 643. „Κοινὴ autem ista, hoc est Communis editio ipsa est quae et Septuaginta. Sed hoc interest inter utramque, quod κοινὴ pro locis et temporibus et pro voluntate scriptorum vetus corrupta editio est.“ [4]) Cf. Huetii, Origenian. III. 4, 8. p. 405. Usserii, de edit. LXX. interpr. c. 7. p. 73. s. [5]) En triplex editio LXX: Origeniana haec quae in Hexaplis; altera prioris mere germana Eusebii et Pamphili; tertia vetus illa quae Origenis emendationem praecessit, et Κοινὴ seu Vulgata adpellata; qua utebantur Sunnia et Fratella, piae et eruditae feminae, ad quas scripsit S. Hieronymus saepe laudatam epistolam. Ex qua clare intelligimus: quid vulgatam inter et illam, quae iacebat in Hexaplis, editionem discriminis interfuerit?

Syr. Hex. quos ex cod. Mus. brit. nunc pr. ed. not. illust. Thom. Skat-Bordam. Havn. 1861. e codice Musei Britannici. Gen. Lam. Bar. dedit A. M. Ceriani, Monum. s. et prof. I. II. Mediol. 1861. 3.

§. 80. De translatione Codicis s. Veteris Testamenti in idioma Syrorum.

Haud parum ad intelligendas explicandasque S. S. in se utilitatem adferre linguae scriptorumque Syriacorum[1] notitiam, omnes confitentur commentatores. Syriaca lingua ipsi Domino et Salvatori vernacula, ceteris dialectis semiticis hoc ipso longe praestare videtur[2]. Apostoli hac lingua primum Judaeis, deinde aliis populis circum vicinis, coeleste nuncium Regni divini promulgarunt, et postea literis tradiderunt. Ecquidem extra dubium positum est: partem aliquam N. T. videlicet libros: Evangelium s. Matthaei et Epistolam ad Hebraeos[3], sermone quodam haudquaquam a syriaco diverso, esse conscriptos[4].

Versio Veteris Testamenti in idioma Syrorum, ante omnia ab interpretatione Novi Testamenti probe discernenda est. Utraque enim, quamvis eadem lingua concinnata sit, tamen cum ratione antiquitatis, tum internae conditionis maxime distinguitur.

---

1) Qui cum post Christum natum aliquamdiu soli in Asia literas elegantiores, et imprimis theologicas excolerent, orthodoxae fidei tenaces ac pestifera haereticorum commenta refutaturi, ad diligentissimam S. S. tractationem excitabantur. 2) Enimvero coll. H. R. D. N. T. p. 217. s. in idiomate Syrorum voluntatem Dei, et expressa vitae aeternae promissa, Unigenitus Dei Filius orbi revelavit. Hanc sacro ore consecravit, in hac preces ad Patrem obtulit, mysteria mundo abscondita aperuit, ita ut dicere possimus; „Nos docet hic unus Numinis ore loqui." 3) Cf. H. N. T. p. 268. s. 461. s. 4) V. C. Fr. Miniscalchi Erizzo, Evangeliarium Hierosolymitanum. Veron. 1864. II, XXIV. s. Cum porro omnes Scriptores N. T. Syriaca vernacula in consuetudine quotidiana uterentur, non poterant non etiam, quae graece exararunt, colore quodam aramaeo tingere. Sed et quod ad V. T. attinet, tanta est linguae Syriacae cum Hebraica necessitudo, ut praeter unam arabicam, utpote semiticarum locupletissimam, hodieque adhuc in ore populi vulgarem, nulla sit, quae obscurioribus hebraicis vocibus illustrandis maiore cum fructu adhiberi possit. Nunc tamen ne nimium excurrat oratio, lectorem huius rei cupidum invitamus ad C. a Lengerke, de studio litterarum Syriacarum Theologis quam maxime commendando. Regiom. Pruss. 1836. I. II. atque Miniscalchi, l. c. p.

Utriusque Testamenti Versio rursus duplex est; alia antiquior, alia vero recentior. Vetustate, auctoritate, linguae indole celeberrima est interpretatio S. Scripturarum [1] ‚Peschito' i. e. ‚simplex' vocata [2]; quia interpretationibus allegoricis ac mysticis [3] opposita. Bibliis Sacris convertendis in vernaculum sermonem, initia quasi iacta sunt Literaturae Christianae apud Syros [4], quae deinde a variis varioque genere magno studio tractata ita profecerunt; ut saeculo quarto et quinto cum profectionis gradum attigerint, qui postea tantum abest ut superatus fuerit, ut ne servari quidem potuerit. Opressa siquidem per Saracenos Syrorum libertate, Religio et Literae sacratiores in abditis Coenobitarum recessibus latere debuerunt [5]. Saeculo altero a Natalibus Domini Libri S. iam Antiochiae potissimum lecti et transscripti sunt, inde autem in Syriam Orientalem una cum Evangelio allati fuerunt. At vero quae saepissime esse solet veterum originum obscuritas; eadem est antiquissimae versionis Syriacae [6]. Ceterum hoc satis exploratum est:

---

[1]) Qua vulgo Syri, Maronitae, Libani accolae, una cum Christianis S. Thomae in India extrema utuntur. [2]) פשיטא, coll. Chald. rad. פשט, apud Buxtorfium, s. h. v. [3]) Quas מְדְרַשׁ Judaei dixerunt. [4]) Cf. Assemani, Bibl. Or. I, 203. s. 351. s. IV, 70. s. 428. s. 924. s. [5]) Plura hac de re dabunt! J. C. Wichmanshausen, de ארם המקרא. Viteberg. 1711. Th. S. Bayer, Historia Osrhoëna et Edessena ex nummis illustrata. Petrop. 1734. p. 104. s. 173. 358. Schröck, Christliche Kirchengesch. II, 34. s. N. Wiseman, Horae Syriacae. Rom. 1828. p. 100. s. C. a. Lengerke, de Ephraemi Syri arte hermeneutica. Regiom. Pr. 1831. p. 81. s. J. Wichelhaus, de N. T. versione syriaca antiqua quam Peschitho vocant. Hal. 1850. p. 51. s. 122. s. Verissime Miniscalchi, l. s. c. p. X. s. „Incertis quippe, ut scribit de re literarum aram. Assemanus, in ded. Bibl. Orientalis I. ad Clementem XI., fontibus nata, per mille atque sexcentos annos magna litteratorum affluentia excurrit. Persarum postea, et Graecorum dominatione angustioribus coercita ripis iter coegit, donec Romanis Parthisque alternante fortuna, imperantibus, terram praeceps subiit. Mox Christianae Religionis favore emersit." Sane brevi tempore post acceptam fidem Christianam, Syrorum sacra poësis orta est; varietate et elegantia non minus quam gravitate insignis, quae quam maxime Psalmorum V. F. sapit ingenium, et ad eorum exemplar est composita. Ubique Moyses, Prophetae, Evangelia et Apostolorum Epistolae lingua nationali describebantur et transferebantur. Editi sunt in S. S. Commentarii, Scholia, Homiliae; singulares item Historiarum V. et N. T. partes hymnis et canticis illustrabantur. [6]) De tempore quo Biblia S. ex Hebraeo in sermonem syrum transfusa sunt Bar-Hebraeus — Praefat. ad Librum „Thesaurus Arcanorum", qui commentarium exhibet in totam Scripturam S. apud Wisemanum, hor. syr. II. symbolae phil. ad Hist. Vers. syr. §. 2. p. 90. — hanc refert Syrorum

tum e traditione Ecclesiarum Orientis[1]; tum e testimoniis ‚Veterum‘: interpretationem τοῦ Σύρου valde antiquam esse. Sane rationes haud spernendae Versionem ‚Simplicem‘ divi Ephraemi temporibus longe priorem esse probant. a. Scripta S. Patrum et Scriptorum E., in quibus nonnumquam ‚τοῦ Σύρου‘ mentio fit. Ita iam saeculo secundo Melito Sardensis[2] quendam interpretem ὁ Σύρος nominat[3]. Interpretis Syri mentionem fecerunt S. Basilius[4] et S. Ambrosius[5]. Certam eiusdem notitiam habuerunt d. Chrysostomus[6], et Theodoretus[7]; Praesul Hipponensis[8] et Doctor Stridonensis[9]. Syri porro b. in plerisque S. S. Libris Hexaplorum lectiones afferuntur ab Eusebio Caesareensi et Emiseno, maximeque

---

traditionem „Tres fuerunt sententiae; prima quod tempore Salomonis et Hiram regum conversa fuerit; secunda quod Asa sacerdos, cum ab Assyrio missus fuit Samariam, eam transtulerit; tertia demum, quod aetate Adaei Apostoli et Abgari regis Osrhoëni versa fuerit, quando etiam Novum Testamentum eadem simplici forma traductum est.“ Primae duae originum Peschitonianae interpretationis, de qua hic quaestio vertitur, causae vero dissimiles imo impossibiles sunt. Praeterea enim quod Libros S. Salomoni non minus quam Asae posteriores contineat, vocibus utitur manifeste graecanicis. Graeca autem lingua neque Salomonis neque Asae aetate Syris cognita erat. Ultima vero opinio primum Ecclesiae saeculum versionem istam adaequasse, e coniectura magis, quam e certis testimoniis ponit.

1) Enimvero Versio „simplex“, exarata fuit in lingua, quam loquuntur Maronitae, qui habitant in pagis circa montem Libani; etiam hodie apud Syros usitata est. 2) Annotatione ad Gen. 22, 13. p. 37. ed. LXX. Morinianae. 3) D. q. v. Montfaucon, Praeliminaria in Hexapla 1, 8. p. 18. Wichelhaus, de N. T. Syriaca Peschito p. 64. s. J. Perles, Meletemata Peschitthoniana. Vratisl. 1860. p. 3. s. 49. s. 4) In Hexaëmeron. II, 6. I, 18. 5) Hexaëmeron, l. I. 8, 29. p. 30. 6) In Joannem, homil. I, 2. p. 10. „Syri, Aegyptii, Indi, Persae, Aethiopes innumeraeque aliae gentes dogmata ab illo inducta in linguam suam transferentes.“ 7) Comment. in Jonae 3, 4. p. 1471. 8) De Civ. Dei XV. 13. 3. p. 75. 9) Ad Eustochium virginem, ep. 108, 30. p. 723. 10) Disputatur vero an si qui Syri lectiones adhibuerunt, eas ubi opus fuit graece expresserint, an ex aliqua Syriaci Textus graeca translatione prius adornata mutuati fuerint? De hac re donec clarum aliquod Veterum testimonium reperiatur, nonnisi hariolando loqui possumus. Sunt in Hexaplis haud pauca exempla, quae Syrorum versionem arguere videntur. Ita Gen. 8, 7. p. 26. Didymus testatur: Syrum dissimilem a Graeco lectionem prae se ferre. Eusebius Caesareensis et Diodorus Tarsensis Hebraei et Syri lectiones adferunt, ab aliis S. S. interpretationibus diversas. Theodoretus qui aramaicam linguam didicerat, praemissa nota ὁ Σύρος, graece opponit textui; quod sane non fecisset, si ex aliqua graeca versione sua deprompsisset. Quoniam vero Syri illius, cuius apud S. P. et S. E. mentio fit, lectiones

a Diodoro Tarsensi [10]. Idem porro sequitur c. e scriptis s. Ephraemi, e quibus patet S. Patrem non e Textibus originariis loca Divini Voluminis transferre: sed interpretationem iam existentem et quidem vulgatam adhibere. Duas vero tantum Versiones Ephraemo aptas ipsius aetate exstitisse novimus; nempe unam graecam, alteram syriacam. Allegatis igitur ab Ephraemo S. S. locis cum textu Versionis simplicis collatis, abunde clarescit, s. Patrem versione Peschito usum fuisse [1].

Syrus interpres Judaeae fuerit religionis an christianae? longa est inter viros doctos controversia. Cum externis hac de re prorsus destituamur argumentis, ad interna confugiendum erit. Et haec quidem per se spectata auctorem Christianum, Judaeo [2] longe probabiliorem reddunt [3]. Quae rursus omnia simul iuncta faciunt,

---

cum Peschito persaepe congruere observentur; — v. Perles, l. c. p. 50. — probabile utique videtur: Syrum, cuius interpretatio penes S. P. et S. E. passim affertur, esse Versionem simplicem.

1) Quod ita demonstratur. 1. S. Ephraemus verba plurima, quae profert allegando, tanquam obscura et obsoleta, aliis vocibus magis notis explicat. Quis iam commentaria scribendo ita transferret, ut suam ipsius versionem mox obscuritatis nota signaret? 2. Interdum Textus, quos citat, non solum ab Hebraico, sed et a Graeco differre affirmat. 3. Dicit se interpretatione iam „nota" uti, imo versionis simplicis vestigia tam diligenter premit, ut aliquando ad sensum minus aptum stabiliendum ea duce feratur. — Testimonia hanc in rem magna copia diligentissime collegit Wiseman, l. c. p. 122.; novis symbolis auxerunt C. a. Lengerke, de Ephraemo Syro S. S. interprete. Hal. Sax. 1828. p. 15. s. et Perles, l. c. p. 51. — Quae cum ita sint nihil aliud nobis relictum est, nisi ut statuamus: textum, quem in V. T., quod universum illustravit commentariis, secutus est s. Ephraemus, omnino illum Versionis Simplicis fuisse. 2) Simon, Hist. cr. V. T. II, 15. p. 76. ait: „videri possit non ab homine Christiano sed Judaeo concinnata." Perles, l. c. p. 8. scribit: „Neque dubitari potest quin Peschittho versio ab interpretibus pluribus confecta doctrinam iudaicam secuta, iudaicarum quae in Palaestina circumferebantur, versionum veteriorum servaverit vestigia." Cf. p. 15. s. 21. s. 3) Cumprimis α. Psalmorum. Cf. interpr. Ps. 21. 55. 110. Prouti iam G. Gesenius, ph. kr. u. hist. Comment. ü. d. Jesaia. Leipz. 1821. I, 1, 85. s. observavit, iis in rei testimonium locis allatis; quibus alium sensum Judaei, alium Christiani subiicere solent. Idem patet β. e sectionum titulis, in quibus mentio fit: de cruce eiusque veneratione; de ieiuniis et vigiliis; de piis precibus pro defunctis. Unde etiam bene refelluntur heterodoxi, qui contendunt hos et similes ritus ab Ecclesia Romana serius esse invectos. Addidit γ. L. Hirzel, de Versionis Syriacae quam Peschito vocant indole comment. cr. exeg. Lips. 1825. p. 129. s. illud argumentum, quod dicunt negativum; quo eadem sententia fulcitur et commendatur; quodve nititur collatione Syrum inter atque interpretes

ut credamus Versionem Simplicem [1] ortam fuisse: longe ante quartum saeculum, in Orientali Syria, ea dialecto quae maiori cum Hebraica gaudebat cognatione. Quod ad indolem universam translationis Peschito attinet, in variis lectionibus belle cum d. Hieronymo facit. Interpres Pentateuchi vetustissimus [2] plurimis in locis sensum magis, quam singula verba reddere curavit [3]. Codex ille, quo Syrus in vertendo usus est, lectiones habuit multas a recensione masorethica discrepantes; partim interpreti Syro privas, partim ei cum aliis Veteribus communes. E fonte hebraico immediate fluxisse, lectori attento patulum fit. Psalmorum liber prae ceteris singularis [4] reperitur. Solet tropos verbis propriis reddere; nominibus Dei metaphoricis faciliora substituere; breviter dicta amplius explicare; interrogationes in affirmantes propositiones convertere. Prophetae faciem nativam Textus originarii ostendunt [5]. Jobus Hebraeum magis exacte refert in syriaca quam in ulla vetustarum translationum Orientis. Proverbia ex hebraeo reddita sunt, quam-

---

iudaicos Onkelosum et Samaritanum instituta. Quid est quod minutiarum, quibus tam mira diligentia ac religione Onkelosum ac Samaritanum ceterosque omnes seriores Judaeorum interpretes deditos esse videmus, in versione syriaca nullae deprehenduntur; neque ille Syrus textus hebraici emendationibus eodem modo, quo iudaici interpretes, in locis, quae Divinae Maiestati aliquid detrahere videbantur, indulserit. Idem tenent Hävernick, Handb. der h. kr. Einl. I. 2, 94. Herbst, hist. kr. Einl. p. 198. Wette, Einl. p. 90. Bleek, Einl. p. 800. Keil, Einl. p. 564. Reusch, Einl. p. 95. Arnold, Herzogs R. E. XV, 401. et Wichelhaus, l. c. p. 73. „Ut vero h. l. taceam, ait, interna versionis indole vix prodi originem Judaeam, in Talmude procul dubio huius versionis mentio exstaret, si hominis Judaei esset opus.“

1) Si haec recte a nobis disputata sunto. 2) De fragmentis Pentateuchi cod. Tischendorfiani 13. nota insignitis saeculi X. v. Fr. Tuch, comment. de Lipsiensi Codice Pentateuchi Syri mss. Lips. 1859. 3) Hoc consilio ductus modo sententias aliter iungit verborumque ordinem mutat, modo addit omittitve, quae ipsi aut apta aut inepta videntur; modo ipso Textu originario accuratior esse, eumque quasi emendare studet; modo commutando vocabula, quorum nimis lata esset significatio, magis rem definientibus, difficiliora etiam facilioribus, translata propriis vel denique sententias per ambages enunciando sensum edicit. V. A. Geiger, l. s. c. p. 167. 276. 4) Idque haud dubie eam ob causam, quod eius in Ecclesiae Syriacae Lyturgia maximus fieret usus; — v. Fr. E. C. Dietrich, de Psalterii usu publico et divisione in Ecclesia Syriaca. Marb. 1862. p. 2. s. — optimi quique sublime Psalterii argumentum sibi proprium reddebant, eiusque lectione delectati sunt. 5) Cf. Gesenius, Jesai. p. 82. Credner, de Prophetarum minor. vers. Syr. quam Peschittho vocant indole. Gott. 1827. p. 82. s.

quam deinde ex LXX. reficta esse passim censentur[1]. Versio quoque L. L. Paralipomenon minus fidelis esse reperitur[2].

Praeter hanc interpretationem, etiam Versionum Syriacarum quae e textu Graeco confectae sunt, plures exstant; sed ceteris praestantior ‚figurata‘ quam vocant[3], sive syro-hexaplaris[4], auctore Paulo episcopo Telensi[5]. Ad criticum eius usum quod

---

1) Cf. Dathe, opusc. p. 110. s. 2) Textum in universum, quo Syrus usus est, alium habuisse videtur ab illo, qui nostris manibus teritur, hic illic discrepantem; Alexandrino illi LXX. similem. Unde tot reperiuntur loci in Pentateucho, collati ab Hirzel, l. c. p. 125., quibus Alexandrinis et Syro consentientibus conspirat etiam Samaritanus. Habentur in translatione syriaca lectiones quaedam, quae ipsi sunt propriae, sensumque efficiunt vulgari haud conciliandum; aliae quae consensum Syriacam inter et Graecam LXX. ultro offerunt, eumque manifestiorem, quam inter quoscunque ceterorum veterum interpretum, unde in explicanda S. S. utilitate sese commendat. Versiones plures praesertim arabicas et armeniacas ex Syriaca ortas, vel saltem refictas fuisse, passim sumitur a criticis. 3) Ex celebri loco Abulpharagii, historia comp. Dynastiarum, quam edidit E. Pocockius. Oxon. 1663. Ibi. p. 184. legitur interprete eodem Pocockio: „et alteram figuratam iuxta LXX. Seniorum interpretationem e lingua Graeca in Syriacam traductam longo post Salvatoris incarnationem intervallo.“ Qui locus ut recte advertit Wisemanus, l. c. decem ante Abulpharagii editionem Oxoniensem annis vulgatus erat ab Abrahamo Ecchellensi, in notis ad Hebedjesu catal. Rom. 1653. p. 240. 4) Ut dixit Bugatus, in ed. Psalt. syr. mediol. 5) „Testamentum vero vetus Septuagintavirale Paulus episcopus Tellae Mauzaleth, ex Graeco in Syriacum transtulit“; habet praefatio Thes. arcan. ap. Wiseman, l. c. p. 91. Alexandriae a. 617. confecta esse creditur. Huius versionis codicem se manibus tractasse et oculis usurpasse contendit Andreas Masius — „Vir perspicacis ingenii et doctrinae singularis“, ut bene animadvertit Huetius, de interpretatione l. II. Stad. 1680. p. 235. — in Josuae imperatoris Historia illustrata atque explicata Antverp. 1574. ep. dedic. ad reg. c. p. 6. scribit: „interpretem Syrum ubique auctorem certissimum habui; qui ea Graeca ad verbum expressit ante annos nongentos, quae in Adamantii hexaplis ab Eusebio in nobili illa Caesareensi Bibliotheca fuere collocata.“ Et p. 123. praef. in graec. ed. Jos. atq. annot. s. dicit: „habeo aliquot s. Historiae libros, qui et conversi in linguam syriacam et scripti sunt Alexandriae, anno ab Alexandro M. novies centesimo vigesimo septimo, conversi ad verbum de Graeco exemplari.“ Flebile quidem codicis istius fatum est, quod ita sese adusque subduxerit, ut a nemine amplius indagari potuerit. „Habeo enim ait Masius ded. p. 6. ab illo interprete Syro etiam Judicum historias et Regum; praeterea Paralipomenon, Esdram, Esther, Judith, denique Tobiae et Deuteronomii bonam partem.“ Eadem tamen forte esse videtur, quam continet codex Ambrosianus Mediolanensis, cuius notitiam dederat de Rossi, specimen ineditae et hexaplaris Bibliorum versionis Syro-Estranghelae praef. §. 2. Parm. 1778.; publica luce donarunt Norberg, Bugatus, Hasse, Middeldorpf et Skat-Rordam a nobis p. 177. 8. laudati. Cadunt in eum simulque in archetypum graecum,

attinet, tanti maioris facienda est haec translatio, quanto plus ei inest fidei et diligentiae. Integritati Hebraici Textus testimonium, vitiis vero LXX. interpretum emaculandis nova adfert remedia [1]. Neque tamen reticere licet id, quod Syrus interpres, quamvis verba Graeca summopere persequens, eorumque vel etymologiam premens; tamen ob vocabulorum penuriam, qua lingua Syriaca laborat, saepissime coactus fuit uno eodemque vocabulo syriaco uti, ad exprimendam magnam vocabulorum copiam, quas graeca lingua et sensus et etymologiae vinculo cognatas praebet [2]. Karkaphensis demum sive montana, dicitur editio quaedam Bibliorum Syriacorum, de qua disputatur, sitne revera versio et cuiusnam indolis? vel tantummodo recensio τῆς Peschito? At cum e rationibus gravibus ostensum fuerit [3], esse nisi recensionem monophysiticam; cuius textus fundamentalis est versio ‚Simplex', et quidem ammanuense Davide monacho coenobii S. Aaronis [4] exscripta; in numero Versionum syriacarum veluti peculiaris interpretatio censeri non potest [5].

§. 81. De interpretatione Syriaca N. F. prisca et heracleensi.

Non multo post absolutam simplicem V. F. versionem, exeunte saeculo secundo, initio certe saeculi tertii L. L. N. T. in

quod interpreti prae manibus fuit, omnes illae notae, quibus codices hexaplares ab aliis dignoscuntur.

1) Cfr. Bugati, praef. ad Dan. n. 17. p. 25. s. V. p. 176. s. 2) Cf. Middeldorpf, praef. p. 11. Quod ad Psalmorum translatorem in specie attinet, investigatio versionis ostendit: eum satis graece doctum suoque muneri parem exstitisse: Latino attamen interprete inferiorem fuisse. Quodsi facta collatione compertum habeamus lectionum, quae in reliquis testibus criticis non inveniuntur, apud Syrum Hexaplarem vix unum aliudve vestigium esse; tamen in lucro deputandum est, auctum esse numerum testium eorumque bonorum in varietate lectionis V. T. iudicanda. Cf. J. Th. Plüschke, de Psalterii mediol. a C. Bugato editi peculiari indole ei. usu cr. in em. t. Ps. gr. LXX. Bonn. 1835. p. 16. s. 3) A celeberrimo Wisemano, l. c. p. 151. s. qui textum Karkaphensem in codice 153. Vaticanae Bibliothecae primus omnium detexit. 4) Quod quidem situm est in praecipuo fere Mesopotamiae monte „Sigara", unde nomen montanae, quia sc. recensio ista a Jacobitis in montano Sigarensi adhibetur. Wiseman, l. c. p. 241. 5) Neque Nestoriani habent interpretationem aliquam propriam et a Peschito discrepantem. L. Wiseman, l. c. p. 140. 1.

linguam Syrorum translatos nemo facile negabit, qui vel obiter prima rerum christianarum apud Syros incrementa noverit [1]. Hoc autem evenisse, postquam versio simplex L. L. V. F. divulgata fuerit, haud vane colligitur inde; quod translator N. F. [2] qui textum Graecum κατὰ πόδα sequitur, multis tamen locis ex V. T. repetitis, simplicem versionem V. F. transscripserit. Idem inferunt [3] ex eo, quod epistolam d. Petri posteriorem, s. s. Judae, Joannis II. et III. atque Apocalypsim — quarum auctoritatem Syros procedente saeculo III. agnovisse, scripta S. Ephraemi testantur [4] — non complecteretur [5]. Hoc autem vix tardius evenire potuisse dicunt; enimvero cum Canon N. T. fixus et communi Ecclesiae calculo probatusque erat, non licuit Libros hosce amplius extra S. Biblia collocare [6].

---

1) Accolae imprimis regionum trans Euphratem sitarum, ad quos linguae graecae notitia non pervenerat: Novum Testamentum, quod maxima sui parte graeco idiomate scriptum est, in vernaculum sermonem translatum desiderarunt. Quod quale fuerit, cognoscitur e praestantissimo * codice Vaticano inter Syr. V. ol. 11. nunc 19., formae quae nominatur quartae minoris, fol. 196., paginis in binas columnis divisis; quem descripsit J. Assemanus, Bibl. Apost. Vatic. Cod. Mss. Cat. Rom. 1756. I. 2, 70. s.; expendit Adler, l. c. p. 137. s.; illustravit ediditque C. Fr. Miniscalchi Erizzo, l. c. p. V. Apographum codicis longe vetustioris saeculo XI. factum habetur. Accedit quod unicum priscarum literarum syriacarum q. d. Palaestinarum, sit specimen, quas a scriptura „Estranghela" — a v. gr. στρογγύλος, rotundus? — dicta multum differre constat. Lingua quoque a proprietate s. Ephraemi et Jacobi Edesseni diversa est; in nominum verborumque formis τοῦ Targum dialecto, quam proxime accedit. Elegantiae expers interpres, valde perspicuus et antiqua simplicitate clarus, grammaticae et syntaxeos leges parum attendit. Puncta diacritica perrara, aut potius nulla usurpat. Continet Evangelia Eglogadia, sive lectiones Evangeliorum per anni curriculum a Dominica Resurrectionis usque ad sabbatum s. inclusive; item lectiones de Resurrectione Domini; demum lectiones in Festis S. S. a. m. Septembri ad Augustum iuxta ritum, quo etiam hodie utuntur, qui Melchitae nuncupantur. Tituli Lectionum sermone arabico, literis tamen syriacis Palaestinis exarati sunt. 2) Nam hoc, quod quibusdam placuit: singulas N. T. partes, diversos habuisse translatores, idoneis argumentis nondum est probatum. 3) Haud perperam quidem, ut putamus. 4) Cf. C. a. Lengerke, de Ephraemi Syri arte hermeneutica. Regim. 1831. p. 4. s. 5) In Evangeliario, quod laudavimus n. 1., Hierosolymitano, legitur Joann. c. 8, 3. s. c. 21. p. 1. Marc. 16, 9. s. et Luc. 22, 27. 28. I, 318. s. 410. 422. s. 460. s. V. H. N. T. p. 245. 281. 303. 6) Apud Syros, scribit Cosmas — ab indica navigatione Indicopleustes dictus, Topogr. chr. l. VII. apud Montfaucon, Collectio nova P. et S. Par. 1707. II, 292. — autem nonnisi tres praedictae reperiuntur, videlicet Jacobi, Petri et Joannis. V. interim Comm. h. p. 46. s.

rectius Polycarpi interpretatio; item an omnes N. T. L. L. complexa sit quaeratur? Certum et firmum hac de re iudicium ferre non possumus, cum nondum repertus sit codex, qui integram Polycarpi interpretationem, vel saltem maiorem eius partem exhiberet: ex quo indolem eius cognoscere valeremus. Gloriantur quidem testes domestici de summa, qua elaborata fuit, accuratione et diligentia [1]: sed numeris omnibus haud absolutam fuisse inde sequitur, quod post saeculum vix elapsum Thomas [2] novam huius versionis editionem ad duo vel tria exemplaria graeca collatam rursus curaverit. Quod non solum testantur scriptores Syri [3], qui istius viri mentionem fecerunt; verum etiam epigraphe ab ipso illo Thoma suae et Evangeliorum et Epistolarum Catholicarum versioni addita confirmat [4]. Quando autem cum quibusdam codicibus Graecis et Versione antiquissima Syrorum Heracleensis collata fuerit? atque ad morem Hexaplorum obelis, asteriscis lectionibusque ad marginem annotatis variantibus distinguebatur [5], rursus nescitur [6].

---

quae omnino fidem meretur. Iste quidem memoriae prodidit: Polycarpum Chorepiscopum Philoxeno ipso duce et suasore hanc versionem e Graeco elaborasse.

[1]) Fragmenta exigua e Scholiis Cod. Vat. n. 153. adscriptis, vulgavit Wiseman, l. c. p. 178., graecae fidei satis respondent. [2]) Ab urbe natali Heraclea Syriae. Heracleensis dictus, olim coenobii Taril monachus; deinde u. v. episcopus. [3]) Bar-Hebraeus, in Chronico p. 334. 441. et Anonymus, Thomae biographus, apud Assemanum II, 93. [4]) Congessit notisque illustravit haec testimonia G. H. Bernstein, de Charklensi Novi Test. translatione syriaca comment. Vratisl. 1837. — ed. II. 1854. — p. 7. s. Cum autem satis appareat: Thomam Harclensem recensionem potius, sive editionem novam Philoxenianae interpretationis suscepisse, quibus literarum subsidiis hanc operam praestiterit videamus? Evangelia cum duobus vel tribus — coll. Matth. 27, 35. 28, 5. ubi tria exemplaria graeca laudantur. — qui probatissimi habebantur codicibus Graecis contulit; Acta autem Apostolorum et Epistolas Catholicas ex uno tantum sed correctissimo recognovit; quot vero in Epistolis Paulinis habuerit libros, non constat; quoniam unicus ille codex Oxoniensis, qui praeter alios N. T. Libros etiam S. Pauli exhibet — e quo Whitius u. i. v. eos publici iuris fecit. — in epistola ad Hebraeos deficit, epigrapheque destituitur. Heracleensis translationis, quam Syri adpellatione [illegible], ἔκδοσις, editio — sc. libri v. G. H. Bernstein, Lexicon. Syr. C. K. acc. Lips. 1836. p. 321. — ornarunt, apud scriptores domesticos — e. c. Bar-Bahlul in Lex. syr. et arab. msso. et Bar-Hebraeo — Abulpharagio — in Thes. Myster. — veluti praeclara laudatur. [5]) Quae tamen signa, in pluribus apographis ammanuensium imperitia, mirum in modum depravata sunt. [6]) Exstat in sat multis codicibus mss.

Heracleensis graecum exemplum presse secuta, verbum de verbo reddit, singula fere verba, imo ipsa quoque verborum consecutio servata habetur[1].

§. 82. Recensus editionum S. S. U. F. Syriacarum.

Operae pretium forsan fuerit epiphonema de variis Translationis Syriacae editionibus addere. Licet haud pauci codices mss. versionum Syriacarum in Bibliothecis Europaeis exstarent: editum tamen fuit primum Novum Testamentum Viennae Austriae 1555. d. Ferdinandi I. Rom. Imp. iussu et liberalitate. J. A. Widmanstadius vir literarum Orientis peritissimus, et Provinciarum inferioris Austriae Cancellarius, Ferdinando persuasit ut sumtus faceret. Etsi frontispicium libri annum 1562. praeseferat, tamen opus iam a. 1555. absolutum fuisse ad calcem tam primi, quam secundi voluminis adscribitur. Editio princeps N. T. syriaci versionis Peschito t. I. hac inscriptione prodiit: „Liber Sacrosancti Evangelii de Jesu C. D. et D. N.“ t. II. S. Pauli Ep. XIV. s. Lucae Apost. Hist. S. A. Jacobi Petri et Johann. 328. f. in IV. Editio rarissima, accuratia et nitore omnes alias subsecutas vincens, atque codicibus magna antiquitatis laude claris confirmata. Widmanstadius noster pro laboribus suis innumeris in hoc opus impensis, hoc solum praemium in fine praef. ab Imperatore petiit: ut a magistratu, quem gerebat abire, et reliquum vitae suae tempus literis vacare posset. Quod etiam impetravit atque Canonicus factus est. Recusum est N. T. Gen. 1569., sed incredibili perversitate. — Ne quid dicamus de aliis eruditi Widmanstadii partibus typis descriptis et manuscriptis, qui in variis Bibliothecarum latebris haerent, instituti nostri ratione prohibemur. Praestiterunt hoc: J. G. Schelhorn, sched. hist. liter. de eximiis Suevorum in Literaturam Orientalem meritis, in Amoenit. Liter.

---

[1]) Vocibus Graecis haud raro ad taedium usque respondet, ita ut Syriacae linguae indolem et leges violet; et vix intelligi possit nisi ex Textu originario. Unde patet his duabus Polycarpi et Thomae translationibus, utpote e quibus cognosci potest textus Graecus eorum exemplarium, quae tanquam sui temporis correctissima duumviri isti iudicarunt; haud exiguam in re critica auctoritatem esse concedendam. Habetur fasciculo 14.664. Musei Britannici, pretiosum literarum syriacarum et testium veterum N. T. monimentum, scripturae antiquissimae; quod Evangeliorum pericopas, Psalmos e versione LXX. cum numeratione hebraica translatos. Reperiit et descripsit istud ἕρμαιον J. P. Land, Symbolae Syriacae. Lugd. Batav. 1862. p. 43. s. Servantur quoque in eodem Museo libri manuscripti τῆς „Simplicis“ q. d., quos strictim enumeravit idem Land, l. c. p. 13. s. Ceterum uberior istorum notitia exspectatur a G. Wright, cui post Curetonum traditum est, munus parandi catalogum syriacum Musei Britannici.

Francof. 1730. XIII, 223. s. **Walton**, *proleg. XIII. excurs. II. p. 1512. s.* **Lambacher**, *Bibl. Ant. Vindobon. Civ. Vienn. 1750. I, 7. J. Fr.* **Hirt**, *Orient. u. Exeget. Biblioth. Jen. 1772. II, 263. s. V, 25. s. J. J.* **Locher**, *spec. Acad. Vienn. 1773. p. 315. M.* **Denis**, *d. Merkw. d. garell. Bibl. Wien. 1780. p. 285. s. V.* **Seback**, *in Pletz, N. Th. Zeitschr. Wien 1829. II, 184. s.* **Jászay** *P., észrevételek a müncheni codex szólamára, in régi magyar nyelvemlékek Bud. 1842. II, XXVI. s. — Vetus Testamentum editum demum fuit in Polyglottis Parisiensibus M. le Jay. 1645., a Gabriele Sionita ex cod. msso. hiante, in quo deerant L. L. Tobiae, Judith, Esther, ep. Jeremiae, Baruch, partes Danielis et Macchabaeorum. Quae omnia deinde expressa sunt in Polygl. Londinensibus, operam navante cumprimis Edm.* **Castello** *a. 1657. Literis hebraicis Norimbergae 1715. s. e. „חדתא דיתיקא" excusum est N. T. Praeterea V. T. eos tantum Libros sistens qui apud acatholicos reperiuntur iussu societ. bibl. recognovit et ad fidem mss. emendavit S.* **Lee**. *Lond. 1823. In proprium Maronitarum usum Romae typis Congregationis de propanda fide anno 1703. N. T. procusum est II. tomis syriace et arabice rep. Par. 1824. a Silv. de* **Sacy**; *idem N. T. denuo recognitum atque ad fidem codicum manuscriptorum emendatum prodiit 1816. Londini cura Samuelis Lee. Versionem Philoxenianam tomis quatuor edidit J.* **White** *ex codicibus Ridleyanis Oxonii 1778. 9. 1803. Praeter illas maiores editiones Versionis Syriacae, quae integrum codicem s. V. sive N. T. typis exscriptas continent, multae reperiuntur, quae partem utriusque exhibent. Sic Pent. Syr. e Pol. Lond. ed. G. C.* **Kirsch**, *Lips. 1787. Psalmi saepius editi sunt separatim, imprimis secundum duos codices mss. ab* **Erpenio** *Lugd. Bat. 1625.; quam denuo recensuit editionem J.* **Dathe**, *notisque adiectis vulgavit Hal. 1768. Libros V. T. quos Acatholici perperam apocryphos dicunt adhibitis sex codicibus Musei britannici 12142, 1443, 1445, 1446, 1447, 17105. publicavit P. A. de* **Lagarde**. *Lips. 1861. Das h. Evang. des Johannes syr. in Harklensischer Übers. n. e. vatic. Handschr. v. G. H.* **Bernstein**. *Lips. 1853.* **Cureton**, *Remains of a very ancient recension of the four Gospels in Syriac; sumta e codice a Syrorum Deiparae Aegyptio coenobio — cuius antiquitas tamen Miniscalchio, proleg. p. XLIII. valde suspecta esse videtur, — ab Archidiacono Tattan a. 1842. in Angliam allato; publicata dedit Lond. 1858. Cf. Le Hir, Etud. s. u. anc. vers. syr. p. p. Cureton. Par. 1859. Hermansen, de Cod. Syr. a Curetono typ. descript. disp. Havn. 1859. Evangeliarium Hierosolymitanum — adusque ἀνέκδοτον — ex Cod. Vat. Palaest. deprom. ed. lat. vert. prol. ac gloss. adorn. Com. Fr.* **Miniscalchi** *Erizzo. Veron. I. 1861. II. 1864. Fragmenta codicis Ambrosiani Mediol. v. p. 183. qnae partes Pentateuchi Lamentationes Jeremiae et*

l. Baruch exhibent publici iuris fecit A. Ceriani, *Monum. Sacr. et Prof. Mediol. 1861. v. I. f. 1. Epistolas quatuor Petri II. Joannis II. et III. et Judae e. mss. Bodl. dedit E.* Pococke. *Lugduni 1630. Apocalypsis e codice Scaligeri depromta, versionis ut putatur Heracleensis, vulgabatur opera* Lud. de Dieu. *ib. 1627.*

§. 83. Versiones Arabicae A. T.

Cum iam diu ante Mohammedem multi in vastissimis illis provinciis Arabum et Judaei degerent et Christiani [1]; quin ubi Judaeorum in Arabia quinto p. C. n. saeculo florentissimum esset regnum: iam hinc probabile est varias fuisse etiam arabicas versiones, cum e Textu Hebraeo, tum et e versione LXX., quoad Vetus Testamentum; ex Originario quoad N. T.; tum etiam e syriacis interpretationibus quoad Utrumque Foedus spectat, confectas. Fieri potuit, et quodammodo debuit: ut Arabes ad fidem Christi conversi, reliquarum gentium exemplo, acciperent S. Scripturas in vernaculam linguam suam conversas [2]. At si quid certum in re veterum Versio-

[1]) Ita testantur scriptores non Christiani tantum sed Mohammedani, imo et Alcoranus ipse; qui ubi multa nugacissima de Christianis narret, profecto de Arabibus, non de aliis intelligi debet. Cf. Eusebii, Hist. Eccl. V, 19. p. 22. Philostorgium, II, 6. p. 471. ed. Val. III, 4. p. 477. Sozomeni, Hist. Eccl. VI, 38. p. 699. Martyrium s. Arethae, in anecdotis gr. e cod. reg. J. Fr. Boissonade. Par. 1833. p. 10. s. 43. s. Cyrilli mon. vit. s. Euthymii M. Abb. c. 4., in Act. S. Boll. ad 20. Jan. II, 305. E. Pocockii, not. ad Gregorii Abu'l Faragii Malatiensis, specimen Historiae Arabum ed. J. White. Oxon. 1806. p. 73. 87. 141. 218. Anonymi, de initiis et orig. Religionum in Oriente dispers. q. diff. a rel. chr. l. ed. G. H. Bernstein. Berol. 1817. p. 18. C. G. Fr. Walch, Historia rerum in Homeritide S. S. cum a rege Judaeo contra Christianos, tum ab Habessinis ad hos ulciscendos gestarum, in Nov. Comm. Soc. reg. Gott. 1774. IV, 15. s. Renaldoti, diss. de arabicis S. S. versionibus, in Migne Curs. compl. S. S. Par. 1839. I, 507. s. Döllinger, Gesch. d. chr. Krche. Landsh. 1835. I. 2, 129. s. [2]) Fuisse ante Mohammedem, et quidem ab incunabulis rei christianae Arabes fideles, cum Apostolum eo profectum esse constet, Gal. 1, 17.; imo haud paucas in Arabia exstitisse Ecclesias dubitari nullatenus potest. Ubicunque autem coetus christiani collecti fuerant, Divina Volumina in synaxi s. publice legebantur. Neque enim aut officia laudum quotidianarum, aut sacrificia eucharistica aut sacramenta celebrari poterant, absque S. S. lectione. Consuetudinem, quae toti quacunque patebat Ecclesiae, communis fuit, apud Arabes aliquam exceptionem habuisse, ne venire quidem in mentem potest. Neque enim Christiani quodammodo habiti fuissent, qui S. S. non adhibuissent. Superest igitur: ut eas habuerint fideles Arabes; sed alia lingua quam Arabica eas legisse, prorsus impossibile indicandum est; cum ut ex omnibus illorum memoriis historiarum appareat, linguae suae semper studiosissimi fuissent.

num est, illud sane esse putatur: quod interpretationis arabicae L. L. V. aut N. T. ante Mohammedis tempora factae nullae supersint reliquiae. Serius tandem decimo fere saeculo condita est antiquissima, quam nunc habemus translatio S. S. in Arabicam linguam. Deinde vero postquam Mohammedani fere omnem, quae Indicum et Atlanticum mare interiacet regionem, armis subegissent, arabicaeque etiam linguae usum per Asiam, Africam et in magna Europae parte propagassent; lingua arabica alias ferme omnes ita delevit, ut tandem vernacula in multis provinciis foret, ubi olim prorsus ignota fuerat. Quae cum ita sint, non mirabimur per amplissimum regionum istarum intervallum, haud parum fuisse auctum numerum versionum arabicarum. E quibus quae ad manus nostras pervenere eae factae sunt, cum e Textu Hebraico et Graeco, tum ex aliis versionibus LXX., Syriaca, Vulgata, et Coptica.

In recensendis interpretationibus Arabicis, initium faciemus ab illis V. T., quae e Textu Originario fluxerunt. Et Versiones istae quidem ex recensione masorethica ductae sunt. Inter eas princeps est: versio quam confecit R. Saadias Gaon[1]. Variis abs se editis scriptis eruditus iste[2] inclaruit; sed nullo magis Versione arabica, quam quidem totius Scripturae V. F. Sacrae interpretationem fuisse, testantur Judaei[3]. Notissima autem omni aevo exstitit Saadiae translatio quinque Librorum Moysis[4]. Quod ad colorem proprium Pentateuchi versionis Saadianae attinet, plerumque a verbis et phrasibus hebraicis recedit, et paraphrastem saepius quam interpretem agit. Reperitur quoque frequens eius cum Chaldaico interprete consensus, hebraeorum verborum transscriptio, arabicorumque ad hebraea libera accommodatio, usus vocabulorum rariorum verborumque constructio

---

1) נאון excellens nuncupatus. „Ita vocabant Scholae Soranae rectores, quae babylonicarum praecipua erat, adiunctumque simul habebat principatum illum imaginarium; quos Hebraei Rasche Galouth appellabant.“ Renaldotus, l. s. c. p. 515. Nonnunquam etiam a patria הפיתומי, Phitomensis dictus est; utpote natus in civitate Phaium. Olim Phitom, de qua v. Abulfedae descript. Aegypti ed. J. D. Michaelis. Goetting. 1776. t. p. 10. 27. not. p. 54. s. 111. s. H. R. D. V. T. p. 90. s. 2) Cf. Wolf, Bibl. Hebr. I, 932. 3) R. Petachia in סְבִיב הָעוֹלָם, itinerario mundi, quod edidit Wagenseil, exercit. sex varii arg. Altorfii 1697. p. 178. Praeter vetustiores quosdam e. g. Erpenium et Pocockium; hanc sententiam „de universis conversis a Saadia Bibliis S. V. F.“ defendunt: L. Dukes, literatur. hist. Mittheilungen ü. d. ält. hebr. Exegeten. Stuttg. 1844. p. 44. s. 73. s. Haneberg. üb. die arab. Psalmenübers. d. R. Saadia Gaon, in Abhandl. ph. ph. Cl. der bayr. Akad. der Wiss. Münch. 1840. p. 357. s. 4) Quae typis descripta habetur in Pentateucho quadrilingui — Hebr. Chald. Pers. Arab. — quem Judaei Constantinopoli a. 1546. p. C. 5307. m. c. evulgarunt, cuiusque raritas prorsus singularis est. Cf. Renaldotum, l. c. p. 521.

minus usitata, placitorum Judaicorum notiones, quas commendat [1]. Saadiam omnes V. T. L. L. in gratiam suorum popularium [2] in linguam transtulisse arabicam, argumento sunt ,Isaias' [3] editus; cuius ea ipsa indoles eademque plane, quae Pentateuchi Saadiani esse reperitur. Sunt vero e reliquis quoque S. S. Libris V. F. fragmenta partim publici iuris facta [4], partim inedita [5]; quae idem commonstrant, atque testimonium Abulpharagii [6] coaevi omni dubio maius, hoc ipsum evincit. Quocirca standum in hac opinione: Saadiam integri V. T. versionem confecisse [7]. Pervulgata diu erat apud eruditos sententia, L. L. V. T. Historicos, quos dicunt, ex LXX. in arabicum sermonem transfusos esse; sed accuratior istorum investigatio [8] docuit, errore illud quidem de omnibus his libris affirmari. Locorum haud exiguo numero collatorum vi, probatum est: interpretationis Arabicae fontem non in Alexandrino; sed in Hebraico et Syriaco exemplari esse quaerendum [9].

---

[1]) Communissima autem criticorum sententia est, versionem arabicam in textu Polyglottorum Parisiensi exhibitam, ac deinde in Londinensibus repetitam, non aliam esse quam illam Saadiae; sed aliquibus in locis interpolatam. Sciunt enim quibus familiares sunt Orientales Literae, nihil aeque rarum esse quam codices ita similes, ut sibi accurate omnino respondeant. Quamquam haud deessent, qui de identitate dubia moverent. Horum primus exstitit J. H. Hottinger, diss. de Heptaplis Paris. ex Pent. instit. Tiguri. 1653. Renaldotus, l. c. p. 523. Michaelis, Or. u. exeg. Biblioth. IX, 153. s.; quos attamen refutarunt: C. Fr. Schnurrer, diss. de Pentateucho ar. polygl. p. 226. Eichhorn, Einl. ed. 2. I, 497. Hävernick, Einl. I. 2, 99. s. Herbst, hist. krit. Einl. I, 212. s. Haneberg, Gesch. d. bibl. Offenb. p. 771. s. Saadianam translationem ante oculos habuit Judaeus Africanus in explicandis S. S. exercitatus, cuius Pentateuchum typis exscripsit „e codice msso. literis quoque hebraicis exarato, quem ex legato Scaligeri tenet Bibliotheca Leidensis" Th. Erpenius. Lugd. Batav. 1622. De q. v. Renaldotum, l. c. p. 523. s. [2]) Longe lateque per universum imperium Saracenicum dispersi quidem erant. [3]) E MSS. Bodleiano ab H. E. Paulus Jen. 1790. 1. Cf. de h. v. et ed. Gesenii, Com. ü. d. Jes. I, 89. s. [4]) Psalmorum, Ps. 68. e codice Monacensi ab Haneberg, l. c. p. 403. s.; Ewald, üb. arab. geschriebene Werke jüd. Sprachgelehrten. Stuttg. 1844. p. 9. s. autem e codice Oxoniensi Pocockiano plures Psalmos p. 9. s., Jobique partes p. 78. s., quarum aliquid iam S. Stickel, in Jobi loc. cel. 19, 25—27. de Goele comment. Jen. 1832. p. 29. s. dederat, evulgavit. [5]) Bodleianam collectionem Jeremiae quoque et Ezechielis versionem Saadiae habere dudum monuit Schnurrer, diss. de Ezech. XXI. p. 435. s. Duodecim Prophetarum minorum etiam ibi reperitur interpretatio. Cf. Dukes, l. c. p. 74. s. [6]) Ap. S. de Sacy, Chrestomathie arabe. ed. II. Par. 1826. II, 357. s. [7]) Speramus illam aliquando e thesauris Bibliothecarum in publicam lucem proferendam esse. Praeterea habetur arabica interpretatio lib. Jud. Ruth. Sam. I. Reg. II. Reg. Nehemiae, primum edita in Bibl. polygl. Par. cura Gabrielis Sionitae et Abrahami Echellensis. [8]) Facta est per Aem. Roediger, de origine et indole arabicae L. L. V. T. Historicorum interpretationes l. II. Halis Sax. 1829. [9]) Potior pars

Arabicae Novi Testamenti versiones plurimae reperiuntur. Parum autem prodesset S. Textus varias versiones arabicas N. F. recitare, earum auctores inquirere, locum et tempus, quo emissae sunt annotare; nisi simul quomodo factae, ac unde petitae declaretur, ut sic de earum pretio iudicari queat. Illarum, quae aetatem tulerunt, primo loco expendenda venit interpretatio Evangeliorum, cuius quatuor potissimum distinguuntur recensiones: Romana, Erpeniana, Parisina, et Lagardii Codicis Vindobonensis. E Novi Testamenti libris, in amplissima, quam Ferdinandus Magnus dux Hetruriae Romae condiderat, typographia linguarum Orientalium, anno 1590. in lucem venit: Evangelium Sanctum D. N. J. C. conscriptum a quatuor Evangelistis S. S. i. e. M. M. L. et J. Rom. in typogr. Medic. Editio historiarum in textu memoratarum imaginibus decorata. A qua nisi versione Latina interlineari, et sublatis preli mendis differt altera edit. rep. ib. 1591. Versionem latinam adornavit Antonius Sionita, teste St. Ev. Assemano, Cat. Bibl. Med. Laurent. Florent. 1742. p. 52. Erudita interpretatio Arabica, ad normam archetypi Graeci fabrefacta — uti nuper rursus demonstravit Le Page Renovf, a few wordson the supposed Latin origin of the Arabic version of the Gospels, in l. From te Atlantis Lond. 1863. IV, 21. s. —; quae tamen, cuius sit auctoris vel antiquitatis nil certum, cum praefationis scribendae labori supersedere editori visum fuerit. E mss. ductam esse inde patet; quod antiquior editio ex qua hauriri potuerit, nulla exstet, et codicibus Erpenii et Vindobonensi, — cuius descriptionem dedit P. Lambecius, Comm. de aug. Bibl. Caes. Vind. l. I, 171. s. D. Nessel, Catal. o. Cod. mss. Graec. nec non l. Orient. Aug. Bibl. Caes. Vind. 1690. P. VII. p. 150. Storr, l. i. c. p. 17. et Lagarde, d. v. Ev. ar. p. IV. s.; qui eum e. p. saeculi XIV. habet. Ex hoc codice prodierunt P. Kirstenii, Vitae Evangelistarum quatuor arab. Bresl. 1608. p. 14. s. et Notae in Evangelium S. Matthaei e coll. t. ar. aeg. hebr. syr. gr. lat. ib. 1611. — ceterisque ita consentit, ut ab editore primum factam credere non possimus. Rep. 1619. 1774. Iniuste autem, sicuti candide fatetur J. Gildemeister, de Evangeliis in Arabicum e simplici Syriaca translatis Bonnae. 1865. p. LV.: suspicio mota est, illius textum ab editore adulteratum fuisse. Reliquae Evangeliorum editiones vel cum Bibliis Arabicis u., vel saltem cum reliquis N. F. scriptis simul vulgatae sunt. Totum Novum Testamentum edidit Thomas Erpenius a. 1616. e codice saec. XIII. Bibliothecae Leidensis, in quo exscribendo contulit Erpenius quatuor Evangelia cum editione Romana

---

videlicet l. l. Jud. Sam. I. Reg. 1—11. II. Reg. 12, 17—25. et Nehem. 9, 28— c. 13. ab homine christiano, saeculi circiter XIII. vel XIV., e codice Syriaco translata est; eiusdem fere conditionis, cuius illa sunt quae in Bibl. polygl. leguntur. Residua versionis pars I. Reg. 12—II. Reg. 12. et Nehem. 1—9, 27. ex ipso originario quidem textu a Judaeo ducta est, nonnullis tamen locis Nehemias ex Syriacis interpolatus est. Itaque non una est eademque horum Librorum interpretatio arabica, quae in Bibl. polygl. legitur; sed e pluribus admodum diversis translatoribus concinnata. Versio Libri Josuae ex Hebraeo, Paralipomenon e Syriaco, Esdrae e Graeco facta in iisdem Polyglottis, cuius vero auctor et aetas ignoratur. Prophetae translati sunt e textu Graeco, qui cum Alexandrino codice magis convenit, quam cum Vaticano.

1591. aliisque codicibus manuscriptis. Quiscunque fuerit eius interpres, antiquum monstrat S. Librorum ordo; in quo Epistolis Acta Apostolorum postposita sunt. V. p. 66. Quae vero in Polyglottis Parisiensibus a. 1645. edita sunt Volumina Sacra N. F. et paucis mutatis in Londinensibus habentur, quod ad Evangelia attinet textum ex editione Romana, sed non sine correctione exhibent. Ad hanc recensionem cod. reg. 27. et Coisl. 239. adhibitos a Gabriele Sionita probat Gildemeister, l. c. p. 42. Ubi dissident, diligentissime narravit G. C. Storr, de Evangeliis Arabicis. Tub. 1775. p. 8. s. Editionem accuratam codicis Vindobonensis vulgavit P. de Lagarde, die vier Evangelien arabisch. Leipz. 1864. Textum eius non admodum a textu Bibliorum Romanorum a. 1590. distare, annotavit idem. Prol. p. IX.

Anno 1671. Romae impensis et auspiciis Urbani VIII., studio Sergii Risii Archiepiscopi Damasceni: ad usum Ecclesiarum orientalium cusa est editio Bibliorum Sacrorum Arabica ad Vulgatam, quae illi e regione addita est, revocata. Quae porro in eadem Religionis Catholicae Metropoli a 1703. duob. vol. rogantibus Joanne Safrensi et Stephano Edenensi Maronitarum patriarchis in usum Ecclesiarum Maroniticarum curante Fausto Naironio, carshunice una cum Peschito facta est editio typis; e codice Cyprio descripta habetur, teste ipsa praefatione. Repetita Parisiis 1824. a S. de Sacy. Arabicae Versionis V. et N. Testamenti a Joanne Episcopo Hispalensi adornatae circa annum Christi 717. vestigia, quamvis non uno in loco exstare dicantur, hodiedum latent. Imo Lagardius, l. c. p. XI. s. et Gildemeister, l. c. p. 44. nunquam eiusmodi translationem in rerum natura exstitisse, demonstrare pergunt. Reperiuntur adhuc per Bibliothecas — e. g. Vaticana habet Codicem IX. saeculi, d. q. v. Scholz, bibl. kr. Reise. p. 117. s. Berolinensium meminit J. H. Petermann, ep. ad Philemon. ad fidem vers. orient. vet. una cum earum textu orig. gr. e. Berol. 1844.; Parisiensis copto-arabicae Hug, l. c. p. 440. s.; duo Bodleiani s. XIII. apud Pusey, Catal. Mss. Orient. Bodl. II, 564.; Psalterium a Curetono, Cat. Mus. Brit. descriptum II, 4. Petropolitani, ap. Tischendorf, Anecd. S. et Pr. Lips. 1855. p. 71. s. — haud pauci interpretationum arabicarum libri manuscripti, de quibus ardens eruditorum votum exspectat, ut eorum editio fiat. Ex ineditis nullus celebrior illo, quem C. Tischendorf ex Oriente advexit. Cf. Anecd. Sacr. et prof. p. 65. Continet translationem Evangeliorum arabicam e „Simplici" factam. Arabes suas translationes e Graeco fonte instituisse, longe plurimi admittunt viri eruditi; — Arabum notitiam insignem literarum graecarum evicerunt: G. O. Fluegel, de arabicis scriptorum graecorum interpretibus. Misn. 1841. J. G. Wenrich, de Auctorum Graecorum vers. et comm. syr. arabicis armen. pers. Lips. 1842. p. 22. — e Syriaco autem idem fecisse, haud pauci negarunt eruditi. Sed omne hac de re dubium sustulit codex Evangeliorum Tischendorfianus Lipsiensis laudatus saec. X. non inferior, quem accurate expendit Gildemeister, l. c. p. 6. s. Epistolarum vero translatio e simplici conversa asservatur in libro mss. saec. IX. Petropolitano. Quamquam iuxta disputata versiones Arabicae reliquis Orientalibus interpretationibus recentiores sint, tamen aliquo usu critico non carent. Saadiae versio cumprimis in Psalmos etymologica praebet subsidia ad eruendam obscurarum vocum hebraicarum vim, unde Hebraeorum quoque magistri, cum iis aqua haeret, ad arabicam linguam confugiunt. — Lectu digna sunt quae de utilitate maxima huius dialecti congessit Walton, Prolegom. XIV, 3. p. 520. s.

Fr. Wrangham, exc. de dialectorum Hebraeae atque Arabicae convenientia. ib. p. 569. s. — Translatio arabica, quam Petropolitanus et Lipsiensis codex continet; non multum post medium saeculi noni orta esse sumitur a Gildemeister, l. c. p. 30. Textus quem exhibet, ratio satis bona est; etiam Syriacas literas haud mediocriter interpres notas habuit. Modo, quo arabica lingua utitur, Syrum natali loco fuisse haud obscure prodit.

§. 84. De Versione Aethiopica.

Jam olim D. Joanni Chrysostomo, homil. II. in Joann. VIII, 10. memoratur: Translatio N. T. Aethiopica. Sed etiam V. F. volumina apud Aethiopes lingua ipsorum esse conversa; ab antiquo inde tempore traditur. Sane in Museo Britannico servatur exemplar omnium Librorum sacrorum U. F., in Europam allatum a J. Bruce. Cf. ei. travels to discover the source of the Nil. Lond. 1790. I. germ. ed. J. J. Volkmann. Lips. 1790. I, 534. s. Cf. Kaulen, in eph. Theol. Literaturblatt Bonn. 1866. p. 174. s. Huius mssi. lingua cognoscitur, non ea quae est apud Aethiopes nunc vulgaris, „Amharana", sed vetus aethiopica „Gheez" adpellata, quae in usu esse desiit; posthaec in rebus tantum sacris scriptisque eruditis adhibita fuit. Qua aetate, quo auctore, et quonam e textu Aethiopes S. Biblia in suum sermonem vernaculum versa acceperint? quaestio satis diu agitata, sed nondum definita est. Sunt autem duae potiores eruditorum sententiae. Altera versionem illam Veteris Testamenti ante Christi tempora factam ponit. Cf. J. A. B. Dorn, de Psalterio aethiopico commentatio. Lips. 1825. p. 3. Revera probabilitate sua non caret, quod Judaei, quando et undecunque venerint, attamen ante Christum natum in Aethiopia frequentes; et sibi et Aethiopibus proselytis abeunte in oblivionem sermone Hebraeo, Biblia Aethiopica suis in manibus esse voluerint. Attamen in antiquissimam, et ab ea, quae nunc scripta et edita habetur, diversam versionem; inquirere ideo non valemus, quod hodie nullae huius interpretationis supersint reliquiae. Altera eruditorum opinio interpretationi Aethiopicae origines seriori demum aetate, saeculo fere quarto adiudicat. Ex traditione domestica — v. Jobi Ludolphi, Historia aethiopica. Francof. ad Moen. 1681. III, 2. Eiusdem ad suam historiam Aethiopicam antehac editam Commentarium. ib. 1691. n. XIII. s. p. 279. s. — non minus, quam ex testimoniis fide dignissimis constat: Frumentium primum Auxumitarum a S. Athanasio episcopum creatum fuisse — L. s. Athanasii Archiep., ad imp. Constantium apolog. n. 31. I, 315. s. — eumque cum Aedesio germano Aethiopes ad castra Christi sequenda perduxisse. Cf. Theodoreti, H. E. I, 23. ed. Val. p. 64. Socratis, H. E. I, 19. p. 51. Sozomeni, H. E. II, 24. p. 477. Nihil vero similius: quam duumviros istos, sicut Ulphilas Gothis, ad stabiliendam et propagandam religionem Jesu C. D. N. de versione S. Bibliorum aethiopica adornanda sollicitos exstitisse.

Quaeritur autem porro, unde facta sit ista versio? Qua de re rursus dissentiunt eruditi; aliquibus ex Arabico, aliis e Coptico, tertiis denique ex Graeco interpretationem factam esse affirmantibus. Pro fonte Arabe militat Dorn, l. c. p. 5. s.; pro Copto E. St. Assemanus, Bibl. Medicaeae et Laurentianae

et Palatinae Cod. mss. orient. catal. Florent. 1742. p. 59. Ludolfus, autem Hist. aeth. III. 4, 2. Comment. n. 26. s. p. 295. s. Biblia Aethiopica ex LXX., horumque cod. Alexandrino versa habet. Mirum est sane illud: Aethiopicam translationem non paucis in locis ex Hebraeo textu solo posse explicari; eamque in iisdem cum Arabica convenire. Unde opinio de Bibliis Aethiopicis ex „Arabico" translatis haud inanis est; sed potius si eruditorum curae plura ministraverint subsidia, in eam rem diligentius disputandum erit. Plurima Versionis Aethiopicae libri mss. adhucdum in romanis et anglicis Bibliothecis servantur. Editi Libri S. V. T. habentur: Psalterium cum Cantico Canticorum et aliquot hymnis Biblicis studio Joannis Potkenii, Romae 1513. in IV. Rep. Coloniae 1518. Potkenii primus in Europa propriis Aethiopum characteribus impressus liber Psalmorum, ex hac duplici editione cum msso. Pocockiano collatus, in Biblia polyglotta Londinensia insertus est, sed minus accurate. Emendatissime Psalterium typis describendum curavit aethiopice et latine J. Ludolfus. Franc. 1701. IV. Additae sunt a J. H. Michaelis annotationes, cui etiam versio Latina debetur. J. G. Nissel, Lugd. Batav. 1656. Canticum C. a. 1660. l. Ruth, et pr. Sophoniae; Petraeus, ib. 1660. pr. Jonae, a 1661. pr. Joelis vulgavit. Quatuor priora cap. Gen. et Jonam edidit Staudacher. Franc. 1706. Fragmenta V. T. Chr. A. Bode, Helmst. 1775. Totum V. T. edere cepit A. Dillmann, Biblia V. T. Aethiopica ad libr. mss. fidem ed. et apparatu critico instruxit. Lips. 1854. s. Tom. I. cont. Octoteuch. tom. II. 1861. ib. habet L. L. Paralip. Esdr. Esth.

Quod ad L. S. Novi Testamenti attinet, videntur e Graeco codice, exeunte fere saeculo quarto translati fuisse; et propterea insignem praestat in re critica usum N. T. Cf. Walton, Prolegom. XV, 3. p. 595. Dillmann, in Herzog, R. E. I, 170. Primam S. Voluminum N. T. editionem, scilicet quatuor Evangelia, Apocalypsim, Epistolas Catholicas, epistolam ad Hebraeos et Actus Apostolorum auxilio trium clericorum aethiopum, suadente Paulo III. P. M. Romae 1548. imprimi curavit Petrus Tesfa-Sion Aethiops, accesserunt cura eiusdem 1549. Epistolae XIII. Paulinae cum Versione Latina. Saepius abhinc retentis mendis veteribus, et novis superadditis Londini 1657. 1698. in N. T. polygl. opus rarissimum repetitum fuit. Codex hac editione descriptus bonae notae est; quas vero lacunas habebat Act. 9, 29—10, 32. 26, 8—fin.; „versa sunt Romae e lingua Romana et Graeca in Aethiopicam propter defectum archetypi." Multos manifestos in textu Aethiopico errores emendavit, atque plurimas tam exegeticas quam philologicas observationes adiecit C. A. Bode, in editione quae Brunovici II. vol. prodiit 1752. et 1755. s. t. Novum D. N. J. C. Test. ex vers. Aeth. interpr. in bibl. Polygl. Angl. in lat. transl. Sumtibus societatis anglicae, quae se biblicam vocat. Cantabrigiae 1826. 30. N. T. edidit ad cod. mss. fidem Lond. 1830. Th. Pell. Platt. In ipsa tamen menda plurima carpit Dillmann, l. c.

§. 85. De Versionibus Aegyptiacis.

Ex quo lumen fidei terrae Aegyptiorum, crassis paganismi tenebris opertae illata fuit; primis iam Evangelii temporibus Ecclesiae ibidem floruerunt, — L. Taki-eddini Makrizii, Historia Coptorum Christianorum in Aegypto. ed. H. J.

Wetzer, Solisb. 1828. n. 64. s. p. 18. s. — atque uberem dederunt virorum sanctitate pariter ac eruditione illustrium proventum. Cf. Ath. Kircheri, S. J. Prodromum Coptum sive Aegyptiacum. Romae. 1636. c. II. p. 17. s. Fr. W. Ramshausen, exerc. theol. Ecclesiae copticae ortum progressum, praecip. doctr. cap. repraes. Jen. 1666. c. 4. Renaudot, Hist. Patriarch. Alexandrinorum Jacobitarum a s. Marco usque ad finem s. XIII. 2. vol. Par. 1713. E. Quatremère recherches sur la langue et la litérature de l' Egypte. Par. 1808. Letronne, materiaux pour l' hist. du Christianisme en Egypte. Par. 1832. G. Secchi S. J., la cattedra Alessandrina di S. Marco. Ven. 1853. Aegyptios ab eo tempore, quo Alexander M. regiones illas sibi subiecit, usque cum Romanorum parerent imperio, quin aliquot etiam saeculis post; graeca lingua usos fuisse, neminem in dubium vocare putamus. Ab hoc tempore sermo Copticus, — de q. v. Kircherum, l. c. c. 5. p. 123. s. Oedipi Aegyptiaci Rom. 1654. III, 55. s. — sive Memphiticus in Aegypto inferiori; item Sahidica dialectus sive thebaidica Aegypti superioris et Basmurica sive Ammoniaca in litore Nili orientali, quibus utebantur Aegyptii prius quam sub Alexandri Magni successoribus idioma graecum vulgare esset; his in regionibus familiare rursus invaluit saeculo ab Incarnatione Domini quarto. Sopitis ethnicorum Imperatorum adversus Christianos persecutionibus, studium S. Literarum apud Aegyptios magno in vigore fuit; et cum graecae linguae fatalis quasi terminus immineret, viri docti movebantur, ut in varias Aegypti linguas Divina Eloquia U. F. transferrent. Quibus vero accurate temporibus singulae praedictarum dialectorum translationes fuerint adornatae, non usque adeo facile est determinare. Certo sunt anteriores Islamismo, usuque linguae arabicae per Aegyptum; i. e. saeculo post Christi Natales octavo. Quin imo prima initia attingunt saeculum quartum, quo S. Joannes Chrysostomus, l. c., et illi fere σύγχρονος Theodoretus, l. c., testantur exstitisse S. Bibliorum versionem Aegyptiacam. Quibus cum facit S. Hieronymus, vir in his et talibus rebus si quisquam egregie institutus; iuxta quem e regula Pachomii „etiam nolens legere compellatur, et omnino nullus erit in monasterio, qui non discat literas, et de Scripturis aliquid teneat; qui minimum usque ad Novum Testamentum et Psalterium.“ C. 140. Op. Hier. II, 72. Verum cum eodem S. Doctore teste praef. in reg. Pachomii ib. p. 53., ipsa regula Pachomii „de aegyptiaca in graecam linguam“ in commodum d. Hieronymi versa fuerit; sequitur monachos etiam S. S. tantum in lingua materna, i. e. aegyptiaca discere potuisse. Praeter haec S. Doctoris effata summa fide digna, Cultus divini in Ecclesiis solemni ritu peracti ratio postulare videtur S. Scripturas, quibus maiori ex parte absolvitur, in aegyptiacum conversas esse. N. T. translationem post Origenis et Eusebii aetatem natam esse concludunt exinde, quod in omnibus exemplaribus Evangeliorum habeat distinctionem titulorum Eusebii, in epistolis numerum στίχων numeret; denique quod ipsa lectiones Origenis, Eusebii, s. Cyrilli et cod. A. sequatur. V. p. 60. s. Idem merito conficitur etiam ex eo, quod Aegyptiorum Ecclesia licet a S. Romana Ecclesia schismate divisa, in Sacris tamen peragendis — Cf. Kircheri, prod. copt. p. 30. s. Renaudot, Liturgiarum Orient. Coll. Par. 1716. I, 169. s. — et in S. Librorum U. F. receptione ab illa numquam dissensit. Denique hoc cognoscimus e Martyrologii Coptici — quod arabice scriptum in Maronitarum Collegio Romae conservatur. V. Kircherum, l. c. p. 186. — testimonio. Narrat hoc praecipuam monachorum eius temporis — anno p. C. 271 ? —

occupationem fuisse: S. Biblia in linguam ipsis propriam transferre, quae prototypa dein succedentibus saeculis alii et alii identidem describentes, numerum S. Codicum valde auxerunt. Itaque monachi S. Scripturas et describebant, et illas memoriter callebant. Retinebant Copti haec Biblia et adhuc retinent, sed quia perpaucis cognita erat lingua Coptica, novas versiones Arabicas concinnabant; quae e regione Copticarum vulgo collocantur, ut S. S. possint intelligi. Eas interpretationes Arabicas, qui cum τῶν LXX. contulerit, manifesto ex ipsis factas deprehendet. His igitur ita declaratis: constat versionem Aegyptiacam antiquissimam esse.

Sed restat vexata quaestio solvenda, an prisca illa versio de qua S. P. et S. E. loquuntur supersit, et utrum Coptica an Sahidica antiquior habenda erit? Cum ad hos usque dies unica tantum Coptica translatio penitius innotuerit, alterius vero, i. e. Sahidicae fragmenta exigua in lucem protracta fuerint; in diversis hoc de argumento eruditorum sententiis, ne coniiciendi quidem verum, aequo rerum indagatori facultas relicta videtur. Codices mssi. in Bibliotheca Vaticana, — quos diligenter recenset Kircher, l. c. p. 187. s. — Borgiana — v. Zoega, Catal. Cod. Coptic. Mss. in Musaeo Borgiano. Rom. 1810. —, Parisiensi — hos describit Renaudot, diss. de vers. orient. p. 568. —, Oxoniensi atque Berolinensi; antiquissimis Graecis libris pares aetate habentur; unde colligere fas est, versionem Copticam quinto saltem saeculo iam adfuisse. Hoc quidem certum est. Sed et argumenta, quae laudavimus simul sumta, valde probabilem faciunt sententiam: de maiore adhuc Versionem copticarum superstitum aetate; quin ipsam antiquissimam illam, de qua veterrimi testes narrant translationem, in codicibus divulgatis et aliquando forte divulgandis reperiri. Plures adhucdum in coenobiis Aegypti latent, uti testantur peregrinatores. Ceterum Copticae V. T. versiones ex Graeca LXX. concinnatae fuerunt; nec ulla unquam iuxta textum originarium facta, ad nostros usque dies inventa fuit. Vetustissima sane est Pentateuchi traductio τῶν LXX., quos tenaciter sequitur in omnibus accurate respondens; quam postquam 1716. e mss. Bodleianis, Vaticanis, Parisiensibus Novum Testamentum Aegyptium Oxonii publicasset, latine vertit et edidit Davides Wilkins Londini 1731. IV. Interpretem Coptum Pentateuchi rursus edidit A. Fallet, h. t. La version cophte du Pentateuque p. d'apr. manuscr. de la bibl. imp. de Par. avec d. var. et d. not. Par. 1854. Alteram quoque V. T. partem quae mssa. in Europam venit, nimirum Psalterium, Danielem et Prophetas Minores idem meritissimus vir D. Wilkins prelo adaptavit; sed defectus umtuum inediti haerebant. Psalterium Coptico-arabicum Romae 1744. et 1749. typis Congregationis de Propaganda Fide expressum est, eum in finem: ut ad Aegypti incolas transmitteretur, usibusque virorum ecclesiasticorum inserviat. Idem ad cod. fid. rec. et Ps. apocr. Sah. dial. conscr. adi. J. L. Ideler. Berol. 1837. Idem porro Psalterium in dial. copt. ling. Memph. transl. ad fid. tr. cod. Berol. ed. M. G. Schwartze. Lips. 1843. Danielis c. IX. exhibet Fr. Münter, specim. vers. Dan. copt. Rom. 1786. Sahidicae reliquiae exstant apud eundem. J. A. Mingarelli, Aegypt. cod. reliq. Venet. in Bibl. Naniana asserv. Bonon. 1785. Jes. 1, 1.—5, 18. 25., et Fr. Engelbreth, Fragmenta Basmurico-Coptica V. et N. T. quae in Museo Borgiano Veletris asserv. Havn. 1811. Versionem Quatuor Evangeliorum ad cod. mss. Copt. in Bibl. Berolinens. fidem edidit M. G. Schwartze, Lips. 1846. et 1847. Fragmenta

interpretationis Sahidicae N. T. ep. Pauli ad Timoth. ed. Fr. Münter, comment. de indole vers. N. T. Sahid. Havn. 1789. p. 92. s. et H. Ford, in App. N. T. e cod. Alex. a G. Woide descr. Oxon. 1799. Laudatur etiam J. A. A. Georgii, Erem. Augustiniani Fragmentum Ev. S. Joannis Graeco-coptico-thebaicum s. IV. Rom. 1789. cont. Joann. 6, 21—59. 6, 68—8, 23. Duodecim Prophetas Min. L. L. in ling. aegypt. vulgo Coptica S. Menph. ex mss. Par. descr. a H. Tattam. Oxon. 1836. Ei. Proph. Mai. cum vers. lat. ib. 1852. Bardelli, Danielis versio Copt. Menph. Pisis 1849. Acta Apostolorum et Ep. coptice ed. P. Bötticher. Hal. 1852. Sed negligentiae summae accusatur a Tischendorfio, prol. ed. N. T. VII. Lips. 1859. p. 134.

§. 86. De Versione Persica.

Persas quoque totam Sacram Scripturam in linguam suam — quae tamen non est antiqua persica, sed mixta variis variorum populorum vernaculis maxime arabica et turcica — versam habuisse e scriptis Veterum abunde liquet. Sed ista versio antiqua, ad nostra haud transiit tempora. Quae iamiam supersunt librorum Sacrorum versiones, recentioris sunt aevi, et non unius generis; sed et pro ratione fontis distinguuntur. Datur versio Pentateuchi quam Jacobus, Josephi filius, Tavusensis, טאוסי; ab urbe Persiae Tus, olim Chorasanae, academiae Judaeorum sede clara, dictus fecisse perhibetur. Sed quis fuerit et quando vixerit? plane ignoratur. Aetatem tamen egisse haud ante initium saeculi noni p. C., inde sequitur; quod Gen. 10, 10. pro Babel substituerit Bagdad; quae urbs demum anno 772. aer. Chr. ab Almansore Chalifa condita fuit. Cf. Abulfedae, Annal. Muslem. ed. J. J. Reiske et J. G. Chr. Adler. Havniae 1790. II, 14. 27. Jacobum Tavusensem Judaeum fuisse patet inde; quia e textu Originario Pentateuchum transtulit; atque quod eum Judaei in usum Judaeorum in Persia degentium Constantinopoli 1546. fol. typis hebraicis una cum textu hebraeo, Onkeloso et Saadia Haggaon exscripserunt addito R. Salomonis Jarchii commentario hebraico. Libri rarissimi textum typis persicis additaque Th. Hyde interpr. lat. verb. pers. accurate respondente, repetiit Br. Walton, in app. t. IV. Polygl. Lond. Translationem hanc non ex textu Syriaco, uti Walton, proleg. XVI, 2. p. 617. et Gravius, ib. excurs. 619. s. voluerunt; sed immediate ex Hebraico traductam, esse conficitur indole eiusdem. Ita enim presse voces singulas Archetypi Masorethici sectatur interpres, ut de sermonis persici puritate nihil curaret. Cf. E. Fr. C. Rosenmüller, de Versione Pentateuchi persica commentatio. Lips. 1813. p. 6. s. Veterem illam Onkelosi interpretandi rationem secutus, textum Hebraeum plerumque feliciter exprimit; veramque lectionem locique sensum consensu suo roborat, in nonnullis atque iis obscuris tamen peregrina adsciscit. Cf. Rosenmüller, l. c. p. 24. s. 31. s. Varietatem ceterum lectionis sibi privam versio Pentateuchi Persica exhibet fere nullam. Ex ea discimus: textum codicum hebraicorum, quibus Judaei ante novem et ultro saecula usi sunt; haud alium fuisse, quam eorum librorum, qui in nostris versantur manibus. Psalmorum exemplaria mssa. Persica reperiuntur in Bibliotheca Oxoniensi, sed coll. Catal. Libr. Manuss. Angliae I, 49. 155. 178.

179. 181. valde recentia sunt. Nulla, quod scimus, exstat interpretatio V. T. a Christianis facta; cuius defectus ratio est: quia Persae Christiani plerumque arabice sciunt et legunt Divina Volumina; tum quod nullibi sacra fiant persica sed arabica lingua, quam omnes fere callent. Evangeliorum versio Persica duplex habetur. Prior e Syriaca versione Peschito confecta, antiquior est; liberior attamen reperitur nonnunquam et multa continens, quae nec in Graeco nec in Syriaco exstant contextu. Syriaca vocabula interdum retinet, crebro sui est interpres, h. e. persicas in arabicas voces Persis familiares et receptas, aliis veluti notioribus reddit. Ista quidem interpretatio habetur inserta Bibliis Pol. Anglicanis. Altera vice prodiit curante C. A. Bodio. 2. vol. Helmst. 1750. 51. cum nova eiusdem interpretatione Latina; et praef. de Versionibus persicis. Posterior quae recentior, ex Graeco traducta, opera et studio Abr. Wheloci et Piersonii prodiit 1657. fol. Londini, in re critica exiguae, imo fere nullius est utilitatis.

§. 87. De Versione Armena.

S. Joannem Chrysostomum Novum Testamentum et Psalmos Davidicos in linguam Armenam transtulisse, Georgius Alexandriae Patriarcha — quocum facit Sixtus Sen., Bibl. s. l. IV. p. 325. ed. Colon. — perhibet. Verum constat e Photio, Biblioth. cod. 96. ed. Migne p. 359.: „Scriptor iste quidem praeter historiae fidem narrasse quaedam visus est." Georgium non posse haberi scriptorem fide dignum, censet quoque eruditissimus Montfaucon, de vita S. Joannis Chrysostomi XII. pr. p. 4. Constans est apud Armenos traditio — v. Mosis Chorenensis, Historiae Armeniacae III, 53. 54. ed. G. et G. Whiston. Londin. 1736. p. 298. seq. praef. p. 9. R. Simon, Hist. crit. des Versions du N. T. c. XVII. p. 196. s. Maturini Veyssiere la Croze, diss. phil. add. ed. J. Chamberlaynii Orat. dom. in div. omn. fere gent. ling. v. Amstel. 1715. p. 133. Cf. ep. ad l'Enfantium quam dedit Nouveau Testament par M. de Beausobre et L'Enfant. Amst. 1718. II, 211. ep. ad Georg. Whiston, Thesauri epistolici Lacroziani ed. J. L. Uhl. Lips.. 1742. I, 358. s. ep. Guil. Whiston iun. ib. III, 281. s. J. B. Aucheri, Eusebii Chronicon arm. Ven. 1818. pr. p. 6. — initio ducto a Sacrarum Scripturarum versione, praeclarissima quaeque Graecorum monimenta in Haicanam — Armeni ab Haico gentis conditore Haicani dicuntur. Cf. J. J. Schroeder, diss. de rebus Armenicis ap. Chamberlaynium, l. c. p. 146. — i. e. Armenam quinto p. C. N. saeculo conversa fuisse. Atque ita equidem ut non praeclarius, sic nec antiquius exstat Haicanum opus, quam versio Librorum Divinorum. Cum enim a C. 406. s. Mastosius, sive Mesropes singulari Dei beneficio Haicanae Scriptionis lineamenta reperisset, suaeque genti tradidisset; statim ipse cum S. Isaaco Patriarcha ac discipuli eius Eznicus Colbensis Joannes Ecclensis et Josephus Palnensis, operam suam industriamque in transferendis S. Literis posuerunt; id quod testatissimum reliquit Corius eius aetatis historiarum scriptor praeclarus. Qui in vita s. Mesropis apud Aucherum, l. c. n. 1. affirmat: constantissima exemplaria Divinae Scripturae ad hoc opus perficiendum acquisita, et se quoque inter eos fuisse qui huic labori vacarent.

Secuti sunt autem Armeni in A. T. graecam τῶν LXX. interpretum translationem eorumque vestigiis adeo presse institerunt; ut ex Haicana Versione veteres et verae lectiones Graecae hinc inde asseri possint. Nec vero diligenter, sed perite etiam transferendis Divinis Voluminibus insudarunt; ut non modo fideliter, verum cum lingua Haicana ad Graecanicae consuetudinem quam proxime accedit, eleganter quoque et venuste textum Codicis Graeci redderent. Iste autem Versionis LXX. codex videtur ex Hexaplari emanasse. Etiam in N. T. Versio haec pluribus locis lectiones suppeditat, quae aliunde hauriri nequibant. Teste Scholzio, qui in usum rec. N. T. adhibuit ed. Zohrabianam studio Professoris Parisiensis Cirbied, atque religiosorum Mechitharistarum Vindobonensium, collatam. Hanc igitur interpretationem iussu Jacobi Armenorum Protopatriarchae Amstelodami 1666. iuvante Salomone de Leon eius diacono, publici iuris fecit Oskan Wartabied, episc. arm. qui Uscanus etiam audit. Vir fuit sane non sine doctrina et industria, sed in priscis literis armeniacis minus versatus; quem accusant quoque veterem versionem maculis inquinasse, et interdum ex Latina editione supplevisse. Sed Uscanus fidem atque officium boni editoris non neglexit. Quod accurate demonstrat vir huius linguae peritissimus La Croze. Th. ep. III. 3. s. 69. Typographia Armeniaca Amstelodamo Constantinopolim delata, in eadem urbe vulgata est priori absimilis secunda Bibliorum Armenorum editio a Moyse, Davide et Mampraeo translata, et ad versionem syriacam revisa: iussu Patriarchae Nahabet. a. 1705. in 4. Quid sibi velit illa ad versionem syriacam facta revisio, nondum ad liquidum perductum est. Cfr. Masch. ad le Long. Bibl. II. 1. p. 177. s. Editio Veneta a. 1733. iussu Abrahami Patriarchae Armenorum, studio Mikkitari procurata, ad Amstelodamensem formata est. Novum Testamentum ibidem a J. Zohrab doctore armeno editum 1789., a criticis laudatum. Totius Sacrae Scripturae editio critica apparata est tomis 4. collatis mss. XV. a P. P. Congregationis Mechitaristicae 1805. Venetiis. Successerunt 1814. ed. Petropoli. et alia 1843. Mosquae facta. Novam criticam Bibliorum armenorum recensionem, ut ferunt, molitur congregatio Mechitaristica in insula S. Lazari prope Venetias.

§. 88. Annotatio praeposita de interpretatione Latina S. S.

De latinis S. Bibliorum interpretationibus disquisitiones instituturi, longam ac periculosam navigationem ingredimur: multae enim viarum difficultates superandae, magna itineris emetienda longinquitas, plurimi etiam vitandi scopuli: ut neque nos scribendi, neque lectores legendi fastidium sustineant. Compendii et ordinis gratia Scripturae Sacrae versiones Latinas commode secundum tempora in quibus natae sunt in tres distinguere possumus classes. In quarum prima de celeberrima decantata interpretatione, quam „Italam" alii communem vocant; in secunda de „Vulgata", seu ea catholice dicta, exponemus. Huius translationis originem, aetatem, fontes propriosque characteres assignabimus. Romanis toto orbe diffusis, postquam lux salutaris Evangelii illuxit, Latinique ab Apostolis in Christiana doctrina sunt instituti: tum ipsa poscebat necessitas ut Eloquia Divina Latino quoque crederentur idiomati, sicque illi sacri codicis

et pinguedinis olivae fierent. Rom. 11, 17. Cum itaque in Urbe provinciisque occidentalibus Romanorum imperio subiectis Ecclesiae exsurgerent Christianae, ut lingua hisce provinciis vernacula Sacra Eloquia divulgarentur, necessum fuit. Haud ecquidem dissimulavimus H. R. D. N. T. p. 282. s., plerosque Romanorum graeca legere et intelligere potuisse; in qua ut abunde vidimus p. 160. olim iam pluribus ante Christi ortum humanum exstitit V. T. notissima LXX. senum translatio. Verum Graecus V. T. et N. T. textus, ubivis locorum, erudiendo instituendoque populo inservire minime poterat; quia lapsu temporis maior pars illorum, quibus doctrina evangelica annuncianda erat, et hanc quoque linguam ignorabat. Licet enim tum in Italia, Romae imprimis, multus graecae linguae fuerit usus, non tamen reliquis populis tam fuit familiaris, nec Romanis quibusvis ita frequens, ut etiam rudis plebecula libros graecanico sermone scriptos satis intelligeret. Ut itaque Verbum Dei scriptum omnibus, qui Latii idioma, per totum qua late patuit Orbem Romanum populis loquebantur, lingua ipsis vernacula expressum exhiberi possit: iam a primis aerae christianae temporibus reperti sunt viri, qui sibi id religioni duxerunt, ut S. S. interpretationes conderent Latinas, atque sic ad Latinorum quoque haustus illae in vitam aeternam salientes aquae decurrerent. Quae vero ex istis temporibus adhuc supersunt sive integrae versiones, sive versionum fragmenta, merito antiquissimae salutantur; siquidem primis et antiquissimis temporibus natae sunt.

§. 89. De ‚Itala'.

Cum Evangelii, amplius in dies annuntiati, incrementis, prodiit aliquanto tempore post magnus interpretum, qui S. Scripturas latine redderent numerus [1]. Verum illarum versionum plurimae, ut repentino ortu natae fuerant, ita post vitam non diuturnam subito occasu evanuerunt. Sed ea sola annorum seriem pertulit, quae a s. Augustino [2] ‚Itala' nuncupatur [3], et quam reliquis praetulerat;

---

[1]) De quo questi sunt d. Hieronymus, in Josue praef. in Evangelist. ad Damas. praef. et S. Augustinus, de doctr. chr. II, 11. p. 42. „Qui enim Scripturas ex Hebraea lingua in Graecam verterunt, numerari possunt; Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari." [2]) L. c. cap. 15. de Doctr. chr. p. 47. [3]) Secundum lectionem huius loci vulgarem, quam tamen plures recentiorum scriptorum sollicitarunt. Sed futilia sunt et inania R. Bentley aliorumque sophismata, quibus e textu d. Augustini vocem „Itala" expungere conabantur — quos egregie erroris convicit praef. ad tom. III. Sabatierius p. 17. s. — substituique maluerunt „illa", vel „illa Latina", v. J. C. Mittenzwey disputatio Anti-Blanchiniana. Lips. 1760.; aut „usitata" legendum esse praeceperunt. J. G. Kreyssig, obs. phil. cr. in Job. 39, 19. s. Lips. 1802. p. 10. Sed et mutata voce „Itala", in quamcunque aliam;

,nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae'[1]. Nomine ,Itala' interpretationem Latinam, in Italia ortam intelligendam esse, egregie confirmat s. Praesul Hipponensis[2] tradens: ,Itaque si de fide exemplarium quaestio verteretur, ex aliarum regionum codicibus, unde ipsa doctrina commeavit, nostra dubitatio diiudicaretur.' Cum vero ex Italia ad Africanos commearit doctrina Christi; et cum illa sine dubio versio S. S. latina in eam provinciam commigravit. Sed misso nomine ad aetatem Versionis nostrae definiendam progrediamur. Plures iam a primis rei Christianae temporibus versiones[3] S. Codicis Latinas in manibus fuisse Christianorum, Italiae potissimum, Africae et Galliae, e laudatis s. Augustini atque[4] Hieronymi testimoniis discimus[5].

semper d. Praesul Hipponensis laudabit aliquam versionem veterem ante s. Hieronymum iam exstantem. Contra eorum audaciam, qui talem exstitisse negant; semper eiusdem s. Augustini versio, ab Hieronymiana diversa, retinenda erit.

[1]) Ut dicit idem S. Augustinus, l. c. p. 47. [2]) Contra Faustum XI, 2. p. 219. [3]) Non vero „exemplaria plura" unius eiusdemque Versionis, ut sumunt P. Sabatier, O. S. B. e Congr. S. Mauri „improbi illius qui omnia vincit laboris indefessaeque industriae ac sedulitatis exemplum omni aetati venerandum." Ranke, l. i. c. p. 7. — Bibliorum S. Latinae Versiones antiquae seu Vetus Itala et ceterae Remis 1743. praef. §. 2. p. 6. s. J. Blanchinus, P. C. Orat. Evangeliarium quadruplex Latinae Versionis antiquae seu Veteris Italicae. Rom. 1748. I, proleg. p. 81. N. Wiseman, Two Lettres on some parts of the controversy concerning I. Joh. 5, 7. containing also an enquiry into the origin of the first latin version of Scripture commonly called the Itala. Rom. 1835. p. 22. s. Lachmann, N. T. gr. et lat. Berol. 1842. I, 11. s. C. Tischendorf, Evangelium Palatinum latinum ineditum sive Reliquiae Textus Evangeliorum Latini ante Hieronymum versi e codice Palatino Bibl. C. Vindob. IV. vel V. p. C. saeculi Lips. 1847. p. 17. Prolegom. N. T. p. 241. s. Reusch, Tüb. Quart. 1862. p. 244. Lehrb. der Einl. p. 196. J. A. Hagen, sprachliche Erörterungen zur Vulgata. Freib. 1863. p. 3. [4]) L. s. n. 1. c. p. 203. [5]) Indagare autem in quibus S. P. et S. E. scriptis, qui duumvirorum istorum aetatem praecesserunt, reperiatur haec vel alia translatio Latina; tam latum habet disquisitionis ambitum, ut ab iis qui occasione ad conscribendum integrum „de veteribus Versionibus latinis" non gaudent, satius praetermittatur, quam obiter tangatur. Illud modo in genere observare licebit: interpretatione latina nascentis Ecclesiae fidem roboratam fuisse. Ut scribit s. Hieronymus, in l. Paralipom. praef.; sed V. T. interpretationem Latinam iam ante Christi in terris apparitionem factam — ut statuit J. Vossius, de sybillinis oraculis c. 13. in var. Obs. l. Lond. 1685. p. 268. quem librum refutavit R. Simon, in op. cr. adv. J. V. defend. Cod. Hebr. et B. Hier. transl. Edinb. 1685. —; N. vero F. aetati apostolicae supparem, — quae erat sententia Bonfrerii, Praeloq. in tot. S. S. c. 15. 2. ed. Par. p. 50.

Quod saeculo secundo, auspiciis — ut omnino credibile est. — Pii Papae I.[1] auctore incerto ,Itala' sit nata; plurimi sumunt viri eruditi[2]. Certo haud multo post obitum Pii I. exstitisse Evangelia et Epistolas S. Pauli ex hac translatione manifestum: α. fit e Latino Canone Marcionis; qui nihil aliud erat, quam haeretici istius graeco adaptata, mutatis mutandis, Itala versio[3]. Idem sequitur β. e latino S. Irenaei interprete antiquissimo. Plurima sane sunt loca, in quibus S. Irenaei interpres Latinus, et vetustissimi codices mss. latini sinceri conveniunt. Ceterum quae in latinum fluxerunt sermonem S. S. interpretationes, omnes ex Graeca τῶν ό sunt confectae. Etiam Itala V. T. Versio facta est ex Graeco LXX. Etenim s. Praesul Hipponensis clare testatur[4]: ,ex hac Septuaginta interpretatione, etiam in latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiae Latinae tenent'[5]. E Graeco τῶν LXX. textu manasse ,Italam', prodit indoles fragmentorum illorum, quae ad nos usque pervenerunt. Quae cum ita se habeant: Itala Usitatae[6], vel etiam ,Vulgatae' et Communis[7] nomen accepit; quia ad τὴν κοινὴν ἔκδοσιν τῶν ό adornata erat. Pedetentim ubi nova translatio prodiisset s. Hieronymi, in oppositione ad eam ,Vetus'[8] nominari solebat. Novi Testamenti prisca interpretatio Textum sequitur admodum vetustum nondum recensitum, qui expers fuit multarum

---

et Blanchinii, proleg. p. 66. —: neque evictum est, neque ut opinamur, unquam evincetur.

[1]) V. Comm. p. 53. [2]) Erat quidem Pius Italus gente, et Latinorum primus; qui cathedram d. Petri — ipsi enim Pontifices priores hucusque fere Graeci fuerunt — conscendit, atque diutius paulo — per annos quindecim — Ecclesiae res administrarat. [3]) Uti cernere est ex fragmentis apud Tertullianum obviis. [4]) De Civ. Dei. XVIII, 45. p. 288. [5]) Hoc testimonium, si cum alio eiusdem Praesulis, de doctr. chr. II, 15. p. 47.: „Et Latinis quibuslibet emendandis Graeci adhibeantur, in quibus Septuaginta interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas"; copulatum, verissime conficit: Italam e fonte translationis Septuagintaviralis fluxisse. [6]) „Codices ecclesiastici interpretationis usitatae." S. Augustinus, de cons. Evang. II. 66, 128. p. 84. [7]) Apud d. Hieronymum, in Isai. 14, 29. p. 182. 49, 5. p. 563. [8]) Praef. in Jos. ab ipso S. Hieronymo; item a d. Gregorio M. ep. ad Leandrum l. Moral. praem. c. 5. I, 6. „Novam vero translationem dissero; sed cum probationis causa exigit, nunc novam nunc Veterem per testimonia assumo; ut quia sedes apostolica, cui Deo auctore praesideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur."

serioris aevi correctionum et interpolationum; multasque servavit Archetypi lectiones primigenias. Non defuerunt, qui ,Italae' plures fuisse auctores defenderent, singulisque singulos fere libros esse adscribendos docerent, dubitamus attamen an satis idoneis de causis. Querebantur Theologi omnis aetatis[1]: Veterem Italam latinam S. Bibliorum Antiqui cumprimis Testamenti translationem superveniente nova paulatim intercidisse; ita ut, nisi forte fortuna emerserint novi codices, nullum saltem V. T. exemplar eius integrum superesse videatur.

§. 90. Laudantur viri eruditi, qui colligendis in unum fragmentis ,Italae' operam posuerunt.

Versionis ante-Hieronymianae nunc nonnisi fragmenta quaedam dispersa existunt, quorum in unam collectionem eruditorum curis iteratisque laboribus debemus. Tota nobis fere superest: in variis scriptis S. S. P. P. et S. E.; antiquis latinis mss. missalibus; psalteriis; breviariis aliisque libris cultui divino destinatis, Psalmorum interpretatio. Vetus Testamentum magna industria consarcinare studuit Fl. Nobilius in sua ad Sixti τῶν *LXX. latina editione, cum in sua hac interpretatione, tum in attextis s. P. P. et S. E. Latinorum testimoniis. V. p. 165. 177. Qua in re praeclare Flaminium Nobilium de illa Latina Versione indaganda, qua Ecclesia ante D. Gregorii M. tempora privatim publiceque ad fidei doctrinam moresque formandos usa est, meruisse nulli dubitamus. Post Fl. Nobilium, J. Martianaeus O. S. B. celeberrimae Congregationis S. Mauri, e codicibus mss. Germanensi et Corbeiensi Evangelium S. Matthaei et Epistolam Catholicam D. Jacobi vulgavit. S. h. t. „Vulgata antiqua Latina et Itala versio evangelii secundum Matthaeum, e vetustis eruta monumentis, illustrata prolegomenis ac notis, nuncque primum edita. Accessit epistola Canonica S. Jacobi Apostoli, iuxta Vulgatam veterem seu Italam versionem." Par. 1695. Adde eiusdem: Remarques sur la version italique de l' Evangile de S. Matthieu, qu'on à decouvert dans les fort anciens manuscrits. Par. 1695. Quod ad utrumque Testamentum attinet, abhinc detegendis et excitandis Italae priscae ruderibus, et quidem maxima nominis meritorumque laude ornatus incubuit: P. Sabatier, ex eadem inclyta Benedictinorum familia. Iste vir doctissimus improbum laborem Italam ex reliquiis restituendi suscepit; strenuoque nisu, quantum licuit, absolvit. Primus e prelo sudante tomus exierat Remis 1743. h. i. „Bibliorum Sacrorum Latinae Versiones antiquae, seu Vetus Italica et ceterae, quaecunque in Codicibus MSS. et antiquorum Libris reperiri poterant." Continet L. L. V. F. e*

---

[1]) Inde a Flaminio Nobilio, praef. ad ed. LXX. Sixt. „Huius editionis nihil nunc de novo Testamento dicimus, integrum corpus quod sciamus, non exstat. Partes multae ex plerisque libris cum apud ceteros Patres Latinos habentur, tum apud S. Hieronymum in commentariis et aliis libris."

Genesi usque ad Jobum. Secundus reliqua Volumina A. T. amplectens iam iam erat exiturus, cum Sabatier in lethalem morbum incidit, ex quo non amplius reconvaluit; piissimam quippe animam efflavit 22. Martii 1742. Sabatierum adiuvit C. Baillard. Tomum secundum 1743. atque tertium S. S. N. F. exhibentem e. a. ediderunt C. Clemencet, C. Fr. Baillard d'Inville et Vinc. de la Rue. In eodem stadio alacriter cucurrit J. Blanchinus, Oratorii Romani presbyter, eruditione non minus quam vitae sanctitate conspicuus; qui vetera S. Bibliorum fragmenta iuxta Graecam vulgatam et Hexaplarem Latinam antiquam Italam, duplicemque E. Hieronymi translationem in lucem edidit i. e.: „Vindiciae Canonicarum Scripturarum." Romae 1740. Tom. I. et solus. S. Eus. Hieronymi Divina Bibliotheca et Psalterium duplex cum Canticis. Sequebantur Evangelia e codicibus antiquissimis hoc titulo: „Evangeliarium quadruplex latinae versionis antiquae seu Veteris Italicae." Rom. 1749. 2. vol. Sed ante haec, habita ratione temporum, referre debueramus: Psalterium quintuplex editum a Fabro Stapulensi. Par. 1508.; porro idem iuxta editionem Romanam et Gallicanam cum Canticis vulgatum cura J.-M. Cari Rom. 1683.; qui etiam ib. 1680. e libris mss. Capitula Bibliorum antiqua latine secundum LXX. typis descripsit, inter quae reperitur prophetia Baruch ex veteri codice mss. Adde Psalterium cum Canticis pluribus iuxta versionem Italicam a C. Thomasio Romae 1697. publici iuris factum, Vindobonae 1735. repetitum. Mittimus quae Hearnius, Matthaeus, Kiplingius, D. Schulz, diss. de cod. q. Evang. bibl. Rhoedigerianae Saec. VII., in quo vetus latina versio continetur. Vratisl. 1814., atque Dobrowskius diversis temporibus protulerunt, cum suis in locis horum eruditorum publicationes iam recensuerimus. Fr. Münter singularem industriam et diligentiam adhibuit, in congerendis speciminibus Fragmentorum Versionum Antiquarum in libris Juris Romani et Canonici obviarum in progr. Havn. 1819. p. 4. s.; habentur ibi quoque fragmenta Versionis Antiquae Latinae Antehieronymianae prophetarum Jeremiae, Ezechielis, Danielis et Hoseae e codice rescripto Bibliothecae Universitatis Wirceburgensis saeculi VI. vel VII. p. 17. s. Ornavit quoque hanc provinciam A. Maius, vir diligentissimus alias nobis laudatus; qui non minimas symbolas restituendae Italae contulit. Etenim praeterea quod in Scriptorum Veterum Nova Coll. Rom. 1828. III. b, 257. s. e codice mutilo — olim Claromontano, nunc Vaticano, saeculi ut videtur VII. — integrum pene S. Matthaei Evangelium — sc. praeter C. C. 1—3, 15. atque 14, 33— c. 18, 12. — Versionis Antehieronymianae typis descripserit; editis etiam Victorini commentariis ad Pauli Epistolas, ib. p. 29. s. reliquiis tractatuum in Lucae Evangel. ib. p. 191. s. Sermonum Arianorum fragmentis p. 208. s. S. Nicetae Ep. Aquileiensis de ratione fidei, ib. t. VII. Rom. 1833. p. 314. s. Fragmentis Div. Librorum ex antiqua Versione seu Italica Vetere, Spicilegii Rom. 1843. IX. amplam Italae textus segetem Sacrarum Literarum studiosis tradidit. Ad restituendam antiquissimam latinam Bibliorum translationem referendi sunt labores C. Tischendorfii, quibus Reliquias Textus Evangeliorum Latini ante Hieronymum versi, e codice Bibl. C. Vindobon. — N. 1185. signatus. V. Tabul. Cod. Mss. in Bibl. Palat. Vindobon. asservat. Vind. 1864. I, 202. 3. De quo eruditorum attentionem provocavit Barth. Kopitar, Hesychii Glossographi discipulus et epiglossistes Russus. Vindob. 1839. p. 32. — purpureo literis aureis et argenteis exarato; quarti vel quinti post Christum saeculi, s. t. Evangelium Palatinum ineditum Lips. 1847. primum typis vulgavit. Postremas tempore, sed non diligentia, suas curas impendit E. Ranke, fragmenta

Versionis Latinae Antehieronymianae Prophetarum Hoseae, Amosi et Michae Marb. 1856. Joëlis, Jonae, Ezechielis, Danielis, ib. 1858. e codice Fuldensi saec. V. — coll. I, 30. — luci publicae donando.

Maxima sane aestimatione digna sunt haec virorum eruditorum opera, studiisque s. Textum emendandi plurimum utilitatis afferentia, feliciori successu tamen adhiberentur: si eorum auctores non laborassent praeiudicio, unam tantum fuisse antiquam latinam interpretationem. Italae cognoscendae, Italae reperiendae, Italae divulgandae summo studio incumbebant. Libros igitur Tertulliani, Novatiani, d. Cypriani, Lactantii, Juvencii, Julii, Firmici, Luciferi Calaritani, S. Hilarii Pictaviensis, S. Zenonis Veronensis, Phoebadii Agennensis, Victorini Afri, d. Ambrosii atque illius Scriptoris, quem Ambrosiastrum vocant; d. Hieronymi, s. Augustini, Philastrii Brixiensis, s. Paulini Nolani, Hesychii Salonitani, Chromatii Aquileiensis, Pauli Orosii aliorumque; quorum vel catalogum texere nimis longum foret, sedulissimarum apum instar pervolarunt. Quascunque autem reliquias Italae sibi reperisse videbantur, eas omnes una cum cascis fragminibus, quas in libris liturgicis et codicibus mss. inveniebant compararunt; et ita concinnarunt: ut primum versionis antiquae textus exhiberetur, deinde annotationes, quae ad eum illustrandum facerent, adderentur. At enimvero dubitari vix potest, accuratam lectionem Veterum docere: diversam diversos S. S. P. et S. E. Divinorum Librorum interpretationem priscam Latinam legisse, quas in unam congerere non licet. S. Patres atque Scriptores Ecclesiastici, quorum e scriptis sua vetustae „Italae" compilatores collegerunt, raro ad versionem Italam provocarunt; et quam hi viri Italam habent, saepe coagmentatio variarum veteris aevi versionum dicenda est. Pretiosum ergo illud aes, quod imprimis Sabatier ex thesauro Veterum produxit, cum melius signandum, tum augendum erit. Quem in finem S. P. et S. E. Latinorum opera illius aetate nondum nota, nunc vero praecipue labore Card. Maii publicae luci reddita, in usum vocare oportebit. Si quae Veteris interpretationis latinae non emendatae volumina in cod. mss. deprehenduntur, quam diligentissime consulenda forent. Utique et Sabatier, si inter vivos esset, ea recentiori aetate in lucem prolata subsidia maximi fecisset. Plurimi autem ex his studiis in disciplinas s. redundant fructus. Etenim α. Versioni Antehieronymianae ad revocandum textum originarium N. T.; imo β. ad ipsum LXX. viralem, ab ammanuensium ac temporum varietatibus discernendum, et qualis iis saeculis fuerit cognoscendum; valde conferre admittunt omnes, utpote quae e codicibus fluxerit, quorum origo ab aetate s. P. P. apostolicorum non longe distat. Unde sequitur operam illorum, qui eruendae Versioni Antehieronymianae insudarunt magni faciendam, summopere laudandam et commendandam esse. Accedit γ. ad sensus S. S. literalis perceptionem linguarum, in quas antiquissimae factae sunt D. Codicis versiones, commoditatem non modicam praestare. Ad haec denique δ. cum definitione Concilii Tridentini Latinam S. Bibliorum editionem comprobatam acceperimus, quidquid laboris et operae in illa intelligenda ponitur, adiumenti haud parum adfert. Locus non deficeret, si omnes Vetustarum Latinarum Versionum usus, recensere vellemus; e quibus aliquos dabit etiam J. H. Reinkens, Hilarius von Poitiers. Schaffh. 1864. p. 336. s.

§. 91. Versio S. Hieronymi.

Latinorum codicum Orbem fere inundantium cogente hinc multitudine, inde varietate [1]; iussu d. Damasi S. P. novam interpretationem latinam adornavit d. Eusebius Hieronymus Stridonensis. S. Damasus Pontifex cum sua aliorumque experientia edoctus intelligeret, quanta ex portentosa ista codicum Latinorum varietate oriretur confusio, ut huic malo occurreret, S. Hieronymum Ecclesiae suae sc. Romanae presbyterum [2] — quo in negotiis ecclesiasticis utebatur — ad hunc enormem plane laborem suscipiendum induxit [3]. Voluntati igitur Papae s. Damasi promte obsecutus

---

[1]) Qua conditione fuerint Biblia Latina saeculo tertio aer. chr. vidimus. Ob copiosum Versionis eorum in Ecclesia Occidentis usum et magnam versionum multitudinem accidit: ut vetus haec traductio tam varia esset in diversis codicibus, ut vix tolerari potuerit; exemplaria latina plerumque manca erant et corrupta, ut sensum et mentem Textus Sacri raro admodum correcte exprimerent. Cf. S. Hieronymi, ep. 112. ad S. Augustinum n. 19—22. p. 752. s. Nonnulli propterea textum Graecum apponebant versioni Latinae, qui in locis dubiis adhiberetur consulereturque. Viro ideo erudito, linguarum scientia omnibusque ad versionem de novo conficiendam vel tantum emendandam subsidiis imbuto opus fuit, qui his vitiis mederetur. [2]) Cuius eruditionem et ingenium plurimi faciebat; lucubrationes eius non tantum avidissime legit, sed etiam in obscuris quaestionibus ipsius sententiam expetiit. Cf. d. Damasi P., ad Hieron. ep. 19. p. 63. [3]) Neque sane s. Damasus alii magis idoneo viro id potuisset committere, quam d. Hieronymo, quem praeter eximiam orientalium, romanarum graecarumque literarum peritiam; amplissimam cognitionem Divinorum Voluminum, S. P. et S. E., traditionum Hebraicarum et christianarum, exactam notitiam terrae sacrae; insignis pietas, indefessus zelus — at secundum scientiam fidei — sana critica ornabant Adde huic Doctori studiorum commercia intercessisse cum viris scientia et morum sanctitate illustribus in Oriente et Occidente; praesto fuisse ei multos codices S. S., Polyapla Origenis aliaque apparatus critici subsidia; denique ingenium felix et capax difficillimarum disquisitionum; spiritum orationis et cor mundum, quibus solis datum est in abditos S. Librorum thesauros penetrare. Quare S. Pater coaevorum ac posterorum prodigium evasit, fuitque egregii Sacrarum Literarum interpretis prototypon clarissimum, in quo laudando iam Veteres certarunt. Ita S. Augustinus, de Civ. Dei. XVIII, 43. p. 288. scribit: „presbyter Hieronymus homo doctissimus et omnium trium linguarum peritus." Sulpicius Severus, Dialogo I. de virtutibus monach. orient. n. 4. p. 504. „Mihi iam pridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione compertus, facile obtinuerat, ut nullum mihi expetendum rectius arbitrarer. Vir enim praeter fidei meritum, dotemque virtutum, non solum Latinis atque Graecis, sed et Hebraeis

d. Hieronymus collatis optimae notae codicibus Novum Testamentum Graecae fidei[1], reddidit, ex Originario Textu scilicet Latinum castigando; sic tamen: ut ‚ne multum a lectionis latinae consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum quae sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant', semet emendasse testatur[2]. Ad cognoscendam rationem, qua s. Hieronymus in castigandis Libris Novi Testamenti usus est; adeundi erunt plures, qui supersunt Latinorum Bibliorum codices manuscripti: quive etiam ad praestantissima subsidia spectant, ipsum Textum N. F. Apostolicum ex antiquissimis monimentis colligenti. E quibus autem luculenter patet, non modo quam egregie s. Hieronymus castigandi Textus Graeci officio satisfecerit; sed et evincitur, Latinam Bibliorum interpretationem locupletissimis testibus graecis Textus Originarii N. F. omnino aequiparandam esse[3].

---

etiam ita literis institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare." Spatii penuria pressi aliorum elogia citatis tantum locis atteximus. V. Cassianus, coll. XXIII, 8. p. 597. de incarn. Dom. VII, 36. p. 801. S. Prosper Aq., l. de ingrat. c. Pel. c. 2. ed. Bibl. V. P. Colon. V. 3, 104. S. Eucherius Lugd., de quaest. diff. V. et N. F. ad Gen. 2, 23. ib. 1, 757. Idacius, ep. praef. ad Chronicon. apud Sirmond. Op. v. II, 230. Marcellinus Comes, Chron. ad a. 392. ib. p. 271. Facundus Herm., ep. pro def. 3. cap. l. 4. ib. p. 378. Cassiodorius, de institutione d. Literarum c. 21. II, 521. Gennadius, de vir. ill. praef. p. 5. Pelagius P. II., ep. ad Eliam Aquil. apud Mansi IX, 452.

1) Ut inquit c. 135. de viris illustr. p. 222. 2) Praef. ad Damasum. Quibus verbis, quid istius rei esset, quidve sibi negotii dederit, aperte significat. Erant nihilominus, qui Evangelia quidem a S. Hieronymo fuisse ad Graecam veritatem exacta concedant, de reliquis autem Libris vehementer dubitent. Imprimis quod hi praefatione careant, quam aliis omnibus abs se conversis S. Voluminibus praefigere d. Doctori consuetum fuit; illa autem, quam laudavimus et solam habemus s. Damaso inscriptam, pollicetur tantum „quatuor Evangelia." Verum quae d. Hieronymus respondit S. Augustino scribenti; inter ep. Hier. n. 104, 6. p. 637. „non parvas Deo gratias agimus de opere tuo quo Evangelium ex Graeco interpretatus es; quia pene in omnibus nulla offensio est, quum Scripturam Graecam contulerimus": in haec verba ep. 112, 20. p. 753. „Et si me, ut dicis in Novi Testamenti emendatione suscipis, exponisque causam, cur suscipias; quia plurimi linguae Graecae habentes scientiam, de meo possint opere iudicare", id de solo Evangeliorum codice intelligere non sinent. Cf. etiam ep. 71, 5. ad Lucinium ubi paria habentur p. 434. Unde recte inferimus d. Hieronymi correctionem ad universum N. T. Canonem pertinuisse, quem ad Graecorum exemplarium fidem exegit S. Doctor, tam etsi solis Evangeliis praefationem adornaverit, quod ea pars N. T. sit omnium prima. 3) Inter hos libros

Versionem vero S. S. L. L. Antiqui Testamenti s. Doctor hac ratione perfecit: Cum pro diversitate Ecclesiarum imprimis variae fuerint interpretationes Psalterii latinae[1], Psalterium Vetus Latinum, e quo suos recitabat Psalmos Ecclesia Romana, emendare aggressus est. Atque hoc vetustissimum Psalterium est, quod a perpetuo in eadem Ecclesia usu ‚Romanum' adpellatur[2]. Sed

---

manuscriptos primo loco ponendus est Codex Amiatinus, qui tam praestans esse reperitur, ut iure meritoque celeberrimus vocetur. Erat olim coenobii Cisterciensium S. Salvatoris montis Amiatae — monte delle fiore — inter urbes Senam et Radicofani, in confinio Etruriae regnique pontificii siti. Codicum latinorum antiquissimus c. a. 541., proinde centum viginti a morte s. Hieronymi annis scriptus; demum 590. recenter electo Summo Pontifici Gregorio M. dono missus fuit. Petrus Abbas a Longobardis oriundus — qui circa finem saeculi noni et initium decimi floruit — monasterio suo, codicem hunc pretiosum, quem unde acquisierit non constat, retulit. Exstincto monasterio Amiatino in Laurentianam Bibliothecam Florentias transiit. Mille viginti et novem habet folia, quorum septingenti nonaginta sex ad Vetus; ducenti triginta duo ad Novum spectant Testamentum. Scriptio continua est, nullaque antiquissimae manus interpunctio visitur. Scriptura ex antiquo genere unciali est, eaque satis elegans. Universa complectitur Biblia Vulgata, excepto l. Baruch; at Psalterium exhibet interpretationem, quam d. Hieronymus ex Hebraeo fecit. Plura aventi dabit cumprimis Angelus Maria Bandinius, diss. de insigni Codice Biblico Amiatino, in Catalogo MSS. Biblioth. Leopold. Laurentianae. Florentiae 1791. I, 701. s. F. Fl. Fleck, Vulgata ed. cum var. lect. antiq. cod. olim montis Amiatae in Etruria Lips. 1840. Editio parum aestimata, quia minus correcta. Praemissa est comment. de codice Amiatino et vers. lat. Vulgata. C. Tischendorf, Codex Amiatinus. N. T. latine interprete Hieronymo. Lips. 1850. — editio paucis mutatis, ipso libri textu non variato repetita 1854. — prol. 7—46. Nobilissimi huius codicis varietates omnes dedit C. Vercellone, Variae Lectiones Vulgatae Latinae Bibliorum editionis. Romae 1860. I. 1864. II. Editor diligentissimus in eruditis suis prolegomenis pluribus agit I, 84. s. II, 17. s. de aliis praeclaris iisque veteribus codicibus translationis Hieronymianae. Ex istis pulcherrimus habetur * codex F., olim sacrarii Basilicae rom. S. Mariae ad mart., nunc collegii Congr. s. Pauli in Urbe, cuius bibliothecae hunc codicem pretio comparatum tabulis supremis inferri iussit Card. Aloys Lambruschinius. Saeculi decimi liber membr. in fol. universa s. Biblia exhibet; demtis Gen. 26, 13—31, 34. Isai. 1, — 2, 12. 66, 5. - Jer. 2, 19. Zach. 4, 9—14. 21. quorum c. c. sex folia exciderunt. Psalterium quod C. Thomasius et Vezossi edidit, ex hoc codice petitum fuit. Cf. Vercellone, l. c. I. prol. p. 87.

[1]) Quamvis idem circa alios L. L. S. S. quoque obtinuisse, e quibus d. Augustinus palmam detulit illi versioni, quae Itala vocabatur, cognoverimus. V. p. 204. [2]) Mansit istud Psalterium in usu usque ad Pium V., qui illi pro omnibus totius orbis Ecclesiis; Vaticana, Veneta d. Marci et Mediolanensi exceptis, derogavit; et Psalterium Vulgatum deinceps recitari iussit. Psalterium

rursus librariorum incuria vitiatum, ubi s. Hieronymus Romae viveret, hortante eodem Damaso ad LXX. interpretes correxit. Ast tantum ‚cursim magna tamen ex parte'[1]. Cum vero Psalterium a se correctum rursus mendis vitiatum cerneret, post aliquot annos rogatus a Paula et Eustochio; secundis e Graeco iuxta editionem hexaplarem curis illud ipsum recensuit. Nova haec recensio priore S. Patris emendationibus magis limata[2], se statim undique diffudit. Suscepit illam Roma[3], in Germaniam quoque et Galliam transiit[4]; atque hinc obtinuit nomen Psalterii Gallicani, quo nomine illud vocat Berno Abbas Augiensis[5]. Psalterium Gallicanum, illud idem esse reperitur, quod etiam nomine Vulgati venit, quo universa Ecclesia Catholica nunc[6] in publicis

Romanum edidit Vezossi, vol. II. Op. C. Thomasii. Rom. 1747. De eodem disputavit A. Martinetti, diss. de Psalterio rom. Rom. 1745.

[1]) Praef. in Psalt. Haec correctio prima ad fidem mssrm. expressa habetur a Vallarsio edit. S. Hieronymi, Op. X, 107. s. [2]) Typis descripta reperitur apud Vallarsium, l. c. X, 108. s. cum obelis et asteriscis a d. Hieronymo olim additis; quibus demtis integri subinde Psalmi concordant cum apposito in altera columna ibidem Psalterio Romano. Placentiae, ut fidem facit Brunati, de nomine, auctore, emendatoribus et authentia Vulgatae diss. Vienn. 1827., in publica Bibliotheca asservatur codex pretiosus Psalterii Gallicani anno 827. scriptus. V. n. 19. p. 64. [3]) Ut testatur d. Hieronymus, ep. ad Sophronium praefixa L. Psalm. i. hebr. verit. IX, 1156. contra Rufinum, II, 30. II, 425. [4]) Ut de sua aetate s. IX. refert Walafridus Strabo, de rebus eccl. c. 25. „Psalmos autem, cum secundum LXX. interpretes Romani adhuc habeant, Galli et Germanorum aliqui secundum emendationem, quam Hieronymus Pater de LXX. editione composuit, Psalterium cantant. Quam Gregorius Turonensis Episcopus a patribus Romanis mutuatum, in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse." Ed. Bibl. M. Colon. IX. 1, 963. 4. [5]) Saec. XI. scriptor apud J. Mabillon, disq. de cursu Gallicano, in op. de Liturgia Gallicana. Par. 1729. p. 396. [6]) Quamquam Psalterium Vulgatum e Graeco τῶν LXX. translatum esse constet, ab interprete quodam ignoto; eidem tamen nunc per omnia nequaquam respondet. Enimvero varia, quae d. Hieronymus iuxta Theodotionis editionem apposuit; modo ob omissos in nostris exemplaribus asteriscos cum textu τῶν ὁ commiscentur, alia vero, quae penes LXX. exstant, resecabantur. Ex Psalterii nostri dicendi genere ultro patet antiquum illius interpretem, nequaquam in doctis humanae sapientiae verbis, graeca latinis reddidisse. Lingua simplex omnino est minime comta, imo a puriore Latii non parum recedens, Hebraismis et Graecismis redundat, vocabula et constructiones adhibet, de quibus frustra Lexica consulimus. Idiotismi ad omnes orationis partes se extendunt, quos ut S. S. studiosi intelligant, praeter latinum sermonem Hebraeo et Graeco opus habent. Utilis est hanc in rem commentariolus J. A. Hagen, Sprachliche Erörterungen zur Vulgata. Freib. 1863.

suis Officiis utitur. Cum Psalmorum voluminis inter omnia Veteris Testamenti Scripta[1] obscurissimi, potior prae aliis quibuscunque in Ecclesia D. N. J. Christi fuerit usus; frequentissime illud describi contigit. Iam vero singularis obscuritas et saepius iterata descriptio in causa fuerunt, quod Psalterium Vulgatum plurimis foedaretur mendis, et variantium lectionum silva donaretur[2]. Psalmis adiecit d. Hieronymus reliquos Veteris Testamenti Libros. Siquidem p. C. n. anno 386. apud Bethlehemum desiderata tranquillitate locoque suae religioni gratissimo potitus; vir sanctus indefessa industria se totum S. Literis in latinum sermonem convertendis atque explicandis dedit[3]. Circa hoc tempus ‚antiquam Divinorum Voluminum viam sentibus virgultisque purgare' studens S. Doctor; novam de Graeco Jobi Versionem fecit[4]. Etiam libros Salomonis e Graeco latine reddidit[5]. Sed[6] fraude hominis cuiusdam pleraque huius prioris laboris opera

---

[1]) Si Jobum excipiamus. [2]) Neminem tamen, qui ad recitandas Horas Canonicas obligatur, ista Vulgati Psalterii mendositas turbet; non enim reddunt huiusmodi naevi, in omnibus, quae fidem et mores spectant, dubium infallibile Ecclesiae de hoc instrumento testimonium. Cf. J. Marianae, e S. J. diss. pro editione Vulgata, in ed. Menochii suppl. Ven. 1722. c. 19. s. p. 80. s. Exstat repetita in Migne; S. S. Curs. compl. Par. 1839. I, 659. Cf. e. P. W. Smits, Ord. F. M. Psalterium Vulgatum elucidatum. Antv. 1744. I. Prolegom. I. Diss. III. c. 2. p. 71. s., ubi omnia haec fusius enarrata et demonstrata habentur. [3]) Cf. Not. T. s. geogr. p. LXI. s. Primordia otii, quod iam nactus erat, accuratiori linguae hebraeae, quam in eremo Chalcidis primis labiis attigerat, peritiae sibi parandae dicavit; quem in finem quendam Baraninam Lyddaeum suum praeceptorem, qui apud Hebraeos primus haberi putabatur, non parvis redemit nummis. V. praef. in Job. Baraninam habuisse magistrum nocturnum, testatur Comm. in Isai. 22. p. 220. et 318. Quippe qui ob popularium metum hominem Christianum palam instituere non auderet. [4]) In praefatione, quam praefixit, totius a se suscepti operis intentionem et rationem exposuit. Hac ipsa Jobi interpretatione iam usus fuit d. Augustinus, coll. epist. LXXI, 1. Oper. II, 160. „In hac autem epistola hoc addo, quod postea didicimus, Job ex Hebraeo a te interpretatum, cum iam quamdam haberemus interpretationem tuam eiusdem Prophetae ex graeco eloquio versam in latinum." Tempus, quo versionem hanc Jobi confecit, indirecte colligitur e praef. in l. Job: „Ceterum apud Latinos, ante eam translationem, quam sub asteriscis et obelis nuper edidimus." Unde sequitur Jobi e graeco translationem, parvo dumtaxat intervallo praecessisse illam de Hebraeo. [5]) „Salomonis etiam libros, quos olim iuxta Septuaginta additis obelis et asteriscis in Latinum verteram, ex Hebraico transferens"; scribit contra Rufinum, II, 31. p. 526. [6]) Cf. Ep. S. Hieronymi, 134, 2. d. Augustino Op. I, 1043.

amisit S. Hieronymus, antequam publici iuris facta erant. Edidit et Paralipomena[1], ad versionem τῶν ὁ in Hexaplis emendata.

Superiore iam, i. e. Origenis aetate plurimi in Ecclesia viri docti novam translationem ad Hebraeum ἀρχέτυπον omnino effictam, necessariam esse iudicarunt. Judaei enim ubi a LXX. versione averterant animum, continuo obiiciebant Christianis, illos genuino S. Scripturae Textu carere; siquidem eorum translatio nequaquam cum Hebraeo, sed cum LXX. conveniret versione[2]: quae ipsa rursus in multis deficeret, et aliis redundaret, in plurimis erraret[3]. Quare cum Christianis Judaei disputantes, horum argumenta, quae ex latina V. T. translatione ad LXX. facta ducta erant, eludere solebant: urgendo graecae et latinae versionis cum Textu V. T. Originario dissensum. Ut igitur Judaeis haec arma eripiat; et ne de falsitate Scripturarum Ecclesiis eius — sc. Christi — insultarent[4]; denique ut suis amicis, qui tantopere S. S. secundum Hebraeum fontem verti expetiere, faceret satis se hocce opus suscepisse fatetur s. Doctor[5]. Et maximam sane interpretationis suae de Hebraico ipso exemplari iam a. 392. absolverat[6]; tametsi post annos nonnisi duodecim, tota illa iuxta Textum Originarium V. T. versio ad finem perducta fuerit. Neque iuxta S. Scripturarum ordinem, ut in Codice Hebraeo V. F. Libri continentur, a primo ad novissimum interpretatus est; sed ut potuit, rogatusque est a fratribus vertenda sibi Divina Volumina esse censuit. Initium duxit a L. L. Regum, quos deinde alii hoc ordine sequebantur: Prophetae Maiores et Minores, Psalmi, Libri Salomonis, Esdrae,

---

[1]) Hinc quoque in hosce libros duplices supersunt praefationes, aliae ad eorundem ex Graeco, aliae ex Hebraeo translationem pertinentes. L. c. Vallarsium, S. Hieronymi Vita c. 20. XI. 1, 114. s. [2]) Cf. s. Hieronymi, praef. in Psalt. et Isai. [3]) Idem, ep. 104. et praef. in Paral. [4]) Ut loquitur praef. in Isai. ad fin. [5]) „Si Septuaginta interpretum, pura et ut ab eis in Graecum versa est, editio permaneret, superflue me, scribit, Chromati Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres ut hebraea tibi volumina latino sermone transferrem. — Nunc vero cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa antiquaque translatio corrupta sit, atque violata; nostri arbitrii putas, aut e pluribus iudicare quid verum sit, aut novum opus in veteri cudere, illudentibusque Judaeis, cornicum, ut dicitur, oculos configere." Prolog. gal. [6]) Siquidem eo tempore libro de vir. ill. affirmet se: „Vetus instrumentum iuxta hebraicum transtulisse."

Job, Octateuchum, quinque Moysis, Josuae, Judicum, Ruth, qui in unum numerum coalescunt, Estheram. Denique L. L. Paralipomenon successerunt; historiae vero Tobiae et Judith e Chaldaeo in Latinum conversae sunt. Nec minus sic dicta additamenta in Daniele et Esthera ab Hieronymo ad fidem LXX. translata fuerant. Libros autem Baruch, Sapientiae, Ecclesiastici et Machabaeorum non vertit. Quamvis eo, quo Jobi transtulisse versionem refert tempore, iam et: ‚cetera clausa armario tenere se' dicat[1].

De ratione, qua in convertendo S. Codice V. F. usus est d. Hieronymus claris verbis scribit[2]: ‚Nos antiquam interpretationem sequentes, quod non nocebat mutare noluimus.' De Novo autem respondet iis, qui sibi obtrectabant, quod quaedam ex N. T. iam recepta mutasset[3] se: ‚Latinorum codicum vitiositatem, quae ex diversitate librorum omnium comprobatur ad Graecam originem voluisse revocare.' Hac ratione S. Hieronymus efformavit versionem reliquarum omnium, quae tunc temporis exstiterunt facile principem. Sermo huius interpretationis planus est, ut assolet in omnibus d. Hieronymi operibus; et sicubi obscurus id vel subiectae materiae, vel veteri translatori, quem retinere cupiebat, ordinarie adscribendum est[4].

§. 92. Varii casus interpretationis Hieronymianae.

Cum Versio haec multis in locis τοὺς ό antecellat, verbaque et sensum non raro aptius exprimat, S. Hieronymo adhuc vivente

---

[1]) Opinio haec de ordine et tempore singulorum Librorum fusius dilucidata et demonstrata habetur a Sabatiero, II, 389. 734. 1013. Blanchinio, Vind. Can. Sr. Vulg. I, 289. s. W. Smits, Genesis Vulg. Vers. dilucid. Antv. 1753. I, 95. Psalter. I, 88. Proverbia elucidata Prol. pag. 38. Job elucidatus Prol. p. 165. Ecclesiasticus elucidatus. p. 45. s. Libri Tobiae, Judith et Esther dilucidati. p. 26. s. 2. p. 24. s. 3. p. 32. s. Sapientia elucidata p. 64. Hist. R. D. V. T. p. 329. 368. 434. 491. 508. 549. Praeivit nobis interim dux eruditissimus editor Veronensis, S. Hieronymi Vita c. 21. p. 120. s. [2]) Ad Sunniam et Fretelam ep. 106, 66. p. 670. [3]) Ep. 27. ad Marcellam, n. 1. p. 133. [4]) Nullus fere apud s. Hieronymum habetur S. S. Liber, etiam in difficillimis quin eiusdem versio aequis harum rerum arbitris non probaretur. Pauca admodum loca sunt in S. V. F., quae felicius sive a priscis sive a recentioribus interpretibus, attentis Hermeneuticae regulis explicata novimus. V. p. 144, 5.

a permultis magno applausu est suscepta. Ipsi Judaei eam suspexerunt[1], veluti magis conformem quam antecedentes Textui Originario[2]. Non tamen deerant etiam adversarii et obtrectatores, qui eam improbarunt; veluti ad auctoritatem τῶν LXX., — quam versionem divinam et ope Spiritus Sancti factam putarunt[3]. — minuendam et deprimendam factam. Acerbissimus horum omnium fuit Rufinus[4]. His calumniis occurrendum sibi esse censuit S. Pater responsionibus, quas variis inseruit tractatibus[5]. Serenior novae interpreta-

---

[1]) Cf. C. J. Herber, de Versione latina Vulgata. Vratisl. 1815. p. 19. [2]) Sophronius ex amicis S. Hieronymi, vir apprime eruditus. „Psalterium et Prophetas, quos nos, dicit S. Hieronymus de viris illustr. c. 134. p. 220., de Hebraeo in Latinum vertimus", in graecum eleganti sermone transtulit. Lucinius, ex Hispania Boetica, S. S. L. L. bene studiosus, notarios Bethlehemum misit; qui versionem et cetera opera d. Hieronymi describentes referrent. Ep. 71, 5. p. 434. Hanc in rem inquit s. Doctor: „si paragrammata repereris; vel minus aliqua descripta sunt, quae sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiae notariorum librariorumque incuriae, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur ostendunt suos." Et mox subdit: „Canonem Hebraicae veritatis, excepto Octoteucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi describendum. Septuaginta interpretum editionem et te habere non dubito; et ante annos plurimos diligentissime emendatam, studiosis tradidi. Novum Testamentum graecae reddidi auctoritati. Ut enim Veterum Librorum fides de Hebraeis voluminibus examinanda est, ita Novorum Graeci sermonis normam desiderat. Laudat etiam Hesychius d. Hieronymi versionem. [3]) Vide p. 166. s. [4]) Obiicit d. Hieronymo: „Quis ex tot et tantis prudentibus et sanctis viris, qui ante te fuerunt ad istud opus — sc. LXX. — ausus sit manum mittere?" Apol. II, 32. p. 661. Et statim n. 33. persequitur eandem criminationem: „Quis ergo in ista eruditorum virorum copia ausus est Instrumentum divinum, quod Apostoli Ecclesiis tradiderunt, et depositum Spiritus Sancti compilare?" [5]) Adversus hostes suos calamum stringens „Cogor, ait praef. in l. Job, per singulos Scripturae divinae Libros adversariorum respondere maledictis; qui interpretationem meam, reprehensionem Septuaginta interpretum criminantur." Praestitit hoc prae ceteris egregie l. II. contra Rufinum, n. 24. s. p. 517. s. „Ad me repente scribit rursus ad Marcellam ep. 27, 1. p. 134., perlatum est quosdam homunculos mihi studiose detrahere, cur adversum auctoritatem Veterum et totius mundi opinionem, aliqua in Evangeliis emendare tentaverim. Quos ego cum possem meo iure contemnere, tamen ne nos superbiae, ut facere solent arguant, ita responsum habeant. Non adeo me hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de Dominicis verbis corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum; sed Latinorum Codicum vitiositatem, quae ex diversitate Librorum omnium comprobatur, ad Graecam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare. Quibus si displicet fontis unda purissimi, coenosos rivulos bibant."

tioni S. S. latinae tempestas primo post beati auctoris mortem est orta. S. Leo M. quidem[1] priscam translationem adhibuit; sed S. Gregorius M. iam d. Hieronymi versionem summis effert laudibus[2].

Auctoritate d. Gregorii M. saeculo p. C. septimo eum in modum praevaluit; ut submota fere penitus Vetere, in universa Ecclesia sola nova locum occuparet. Hieronymi editione testatur S. Isidorus Hispalensis[3] ‚generaliter omnes Ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis'[4]. Quae duobus fere saeculis post Hrabanus Maurus S. Hieronymi illustria dederat encomia versioni S. S.[5]; de verbo ad verbum transscripsit Venerabilis Beda[6]. Idem affirmat M. Hugo de S. Victore, aliique scriptores innumeri[7].

Haud quidem inficiamur — prout inficiari aggressus est F. M. Molkenbuhr, diss. cr. XIX. de altercationibus S. Hieronymum inter et D. Augustinum. Monast. Westphal. 1796. p. 8. s. 13. s. quia persuasus? est: „quod tota haec historia sit fabula." S. Augustinus de ista controversia nihil meminit quam ego fictitiam censeo!" — magnum quoque s. Augustinum d. Hieronymum, quem alias plurimi fecerat, multum hortatum fuisse ep. 71, 4. p. 160.: „Ego sane te mallem Graecas potius Canonicas nobis interpretari Scripturas, quae Septuaginta interpretum perhibentur. Perdurum erit enim, si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentius coeperit lectitari, quod a Graecis Ecclesiis Latinae dissonabunt." Deinde n. 5. p. 161. narrat d. Hieronymo, quod eius interpretatio Jonae ex Hebraeo sumta, quia aliter reddidit „quam erat omnium sensibus memoriaeque inveteratum, et tot aetatibus decantatum", magnum tumultum excitaverit in aliqua Ecclesiarum Africae. Ad haec respondit S. Hieronymus, ep. 112, 22. p. 754. sugillando imperitos expostulatores. Ceterum pax inter ipsos Sanctos numquam intercisa fuit, et foedere veluti in haereticos facto adversus eosdem abhinc uterque calamum strinxere.

1) Coll. ep. 27. ad Pulcheriam. n. 2. I, 143. s. 2) Cum I, 5. praef. in Job. dicit se librum Jobi ad novam translationem fuisse interpretatum; et l. XX, c. 33. n. 62. p. 665. „Sed tamen quia haec nova translatio ex Hebraeo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est quidquid in ea dicitur." Cf. ei. Homil. in Ezech. I. 10, 6. p. 1265. 3) De eccl. Officiis I, 12. p. 748. 4) Cf. Arevali, Isidorian. III. 87, 15. s. p. 657. s. 5) De inst. Cler. II, 54. Op. ed. Colon. 1626. VI, 30. 6) Praef. in l. de temporum ratione Op. II, 43. scribit: „omnibus his — interpr. LXX. — Hebraicae veritatis integram praefero puritatem, quam praeeminentissimi doctorum Hieronymus, Augustinus comprobant." 7) Praenotationes elucidatoriae de Scripturis et Scriptoribus Sacris c. 9. Op. ed. Rothomag. 1648. I, 5. affirmat: „Octavo loco Hieronymus accessit, non iam de Hebraeo in Graecum sicut priores, sed de Hebraeo in Latinum transferens sermonem. Cuius translatio, quia hebraicae

§. 93. Bibliorum translatio Latina per tempestates aevi medii.

Cum d. Hieronymi translatio se magis in dies diffunderet, librariorum [1] oscitantia, non exiguis infecta fuit mendis. Enimvero saepe Nova Versio ad antiquum interpretem refieta est. Saeculorum decursu variarum lectionum Italae infinita silva a librariis Novae Versioni intexta fuit. Stephanus II. Abbas Cistercensis, ubi descripta S. Bibliorum exemplaria ad usum sui Ordinis, parum consona interpretationi S. Hieronymi reperisset; graviter offensus eiusmodi discrepantiis, instituta collatione c. a. 1109. cum Hebraeis et Chaldaeis fontibus, emendata et castigata habere voluit D. Volumina [2]. Quare ut emendatio et correctio apographorum Versionis Latinae quam maxime fieret accurata, summopere laboratum est.

Hoc ipsum ut promoveret, quatuor fere saeculis prius sibi religioni duxit Carolus M., qui periniquo animo ferens S. Scriptorum interpretationem latinam, multiplicium describentium vitio mendis obsitam vilescere; a. c. 778. Flacco Alcuino seu Albino — ut qui hebraica, graeca, latina rite calleret. — demandavit: Doctoris maximi in exponendis Scripturis opus pristinae vindicare integritati [3]. Hunc itaque necessarium utilissimumque

---

veritati concordare magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per universam Latinitatem prae ceteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de Hebraeo in Graecum, sive secunda de Graeco in Latinum facta, corruperat, hanc solam legendam et in auctoritate habendam constituit."

[1]) Id est monachorum, qui tunc describendis exemplaribus incubuerunt. [2]) Cf. Censuram Stephani Abb. Cisterc. sec. de aliquot locis Bibliorum apud Mabillon, post Chronol. Bernardinam p. 11. [3]) Cf. constitutionem a. 788. de emendatione Librorum et Officiorum ecclesiasticorum, in Capitularibus Regum Francorum ed. Baluzii Par. 1780. I, 203. Ubi vir summus dicit: iampridem universos Veteris ac Novi Instrumenti Libros librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adiuvante, examussim correximus." Opera ista rei sacrae summe proficua tantopere cordi fuit Carolo M., ut ipsemet illum vacuus ab regiminis laboribus, quibusdam diebus subire haud gravaretur. Reperitur in Bibliotheca C. R. Palatina codex antiquissimus et pretiosissimus membranaceus mss., iudice Lambecio, Comment. de Augustiss. Bibl. C. Vindob. l. VIII. V. 1679. add. V. p. 645. s. ad bibliothecam Palatii sui Aquensis — Cf. e. Comm. II, 5. p. 264. — pertinens, in quo Origenis explanatio ep. S. Pauli ad Rom. vel in ipso contextu, vel interlineariter, vel ad marginem propria Caroli Regis manu emendationes et annotationes scriptae leguntur. V. e. A. Fr. Kollarii, Analect. o. ae. Vindob. 1761. I. p. 724. n. a. Cf. e. J. C. F. Baer, de literarum studiis a Carolo M. revocatis. Heidelb. 1855. p. 7. s. Obiter h. l. adhuc monemus;

laborem in se suscipiens vir praeclarus Alcuinus[1], Versionem latinam ad Textus Sacros revocavit veriores ac vetustiores. Opus in quod totis viribus incubuit, iamiam absolutum die Natalis Domini a. 800., quo Carolus M. Romae in Imperatorem ungeretur, Eidem tanquam acceptissimum munus obtulit[2]. Codicis Divini a Flacco Alcuino correcti apographa ab industriis librariis facta, brevi per Ecclesias et coenobia ubique divulgabantur[3].

Sed rursus librariorum arbitrio in multis exemplaribus conturbata sunt omnia; unde Bibliis Latinis iterum emaculandis, operam posuit saeculo XI. labente S. Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis[4]. Quae

---

Utrum difficilius aut maius foret negare Carolo M. Regi sibi imperanti, an efficere id, quod rogabat, diu multumque Alcuinus dubitasse! Nam non obtemperare ei, cui se carissimum esse sentiebat, praesertim et sancta petenti et praeclara ad Ecclesiae aedificationem cupienti durum admodum ipsi videbatur; et suscipere tantam rem quantam non modo perficere difficile erat, sed etiam eius esse existimavit, qui universam regeret Ecclesiam. Sed quoniam a Rege instatum fuit, instaurandae S. S. laborem aggressus est, non tam absolvendi spe, quam experiendi voluntate.

[1]) Uti colligitur ex ep. Alcuini ad Gislam et Columbam, quae praemittitur ei. Comm. in Joann. l. VI. Op. ed. Frobenii Ratisb. 1777. I. 2, 591. „Totius forsan, inquit, Evangelii expositionem direxissem vobis, si me non occupasset Domini Regis praeceptum in emendatione Veteris Novique Testamenti.“ [2]) Hac re simul laetitiam suam ob adeptos novos abs Carolo M. honores testatus. Loquitur hac de re ep. 103. ad D. Regem Op. I. 1, 154. „Sed quaerenti mihi et consideranti nihil dignius honori vestro inveniri posse, quam Divinorum munera Librorum .... quos in unius clarissimi corporis sanctitatem connexos, atque diligenter emendatos vestrae clarissimae Auctoritati .... dirigere curavi.“ Id quod praestiterit ex autographo codice ipsius Alcuini, quem Bibliotheca Vallicellana Romae custodit sign. l. B. n. 6. cognoscitur, cuius specimina dederat J. Blanchini, Vind. can. Script. Vulgat. Lat. edit. Rom. 1740. p. 322. s. — Plura de Alcuino habent: Frobenius, comm. de vit. B. Flacci Albini seu Alcuini, inpr. n. 68. s. Op. I, 1. pr. p. 29. s. Hist. liter. de la France IV, 295. Fr. Lorentz, Alcuins Leben. Hal. 1829. J. B. Laforet, de Alcuino literarum in Occidente restauratore. Lovan. 1851. Monnier, Alcuin et son influence lit. Par. 1853. — Hoc autem satis cognito illud tantum de ratione instauratorum ab Alcuino S. S. Bibliorum Latinorum addere placet: Albino minime eam fuisse mentem, ut sua Archetypis conformaret, sed conquirendis undique Versionis d. Hieronymi codicibus, iisque sedulo conferendis vacasse; ut quae probanda sibi esset lectio, ex eorum fide, qui melioris notae viderentur, decerneret. [3]) Angelomus mon. et diac. Luxoviensis O. S. B. Alcuino fere coaevus, comment. in Genes. 16, 15. ap. B. Pezium, Thes. Anecdot. noviss. aug. Vind. 1721. I. 1, 148. scribit: „quod Pater Albinus in Bibliotheca, quam Carolo principi correxit, quod nos etiam oculis diligenter inibi inspeximus, emendare curavit.“ [4]) De quo vetustus Biographus, in vita c. 15. ed. Op. L. Dacherii Par. 1648. p. 15. narrat: „Quia Scripturae Scriptorum vitio erant nimium corruptae, omnes tam Veteris quam

a dimidio s. XIII. usque ad Robertum Stephanum, sive manu sive typis descripta sunt S. Biblia, suum nitorem debent Dominicanis. Hi namque summa pro eo aevo κρίσει S. S. castigandis vacarunt; in opere quod Correctorium Parisiense adpellatur, quod imprimis per labores fere infinitos constabilivit Cardinalis Hugo de S. Charo[1]. Ita haec Dominicanorum ἐπανόρθωσις viris eruditis saec. XIII. placuit, ut exinde variantes saltem lectiones sibi describendas curarint; hincque depromtum est celebre illud Correctorium, quod ‚Sorbonicum' vocatur[2].

Idem porro eruditissimus Hugo, qui cum Parisiis familiam Dominicanorum regeret, totus illustrandae S. Bibliothecae intentus fuit; exinde cum S. S. suis postillis dilucidare aggrederetur, vidit quam esset necessarium loca omnia, in quibus eadem vox iteratur in conspectu habere. Et ideo alacriter ad indicem omnium vocum S. S. conficiendum semet cum pluribus sodalibus accinxit. Ita alterum opus Hugonis nunquam satis laudandum, nimirum S. Bibliorum Concordantiae, ortum est[3]. Correctoriis istis S. Bibliorum Latinorum, non tantum Ordo P. P. Praedicatorum feliciter usus est[4]; verum etiam alii. Quae omnia Versionem Latinam castigandi tentamina, quidem eum habuerunt scopum; ut apographa Versionis Latinae, per librariorum manus multis erroribus infecta emendatiora redderent. Nihilominus quamvis correctoriis eiusmodi incredibili solertia, vocatis in recensum antiquis codicibus, vitia translationis priscae abstergere conati fuere critici; haud parum ad hoc contulisse, ne S. Textus Bibliorum latinorum in peius rueret: tamen quia nunquam communi suffragio suscipi

---

Novi Testamenti Libros, secundum orthodoxam fidem studuit corrigere. Et etiam multa de his quibus utimur nocte et die in servitio Ecclesiae ad unguem emendavit; et hoc non tantum per se, sed etiam per discipulos suos fecit." Hunc exceperunt saec. XII. Cistercienses; dirigente Abbate Stephano II., a quo adhibitis rei peritis Biblia latina revisa fuisse iam diximus. p. 218.

[1]) Ita cognominatus a loco natali Viennae Allobrogum suburbio S. Chiers. Ordinis erat Praedicatorum. Curante opusque dirigente Hugone S. Textus Bibliorum ab uno Dominicanorum perito notario, quales multi in monasterio Sanjacobeo Parisiensi fuerunt, describebatur, cui postea adiiciebantur ad marginem varietates codicum Hebraeorum, Graecorum, Latinorum antiquorum; vel etiam S. S. Patrum s. Ambrosii, s. Hieronymi, Hrabani aliorumque lectiones, a pluribus monachis e. O. collectae. A. c. 1236. [2]) Cuius descriptionem exhibet R. Simon, Hist. cr. des Vers. du N. T. Rotter. 1690. p. 111. s. [3]) Cf. Comm. h. p. 63. Sed de his operibus plura dabunt: J. Quetif et J. Echard, Scriptores Ordinis Praedicatorum recensiti. Lutet Par. 1719. I, 197. s. 203. s. Natalis Al., Hist. Eccl. VII, 129. s. R. Simon, Nouvelles Observations sur le texte et les Versions du N. T. II, 1. p. 128. s. Fabricy, de titres primitifs de la Révélation, ed. Migne p. 727. [4]) Quemadmodum satis patet ex disputationibus d. Doctoris Angelici.

meruerunt, neque ab Ecclesia approbata sunt, privati tantummodo manserunt usus. Nuspiam ubique valuerunt correctoria; sed modo in his, modo in aliis locis; hinc mansit illa ingens codicum latinorum diversitas. Unde Laurentius Valla saec. XV. rursus novam collectionem annotationum in versionem latinam sibi suscipiendam esse putavit [1]. Versionem Vulgatae mendis laborare docuit etiam Nicolaus Liranus [2].

Codicibus mss. proxime inventa arte typographica successerunt Biblia typis descripta, quibus in re critica momentum competit vix contemnendum; a libris enimvero manu exaratis derivata, bonas saepe subministrant lectiones [3]. Cum vero inter ipsos S. Bibliorum codices manuscriptos tanta intercederet lectionum diversitas, ipsa typis exscripta exemplaria non a se invicem dissentire non potuerunt. Haud parum sane artem typographicam recognitioni Vulgatae utilem fuisse nemo negabit. Laudanda cumprimis opera et labor Card. Ximenis, viri inter nostros maximi nomi-

---

[1]) Utimur editione J. Revii Amst. 1630. h. t. L. Vallae, de Collatione Novi Testamenti Libri duo. Quomodo hoc instituerit opus, L. Valla his verbis pandit, Coll. in Matth. 27, 22. p. 39.: „tres codices latinos et totidem Graecos habeo, cum haec compono; et nonnunquam alios codices consulo.“ Huius sui instituti interim statim adversarios expertus est Pogium Florentinum atque Antonium Panormitanum. Ib. p. 214. s. [2]) Proleg. sec. de intentione auctoris et modo procedendi. Op. ed. Duac. 1617. I, f. 2. c. II. [3]) Artem typographicam recenter inventam, viri qui illam excoluerunt fere omnium primo S. Bibliis edendis consecrarunt. Varia prostant exemplaria, quae sine loci et anni nota prodiere, ad ipsa tamen typographiae incunabula referenda. Tradunt viri eruditi primum librum excusum fuisse latinam Bibliorum Versionem Bambergae ab a. 1453—55. ab Adalberto Pfistero — cf. P. Pl. Sprenger, älteste Buchdruckergeschichte von Bamberg. Nürnb. 1801. p. 25. s. — quam secuta est editio 1462. per Fustium et Schoefferum Moguntina prima, notato in titulo anno, loco et typographo, hac epigraphe: Presens hoc opusculum Artificiosum adinventione imprimendi seu caracterizandi. Absque calami exaratione in civitate Moguntin. seu effigiatum et ad eusebiam dei industriae per Johannem Fust civem et Petrum Schoiffher de Gerns'heym Clericum dioeces. eiusdem est consumatum. Anno Domini MCCCCLXII. In vigilia assumpcionis virginis marie 2. v. fol. Plura qui de his desiderat adeat: Le Long, Biblioth. s. ed. Masch. II. 3, 53. S. Seemiller, exercitatio bibliographico critica de latinorum Bibliorum cum nota anni 1462. impressa duplici editione Moguntina. Ingolst. 1785. J. G. Schelhorn, de antiquissima Latinorum Bibliorum editione diatribe. Ulmae 1760. G. G. Zapf, Aelteste Buchdruckergeschichte von Mainz. Ulm. 1790. p. 23. s. 123. s. Vercellone, Var. Lect. Vulg. I, 96. s. II. 22. s.; quem ceteroquin virum diligentissimum fugit editio Veneta, quam nos ipsi possidemus: „biblia ipressa Venetiis per Leonardum vuild de Ratisbona expensis Nicolai de francfordia. MCCCCLXXVIII.“ in fol. min.

nis, in adornando opere Polyglotto Complutensi; item editorum Roberti Stephani 1528. 1540.; Joann. Hentenii Nechliniensis cura Theologorum Lovaniensium Lovanii 1547. ex officina B. Gravii; Polyglottorum denique Antverpiensium: quin tamen optatus omnino eventus illorum, qui edendae S. Bibliorum Latinae Versioni operam posuerunt, votis studiisque responderet. Reperti sunt etiam editores audaces; qui non tantum veterem Vulgatae lectionem sollicitarent, sed et ipsius S. Textus se praeberent immoderatos criticos. Et isti quidem viri, additis quibusdam pro lubitu aut desumtis, iustos longe transgressi erant limites. Quare accidit, quod plura rursus in Vulgatam Latinam immigrarent menda; quae dissidiorum et dubiorum ansam praebuerunt, usque cum Concilii Tridentini salutari decreto inhiberentur.

§. 94. Romana iussu Concilii Tridentini Versionis Vulgatae correctio.

Cum saeculo decimo et sexto tam varia et corrupta versionis Vulgatae essent exemplaria; praeterea multae recenter cusae versiones latinae Utriusque Foederis circumferrentur, quarum aliae a catholicis, aliae ab acatholicis confectae erant[1]: sed et typis descripta exemplaria Vulgatae plurimum forent mendosa, necesse erat exemplar versionis ‚authenticae' praescribere. Enimvero oportuit Ecclesiam s. Dei occurrere abusibus, qui eo tempore invaluerunt in legendis et publici iuris faciendis D. Voluminibus. Hoc sapientissime fiebat declaratione alicuius translationis S. S. authenticae; i. e. talis quae saltem omnibus fidei et morum erroribus careret, et a pastoribus animarum in publicis concionibus habendis, in praelectionibus et expositionibus tanquam regula interpretationis inserviret. Honor ‚authenticae' S. Bibliorum versionis ‚Vulgatae' Latinae obvenit a s. Concilio Tridentino; in quo[2] a Patribus congregatis, et doctrina

[1]) Notitiam atque censuram recentiorum translatorum Latinorum S. S. dabit P. D. Huetius, de interpretatione l. II. p. 183. s. [2]) Cum in Sacra Synodo Oecumenica Tridentina decretum de Scripturis ac Traditionibus divinis recipiendis expenderetur, quaestio quoque agitata fuit, an certum authenticum exemplar S. Literarum foret constituendum? Communis erat sententia: „Vulgatam“ editionem cunctis reliquis esse praeferendam. Sufficere P. P. censuit potior pars latinum exemplar; posseque tanquam certam regulam adhiberi ad discer-

et pietate eminentibus, re mature perpensa latum est hac de re decretum in haec verba:

‚Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur S. Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit: ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat‘.

Hoc ipso decreto, qua editio Vulgatae authentica declaratur; singulique eius Libri recensentur: Ecclesia nos certos reddere voluit, in iis praesertim, quae ad fidem et mores spectant; nulla esse in hac Versione interpretis errata, sed tuto posse fideles et sine periculo huic versioni confidere [1]. Quo autem cautum esset, ne cum approbaretur Vulgata, simul etiam ipsius exemplaria vitiosa commendarentur, decreto statim additum est: ‚ut posthac Sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et Vulgata editio quam emendatissime imprimatur.‘ Voluit itaque S. Synodus hac constitutione: in posterum novam Vulgatae editionem curare, quae omnibus insequentibus normae instar esset.

Ubi de emendanda Vulgata innotuerat decretum: Theologi, maxime Lovanienses, factam ab Hentenio Vulgatae recensionem cum e textu originario, tum ex antiquis codicibus castigatam edidere 1573.; ‚quae tamen editio nihil in Ecclesia auctoritatis est adepta. Jam enim tum ut huic decreto Tridentino fieret satis:

---

nendas in ceteris linguis sinceras versiones a depravatis. Supererat prospiciendum, quo pacto Vulgata editio mendis, quae librariorum vitio irrepserant in apographa purgaretur. Monente siquidem Bellocastrensi, statutum est: conducere si reipsa remedium adhiberetur, quo Vulgata mendis purgata in lucem emittatur. Cf. J. Pallavicini, Vera Concilii Tridentini Historia. Antv. 1670. I, 591. s. 596. s. Ipsum autem decretum Synodus Tridentina tulit, Sess. IV. habita 8. Aprilis 1546. Quod infra expendemus. At ut decretum hoc innotuit, mirum quantis convitiis sit exceptum ab iis, qui eo tempore ab Ecclesia infelix fecere divortium!

[1]) Bellarminus, de Verbo Dei. l. II. c. IX. p. 135.

Summi Pontifices, quorum praecipue est, quae in Oecumenicis sancita sunt Conciliis ad exitum perducere, ad perficiendam hanc correctiorem editionem adiecerunt animum.

Certe Pius IV.[1] de decreto Concilii Tridentini exsequendo consilia inivit. Commiserat S. Bibliorum corrigendorum munus Cardinalibus J. Morone, J. B. Scotti tranensi, A. Amulio et Vitellio. Pii IV. institutum agente cumprimis Guil. Sirleto Card. prosecutus est Pius h. n. V.[2] A Gregorio XIII. Vulgatae emendandae provincia iniuncta fuit C. Carafae, Congregationique, cui is praeerat. Verum cum et Gregorius XIII. S. P. morte praeventus imperfectum reliquisset opus; singulari Dei Providentia ingens illud beneficium, quod Biblia Vulgata corrigi et solertissime in lucem emitti curaverit — praestitit Ecclesiae: Sixtus V.[3], qui negotium castigandae Vulgatae commisit cum lectissimis Cardinalibus, Carafa, Columna, de Miranda; aliisque tum s. Literarum tum variarum linguarum peritissimis viris R. Bellarmino, Ant. Agellio, Petro Morino, Flaminio Nobilio, Laelio Fulvio Ursino, Angelo Rocca, Valverdae, G. Alano[4]. Voluerunt illi correctores collatione codicum latinorum, et in locis dubiis hebraicorum atque graecorum, ex mente summi Pontificis d. Hieronymi translationem, quoad eius fieri poterat pristino restituere nitori, ut talis esset: ‚qualis primum ab ipsius interpretis manu stiloque prodierat‘[5].

[1]) Sub quo Synodus Tridentina 1563. finita est. [2]) De quibus omnibus accurate narrat Vercellone, proleg. I, 18. s. [3]) Ab a. 1585—90. Olim O. s. Francisci monachus, nomine patris Felix Peretti dictus. [4]) Jusserat Sixtus V. ut congregationes haberentur in aedibus Cardinalis Carafae — v. Rocca, de Sixti V. aedificiis. Op. ed. Rom. 1719. II, 355., — qui instrumenta idonea ad criticam collationem paraverat. Erant ista praecipue codices manuscripti melioris notae; inter hos Amiatinus — d. q. s. p. 211. —; codex Ecclesiae Toletanae gothicis literis exaratus; quem descripsit Blanchini, Vind. can. p. 213. s.; codex monasterii S. Pauli extra muros Romae, celebratus Roccae, l. c. p. 348. [5]) Vide Constitut. Sixti V. „Aeternus ille.“ 1. Mart. 1589. Primo itaque Libros S., quos d. Hieronymus e textu originario immediate transtulerat, cum eodem contulerunt, atque ad eius normam singula correxerunt; hac tamen adhibita cautione, ut nonnisi post inspectos codices Vulgatae in germana sinceraque s. Textus lectione constituenda strenue laborarent. Quo in labore Codici Amiatino primas semper dederunt partes. Correctiones annotationesque, congregationis.

Sixtus V., laboris patientissimus, in hoc opus ipse ardentissime studio totus incubuit; maxima die noctuque perpessus fatigia[1]. Universa enim S. Biblia antequam prelo committerentur, ad verbum perlegit; atque adiuvantibus Fr. Toleto S. J. et Angelo Rocca, delectum ex variantibus lectionibus a correctoribus annotatis instituit[2]. Anno demum 1589. S. Pontifex Biblia S. Vulgatae ed. typis describenda tradidit typographiae apostolicae; unde allaborante typographo Aldo iuniore — nova et in multis mutata forma — a. 1590. in folio, tribus tomis distincta, exierunt, praemissa praeclarissima Constitutione perpetuo valitura[3]. Sixto V. decedente opus, in quod ille intenderat, Deo bene iuvante receptum est. Cur? sufficientibus destituti notitiis affirmare nequimus. Sub initium pontificatus Gregorii XIV., qui ad congregationem corrigendorum S. Bibliorum editionem Sixtinam pertinuerant, — et inter hos C. Carafa[4] — eiusdem suppressionem atque prohibitionem consuluerunt; at Pontifex Gregorius XIV. — audito Card. R. Bellarmino — S. Biblia illa non esse prohibenda, sed ita statim corrigenda iussit, ut salvo honore Sixti V. Pontificis emendatius prodirent[5]. Gregorio

quae S. Bibliis Vulgatae editionis emendandis incubuit, exarabantur in exemplari, quod 1583. Antverpiae typis descriptum fuit. Cf. Vercellone, in Anal. Jur. Pontif. 1855. p. 1327. Circa initium 1588. opere castigationis absoluto, C. Carafa emendatum Codicem summo Pontifici Sixto V. exhibuit.

1) „Quantos unquam verbis explicare nemo posse, ut mihi persvadeo, qui huius generis labores re ipsa videns non semel tanquam oculatus testis obstupui;" testatur A. Rocca, Biblioth. Vatic. Op. II, 273. 2) Teste eodem A. Rocca, de Sixti V. aedif. II, 355. 3) „Aeternus ille", Calendis Martii 1589. scripta. Quod autem narrant opus tali ratione completum atque excusum, Sixtum maiori adhuc usum diligentia rursus expendisse, et ubi alia ex negligentia deesse, alia preli vitio irrepsisse deprehendisset; exemplaria ulterius distrahi vetuisse opusque ad incudem revocari praecepisse, sed morte praeventum novam editionem non vidisse: — F. L. Wadding, Scriptores Ordinis Minorum. Romae 1650. p. 319. C. Tempesti, Storia della vita di Sisto V. Rom. 1755. II. 4, 18. s. Ang. Rocca, ind. theol. et spir. Romae 1719. T. II. p. 10. — hoc ecquidem A. M. Ungarellius, prael. d. N. T. Romae. 1837. p. 143. et Vercellone, Prolegom. ad Var. Lect. V. L. I, 35. s. n. 1., productis in medium gravissimis argumentis, inficias ibant. Non potuisse dicunt Sixtum reprobare illam editionem, quae demonstrari quit ad amussim exacta ad canones, quos ipsemet sanciverat; non constare profecto, hanc ab illo ita rescissam, ut typographica opera intermittenda, iusserit exemplariaque suppresserit. 4) Sixto V. in aliquibus rebus refragatus. 5) Munus istud, defuncto iam C. Carafa postridie Idus Januarii 1591., comisit Cardinalibus: Antonio Columna sen., A. Valiero, C. de Ruvere, de

XIV. et quem in Pontificatu nactus est successorem, Innocentio IX., viam universae carnis ingresso: Prospere tandem accidit, ut brevi Clemens VIII. S. P. eligeretur, qui consilium Gregorii XIV. feliciter implevit; praestantissimorum virorum A. Valerii, Fr. Borromaei atque Toleti studio et cura. Tali ratione Biblia Sixti V. magis emendata Aldo Manutio [1] typis describenda tradebantur. Iste quidem folio maximo atque iisdem characteribus usus, quibus Sixtina descripserat, opus ante anni 1592. finem consummavit. Liber cui titulus factus est: ‚Biblia Sacra Vulgatae editionis‘, exiit in publicum Romae ex typographia apostolica Vaticana 1592., repetitus ibidem 1593. levioribus quibusdam mendis mutatis. Estque norma omnium sequentium, et pro illa habenda, quam Concilium Tridentinum declaravit ‚authenticam‘. Additae sunt Concordantiae marginales, explicationes nominum hebraicorum, et index rerum [2].

Sornano, Guilelmo Alano Anglo, Columna iun., C. Fr. Borromaeo; evocatis in hanc curam cum Ep. P. Ridolfi, mag. pal. Miranda viris doctissimis Salvenerio, Valverdio, Morino, Laelio Lando, R. Bellarmino, Ang. Rocca, Fr. Toleto, H. Gravio et Agellio. Theologi hi adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis — Amiantino quoque libro, v. Tischendorf, l. c. p. XIII. — inspectis quoque hebraicis et graecis exemplaribus; consultis denique Veterum S. S. Patrum atque S. E. commentariis operam emendationis S. Bibliorum, iussu Concilii Tridentini edendorum absolverunt. Quid et quomodo fuerat in Bibliis Sixtinis mutatum, cognoscitur ex documento „de ratione ineunda in Bibliis corrigendis“, ab aliquo consultore Congregationis Gregorianae scripto; quod inter schedas C. Fr. Borromaei in Ambrosiana Mediolani reperit, atque Prol. ad Var. I., 50. s. edidit C. Vercellone. Viri illi praestantissimi verno tempore a. 1591. ad castrum Marci Antonii i. e. Zagarolum secesserunt; ubi in isto vico Patrimonii et aedibus C. A. Columnae, labori suo sine aliorum negotiorum impedimento, imo absque interpellatoribus vacare poterant. Opere suo functi Romam repetierunt mense Octobri; cum iam Gregorius XIV. morti proximus erat, quam revera die 15. e. m. 1591. oppetiit. Qui Gregorio successit Innocentius IX. aeque ad finem Decembris obiit, quare nihil circa editionem sub illo actum est.

[1]) Aldi abnepoti. [2]) Editio prima fronte Sixti V. nomine insignita, praemissaque Bulla eius munitur Constitutione Clementis VIII. „Cum S. Bibliorum“ data Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die IX. Novembris 1592.: qua Constitutione omnes aliae iteratae editiones per decennium prohibentur; elapso autem decennio, „nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso, cuius exemplaris forma, „ne minima quidem particula de textu mutata, addita vel ab eo detracta, nisi aliquod occurrat, quod typographicae

§. 95. Romanae S. Bibliorum Vulgatae correctionis auctoritas.

Decretum itaque Oecumenicae Synodi Tridentinae „de Vulgata" exsecutioni mandatum fuit. Cum autem illa sit humanae conditionis imbecillitas, ut ne in diligentioribus quidem immunitas ab erroribus detur; liber Vulgatae opera Aldi descriptus, in nonnullis habet quaedam indigna fidi typographi officio. Suam quidem naevis medelam attulit editio repetita a. 1593.; sed praecipue, illa quae Aldo mortuo prodiit 1598. cum annexo triplici indice erratorum. Abhinc iuxta Constitutionem Clementis VIII. neque publica, neque privata auctoritate, Vaticanas editiones deserere, novasque inducere licuit. Quamvis autem hac ratione summa in Ecclesia auctoritate S. Bibliorum Vulgatae Editionis emendatio sit facta: nihilominus salva Clementis VIII. constitutione quae incipit „Cum Sacrorum Bibliorum": a. Fas est manifesta typographiae menda corrigere; sunt enim haec Vulgatae vulnera non partes. Uti revera factum est in editione, quam auctoritate pontificia curavit S. Moretus Antverpiae ex officina Plantiniana 1599. in 8. Nefas autem erit b. in ipso Sacro Bibliorum Textu correcto, recudendo ne minimam quidem particulam secus quam in Vaticano exemplari est mutare, addere vel detrahere. Sed bonum est ab interpretibus c. alibi quam in Sacri Textus corpore menda, si quae praeter manifesta illa typographica occurrant, notare. Eiusmodi annotata si ab Apostolica Sede recognoscerentur, possent postea eadem S. Sede approbante, iubente, aut certe annuente, in Textum inferri: ita ut correctior, perfectior, numerisque pluribus absolutior hic adhuc prodiret. Cfr. N. Serarii e S. J., Prolegom. Bibl. Mog. 1612. XIX, 21. p. 127. J. Bonfrerii e. S., Praeloq. in t. S. S. XV, 3. ed. comm. Menochii Ven. 1722. app. p. 40. J. Marianae ei. Soc., dissert. pro ed. Vulg. c. 21. ib. p. 81. s. C. Vercellone, praef. ad lect. ed. Bibl. S. Vulg. ed. Rom. 1861. Id. Prolegom. Var. lect. p. 44. n. 2. Ei. Sulla autenticità delle singole parti della Bibbia volgata sec. il decr. tridentino. Rom. 1866. gall. in Revue cath. Lov. 1866. p. 641. s. 687. s. 1867. p. 5. s.

---

incuriae manifeste adscribendum sit" typis mandari admittuntur. Quoad formam externam editio Clementis foliorum magnitudine figuraque adeo similis est Sixtinae, ut difficile non sit, unam prae alia editione non valde peritis obtrudi. Annotandum tamen est, quod si accurate inter Vulgatam Sixti et inter illam Clementis VIII. examen instituatur, in locis prope ter mille discedere; nulla tamen ideo est inter utrumque Pontificem pugna; „nulla in utrisque Bibliis alia credendi, aut agendi repugnantia, nulla substantialis diversitas, sed accidentalis solummodo." Ut verissime scribit H. Bukentopius, in op. Lux de Luce Bruxell. 1710. praef. ad l. III. p. 316. Quidquid adversarii obiiciant Th. James, Bellum papale, sive Concordia discors Sixti Q. et Clementis O. circa Hieronymianam edit. Lond. 1600. — quod opusculum sibi resuscitandum esse putavit J. E. Cox. Lond. 1840. —; et qui Jamesium imitatus est olim Chr. Kortholtus, de variis Scripturae editionibus. Kiloni, 1686. p. 51. s. Enimvero inter aequos rerum iudices constat: nullam esse realem contrarietatem; i. e. nihil ad integritatem et summam fidei atque morum spectans, inter duas hasce editiones Vulgatae secum invicem pugnare.

§. 96. Instituitur recensus quarumdam editionum Vulgatae.

Utut autem prudentissime caveret Summus Pontifex Clemens VIII., ne quivis typographus Biblia S. pro libitu posset recudere; tamen inscitia et incuria plerorumque, qui Vulgatam typis rursus descripserunt, accidit: ea loca, quae in Romana editione iam dexterrime correcta erant, inolitis vitiis corrumpi. Huic malo remedium efficacissimum attulit Fr. Lucas Brugensis, Ecclesiae Cathedralis Audomaropolitanae Theologus et Decanus, qui dedit collecta ex autographo „Romanae Correctionis in Latinis Bibliis editionis Vulgatae iussu Sixti V. recognitis loca insigniora.“ Antv. 1303. ex off. Plant. apud Joann. Moretum. „Visum est mihi, praefatur, expediens fore, ut adhibito autographo Romano, colligerem praecipua atque insigniora, quae in hac Bibliorum editione, a Romanis Patribus restituta sunt loca: et indicata ea quae reiecta est lectione, ita clare distinguerem unam ab altera, ut deinceps, inquit, nemo non clare intelligere posset, quae proba sit lectio, quae reproba; quae textu expulsa, quae in textum Summi Pontificis Ecclesiae capitis, auctoritate recepta.“ De hoc praeclarissimo opusculo acath. P. de Lagarde, vir summe κριτικὸς, vere iudicavit: „ist eins der seltensten und nützlichsten Bücher, für die Kritik der lateinischen Bibelübersetzungen geradezu unentbehrlich.“ D. v. Ev. ar. Leipz. 1864. p. XI.

Quod ad ceteras attinet: Ex innumeris, quae post emendationem Vulgatae celebriores magisque accuratae editiones procuratae sunt a viris catholicis praeter Plantinianam, notari meretur illa, quam excudebat Parisiis 1662. Antonius Vitré per C. Lancelot, ut vulgo creditur, adornata; notis chronologicis historicis et geographicis illustrata. Ceterum editiones a Catholicis procuratas, ab ipsis inde typographiae incunabulis, recenset J. Le Long. Biblioth. S. ed. t. G. Masch Hal. 1783. II, 52. s. Diligentissime vero easdem usque ad Clementinas enumerat C. Vercellone, Var. Lect. Vulg. I, 96. s. II, 22. s. Inter recentissimas vituperanda omnino est illa L. van Essii Tubingae 1824.; quae praeter distinctiones monstro similes, et typothetarum errores, lectiones varias ad marginem ipsius textus nectit. Quod vitium iuste reprehenditur a Lachmanno, ed. N. T. Berl. 1842. prol. I, 26. Neque, ut debuisset, approbata quidem, in manus negotiatorum e societate protestantica propagandorum Bibliorum venit. Quae vero ex officina Andreana Francofurti 1826., excusa prodiit, menda et aliquas immutationes habet. Commendari meretur editio Ratisbonnensis 1849. procurata a Val. Loch; approbata a S. Sede. Nitore eminet editio Taurinensis in Officina Hyacinthi Marietti, anno 1851. impressa; quam ceteris editionibus post Clementem VIII. vulgatis praestare, sacra Indicis Congregatio, in decreto eidem praefixo, declaravit. Exactissima cura, quemadmodum editorem eruditum Variarum Lectionum decet; praestant C. Vercellone „Biblia Sacra Vulgatae editionis Sixti V. et Clementis VIII. P. P. M. iussu recognita atque edita. Romae. 1861. Typis s. Congregationis de propaganda fide.“

§. 97. Ratio Textus Romanae editionis S. Bibliorum Vulgatae.

Postquam satis prolixe Versionis S. Bibliorum editionis Vulgatae historias enarravimus, brevitatis et claritatis gratia, lubenter recitamus C. R. Bellarmini [1], de qualitate textus ed. Clementinae sententiam; in quam quod ad rei summam hodie etiam plerique Catholici, atque ex Acatholicis quoque bene multi [2], concedunt. Habet Textus Romanae editionis Bibliorum Vulgatae: a. Psalterium illud, quod ab antiquo interprete translatum emendavit B. Hieronymus. b. Libri Sapientiae, Ecclesiastici atque Machabaeorum, probabiliter sunt ex prisca Itala; reliqui Veteris Foederis, forte omnes, sunt ex interpretationė d. Hieronymi. Novum vero Testamentum totum ex antiqua versione tenemus; quam tamen castigavit S. Hieronymus.

§. 98. Per decretum, quo Vulgata declaratur ‚authentica', fontibus U. F. non derogatur.

Sed prius ac tractatum nostrum e manu dimittimus, solvenda restat famosa quaestio de verbis Concilii Tridentini: ‚ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro ‚**authentica**' habeatur, et nemo illam reiicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.' Decretum modo laudatum, quod Vulgatam ‚authenticam' pronunciavit, adeo saepe eruditissimeque explicatum et vindicatum est; ut nobis nonnullas huc pertinentes observationes addere sufficiat [3]. Ad rite

---

1) De Verbo Dei II, 9. p. 135. s. 2) Quorum nomina elogiaque in Vulgatam congessit L. van Ess, pragmatica Doctorum Catholicorum Tridentini circa Vulgatam Decreti sensum nec non licitum Textus Originalis usum testantium Historia Sulzb. 1816. Quibus, si necessarium foret, e schedis nostris largam seriem Essio recentiorum scriptorum addere valeremus. 3) Videantur praeter iam laudatos Bonfrerium, J. Marianam, Calmetum, Vercellone; etiam M. Petitdier O. S. B., Diss. h. cr. chr. in S. S. Par. 1699. X. p. 85. s. J. B. Branca, de Vulgatae ed. auctoritate Med. 1791. Joach. de Azevedo, pro Vulgata S. Bibliorum latina ed. Olisipon. 1792. J. Brunati, de nom. auct. emend. et auth. Vulg. Vienn. 1827. p. 20. s.

intelligendam Concilii Tridentini definitionem ,authentici' notio evolvenda est. Vox cepit apud Juris consultos usurpari, quibus ,scriptum authenticum, dicitur, quod perfectam demonstrationem praestat: ut illud, quod et in quantum testatur ab omnibus admitti oporteat [1]. Hac ratione eadem vox a Concilio Tridentino transsumta fuit: ut Sacra Synodus testaretur Vulgatam prae omnibus Latinis editionibus; et in universum egregie praeclareque Originarios Textus Divinorum Voluminum reddere. Sed et nunquam in substantialibus ab iis deficere; atque nihil a fide absonum continere, vel a pietate alienum [2]. Vulgatae, longo iam usu Ecclesiae approbatae ,αὐθεντία', asserta est per Concilium Tridentinum ideo, quod Vulgata S. Bibliorum Latinorum editio clarissimis suae integritatis et genuinitatis notas haberet; propter quas Sacra Synodus Oecumenica illam authenticam declarando, maximum certitudinis gradum ei, in iis, quae ad Fidem, Mores et Historiarum S. U. F. substantiam attinet, contulit [3]. Neque tamen Concilium Vulgatam eo

---

G. Czuppon, in opere praestantissimo Vindiciae Vulgatae Latinae editionis Bibliorum, qua Ecclesia Romano-Catholica utitur, contra assertam Hebraei et Graeci Textus hodierni absolutam authentiam. Sabariae 1798. p. 62. s. J. Alzog. expl. cath. syst. de interpretatione Literarum Sacrarum. Monasterii 1835. p. 6. s. B. Welte, ü. d. kirchl. Ans. d. Vulgata, in ann. Tüb. th. Quart. 1845. p. 55. s. 348. s. Reusch, Erkl. d. Decr. d. T. C. w. s. a. d. Vulg. bez., in ann. Katholik. Mainz. 1860. I, 641. s.

[1]) Cf. Branca, de Vulg. ed. I, 19. s. Comm. h. n. p. 7. [2]) Etenim sicut instrumentum aliquod integrum et genuinum esse potest vel tantum in rebus essentialibus; vel etiam in levioribus: sic authenticum etiam solummodo in essentiali, vel ex toto dicendum erit. Tenendum idem de Versionibus, quae nihil aliud sunt nisi apographa autographi, alio sermone exarata. Quapropter sicut Versio aliqua vel solum in essentialibus, vel per omnia archetypo conformis esse poterit; eadem ratione „authentica" quoque erit. Ceterum integra et genuina esse posset aliqua editio, quin propterea legentes de authentia eius convincerentur. Talis scriptura summum certitudinis gradum consequeretur, si publica et congrua auctoritate veluti „authentica" declaratur. Quo in casu authentici scripti accrescit testimonium plus minusve grave, habita ratione potestatis et auctoritatis eiusmodi tribunalis. Hoc ipsum tribunal si periculo erroris careret, authentia scripturae ad summum certitudinis gradum eveheretur. [3]) Quodsi P. Sarpi, Istoria del Concilio Tridentino, l. II. Helmst. 1761. I, 144. narrat: exteros obstupuisse, quo pacto conventus 5 Cardinalium, 48 Episcoporum definierit hoc potissimum dogma, quo decernitur authentica quaedam versio a suo exemplo discrepans: cavillationibus „Svavis", ut se ipsum cognominavit, erudite respondit P. Sfortia Pallavicinus, S. J. p. S. R. E. C. P., Vera Concilii Tridentini Historia VI. 17, 13. ed. Antv. 1673. p. 119. „Profecto petulantia livoris est illius consessus viros deprimere.... Fungebantur munere Consultorum tunc in

sensu authenticam declaravit, ut significaret nullum vel levissimum mendum in illam irrepsisse: multoque minus, ut eandem Originariis Textibus praeferret; aut aliis Versionibus Ecclesiae Catholicae quidquam derogare vellet. Certum est, in Vulgatae exemplaribus, cum ante tum post Romanam Correctionem, quosdam naevos deprehendi; quod quidem aperte fatetur praefatio editionis Clementinae, ubi dicit: ‚omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est‘; et iterum ‚repurgatam... quo ad eius fieri potuit.‘ Porro si etiam deessent, qui Sessioni IV. C. T. adstiterunt, in qua laudatum decretum conditum fuit, testes [1]; sola attenta lectio decreti, quod nonnisi de Versionibus Latinis earumque usu loquitur, sufficeret ad demonstrandum: nullam omnino Concilium Tridentinum Vulgatae cum Textu Originario S. S. collationem instituisse; sed tantum cum aliis Versionibus Latinis.

Ex quibus omnibus facile intelligitur primo: textum Vulgatae in rebus, quae ad fidem et mores spectant, eiusdem cum Textu Originario S. S. U. F. auctoritatis esse. Unde tam efficax argumentum elicitur, quod e Vulgata petimus, quam illud est, quod e Textu Originario S. S. derivamus. Secundo evictum habetur Synodum Tridentinam de Textibus Originariis S. S., Versionibus antiquis aliis, earumque usu altum tenuisse silentium; ideo et hos et has in conditione auctoritatis, quae illis per se competebat, reliquisse, atque usum, quem in Ecclesia habebant, neutiquam abolevisse [2].

Decretum Synodi Oecumenicae Tridentinae s. d. fontes S. S. nulla ratione obstruxit. Quod fuit ab initio Ecclesiae Catholicae et semper erit; licitum imo necessum est, reperiri interpretes Catholicos: qui ea, quae a proprietate linguarum Textus Originarii haud exiguum lumen foenerantur, pandant; etiamsi Textus Originarii non ita sint comparati, ut quivis versus

---

Concilio quadrageni plane Theologi, ex doctissimis cunctarum christiani orbis provinciarum; et quorum non pauci Sacras Scripturas suis commentariis illustrarunt.“

[1]) J. Laines, S. J. praep. gen. pietatis studiis, eruditionis opinione, ingenii candore mirabili clarus, cuius sententia refertur apud Marianam, pro ed. Vulg. c. 21. p. 82. atque A. Salmeron, Comm. in Ev. Col. Agr. 1592. I. Prolegom. III. p. 24. s. hoc ipsum aperte fatentur. — Omnis generis autem sphalmata ἀντιφατικὰ et ἀντίγραφα; ἀριθμητικὰ, ἐλλειπτικὰ; πλεοναστικὰ; γραφικὰ; διακριτικὰ; ὀνομαστικὰ et μικτὰ editioni Vulgatae exprobrant adversarii. Ast vero quae notantur menda, leviores sunt differentiae, et nihil varietatis in rebus fidei et morum inducunt; uti ostendit H. Bukentop, אור מאור Lux de Luce. Brux. 1710. Male L. v. Ess, pr. kr. Gesch. der Vulgata. Tüb. 1824. post Acatholicos p. 263. Sixtum et Clementem VIII. invectivis absurdis sugillat. [2]) Cf. M. Cani, de loc. theol. II. 13. ed. Patav. 1727. p. 53. s. G. Riegler, Kr. Gesch. der Vulgata. Sulzb. p. 85. s.

ac singulae etiam voces quid afferant, quod accurata versio exprimere ad genuinum saltem sensum non valeat [1]. Qui denique S. Literis explicandis operam eruditam navare cupiunt, cum vel ipsorum Latinae editionis Bibliorum verba conciliatione indigent; vel linguarum Textus Originarii idiotismi ad maiorem conferunt sive significationem sive perspicuitatem, ex Hebraeis Graecisque exemplaribus eam in rem summo quidem cum fructu proferent nova et vetera.

§. 99. De editionibus S. Bibliorum Polyglottis.

Nomine „Polyglottorum" ea Biblia Sacra intelliguntur: quae Textum Archetypum Utriusque Testamenti cum aliarum linguarum Versionibus Antiquis, cumprimis Orientalibus, ad latus S. Scripturae Hebraeae ac Graecae positis exhibent. Reperiuntur scriptores e. g. G. L. O. Knoch, h. kr. N. v. d. braunschw. Bibelsamml. Wolfenb. 1754. J. G. Walch, Biblioth. th. sel. Jen. 1765. IV, 167.; qui ad polyglottarum editionum classem omnes referunt, in quibus Textus archetypus cum duabus saltem versionibus exprimitur. Sed nos omissis eiusmodi minoribus operibus, solummodo quatuor κ. ε. „Polyglotta" Biblia dicta considerabimus. Differunt istae editiones inter se maxime multitudine linguarum, in quas Codex Sacer translatus est; hinc aliae fiunt pentaglottae, aliae heptaglottae, aliae octoglottae.

Circa illud ipsum tempus, quo in Germania infelix s. d. sacrorum reformatio cepit, vitam egit S. R. E. Cardinalis, idemque Archiepiscopus Toletanus Fr. Ximenius de Cisneros: — de rebus Ximenii scripserunt: Gomesius, Flechier, Marsolier et prae cunctis J. C. de Hefele, d. C. Ximenes. Tüb. 1851. p. 113. s. v. Comm. p. 125. — qui primus post „τοῦ Χαλκεντέρου" labores, tentavit opus Biblicum „Πολύγλωττον." Quippe editis Compluti, urbe Lusitaniae, suis sumtibus Bibliis Polyglottis. Exierunt e prelo prima quatuor volumina s. t. „Biblia S. V. T. multiplici lingua nunc primo impressum." ab anno 1514—1517. Varia autem impedimenta causa exstiterunt, quod haec Biblia a. 1517. iam absoluta, non prius, quam 1522. lucem publicam conspicerent. Nostris diebus rarissimis quidem annumerantur libris, sed tamen quia interpretationibus non optimis instructa sunt, apud eruditos non habentur magni pretii. Quintum volumen „N. T. gr. et lat. in acad. Complut. nov. impress. a. 1514."; sextum denique vocabularium hebraicum, chaldaicum, graecum cum grammatica hebraica complectitur. Veteris Legis Instrumentum Versionem τῶν LXX. et paraphrasim Onkelosi, addita utrisque translatione latina atque Vulgatam exhibet. Libris N. T. graecis sine accentibus descriptis, tantum Vulgata adiuncta est.

---

[1]) V. Salmeronis, Prolegom. XIII. I, 243. Nec in campo Theologiae Exegeticae virorum alias eruditorum, linguas attamen Textus Originarii S. Literarum ignorantium diligentes conatus, plane vani fuerunt. L. C. J. Herber, de Versione Latina Vulgata ex Concilii Tridentini Decreto Sess. IV. authentica. Vratisl. 1815. p. 56. s.

Secuta sunt anno e. s. LIX. „Biblia Regia“ etiam „Antverpiensia“ dicta; eo quod auspiciis et sumtibus R. Hispaniarum Philippi II., Antverpiae curante B. Aria Montano, charta regali literisque Plantinianis fuerint descripta. In lucem prodierunt h. t.: „Biblia Sacra Hebraice, Chaldaice, Graece et Latine, Philippi II. R. C. pietate et studio ad Sacrosanctae Ecclesiae usum.“ Antv. 1569—1572.; octo tomis in folio. Eorum priores quatuor exhibent L. L. V. F.: Hebraice, versiones Chaldaicas Onkelosi, Jonathanis, Josephi coeci aliorumque cum latina interpretatione; τοὺς LXX. huiusque translationem Complutensem, et Vulgatam, quae tamen plurimis in hac editione scatet mendis. Volumine quinto habetur N. F. addita Syriaca versione, tam propriis quam hebraicis literis descripta, ac latina Vulgata. Apparatum denique magnum in extremis V. et VI. tomis, qui varios tractatus refert ad S. Scripturae intelligentiam facientes, praeterea Lexica, Grammaticas, collectionem lectionum variantium, tabulas, indices rerum ac nominum. Ultimus tomus habet V. F. hebr. et lat. minoribus literis; ac N. F. gr. et latine. Omnia haec industria Ariae Montani; cui ab auxiliis erant viri eruditissimi: G. Canterus, Guido Fabricius, J. Harlemus S. J., Fr. Lucas Brugensis, J. Livincinius, A. Masius, Fr. Raphelengius et Alphons. de Zamora. Commendant se ista Biblia prae Complutensibus non solum maiore editionis elegantia; sed etiam iis, quae accesserunt S. Textus monimenta ἀνέκδοτα, atque apparatus in hoc opere πολυγλώττῳ, illud reddidere utilius. Rarissime reperiuntur, cum mare iratum experta fuerint. V. J. Vogt, Catal. h. cr. Libror. rar. Franc. 1793. p. 122. Interim Biblia Antverpiensia non omnium naevorum expertia esse; mox postquam edita fuere monstrarunt critici. V. Judicium R. Simonis, in cat. praecip. ed. Bibl. H. C. V. T. II, 130.

Simile institutum circa idem tempus tentavit G. M. le Jay, in curia Parisiensi causarum patronus. Nec ullis ad novam, et quidem auctiorem, editionem Polyglottam perficiendam impensis pepercit; utut supra privati hominis vires id operis esse videretur. Illustre hoc opus decem tomis in folio editum fuit, qui hac inscriptione ornati fuerunt: „Biblia Hebraica, Samaritana, Chaldaica, Graeca, Syriaca, Latina, Arabica, Quibus textus originales totius Scripturae S., quorum pars in ed. Compl. deinde in Antwerp. exstat, ex mss. toto fere orbe quaesitis exemplaribus exhibentur. Lutetiae Parisiorum excudebat A. Vitré.“ a. 1645. Anno 1628. coepit editio, sed propter orta inter Jayum et Gabrielem Sionitam dissidia, anno 1645. demum ad umbilicum tandem perducta est. Non alia fuit Jayi, ac olim doctissimi C. Perronii 1617. fatis functi, mens; complere „Biblia Regia“, illis quae necessaria videbantur additamentis. Patet hoc ex literis J. A. Thuani ad S. Tengnagelium Bibl. Caes. 4. Mai. 1615. datis, quas dabit Kollár, in Analect. Vindob. II, 1075. Ceterum le Jay usus est, opera et studio G. Sionitae, J. Morini, Abr. Echellensis, H. Parent, G. Hermant, J. Auberti, J. Taurini et C. Ph. Aquinae. Cardinalis Richelieu Ximenii vestigia legens, Heptapla Parisiensia suo nomine insignire volebat. Centenorum eapropter millenorum coronatorum summam le Jayo spopondisse fertur. At Jayus oblata C. Richelieu omnino reiecit. Cf. Long, l. c. p. 372. Ut autem ad institutum viri clarissimi Jayi revertamur, voluit Biblia Antverpiensia adiectis tantummodo Syriacis et Arabicis interpretibus cum Latinis eorumdem translationibus repetere. Verum Berullius Jayo auctor exstitit, ut Pentateuchum

Samaritanum adderet. Distinguitur totum hoc opus in duas quasi partes. In prioribus quinque tomis continetur repetita editio Antverpiensis; adiuncta tantum interpretatione Arabica N. T. cum versione latina. In primo insuper tomo exhibetur Pentateuchus Samaritanus, cui respondet J. Morini latina translatio. Pars altera V. et N. F. Syriacos et Arabicos textus, eorumque translationes amplectitur. Quae ad typorum descriptionem spectant, prae se ferunt opus absolutissimum, quocum attamen interna conditio minime conspirat. Carpunt viri docti prae reliquis eruditos, qui operi huic corrigendo praefuerunt; negligentes fuisse dicunt, atque editiones accuratiores eo tempore iam vulgatas non adhibuisse. Plura de hac re disputarunt V. Flavignius, Q. ep. de. ing. op. Bibl. ed. Par. 1666. H. Hottinger, diss. de Heptaplis Paris., in anal. h. th. p. 83. s.

Cum vero nec sic satisfactum esset Sacrarum Literarum peritis, Brianus Waltonus Anglus, adscitis viris celeberrimis: E. Castello, A. Huisso, S. Clerico, Th. Hyde, Dudleio Loftusio, ut τὰ ὑστερήματα compleret, e remotissimis Orientis plagis Codices mss. sedulo conquisivit; ingentique eorum copia acquisita nova editione πολυγλώττῳ divulgavit. Descriptum opus typis Londini hac epigraphe: „Biblia S. Polyglotta, complectentia Textus originales... versionumque antiquarum... quidquid comparari poterat. Cum Textuum et Versionum Orientalium translationibus Latinis“... Cum apparatu, appendicibus, variis lectionibus, annotationibus, indicibus. etc. 1657. sex tomis in f. Ad quos addidit E. Castellii, Lexicon heptaglotton hebr. chald. syr. sam. aeth. arab. pers. coniunct., cui rursus accessit harm. s. p. l. delineatio ib. 1685. Londinensia etiam Anglicana et Waltoniana adpellata Biblia, quod ad formam externam attinet, Parisiensibus inferiora; illa si oeconomiam, emendationem, supplementa spectemus, longo post se relinquunt intervallo. Anglicana in eo iuste praeferuntur, quod Textus et Versiones, quae in Parisiensibus disiecta habentur; simul per varias columnas singularum paginarum lectori uno intuitu considerandas obiiciant. Deinde haud pauca exhibent, quae in Parisiensi opere desiderantur. Quorum praecipua sunto: Versio interlinearis Hebraei Textus S. Pagnini ab Aria Montano emendata. Pentateuchus hebraeus Samaritanis literarum formis descriptus. Versio τῶν LXX. ad fidem editionis Romanae cum lectionibus Cod. B., et antiqua translatione latina per Fl. Nobilium compilata; Versionis Samaritanae, ubi a textu Hebraeo-Samaritano differt, interpretatio latina. Pentateuchus Persicus in Latinum conversus; Targum Pseudo Jonathan et Hierosolymitanum c. Versione latina; Psalmi, Cant. C., et N. T. aethiopice cum transl. lat.; Evangelia quatuor persico-latina; Esther cum partibus, Judith, Tobia, Epistola Jeremiae, l. Baruch, partes Danielis, Machabaeorum II. et III. syriace; Fagii et Münsteri editio hebraica Tobiae. Nihilominus et haud parva sunt, quae in Londinensibus Bibliis virga censoria a criticis notantur. Quod neglexerint Angli consulere Arabicas, quae Oxonii servantur melioris notae, interpretationes mss.; quod repetierint innumeros errores, quibus maxime in Versionibus Syriacis et Arabicis abundat editio Parisiensis; quod in Apparatu praevio a diversis, uti apparet, scriptoribus concinnato; diversa saepe de eodem argumento et quidem contraria reperiantur iudicia, et alia. Biblia polyglotta, quae vulgarunt R. Stier et Theile Bielef. 1846—55. pl. ed. rep. 4. vol., nullius sunt usus critici.

§. 100. Versio gothica Ulphilae.

Gothi populus antiquissimus, cui ,vox fera, trux vultus, verissima Martis imago; non coma, non ulla barba resecta manu' fuisse dicitur [1], Religionis Christianae beneficio, ad mansuetiores mores traducebantur [2]. E quibus Daciae accolae, ubi premerentur terrore Hunnorum [3], Ulphilam episcopum suum ad Valentem Romanorum imperatorem ablegarunt; ut auxilium rogaret, contra impetus asiaticae gentis. Quo revera impetrato, etiam in provincias romanas Moesiae Thraciaeque suscepti sunt, apposita attamen conditione: de suscipiendo errore Arii [4]. Hic idem igitur Ulphilas [5], quem imperator magno in honore habuit a deo quidem, ut de

[1]) Ap. Ovidium, Ep. ex Ponto IV, 13. [2]) Cum enim in continuis bellis plurimi saepe Christiani in manus Gothorum incidissent, vicissimque Gothi captivi apud Christianos bene versarentur; blandissima Evangelii Lex sic barbarica pectora mulcere cepit, ut magno certatim numero ad Christi sacra confluxerint. „Gothi... fide in Christum iam pridem suscepta, mansvetiorem atque humaniorem cultum induerant." Scribit Sozomenus, H. E. II, 6. p. 451. Jam Synodo Nicaenae interfuit et subscripsit de Gothis Theophilus Bosphoritanus episcopus. Apud Mansium III, 702. Varia fortuna variisque casibus agitati sunt cumprimis Gothi, qui Orientales regiones circa Tanaim tenebant; qui legantur apud Jornandem Ep. Ravenn., de Geticae Gentis origine ac rebus gestis, ed. Fr. Lindenbrogii, in div. gent. Hist. Antiq. Hamb. 1611. p. 79. s. aliosque passim scriptores; quorum testimonia exhibet: J. Aschbach, Gesch. d. Westgothen. Franc. 1827. H. F. Massmann, die goth. Sprachdenkmäler. Stuttg. 1857. Einl. p. 28. s. [3]) Quorum vel crudelitati dandae cervices erant, vel saltem iugum servitutis patiendum fuit. [4]) Isti Gothi, etiam „Minores" vocati, in Moesia inferiori, flumen Danubium inter et montem Haemum degebant. Missi a Valente ad eos praedicatores Ariani, eo successu haereseos suae virus Gothorum animis instillarunt, ut illud ad saeculum usque sextum firmiter retinuerint. [5]) „Οὐλφίλας." Hoc nomen varia admodum ratione scribitur. Diminutivum est vocis goth. „vulfs", et proprie lupulum significat. Maiores habuit Ulphilas — natus a. 318. — Cappadocas, qui in vico Sadagolthina habitarunt, atque incursione a Gothis facta sub Valeriano et Gallieno imp., captivi in Europam abducebantur. Anno p. C. 348. Ulphilas regnante Constantio e lectore Gothorum episcopus creatus est. De Ulphila scripserunt: G. Fr. Heupelius, diss. h. th. Viteb. 1693., recusa cum animadvers. J. Oelrichs, in app. J. ab Ihre Script. Vers. Ulphil. illustr. ed. A. Fr. Büsching, Berol. 1773. p. 4. s. J. Essberg, Ulphilam Gothor. ep. exh. Holmiae. 1700. ap. Büsching, p. 22. s. Fr. A. Knittel, Ulph. vers. ep. Pauli ad Rom. Brunsv. 1758. Comm. VII, 257. s. p. 446. s. J. C. Zahn, Ulfilas goth. Bibelübers. Weissenf. 1805. Einl. p. 25. s. G. Waitz, ü. d. Leb. u. d. Lehre d. Ulfila. Hann. 1840. Massmann, goth. Sprachd., Einl. p. 13. s. G. Bessel, ü. d. Leb. d. Ulfila. Gött. 1860. W. L. Krafft, die Anfänge d. chr. K. b. d. germ. Völk. Berl. 1854. I, 1. Idem, de fontibus Ulfilae Arianismi. Bonn. 1860.

illo loquens, saepe eum ‚nostri temporis Mosem appellaret'[1], — et quem valde sequebantur, eiusque verba quasi leges immobiles aestimabant, Gothi[2]: Divinas Scripturas in vernaculum ipsorum sermonem transtulit. Quam rem maxime idonei scriptores testantur[3]; neque dubitare nos sinit veneranda Codicis argentei Upsalensis, aliorumque[4] vetustissimorum aetas[5]. Porro quin omnes S. S. V. et N. T. in gothicam converterit,

1) Philostorgius, H. E. II, 5. ed. Valesii Par. 1673. p. 471. 2) Cassiodorius, H. E. Tripart. VIII, 13. I, 306. 3) Socrates, H. E. IV, 33. p. 251. Sozomenus, H. E. VI, 698. Acta mart. Nicetae, ap. Boll. Sept. V, 41. Cassiodorius, Hist. tripart. VIII, 13. p. 306. Auxentius ep. Silistr. ep., fragm. quod ed. Waitz, l. s. c. p. 14. in universum narrat: „tribus linguis plures tractatus et multas interpretationes volentibus ad utilitatem et aedificationem ..... post se dereliquit." S. Isidorus Hispal., Chronic. n. 103. VIII, 99. Historia de rebus Gothorum n. 8. ib. p. III. Jornandes, de Get. p. 106.; et alii plures. Porro iidem scriptores magno consensu tradunt: Ulphilam Gothis proprias tradidisse literas. Id verisimiliter ideo factum existimant viri docti, non quod iis penitus carerent Gothi; sed quod literae runicae pauciores essent, quam ut peregrinis vocibus exprimendis sufficerent. 4) Librorum manuscriptorum translationis S. S. gothicae. D. q. v. A. Uppström, decem Codicis argentei redivivi folia. Ups. 1857. praef. p. III. 5) In illis vero omnibus, quae hodie exstant, palma sine dubio debetur * Codici Argenteo sive aetatem eius, sive dignitatem spectemus, sive splendorem. Exaratus est in membrana, formae, ut dicunt, in quarto; pertenui et sollicite laevigata. Color eius est purpureus; sed ita ut quaedam folia ad violaceum accedant. Folia numerat 187. Enimvero decem quae inde ab anno 1834. desiderabantur Codicis argentei folia a libro mss. avulsa, opera A. Uppströmii rursus restituta sunt. V. l. s. c. p. V. s. Cum integer esset codex folia amplectebatur 330. Ad nostros usque dies 153. folia direpta habentur. Literae sunt argenteae, initia Evangeliorum, nomina Evangelistarum, quodlibet novum κεφάλαιον aureo colore distinguuntur. Quis et cuius impensis hunc codicem scripserint, penitus ignoramus. Videtur tamen ad exitum saeculi quinti, vel sub initium saeculi sexti exaratus. Pertinuerat olim ad Abbatiam Verdenensem, inde nescitur quo fato Pragam deportatus est; hinc vero marte germanico a victoribus Svecis 1648. in spoliis Holmiam celeberrimae Reginae Christinae missus est. Quae illum J. Vossio suo bibliothecario concessisse dicitur, a quo cum Belgium repeteret, ablatus fuit. Redemit illum M. C. Gabriel de la Gardie atque 1669. Academiae Upsalensi donavit, in qua maxima cura asservatur. Cf. Ihre, Analecta Ulphilana I. de Codice argenteo et Literatura goth. ed. Büsching p. 186. G. H. Grauert, Christina Königin von Schweden. Bonn. 1837. I, 167. Massmann, Einl. p. 52. s. Gothici Codicis Upsalensis plures editiones habentur. Primam adornavit Fr. Junius Dordrechti 1665. rec. Amst. 1684. Stokh. 1671. c. Stiernlijelmii. Er. Benzelii et E. Lye Ox. 1750. J. Chr. Zahnii s. c. Accuratissime A. Uppström, Cod. s. Evang. Vers. goth. fragm. recogn. ed. Stokh. 1835.; et Codex argenteus, sive S. Evang. Vers. goth. quorum denuo revisam editionem ann. inst. publ. cur. A. Uppström. Ups. 1857. h. q. epigr. Decem cod. arg. rediviva folia.

linguam nulli dubitamus [1]; quanquam aliquarum vel Novi Foederis [2] nulla adhuc appareant vestigia [3]. Ammanuense autem studiorumque adiutore in transferendis Bibliis usus est Selina, quem etiam in episcopali sede successorem nactus est [4].

Ut de indole gothicae Versionis aliquid loquamur: Ulphilam interpretationem suam e Textu Graeco instituisse, utcumque certum est. Ex collatione fragmentorum V. F. cum LXX. translatione patuit, gothicam interpretationem accedere ad illam τῶν ὁ recensionem, quam adhibuerunt Complutenses. Quod vero ad N. T. attinet, tanta in vertendo religione usus est Ulphilas, quae nunquam eum sineret ab Archetypo recedere; Graecum exemplar totidem saepe verbis reddidit, obscurum obscure interpretatus est, ipsam vocum consecutionem diligenter servavit [5]. Unde Textum sui temporis valde fideliter exhibet interpres gothicus. Illud autem plane singulare est, quod N. T. adusque publicati Libri vix aliqua Arianismi praeseferant vitia [6]: cum tamen constet Ulphilam virum, quem tot recte factorum laus

[1]) Unus Philostorgius, H. E. II, 5. p. 471. dicit „universos S. S. Libros patrio ipsorum sermone interpretatus est, exceptis libris Regnorum; eo quod illi res bello gestas contineant: gens autem illa bellis maxime delectetur, et freno potius opus habeat ad bellicos impetus comprimendos, quam calcari, quo ad proelia incitentur.“ Sed vero ista relatio, non videtur satis idonea ratione fulciri. Cur enim secus L. L. Josue, Judicum, Paralipomenon et Machabaeorum interpretatus fuisset Ulphilas? [2]) E. g. Actuum, Ep. Cath. et Apocal. [3]) Versionis gothicae epistolae ad Romanos particulam Guelpherbyti reperit et edidit Fr. Knittel s. c. Rursus in Ambrosiana Mediolanensi Bibliotheca in codicibus palimpsestis fragmenta aliarum ep. detexit A. Maius, edidit C. O. Castillionaeus, h. t. Ulphilae part. ined. spec. Med. 1819. Continet fr. Nehem. Ev. s. Matth. ep. ad Philipp. Tit. Philem. Successerunt: Ulphilae goth. vers. ep. d. Pauli ad Cor. II. ib. 1829. Ep. ad Rom. Cor. I. Eph. q. s. ib. 1835. ad Gal. Philipp. Coloss. Thess. I. ib. 1835. ad Thess. II. Timoth. Tit. Philem. ib. 1839. Habentur etiam V. T. fragmenta, quae omnia in unum collecta dederunt duumviri H. C. de Gabelentz et J. Loebe, Vet. et N. T. Vers. goth. q. supers. Lips. 1843. atque H. F. Massmann, Ulfilas d. h. Sch. A. u. N. B. Stuttg. 1858., etiam sub tit: die goth. Sprachdenkmäler. De Massmanno queritur Uppström, decem etc. praef. p. VIII.: „ita legit nostrum opus, ut plus quadraginta locis rationem Codicis argentei lectionum male reddiderit; ita suum ut magna vitiorum typographicorum copia idem maculaverit.“ [4]) L. Sozomeni, H. E. VII. 17. p. 730... „idoneus ad docendum populum in Ecclesia non solum patria ipsorum lingva, verum etiam graeca.“ [5]) C. Massmann, Ulfilas Einl. p. LXXXV. Loebe, Prolegom. I, 25. s. [6]) Vf. Castillonaei, excurs. ad Philipp. 2, 16. p. 36. s. et Bessel, l. c. p. 71. Plura de Arianismo Ulphilae habentur in annotationibus antiqui codicis Parisini, qui acta concilii Aquileiensis a. 381. exhibet. In marginibus huius libri mssi. Maximinus — episcopus quidam illyricus, ut coniecit G. Waitz, ü. d. Leben u. d. L. d. Ulfila p. 24. s. —

decet, Arii errore fuisse contaminatum [1]. Quid quod s. Chrysostomus[2] gentis gothicae ab Arianismo purgandae studiosissimus [3], in sacra d. Pauli aede Biblia Ulphilana legi curarit? Hoc igitur ideo accidit, vel quia Ulphilas ante lapsum suum in haeresim interpretem egit; vel quia Verbum Dei nullo modo pervertere ausus est. Gothicae Versionis praestantiam in re critica commendare, supervacaneum foret, cum id ab omnibus eruditis uno ore praedicetur. Illud solum annotamus, eam haud parvo numero lectiones habere, quae a graecis codicibus discedentes cum latinis faciant: unde passim sumitur: versionem gothicam in Moesia olim factam, postea in Italia ad fidem librorum latinorum mutatam et reformatam fuisse.

§. 101. Cyrillica S. Bibliorum interpretatio.

De Sacris Bibliis a divo Cyrillo in Slavorum linguam conversis, quae a doctis viris scripta sunt, plurimum mutila et obscura esse reperiuntur. Quod plerisque antiquis libris accidit, quorum auctores ignorantur, ut ab aliis alio adscribantur; idem et Codici Sacro in Slavorum sermonem translato contigit. Diu enim de vero antiquae Slavonicae Versionis interprete disceptatur. Probatissimorum interim testium, praecipue domesticorum, fidedignis relationibus, subnixi: Slavorum Apostolis s. Cyrillo atque s. Methodio primam slavicam Divinarum Literarum interpretationem tribuimus [4]. Saeculo post Christum natum nono, quod Hrabanum Maurum, Haymonem Halberstattensem ep., Walafridum Strabonem, aliosque S. S. cultores et interpretes tulit, S. S. Cyrillus et Methodius [5]

---

notas adiecit, queis praeter alia epistolarum fragmenta inseruntur Auxentii ep. Dorostorensis i. e. Silistriensis, quae Ulphilae erroneam de S. S. Trinitate doctrinam illustrant. Eandem Ulphilae aberrationem e fragmentis dogmaticis cod. palimps. Bibliothecae Ambrosianae demonstravit G. L. Krafft, de font. Ulfilae Arianismi. p. 4. s.

1) Quibus artibus ad subvertendam apud Gothos Catholicam fidem grassatum fuerit, et quam aegre Ulphilas se expugnari passus sit, tradiderunt omnes, qui de rebus Gothicis scribunt. [2] Hom. VIII. h. n. e. n. 1. XII, 731. 2. [3] V. Ei ep. XIV. ad Olimp. n. 5. III., 600. 1. ep. CCVII. mon. Goth. p. 715. s. [4] Sive sit superstes adhuc, sive amissa sit. B. Kopitar, Prolegom. hist. in Evangelia graece — saec. XIV. — quibus olim in Regum Francorum oleo sacro inungendorum ritu, uti solebat Ecclesia Remensis: c. 6. p. 77. dicit: „Liceat hic annotare solutionem quaestionis, an hi Slavorum Apostoli verterint totum Bibliorum corpus. ... illis erat vertisse eam partem, quae in divinis officiis continetur.“ [5]. Anno ... n. a. 863. p. C.

literas slavicas cum sacris Christianis ita propagarunt, ut literae religionis, religio literarum exteriore quodammodo subsidio promoverentur. ‚Cum Slovenorum gens sive Bulgarorum non intelligeret libros graece conscriptos...‘ inquit biographus Vetustus S. Clementis Ep. Bulgarorum — Theophylactum discipulum s. Clementis saec. IX. auctorem huius vitae habent. — excogitant slovenicas literas, et divinitus inspiratas Scripturas e graeca lingva in bulgaricam vertunt.‘ Graece ita sonat: ‚ἐπεὶ δὲ τὸ τῶν Σθλοβενῶν γένος εἴτ Βουλγάρων ἀσυνέτως εἶχον τῶν ἑλλάδι γλώσσῃ συντεθεμένων γράφων... ἐξευρίσκουσι μὲν τὰ Σθλοβενικὰ γράμματα, ἑρμηνεύουσι δὲ τὰς θεοπνεύστους γράφας ἐκ τῆς ἑλλάδος γλώσσης εἰς τὴν Βουλγαρικήν‘ [1]. Gemini fratres graeca disciplina et liberalibus artibus apprime instructi, lingva qua tunc Slavi vernacula utebantur, Vetus Foedus iuxta versionem τῶν ό; Novum autem e graecis Scriptorum θεοπνεύστων fontibus reddiderunt. ‚Cum viri Dei ipsum regem cum populo suo religiosa sollicitudine ad fidei lumen omnino provocassent; illis deinde Vetus et Novum Testamentum exponentes, et informantes eos plura de Graeco et Latino transferentes, in sclavonica lingva Canonicas Horas et Missas in Ecclesia Dei publice statuerunt decantare‘ [2]. Aliud vero testimonium [3] sic tradit: ‚Ex discipulis suis duobus presbyteris constitutis, vertit brevi tempore omnes libros [4] plene, exceptis Maccabaeis, ex Graeca lingva in Slovenicam... Psalterium enim tantum et Evangelium cum Apostolo et electis officiis ecclesiasticis cum philosopho [5] antea converterat.‘

Sed in quaestionem venire potest: an Apostoli Slavorum omnes Utriusque Foederis Hagiographos in slavicum idioma converterint? quaestio ista nondum ita soluta est, ut nihil amplius desiderari queat. Viri de literis Slavorum optime meriti censent: praeter scripta quae ad divina Officia videbantur necessaria, certe quatuor Evangelia, forte et totum reliquum Novum Testamentum [6], s. Cyrillum et Methodium interpretatos fuisse. Sed quod ad Libros S. V. F. attinet, etiam nunc anceps est quaestio: an vel ipsum Psalterium ex integro converterint? Recentiores enim sunt Codices illi Ruthenici, saeculi quidem decimi et quarti, in quibus omnium S. Scripturarum translationes leguntur. Neque

[1]) Vita ed. Fr. Miklosich. Vindob. 1847. n. 2. p. 2. coll. prol. p. VII. [2]) Sic testatur vita S. S. Cyrilli et Methodii, e Mss. Blauburano n. 5. ap. Hagiographos S. Martii. II, 22. [3]) Legenda Pannonica, Arch. f. öst. Geschichtsquellen. Wien. 1854. XIII, 161. n. 15. [4]) Supplendum: S. Scripturae Methodius. [5]) Id est: s. Cyrillo. [6]) Excepta Apocalypsi. Cf. Matthaei. ed. N. T. XII, 343. s.

res in liquidum deduci poterit, donec vetustiores producti fuerint libri manuscripti ad leges criticas ab eruditis diligenter examinati.

His de causis [illegible] fata, dotes, usumque Versionis Cyrillicae enodare [illegible]. Fr. Rački, tr. Književan Rád sv. Cirila i Methoda, in coll. [illegible] sv. C. i M. Zagr. 1863 p. 3. s. quidem demonstrare nititur: [illegible] Psalterium easque pericopas, quas suis linguis [illegible] [illegible] Evangelistarium et Praxapostolum. Fratrem vero AEppm. Methodium [illegible] perfecisse: ita ut tota [illegible] L. L. T[illegible] J[illegible] Esther, Sapientiae atque Machabaeorum [illegible] Codex antiquissimus Račkio est: Evangelistarium literis [illegible] J. S. Assemano iam cognitum, quod [illegible] Assemano [illegible] Vankanski Evangelistar izmese ga na svjetlo Dr. Fr. Rački Zagrab. 1865. Totius autem S. S. Codex vetustissimus a. 1499. aetatem [illegible] E. [illegible] omnes L. L. C. F., prouti in Vulgata [illegible], qui tempore nimium quantum [illegible] et [illegible] u. d. saepe aliud agendo supponunt scriptores rerum ab Apostolicis Slavicis gestarum: D. Papebrochius, comm. praev. in s. Ap. Slavorum l. c. p. 16. Idem. ad ephemerides Graeco-moscas in A. S. Maii I. XVI. s. J. G. Stredovskius. S. Moraviae Historia s. vita S. Cyrilli et Methodii. Sulzb. 1710. p. 229. J. P. Kohl. Intr. in Histor. et rem lit. Slavorum imprimis sacram Altonav. 1729. p. 106. s. J. S. Assemanus, Kalendaria Ecclesiae univ. Romae. R. n. 1755. III. 113. s. e IV. 142. s. 385. s. Jos. Dobrowsky, Cyrill und Method der Slaven Apostel. Prag. 1823. p. 54. s. Philaret, Cyrillus u. Method die Ap. d. Sl. Mitau. 1847. J. A. Ginzel. Gesch. d. Slavenapostel. Wien 1861. p. 37. Štulc, Život sv. Cyrilla a Methodia. Brun. 1857. B. Dudik, Mährens allg. Geschichte. Brünn. 1860. I. 151. s. J. Martinow, S. J. Ann. Eccl. Graeco-Slav. Brux. 1863. ad d. 11. Maii p. 126. s. His iungendi qui symbolas criticas in Versionem palaeoslovenicam contulerunt: J. T. Elsner, Vers. einer böhm. Bibelgeschichte. Hal. 1765. F. Durich, de slavo-bohemica s. Codicis Versione. Prag. 1777. J. D. Michaelis, Einl. in d. g. S. d. N. B. I. 488. J. Dobrowsky, in Michaelis n. o. Bibl. VII. 155. s. Idem, Catalogus Cod. slavonicorum ad Hal. a. 1796. ed. Griesbach N. T. I. 127. s. II. 32. Slovanka. Prag. 1814. p. 137. s II. 1815. p. 138. s. 152. s. 160. s. J. L. Hug. Einl. I. 520. s. coll. obs. Dobrowskyanis in miscell. Slovanka II. 128. s. Amplissimam veterum slavicorum librorum copiam exhibet Catalogus Bibliothecae Seguierianae. Exstat etiam iuxta Whartonum. Auctarium H. d. Usserii d. S. vern. p. 372. mss. codex in Bibliotheca Lambethana Acta. Ep. et Apocalypsim continens. V. e. Kopitar, prolegomena historica in Evangelia slavice. exc. ap. Fr. Miklosich. Slavische Bibliothek. Wien. 1851. I. 72. s. Cum Slavis serius librorum typis describendorum ars tradita fuerit: prima videlicet Tetraevangeliorum a. 1512. in IV. Ugrowlachiae impressa editio, totius autem S. S. 1581. Ostroviae in Volhinia facta est. Antiquissimus codex mss. versionis Cyrillicae est s. d. Evangelistarium Ostromirense a. 1056. quod Petropoli vulgavit Wostokov. a. 1843. Eiusdem aetatis dicitur esse Codex Ev. — Texte du Sacre. — super quem reges Francogallorum Remis iurarunt, quem ediderunt Par. 1843. Silvestre; et Pragae 1846. Hanka. Codicibus slavicis usus est Ed. de Muralto N. T. in ed., Hamburg. 1848. Evangelium

§. 102. Doctrina Ecclesiae c. de lectione S. S. in vernaculis versionibus.

,Vernaculae'[1] versiones sunt, quae in linguas fiunt vulgares ac maternas; quae igitur sermonibus populo usitatis scriptae sunt; et in antiquas et novas, tam catholicas quam haereticas distribui possunt. Calumniantur Ecclesiam Catholicam, quicunque dicunt[2]: Versiones S. Scripturae in linguas vernaculas et fieri, et legi, ab ea prohibitum. Ecclesia Catholica sane neminem arcet ab his absolute; sed earum usum saluberrime moderatur. Jubet superiores[3]: ne passim omnibus, sine discrimine lectionem illam permittant; sed solum eis, quos intellexerint e huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse. Et hoc quidem ideo facit, non quia lectio S. Scripturae secundum se bona non sit[4]; sed cum experimento[5] manifestum sit: haereses ortas ,dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur'[6]. Ratione diversarum personarum, temporum, locorum, aliarumque circumstantiarum expedire potest aliquando, vernaculas habere ac legere S. Bibliorum versiones. Quando autem et sicubi contingat, rem bonam et salutarem fieri noxiam et malam[7]; ne in detrimentum vel perniciem vergat, cavendum est. Licet autem iam olim sat frequens esset[8] abusus; tamen

S. Matthaei palaeoslovenice e codicibus edidit 1856. Vindobonae Fr. Miklosich. Descriptionem Codicum Bibl. Slavicorum Biblioth. synod. Mosquensis dederunt Al. Gorski et C. Nevostrujev. Mosq. 1855. I. Indicem vero eiusd. Bibl. Mosquens. ol. patriarch. vulgavit Sabbas archim. Mosq. 1858.

[1]) I. e. linguae omnibus, etiam vernis, ac vulgaribus hominibus patentes. [2]) E. g. J. Usserius, Historia dogm. contr. de Scripturis S. et Vernaculis ed. H. Wharton. Lond. 1690. p. 179. s. Chr. G. Fr. Walch, Gebrauch d. h. Schr. u. d. a. Chr. Leipz. 1779. p. 176. s. aliique infiniti, qui hoc ipsum quotidie repetunt. Neque vero decet, neque licet virum catholicum — cuiusmodi haberi vult Fl. Dalham, de Canone I. diss. 2, 16. p. 78. — inconsiderantiae ac immoderationis Episcopos accusare, qui leges hac de re ab Ecclesia latas observant. [3]) Ad quos in Ecclesia spectet hanc exercere potestatem, erudite exposuit A. Heymans, de eccl. librorum aliorumque scriptorum prohibitione. Brux. 1849. p. 107. s. [4]) Perpetuum hoc, et nunquam intermissum institutum, capiendi cibum animae e S. Scripturis apud Catholicos semper viguit. [5]) Ut cetera mala, quae inde sequuntur, taceamus. Cf. F. — Hirscher — Bibelverbot u. Bibelverbreitung, in ann. Freib. Zeitschr. VII, 3. s. [6]) S. Augustinus, in Joann. Ev. tract. XVIII, 1. p. 430. [7]) Uti id in S. Bibliis promiscue lectis revera obtinet. [8]) Teste d. Augustino, l. c. Cf. Fenelon, ü. d. Bibellesen in der Muttersprache Freib. 1788. p. 8. s.

quia periculum minus erat commune, per plura saecula nulla exiit universalis Ecclesiae lex, qua lectio Sacrarum Scripturarum arctaretur, sed hanc moderare linquebatur prudentiae Antistitum et praepositorum. At vero a saeculo inde duodecimo ab Albigensibus; sequentibus vero a Wicleffitis, Hussitis, Lutheranis [1] aliisque sectariis, crescebat periculum fidelium; quorum simplicitati imponebatur per adulteratas Verbi Divini interpretationes. Versiones quippe suis erroribus accommodarunt: demendo, immutando et addendo [2]. Unde sapientissimis adducta rationibus Ecclesia Catholica statuit, quibus et quomodo concessae essent vernaculae S. Bibliorum translationes. Errasset sane veritatis columna; neque omnem hanc suam sponsam veritatem doceret Spiritus Sanctus, si in re tam gravi Christi fidelibus defuisset. Modus, quem Ecclesia in legendis S. Bibliis vernaculis observari vult, in omnibus discrete agit [3].

Juxta hunc Ecclesia a. Versiones quidem vernaculas eas universe tantum prohibet, quae ab haereticis translatoribus confectae sunt. Deinde autem b. quae a catholicis viris descriptae sunt, iis tantum prohibet, qui ex huiusmodi lectione damnum, et non potius fidei atque pietatis augmentum capere possent. Vult c. ut iudex in ea re sit singularum Dioecesium Episcopus, qui parochorum et confessariorum hoc in negotio adhibeat consilium; utpote qui propius magisque intime quoslibet suae curae creditos noscere possunt. Ista regulae quartae indicis praecepta, ubique terrarum vim legis habent. Et haec est disciplina hodie usque Ecclesiae Catholicae, quam s. d. ‚Index' praescribit [4]. Concilium Tridentinum sess. XVIII. [5] et sess. XXV. [6]: iussit non solum

[1]) Propagatis praesertim mediante arte typographica quam celerrime libris. [2]) Cf. a. r. G. Káldi S. J., oktató intés, melyből a keresztyén ember könnyen itéletet tehet a Magyar nyelven irott Kálvinisták Bibliájáról. add. ed. S. Bibl. hung. Vind. 1626. §. II. p. 1. s. [3]) A Pio IV. constitutus legitur, in regulis Indicis, S. S. Synodi Tridentinae iussu editis. V. C. Pallavicini, Hist. Conc. Trid. XV. 18, 1. ed. Antv. 1673. I, 254. s. XXIV. 8, 4. II, 309. Quae regulae attamen a. 1757. ad propositionem Benedicti XIV. iuxta temporis indigentias rursus dispositae fuerunt. L. Ind. libr. prohib. Modoetiae. 1857. p. 8. s. [4]) Cf. Analecta Juris Pontificii. Rom. 1862. f. 52. p. 1724. s. Potest autem Index ille dici: „syllabus prohibitionum particularium, quo libri fidei morumque subversivi, ab Ecclesia Romana Catholica legi retinerique vetantur." Fit hoc ideo, quod praecautiones olim adversus libros perversos observari solitae, periculo amovendo haud amplius sufficiant. Plurimi in Ecclesiam rebelles eiusdem detrectabant obedire mandatis, librosque pessimos artis typographicae recenter inventae beneficio ad vulgus emittere pergebant et pergunt. [5]) Quae est secunda sub Pio IV. celebrata die 26-a. Febr. 1562. [6]) Habita die ultima Concilii.

Indicem texere suspectorum librorum ac perniciosorum scriptorum; sed etiam regulam condendam aliquam de Lectione S. Scripturae in lingua vulgari. Indicem istum cum adiunctis regulis, delecti decem et octo Patres iuxta Synodi praescriptum, exhibuerunt Summo Pontifici Pio IV.; qui non acquievit labori et studio ad id operis deputatorum virorum, quin et ipse per se rem accurate examinare voluit: priusquam eum obligandi effectu in universum orbem catholicum [1] promulgaret, edita constitutione ‚Dominici.' Confirmavit et auxit Indicem Sixtus V. atque Clemens VIII. [2] E communi autem virorum doctorum usu, licet lingua vulgari α. S. Scripturas iis legere, qui ad munia ecclesiastica concionandi docendive disponuntur. Ex indultu vero Benedicti XIV. Scripturas Sacras vernaculas legere licet β. omnibus Catholicis, dummodo versio sit approbata; atque dilucidata annotationibus ex S. Patrum et Interpretum catholicorum commentariis [3]. Queis enarratis, merito cum indignatione reiicimus calumnias Acatholicorum [4]: qui cavillantur S. Sedem Romanam, quasi universim S. Scripturas populis eripiat, vix unis eas tradens Clericis.

§. 103. Versiones Hungaricae.

Postquam priscis Pannoniae incolis Evangelii praeconium est annunciatum, et cultus veri Dei abrogata superstitione, posthabitisque idolis, Piligrini, s. Adalberti, Geyzae opera inductus; res Catholica plurimum propagari cepit zelo S. Stephani [5]. Iste quidem piissimus Hungariae Proto-Rex adscitis e Graecia Italia et Germania religiosis viris, quorum praecipui fuere: b. Astricus et S. Gerardus, christianis literis et mansuetudine sensum animosque suorum subditorum temperare studuit [6]. Rex Apostolicus, et vigilantissimi novellae Ecclesiae Antistites, sedulo curabant: ut neophyti in fide, moribus, literis et artibus honestis instituantur.

---

1) 24-a Martii 1564. 2) Uberior doctrinae huius expositio reperitur in Benedicti XIV., de Synodo Dioeces. VI. 10, 4. 5. 6. ed. Rom. 1767. I, 174. Fr. Lucii Ferraris, Promta Bibliotheca C. J. M. Th. ed. Cas. Neap. 1855. VII, 84. Script. s. n. 39. s. 3) Decr. Congr. Ind. 13. Jun. 1757. addita ad reg. quartam indicis. Cf. ed. Modact. p. 12. 4) Nuperrime impudica fronte has cavillationes effutiit A. Ostertag, die Bibel und ihre Geschichte. Bas. 1857. p. 199. 5) Quem „gloriosissimum et beatissimum gentis nostrae Apostolum" vocat Stephanus Werbőtzius, Jur. Hung. part. II. tit. 3. 6) Qua de re legendus meritissimus G. Fejér, Religionis et Ecclesiae Christianae apud Hungaros initia. Bud. 1846. p. 52. s. 88. s.

Quemadmodum apud alias gentes primi Evangelii praecones mox solliciti erant: ,de vernacula S. Scripturae interpretatione'; ita et in nova plantatione vineae Domini per Hungariam idem fecerunt Religiosi Ordinis S. Benedicti, quibus non defuit promta interpretandi facultas. Certe vetus biographus S. Gerardi Chanadiensis episcopi narrat: ,inter praefatos monachos erant septem viri literati, et ungarica lingua interpretes expediti' [1]. Synodus autem Strigoniensis a. 1114.[2] statuit: ,In omni dominico die in maioribus Ecclesiis Evangelium et epistola exponantur populo'; utique lingua patria, quam solam ille intellexit. B. Margaritam Virg., Belae IV. regis filiam, Psalmos et Passionem Christi sensim ac devote hungarico idiomate legisse, tradit priscus scriptor vitae Beatae [3]. Nullam tamen ad nos usque saeculi XII. et XIII. interpretationem S. Bibliorum Hungaricam superesse, nemo mirabitur; qui infelicium illorum temporum miserias, de quibus patrii et exteri scriptores acerbe conqueruntur, perpenderit.

Laetiora saeculo XIV. et XV. bonis literis per oras Regni Mariani accedebant incrementa; cum iis in regibus Ludovico M., Sigismundo et Mathia Corvino eae liberales nactos fuerint Maecenates. Unde hac aetate plures factae sunt translationes, quarum hodie quoque exstant sequentia fere monimenta: Codex Vindobonensis XLVII. [4], apographum versionis saeculo XIV. factae [5] per Thomam et Valentinum, e familia Fratrum Minorum de observantia. De his testatur ,Chronica seu origo fratrum Minorum de observantia in Provinciis Bosniae et Hungariae Christo Jesu militantium: Thomas et Valentinus... Clerici haeresim praedictam — sc. Hussitarum — seminantes Utriusque Testamenti Scripta in Hungaricum idioma converterunt' [6]. Continet ista versio sequentes

---

1) C. 12. Ap. Endlicher, Rer. Hung. Mon. Arpad. Sangalli. 1849. p. 219. 2) Apud C. Péterffy, S. Concil. H. Pos. 1741. I, 55. 3) Quem edidit G. Pray, Vita S. Elisabethae nec non B. Margaritae V. Tyrn. 1770. Scriptor, ut inquit eruditissimus editor: „aetate ad obitum B. Margaritae — 1271. — proxime accedens." p. 249. V. p. 258. 270. Cf. et S. Ferrarii, de Rebus Hungaricae Provinciae O. Praedicatorum. Vienn. 1637. p. 254. s. 4) „Chartaceus. Saec. XV. foliorum 161. 4. charactere atro crassiusculo perscriptus et rubricis distinctus." M. Denis, Codices Mssi. Theol. Biblioth. Palat. II, 1. Vindob. 1799. p. 68. 5) Döbrentei, l. i. c. p. XXVIII. inter a. 1336 - 1444. factam habet. N. Révay, qui hunc codicem maiore cum apparatu in lucem proferre voluit; Antiq. Lit. Hung. Pest. 1803. p. 23. eius aetatem ad a. p. 1450. ponendam, partemque diligentiae L. Báthoryi arbitratur. St. Horváth, tudom. Gyűjt. Pest. 1835. II, 18. s. putat anno 1382. natam esse. 6) Testimonium hoc e cod. mss. ined. Biblioth. Alba-Carolinensis Döbrenteio, l. i. c. p. XXIII. communicavit Aem. Buczy Can. Albens.

S. S. Bibliorum partes, ad fidem interpretationis Latinae expressas: Ruth; Judith; Esther; Baruch; Daniel; XII Prophetas Minores. E Danielis c. 4. deest v. 12—25.; e Malachia — cuius duo folia manus iniqua abstulit — hiant 1, 13. — 3, 12. Additus est quoque prologus d. Hieronymi. Lingua utuntur translatores proba et amoena. Olim forte et alios Libros codex ille tenuit; nam eorundem esse deprehenditur, qui Quatuor Evangelia vernacula hungarica reddiderunt. Quae hodie asservantur in quodam codice Monacensi [1]. Neque aliorum esse putantur quibusdam illa S. Bibliorum Hungaricorum fragmenta, quae Albae Carolinae in Bibliotheca episcopali custodiuntur. Leguntur in hoc codice mss.: Canticum C., Job mutilus, Psalmi; demum pericopae Evangelicae et Epistolae a recentiore manu 1508. B. Halabori descriptae [2]. Non diu post claruit Fr. L. Báthory, e principibus Transsilvaniae, Ordinis S. Pauli Eremita in monasterio S. Laurentii prope Budam. † 1456. Studiis literarum non minus ac pietati intentus, tota S. Biblia cum plurimorum Sanctorum historiis, e latino in hungaricum idioma transtulisse fertur [3]. Nemo tamen Veterum narrat: an alicubi locorum mssa. haereat [4]; et utrum in codice ‚Jordánszkyano' Strigonii servetur [5], nondum ad evidentiam demonstratum habetur.

[1]) A. 1466. descripto, qui folia 108. in IV° habet; olim J. A. Widmanstadii d. q. v. p. 189. 90. De hoc codice Monacensi sequentia nobiscum communicavit v. s. r. J. Bach Monac. 20. Jan. 1867.: Cod. mss. Bibl. Reg. Monac. hungar. cont. Quatuor Evang. hung. vers. fol. 8—108. chartac. quae praecedit Calend. ead. lingua conscript. fol. 1—7. membran. IV. [2]) Codex Vindobonensis et Monacensis editi sunt in op. Döbrentei, régi magyar nyelvemlékek. Bud. 1838. I, 3. s. 1842. III, 17. s. Specimina codicis Albensis sunt apud Fr. Toldy, Magyar N. Irodalom Története. Pest. 1862. I, 247. [3]) A Historiographis Ordinis: Eggerer, Fragmen panis corvi protoerem. s. Rel. Annal. erem. coen. Fr. E. O. S. Pauli p. e. Vienn. 1663. p. 220. ad a. 220. Fr. Orosz, Synops. Annal. Paulin. Sopr. 1747. p. 300. J. Pongrácz, Triumphus Pauli. Pos. 1752. p. 51. 65. Scriptor anonym. comp. Hist. S. R. O. s. Pauli. Vac. 1804. p. 50. [4]) A. Horányi, Hungariae eruditorum biographus, data ad cl. Ad. Viser — Hermen. N. T. Pos. 1785. 4, 65. — epistola die 2. Dec. 1783. existimavit: interpretem, cuius meminit cel. Káldi S. J. — 1626. a. Oktató intés n. IV. p. 4. h. v. „nékem bizonyos, és hitelre-méltó ember mondotta, hogy látta az irott Magyar Bibliának nagyobb részét, melly kétszáz esztendő előtt forditatott." — Ladislaum Báthory exstitisse; sed e verbis laudatis Káldii, ne augurari quidem coniectura licet, quam translationem prae oculis habuerit vir ille, qui Káldio narravit, quod viderit hungarica Biblia c. a. 1426. versa. [5]) S. Scripturam in hungaricum versam continet a. 1519. scriptus carthaceus codex ol. Alex. Jordánszky Ep. Tinniniensis C. E. M. S. Exod. VI, 7. seq. Lev. Num. Deut. Jos. Judic. L. L. omnes Novi Testamenti praeter XIII. Epistolas S. Pauli. Denique pericoparum ecclesiasticarum codex Musei nationalis Pestinensis, anonymi monachi Carthusiani. 1527. scriptus, memorandus est.

Epistolas S. Pauli [1] in hungaricum transfusas edidit B. Komjáthy, capellanus aulicus Catharinae de Frangepán. Gabriel Pannonius Pesthinus, Albensis Canonicus et Archidiaconus Ugotsiensis [2], vero primus fuit, qui quatuor Evangeliorum Divina volumina lingua hungarica donata typis describi fecit a. 1536. [3] Integrum Novum Testamentum hungarice redditum, quinque abhinc annis, Novae insulae [4] vulgavit Joannes Silvester [5].

---

1) Cracov. 1533. ap. Viet. 2) Cfr. A. Horányi, Memoria Hung. et Provincial. script. edit. n. Poson. 1777. III, 69. 3) Viennae Pannonie Joannes Singrenius, suis ac Joannis Metzger bibliopolae, expensis XVII. die Mensis Julii excudebat, in VIII. Pag. 2. interpres dicit: „nemzetsegerewl Mijser nezetethewlwalo"; quod G. Pray, Index rar. libr. Biblioth. Univ. reg. Bud. 1780. I, 152. ita explicuit: „Credo ex vetusto gallico Missire, et italico Misser sumtum esse, quod viris ex ordine equestri olim tribuebatur, ex quo ordine noster interpres certe fuit." Quae etiamsi certi non forent, illud omnino certum manebit Gabrielem gentilitio cognomine Mijser, fuisse virum u. d. classice cultum. Enimvero ut loquitur in praef., cum videret, omnes nationes „mira translationum copia scatere passimque hac in re operam navare, ut in cumulum decoris patriae eorum semper aliquid adiiciant, quo et linguam et ingenium suorum acuant, et latius diffundant. Cur quaeso non liceat mihi quoque; linguam et ingenium nostrorum, doctrinis veterum sapientum, pro mea virili exornare, et patriae; cui semel omnes debemus, studere?" His verbis praelusit suae vernaculae fabularum Aesopi translationi, quam e. a. m. Aug. publici iuris fecit. V. M. Denis, Wiens Buchdruckergeschichte. Wien. 1782. p. 378. s. J. A. Fabricii, Biblioth. Gr. ed. Harles. Hamb. 1790. I, 659. 4) I. e. Ujszigethini. 5) Epigraphen habet teste Lelong, Bibl. S. art. VII, 5. ed. Paris. 1723. I, 447. „Quatuor Evangelia, Epistolae Pauli et Apocalypsis s. Joannis Hungarice, in IV. Novae Insulae, Benedicti Abadi. 1541. Vindobonensibus typis 1574. idem N. T. repetiit Slainhoffer. Quis fuerit J. Sylvester? controversum esse videtur. Jos Benkő, Transsilvania Vindob. 1778. II, 333. 4. scribit: „Joan. Silvester sive Screstely Claudiopolitanus, electus episcopus Csanádiensis, et Ferdinandi Imperatoris ad Concilium Tridentinum Orator, Novum Testamentum, Hungaricum fecit, et in Uj-Sziget Hungariae, sumtibus Thomae Nádasdi Hungariae Palatini, Tipographo Benedicto Abádi, viro docto et academica peregrinatione illustri usus, publici iuris fecit." Fr. Sigismundus Ferrarius, de rebus Hungaricae Provinciae Ord. Praedicatorum. Vienn. 1637. autem p. 411. testatur: „Fr. Joannes Hungarus Claudiopolitanus, sive Colusvariensis, virtute et doctrina insignis, a Pio IV. S. P. Episcopus Chanadiensis creatus est. Interfuit Tridentino Concilio, in quo etiam diem extremum clausit a. C. 1562. 24. Nov." Revera in serie episcoporum Csanádiensium reperitur a. 1561. 2. Frater Joannes VIII. Abbas Colosmonosteriensis; de quo G. Pray, Specim. Hierar. Hung. 1776. I, 301. annotat: „Cognomentum Kolosvary probabiliter [? et cur non a loco natali.] ideo illi adhaeserit, quod Abbas claustri Monostoriensis esset. Missus est orator nomine Cleri Hungariae ad Concilium Tridentinum, ubi 6. Aprilis mandata Praelatorum et Cleri Hungariae Patribus collectis exposuit, ut habet Servantius, in diario ms. Conc. Trid. p. 62."

Universa autem Biblia Sacra e collatione hebraici, graeci latinique textus hungarice interpretatus fuisse perhibetur[1]: Stephanus Arator S. J.[2]; sed haec illius interpretatio nunquam typis data fuit. Gloria laboris herculei S. Scripturarum U. F. vertendarum cessit Georgio Káldi S. J.[3], viro scientiae et pietatis laude praeclaro[4]. Approbata Vernacula Káldii Biblia postquam in lucem prodiissent, maximo applausu excepta fuerunt, summa enim fide et studio concinnata reperiebantur. Káldius memor illius praecepti ‚nec verbum verbo reddere curabis fidus interpres‘, sensum S. Bibliorum saepe clare reddidit, nonnunquam tamen quia Textui latino nimium adhaesit, unde obscurus fit[5].

In omnia alia abit S. Márkfi, Introd. in S. L. N. T. I, 143.: „Joannes Erdősy, inquit, alias Silvester, natus in Szinérváralja, com. Szathmariensis homo saecularis... apud comitem Thomam Nádasdy paedagogus aulicus in castello Ujsziget — hodie Sárvár Com. Castrif — denique Professor linguae hebraeae in scientiarum universitate Wiennensi.“ Dolendum v. s. r. Márkfi non indicasse, unde haec hauserit. Enimvero obstare videntur, testes fide digni, catalogi stipendiorum Professorum ap. R. Kink, Gesch. d. h. Univers. Wien. 1854. I, 2, 165. 6. In istis quidem exhibetur Joh. Silvester Historias docens; linguam attamen hebraeam eo tempore i. e. 1552. s. professus est Andreas Blancus. Etiam illa assignatio stipendiorum, quam ad annum 1555. Consp. Hist. Univers. Vienn. 1724. p. 196. inseruit S. Mitterdorffer S. J., Andream Blancum Hebraeam docuisse testatur; Joannis vero Silvestri plane non meminit. Illud modo adhuc obiter monemus W. Gesenium, art. Bibel ap. Ersch et Gruber Encyclop. sep. Lips. 1823. p. 153. mendaciter ista scripsisse: „Vom Tyrnauer Jesuiten G. Káldy, Wien. 1626. fol. Sie ist bloss nach der Vulgata gemacht, und die einzige, [?] welche das katholische Ungarn aufzuweisen hat.“

[1]) A Káldio, oktató intés n. VII. p. 7. et Nath. Sotvello S. J., Biblioth. Script. Soc. Jesu. Rom. 1676. p. 746. 7. [2]) Alias Szántó, dioec. Jaurin., in soc. Jesu e Coll. germ. hung., in quo fuerat alumnus 1561. admissus. [3]) Patria Tyrnaviensis soc. Jesu ingressus est Romae 1598., referente Sotvello, l. c. p. 291. [4]) Laborem Albae Carolinae auspicatus est a Novo Testamento 11. Oct. 1605., quod finiit 9. Dec. e. a., sicuti ipse narrat in schedis mss., quas possidet nunc r. Univers. Pestin. Inde se ad V. F. transferendum contulit, illudque 25. Martii 1606. Olomucii una cum l. l. III. et IV. Esdrae et orat. Manassis absolvit; addita subscriptione „Laus Deo Trino et Uni, Beatissimae Virgini Mariae, Angelo Custodi, et Sancto Stephano Regi et Apostolo Hungariae, cuius gentis saluti labor hic susceptus est. Gratias tibi Domine, quia, qui dedisti velle, dedisti et perficere.“ Typis descripta exierunt primum 1626. Vindobonae h. t.: Szent Biblia. Az egész keresztyénségben bevött régi deák betüből. Nyomtatta Béchben a koloniai udvarban Formika Máté. 1626. esztendöben. Prae manibus nobis est illud horum Bibliorum exemplar, quod Bibliothecae Augustali obtulit 8. Maji 1627. immortalis memoriae Card. Primas. Petrus Pázmány; qui et „ut pro communi in Hungaria Ecclesiae Catholicae emolumento imprimatur“ facultatem concessit. [5]) Quemadmodum observavit Bibliorum Káldii criticus εὐσεβής S. Márkfi, a magyar

§. 104. S. Scripturae vulgaribus linguis a Societatibus s. d. Bibliorum editae censura donantur.

Catholica, quam Jesus Christus Divina instituit auctoritate Ecclesia, nullo non tempore fidei praecones ad omnes gentes legitime misit; qui zelo nunquam satis laudando acti, sanam de Deo rebusque coelestibus doctrinam, piaque vitae praecepta ad remotissimas tulerunt oras. Sic Apostoli, sic discipuli Apostolorum; Frumentius qui Aethiopes convertit; Palladius et Patritius, quos Coelestinus R. P. ad Hibernos, Augustinus, quem cum Monachis O. S. B. ad Anglosaxones s. Gregorius M. misit; sic S. Bonifacius, S. Cyrillus et Methodius, s. Adalbertus atque innumeri ex familia S. Francisci, S. Dominici atque s. Ignatii L.: fidem D. N. J. Christi in omnem terram et in fines orbis terrarum portarunt. Aucta vero in dies mole agendorum Gregorius XV. quo negotium Missionis ad extremas usque gentes felicius succederet, anno 1622. creavit Collegium „de propaganda fide"; quod donis J. B. Vilesii Hispani ditissimi, qui omnes suas opes eum in finem obtulit huic Collegio seu Seminario, de propaganda fide, per Urbanum VIII. auctum est: quo praecones ad Missiones ituri educentur, atque disciplinis necessariis instruantur. Duae hae fundationes — quas multis describit O. Mejer, die Propaganda. Leipz. 1852. I, 89. s. — liberalitate Summorum Pontificum Gregorii. XV. et Urbani VIII.; Card. G. N. Spinola, et viri laici Andreossi de Bevagni eximie locupletatae, plurimos educabant educantque sacerdotes, qui Missionariorum in se susciperent officium.

Eundem in finem excitato prelo illustre hoc Collegium Volumina S. Scripturarum, libros ad institutionem et aedificationem facientes, neophytis servituros: Hebraica, Chaldaica, Arabica, Persica, Aethiopica, Coptica, Graeca, Illyrica typis describi fecit. Hoc ipsum institutum, quamvis facultatibus attenuata Propaganda; ad nostros usque dies impigre continuat. Longe aliter agendum sibi esse putavit, quae Londini a. 1804. coaluit factio sub nomine „societatis Biblicae." Haec nimirum pecunias a suis sodalibus colligit, atque ad excudendas, distrahendasque S. Bibliorum Utriusque, sed praesertim N. Foederis in omnibus, quantum fieri potest, exterarum etiam gentium linguis Versiones impendit. Societates aliae istiusmodi in Germania, Gallia, Russia, Helvetia reperiuntur; atque omnes de laborum suorum successu gloriantur. Nostrum non est historias illarum recensere. Fecerunt hoc „non sine vana iactantia": I. Reports of the british and foreing Bible-Society. Lond. 1805—65. T. H. Bernstein, de studio, quo nostra aetate id actum est, ut remotissimis populis Verbum Dei

---

Szentirás javitásáról, Religio 1854. I. 13, 97. 14, 107. Editioni Vindobonensi soli subiuncta est praestantissima Káldii informatio, sive monitum de Bibliis legendis, cuius memoriam fecimus p. 242.; quod vero proh dolor in edit. Tyrnav. 1732. et Bud. 1783. rep. desideratur. Illa versio mutatis, quae linguae profectus exegit, mutandis, his diebus novis curis edita est Agriae s. t.: „Az ó- és ujszövetségi Sz. irás Káldi Gy. forditása nyomán. Az apostoli szék jóváhagyásával." 1862—5. Omissum est interim etiam hac in editione praeclarum illud monitum Káldianum.

τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ pateat. Regiom. 1816. G. de Félice, essai sur l' esprit et le but de l' institution biblique. Par. 1824. Thomson and Orme, History sketch of the transl. and circulation of the Scr. Perth. 1815. W. P. Strickland, History of the american Bible-Society. New-York. 1849. G. Thilo, Geschichte der preussischen Haupt-Bibelgesellschaft. Berl. 1864. Alph. Esquiros, les Missionairs anglais d' après leur correspondance. Revue de Deux-Mondes Par. 1866. 7, 6.

Crescit usque in hanc diem Societatis Bibliorum divulgandorum conamen; nec ferme ullus sermo est adeo incultus et barbarus, in quem S. S. transferre non tentaret. Clarum autem satis est: editiones Societatis Biblicae ex eorum numero habendas esse, quae lege Indicis prohibitae sunt, utpote Versiones exhibentes vulgares sine annotationibus. Sed quod adhuc peius est: typis vulgantur et propagantur ab his societatibus: translationes Divini Codicis, in quibus errores in rebus fidei atque morum continentur. Sed Editiones et translationes a societate anglica paratas, ad eruditorum quoque usum: „minus quam par erat“ accommodatas, candide fatetur acatholicus J. Gildemeister, de Evang. in arab. e simpl. syr. transl. p. 42. Versionibus huiusmodi proh dolor! refertae sunt extremae Orientis Occidentisque orae. Laboratur et contenditur iis maxime, ut hac ratione, quemadmodum asseclae Societatum harum dicunt, Religio Christi dilatetur; vel rectius ut obstruatur via catholicae praedicationi, quae ingentibus saepe aerumnis a praeconibus Evangelii, a legitima auctoritate ad omnes gentes, iuxta mandatum Christi, missis suscepta est. Narrant catholici Missionarii nihil magis obesse Verbi Divini annunciationi, quam subdolam hanc Bibliorum divulgationem, qua Librorum a Deo inspiratorum auctoritas et intelligentia funditus evertitur. Enimvero cum Sacrae Literae veluti unicus fons credendorum et agendorum praedicentur; earumque Volumina, quin de lectoris ad ea cum utilitate volvenda institutione ulla cura habeatur, convertendorum manibus tradantur, maxima oritur rerum perturbatio.

Sed ut ad recentissima veniamus Societatum, quae se Biblicas dicunt, conanima, exarsit nostris his diebus studium impiissimum: vulgares Versiones ab his Societatibus editas inter Catholicos omnium Regnorum Europae, cumprimis meridionalium, propagare. Utuntur Acatholici Societatibus Biblicis pro faciendis sibi proselytis; nempe ut si consilium reipsa successerit, Catholici quoque neglecta Ecclesia Religionis negotium suo quisque ingenio per S. S. diiudicent, aut a dogmate catholico plane deficiant. Pericula vero haec eo magis augentur, quo minus homines plebeii apti sunt ad cognoscendam fraudem, qua circumveniuntur. Jure itaque ac merito Biblicas has Societates earumque editiones Summi Pontifices reprobarunt, translationesque ab illis divulgatas proscripserunt. Sic Pius VII. literis ad Ignatium Archiep. Gnesn. 29. Jun. 1816. d. adpellat „vaferrimum inventum, quo vel ipsa religionis fundamenta labefactantur“; atque in brevi ad Stanislaum eppm. Mohilov. inquit 3. Sept. e. a. „ex perlatis ad nos huiusmodi versionibus animadvertimus, eam in purioris doctrinae sanctitatem parari perniciem, ut facile fideles ex iis fontibus lethale ebibant venenum, e quibus haurire debuissent aquas sapientiae salutaris.“ Quae repetiit Encyclica sua Leo XII. d. 3. Maii 1824.; Pius VIII. 24. Maii 1829.; Gregorius XVI. 15. Aug. 1840. Idem porro Gregorius XVI. 8. Maii 1844. literis „Inter praeci-

puas machinationes", molimina Societatis Americanae in Italia atro stigmate notat. Postremo auctoritate summa ipsas Societates, qua religioni perniciosas damnavit Ecclesiam Dei gloriose gubernans S. D. N. PIUS P. IX. 9. Nov. 1846. et 8. Dec. 1849. Condemnatio et proscriptio Bibliorum eiusmodi applausum fert omnium virorum cordatorum. V. Fr. de Sal. d. l. M. Fénélon, lettre sur la lecture de l' ecriture sainte en langue vulgaire. Par. 1791. — ex Acatholicis Kaiser, auch etwas z. Beherzig. f. d. s. b. Bibelgesellsch. Nürnb. 1815. et J. G. Schulthess, geschichtl. ü. Bibel- und Tractatenges. Zür. 1861. — F. G. Sondermann, de Societatum vulgo Biblicarum consiliis. Olomuc. 1818. C. Mezzofanti, ap. Mellinium, Instit. bibl. ed. g. Bon. 1855. p. 71. Copiosissime omnium J. B. Malou, das Bibellesen in der Volkssprache. Schaffh. 1849. Isti quidem Theologi erudite defendunt hac in re doctrinam Ecclesiae Catholicae ex principiis suis. Argumenta, quibus utuntur ad vindicandam horum principiorum veritatem, enarrare; nec huius loci est, nec opus est: siquidem nos hic Traditionem Divinam praeter S. S. existere, fontemque alterum Revelationis magis pervium constituere, notum esse ponimus. Illud modo paucis subiicere volumus: Ecclesiam ex institutione Divinissimi Salvatoris et Apostolorum — cui ni staret Catholica esse desineret. — S. Scripturas qua unicum Revelationis divinitus datae fontem agnoscere, atque usum eius nulla lege restrictum concedere haud posse. Consequitur, hoc ex axiomatibus, quae probare incumbit Theologiae q. v. Dogmaticae: S. Scripturas non ideo exaratas esse, ut completam fidei atque morum normam exhibeat. Imo Divinas Literas in plurimis locis esse obscuras; in aliquibus vero capitibus facile perperam cum maximo damno explicari posse. Ex altera parte ipsam Ecclesiam Catholicam S. Scripturam legendi et retinendi sub certis conditionibus etiam Laicis concedere vidimus p. 242. Perpetua Ecclesiae cura circa Versiones in linguis vulgaribus, per quas certe non tam indigentiae Cleri quam Laicorum succurrere voluit, hoc idem luce clarius demonstrat.

Quis hoc inficias ire ausit, qui attenderit S. S. mature in omnes fere linguas conversam. Fatetur id ipsum Anglus J. Usserius, de Scripturis et sacris vernaculis. p. 155. 158. 172. 221. s. et E. Reuss, die Geschichte der h. Schriften N. T. Braunsch. ed. q. 1864. p. 472. e coetu Acatholicorum. Quam plurimas typis descriptas, sed et manuscriptas translationes S. Bibliorum germanicas ante tempora Lutheri existentes, recensitas legere licet in J. Kehrein, z. Gesch. d. deutsch. Bibelübersetzt. vor Luther. Stuttg. 1851. p. 19. s. In se igitur non improbat Ecclesia conamina eorum, qui Sacram Scripturam in linguas vulgares transferant; nec nisi adversarii eiusdem, ut cavillandi ansam haberent, illam a pluribus iam saeculis fidelem populum a S. Scripturarum lectione arcere dicunt. Cum tamen plura exstent eademque luculentissima documenta singularis zeli, quo recentioribus ipsis temporibus S. Pontifices atque Episcopi usi sunt, ut Catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo imprimis pertinent Versiones ab Ecclesia approbatae: Germanica Allioli, Itala Martini, Hungarica Káldi, Polonica Wujek.

Ad extremum praeterire nolumus verba, quae Pius VI. P. 16. Apr. 1778. Abbati Antonio Martini — qui postea Archiepiscopus Florentinus creatus est — scripserat: „optime sentis, si Christi fideles ad lectionem Divinarum

Literarum magnopere excitandos existimas; illae enim sunt fontes uberrimi, qui cuicunque patere debent ad hauriendam et morum et doctrinae sanitatem depulsis erroribus, qui his corruptis temporibus late disseminantur."

His addimus cum anno 1726. quidam Lovanienses Theologi „Theses cum annotationibus de iure communi et speciali sacerdotis, principis et plebis circa Scripturas Sacras", approbante famoso B. Van-Espen vulgarent; his sese acriter opposuerunt ceteri Lovanienses Doctores. Nec id mirum, cum in constitutione Clementis XI. „Unigenitus" 8. Sept. 1713. damnatae proscriptaeque fuerint Paschasii Quesnelli propositiones n. 79. 80. 81. 82. s.; quibus ille statuit: „Lectio S. Scripturae est pro omnibus." Cf. Alexandri a s. Joanne de cruce Carm. continuat. Hist. E. Cl. Fleurii. Aug. Vind. 1784. 48, 277. s. Denzinger, Enchiridion Symbol. 358. s.

CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIOR

HERMENEUTICA SACRA.

§. 105. Quid sit ἑρμηνεία Divinarum Scripturarum?

Ἑρμηνεία *sive explicatio Divinarum Scripturarum est ea disciplina, secundum quam pius et attentus Sacri Codicis lector sensum Librorum Utriusque Testamenti, iustorum quidem adminiculorum ope recte et certo cognoscere, cognitumque dextere ita aliis tradere possit, ut iis persuadeatur. Omnis* ἑρμηνεία *igitur duabus rebus continetur, genuino sententiarum verbis Spiritus S. per Hagiographos loquentis subiectarum intellectu; earumque idonea explicatione. Ut illa quae* περὶ ἑρμηνείας *Sacri Codicis occurrere possunt in summa complectamur; primum quidem ad finem, deinde ad media* ἑρμηνείας *erit respiciendum. Finis proximus alius esse nequit, quam ut verum et genuinum S. Scripturae sensum assequamur. Quod in omni oratione explicanda promiscue valeat, quae explicandi regulae potissimis orationum speciebus sint propriae; docet Hermeneutica universalis, quae cum ad verum sensum reperiundum dirigunt, recte etiam ad S. Scripturae applicantur. Sed quia multa in Divinis Paginis habentur, quae magnam eius differentiam ab humani ingenii monimentis ostendunt; talia generalibus explicandorum librorum regulis subesse non possunt, sed peculiaribus. Quae tamen ita dicimus, ut non inficiemur: ideo communes interpretandi leges ad Sacri Codicis explicationem transferendas esse; modo eas solas sufficere non arbitramur. Regulas universales Logica, peculiares Theologia suppeditat. Media quod attinet interpretationis, non unius sunt generis; quaedam enim ex indole et natura sermonis fluunt; quaedam e s. d. affectionibus S. Scripturae sumuntur. Ex applicatione legum quas Logica et Theologia ministrant, oritur ipsa* ‚ἑρμηνεία *Sacri Codicis‘, quae etiam* Ἐξήγεσις, *‚Exegesis‘ Sacra vocatur.*

Quo nomine proprie et κ. ε. explicatio Divini Codicis adpellatur, quia ἑρμηνεία etiam vulgarium librorum expositio dicitur. Vix ulla disciplina gravior est, quaeque maiorem haberet ab utilitate commendationem, vel a difficultate cautionem, quam ea, quae ad investigationem explicationemque sensus S. Scripturae pertinet. In qua strictim persequenda docebimus: qua ratione sit ipsius interpretationis genere efficiendum, ut non modo, quae vera mens sit cuiusque loci, quae vis dictorum, orationis venustas, iudicetur; verum etiam facilitas quaedam exoriatur ista certo percipiendi et promto expediendi iudicio, imprimis illis in locis, ubi doctrina sola eruditionisque copia haud sufficit. Doctrinam igitur proponemus περὶ ἑρμηνείας Codicis Sacri, iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet S. M. Ecclesia; paucis quidem faciemus vel ideo, ne quid nostrae tractationi de S. Scriptura eiusque interpretatione desit.

§. 106. Βιβλιογραφία Hermeneuticae S.

I. Initia τοῦ „διερμηνεύειν“, coll. Luc. 24, 27., Sacrarum Literarum ab ipso Divinissimo Salvatore, Apostolis ceterisque N. T. Hagiographis, iure derivamus. Horum enim dicta et scripta, genuina Sacri Codicis V. F. expositio haberi debent: cum multa, quae in Antiquo Testamento circa fidem et mores occurrunt, in Codice Sacro N. F. explicata reperiantur. Hagiographos imitari adnitebantur S. Patres et Doctores: S. Ambrosius, S. Basilius, S. Joannes Chrysostomus, S. Isidorus. Pel., S. Hieronymus; item Scriptores eccl. Origenes, Julius Afer, Eusebius, Adrianus, Aurelius Cassiodorius, qui ingenii sui monimenta Sacras Literas exponendo reliquerunt: quorum attamen merita sectio huius capitis tertii altera dilucidabit. Meritorum quoque Alcuini, Hrabani Mauri, Petri Lombardi, Lanfranci aliorumque de Hermeneutica, qui aevo s. d. medio floruerunt, memoriam excitabit eadem narratio de interpretatione S. Scripturae Catholica.

II. Recentioribus saeculis, ex quo novatores ab avita Ecclesiae doctrina defecerunt, contemto infallibili, quod in S. S. interpretandis habet iudicio; Divinum Codicem iuxta proprium arbitrium exponere ceperunt. Hinc factum ut „Hermeneutica“, quae prioribus temporibus nunquam ceu peculiaris disciplina colebatur, scientia induceretur, varia item adminicula adinveniri ceperint, quibus Sacrarum Literarum sensus aperiri quiret. Initia quaedam reperiuntur in XVIII. 1. Isagogae ad mysticos S. S. sensus * Santis Pagnini. Col. 1511. Sed ubi S. S. magistri acatholici contenderent: S. Scripturam esse suimet ipsius idoneum interpretem, posseque quemlibet Divina Oracula intelligere et explicare; regulas hermeneuticas statuerunt, quae a Catholico Veritatis irrefragabili canone recedunt quam longissime! Unde patet operum, quae ad Hermeneuticam docendam pertinent ab Acatholicis exaratorum, nonnisi magna cum cautione, servatis servandis, a S. Literarum studioso catholico fieri posse usum. Tentaminibus virorum acatholicorum obviam ibant theologi catholici, quorum a nobis in sequentibus recensendi libri Hermeneuticae asterisco notabuntur.

Libri ἑρμηνείας S. S. magis illustres saeculi XVII.

III. Saeculo decimoseptimo Hermeneuticam S. exposuerunt * Alph. Salmeron S. J., Comment. l. I. Prolegomena. Colon. 1612. * N. Serarius S. J., Prolegomena Biblica. Mogunt. 1612. et * Fab. Justinianus, de S. Scriptura. Rom. 1614. — De Serario v. praeclarum eruditissimi A. Ruland librum: Series et Vitae Professorum S. S. Theologiae qui Wirceburgi docuerunt. Wirc. 1835. p. 13. s. — J. Gerhard, Tractatus de Scripturae Sac. interpretatione. Jen. 1610. rep. 1663. * B. Poncius Legion., Quaestiones quatuor expositivae ut vocant i. e. de Scriptura s. exponenda selectae. Salamantiae 1611. rep. in ed. Menochii Tournemiana Ven. 1722. App. p. 123. C. Finke, Canonum, regul. observat. proprietat. et consuet. S. Scripturae centuria. Giss. 1612. rep. 1633. Ei. Clavis S. S. ib. 1618. rep. Stett. 1658. J. Weber, Scrutinium Scripturae S. h. e. de recte intell. et dext. interpret. Script. l. u. Giss. 1614. W. Franz, Tract. theolog. de interpretatione S. Scriptur. max. legit. Witt. 1619. rep. 1634, 1654, 1668, 1693. Ed. V. auct. 1708. Oxonii. S. Glassius, Philologia Sacra. Jenae 1623. rep. 1643. Franc. 1653. Jen. 1663. et 1668. Lips. 1691 et 1705. Amst. 1711. Lip. 1713 et 1715. Ed. opt. accom. a J. A. Dathio Lips. a. 1776. contin. 2. vol. a G. L. Bauero, ib. 1795. 7. * J. Bonfrerius S. J., Praeloquia add. Comm. Pentat. Antv. 1625. rep. in ed. Menochii Tournemiana, app. 1. s. B. Willius, Sacr. analytic. diss. tred. i. ratio interpret. Script. det. Brem. 1651. * Emm. Sa S. J., Notationes in t. S. S. Lugd. 1651. * H. Marcellius, S. J. Canones expl. S. Scripturae. Herb. 1653. Ars interpr. Colon. 1658. J. C. Dannhawer, Hermeneutica S. Argent. 1654. rep. 1684. Idea boni Interpr. ib. 1670. G. Grosshain, Epitome Hermeneutices Jen. 1657. * Antonius a Matre Dei, Praeludia isagogica ad Sac. Librorum intelligentiam. Lugd. 1669. rep. Mogunt. 1670. * J. Neercassel, Ep. Gocorm. Tractatus de lectione S. Literarum. Embric. 1677. Colon. 1680. * J. Metzger, Institutiones Sac. Scripturae; seu principia, regulae et instructiones de modo rite intelligendi et interpretandi Sac. Scripturam. Salisburgi 1680. J. Reinhard, Hermeneutica S. Siluciae 1683. rep. 1693. A. Pfeiffer, Thesaurus Hermeneuticus Dresd. 1684. Lips. 1687. 1690., auctius editus cum praef. Ben. Carpzov. rep. 1698. Dresd. 1705. Ei. est etiam Critica S. Dresd. 1721. J. Olearius, de Stylo N. T. Lips. 1668. rep. 1672. Cob. 1698. Lips. 1699. J. H. Maius, sel. diss. de S. S. Franc. 1690. rep. 1708. Introd. ad stud. Philol. Crit. et Exeg. Franc. 1699. Abr. Gulichius, Theologia Prophetica, acc. Hermeneutica. S. Amstel. 1675. 84. rep. 1690. * J. B. du Hamel, Institutiones Biblicae. 2. vol. Par. 1698.

Praecipui Hermeneuticae S. scriptores saec. XVIII. et XIX.

IV. E primo dimidio Saeculi XVIII. memoria hic repetere volumus: * H. J. Brunet, Manuductio ad S. Scripturam. Par. 1701. 2. vol. * J. Martinianay, Traité meth. ou manière d' expl. l' Ecriture. Par. 1703. [* Cherubinus a S. Jos.] Bibl. Crit. S. I. Lov. 1704. * J. Mar. de Turre, Ord. Praedic., Instit. ad Verbi Dei Scripti intellig. Parm. 1711. 4. vol. * H. A. de

Graveson, tract. de Scriptura S. Rom. 1715. * J. Ulloa S. J., Decades q. principiorum pro intellig. S. S. Tyrnaviae 1717. A. H. Franke, Praelectiones hermeneuticae Hal. 1717. rep. 1723. J. J. Rambach, Institutiones hermeneuticae Sacrae, cum praef. I. Fr. Buddei. Jen. 1723. P. alt. s. t. Exercitationes hermeneuticae. Brem. 1728. emend. ib. 1741. ed. VIII. a. 1764. * G. Cartier O. S. B., tractatus de S. S. Aug. Vind. 1724. J. M. Chladen, Joan. Institutiones exegeticae Witt. 1725. L. Bohner, Comment. de gen. S. Scripturam intel. rat. Altorf. 1727. J. A. Turretin, De S. Scripturae interpr. meth. Trajecti Turniorum 1728. emend. G. A. Teller Franc. ad Viadr. 1776. J. Lange, Hermeneutica S. Hal. 1733. C. Wolle, Hermeneutica Novi Foederis. Lips. 1736. * Georgii a S. Josepho, Prael. isagog. Ratisb. 1739. J. H. Seelen, Herm. S. exp. Lub. 1740. S. J. Baumgarten, Unterricht von Auslegung der h. Schrift. Hal. 1742. rep. 1745. 1751. cum add. J. C. Bertram, 1769. C. G. Hoffmann, Inst. Theol. exeget. 1754. * N. Zillich, S. J. Principia did. in univ. S. S. Wirceb. 1758. C. T. Seidel, Anweis. z. Erkl. d. h. Schrift. Halle. 1759.

V. Extremis saeculi XVIII. decenniis, et primis XIX. annis invaluit doctrina Naturalismi, Theismi atque Rationalismi inter Acatholicos Angliae, Galliae, Germaniae, aliarumque Europae provinciarum Theologos; sed et Catholicos sua contagione infecit. Horum perversa Revelationem tractandi ratio, S. Scripturam ita interpretata est: ut in numerum tandem librorum humanorum redigeretur, quos pii quidem viri, sed rudes scripserunt. In iis explicandis S. S. quidquid „supernaturale" redolet, aut plane eliminarunt; aut tali modo sumebant, ut captui rationis humanae — quam solam iudicem interpretationis statuere, — accommodatum foret. Ceterum istam frigidam S. S. expositionem, formis philosophicis saepe propositam, legere maximum adfert taedium. Propagarunt et excoluerunt exitiosam hanc S. S. explicationem: C. Fr. Bahrdt Giessensis; J. D. Michaelis et J. G. Eichhorn Gottingenses; J. G. et E. F. C. Rosenmüller atque C. Th. Kuinoel, Lipsienses; Gesenius Halensis et L. de Wette Berolinensis Professores. Opposuit se quidem in Germania isti interpretum generi, aliud propugnatorum S. S. quod „Pietisticum" adpellatur; attamen non multum profecit: inprimis quia nonnulli quos „Pietistas" dicunt, omnem scientiam respuerunt. Antesignanus Rationalistarum iure habetur J. S. Semler, scriptor librorum, qui plurimis erroribus referti sunt: Vorbereitung zur theologischen Hermeneutik. Hal. 1—4. 1760—1769. Apparatus ad liber. N. T. interpr. ib. 1767. J. A. Ernesti, Institutio interpretis N. T. Lips. 1761. 1765. ed. qu. Havn. 1776. Quinta not. C. F. Ammon auct. Lips. 1800. J. G. Töllner, Grundriss ein. Hermeneutik. Züllichau 1765. J. E. Pfeiffer, Institutiones Hermeneuticae S. Erlang. 1771. In lectione igitur istorum commentariorum summa cautela adhibenda erit.

Quod ad Catholicos attinet, ne ultra ac concessum est excurrere videamur, missis aliis recensemus: * F. Kopf, tirocinium S. S. Aug. V. 1763. * J. M. Engstler, Instit. S. S. Vienn. 1775. * Th. Holtzclau, S. J. Instit. Scriptur. Wirc. 1775. * J. J. Monsperger, Institutiones Hermeneutices V. T. 2. v. Vindob. 1776. 7. rep. 1781. * A. Duquet, Regeln z. Verstand d. h. Schrift. a. d. Franz. Wien. 1777. * St. Hayd, Introd. hermen. in S. N. T. L. L. Vindob. 1777. * H. Frida, Institutiones Hermeneuticae V. T. Prag. [1777.] * S. Seemiller, Institutiones ad interpretationem S. Scripturae. Aug. Vind.

1779. * D. Czerny, Instit. hermeneut. N. T. l. d. Brun. 1780. * T. Sartori, Hermeneut. harmon. U. T. Aug. Vind. 1783. * A. Viser, Hermeneutica S. N. T. I. Bud. 1784. II—IV. Pos. 1784. 5. * J. N. Schaefer, Ichnographia hermeneutices S. Mogunt. 1784. Ei. Institut. Scriptur. P. s. Hermen. gen. ib. 1792.; qui libri citra omnem controversiam in pretio habentur. Deterioris notae esse reperiuntur: * Thaddaei à S. Adamo [Dereser] Notiones gen. Hermeneuticae S. P. II. Bonn. 1784. 6. * C. Fischer, Inst. hermen. N. T. Pragae 1788. * Gr. Mayer, Institutio interpretis. Vindob. 1789. * Opera D. C. Ries S. J., scripta: Instit. S. Mog. 1787., et Epitome philolog. crit. et hermeneut. Mogunt. 1789. utilia sunt. Sequebantur * A. Mauch, Hermeneutica S. positionibus notisque adumbrata. Bamberg. 1789. * A. Sandbichler, Abhandl. ü. d. Mittel, den hebr. u. griech. Grundtext richtig zu verstehen. Salzburg. 1791. Ei. Darstellung einer allgem. Auslegungskunst v. d. B. d. A. u. N. T. ib. 1813. aliquo subsidio esse poterunt: * A. Zázio, Ord. Praemonstrat., Instit. Hermeneuticae V. T. Pest. 1796. 3. p. * L. Veith, S. J. Anleitung und Regeln zur nützlichen Lesung der h. Schrift. Augsb. 1797. * F. Fr. Azenberger, Brevis conspectus institutionum hermeneuticarum. Straubing. 1798. E coetu acatholico nominentur oportet: J. B. Carpzov, Prim. lin. Hermen. Helmst. 1790. Φιλαληθὴς 'Ερϊδαίρων [C. G. Hebenstreit.] Observ. ad Libr. S. interpr. pertin. Lips. 1796. G. L. Bauer, Herm. S. V. T. Lips. 1797. Ei. Entw. e. Herm. d. A. u. N. T. 1799. G. W. Meyer, Versuch e. Hermeneutik des A. T. 2. v. Lüb. 1799. 1800. Hermen. d. N. T. II. t. Leipz. 1812. Ei. Apol. d. gesch. Auff. d. h. B. d. A. T. Sulzb. 1811.

VI. Sub initiis saeculi decimi noni accurante H. C. Abr. Eichstädt, in lucem exiit S. T. N. Mori opus incompletum „super Hermeneutica N. T. acroases acad.“ Lips. 2. vol. 1797. et 1802. docte conscriptum. Abhinc Hermeneuticae S. S. capita dilucidarunt: G. Fr. Seiler, Biblische Hermeneutik. Erlang. 1800. P. J. Bruns, Entw. e. Apolog. u. Hermen. d. Bibel Helmst. 1801. C. D. Beck, Monogrammata hermeneutices libr. N. T. P. I. Hermeneutica N. T. universa. Lipsiae 1803. P. II. nunquam prodiit. C. G. Bretschneider, die historisch-dogmatische Auslegung des N. T. Leipz. 1806. liber pessimae frugis. Taedet autem narrare, quae Paulus Heidelbergensis — nisi fallimur libelli Vindiciae S. N. T. S. oppugn. ab iis, quibus mythi et prodigia offensioni sunt auctor — de Codice S. explicando impie effutiit. Meliores sunt C. A. Th. Keil, Elementa Hermeneutices N. T. lat. redd. a C. A. G. Emmerling. Lips. 1811. et * J. B. Gerhauser, Theoria Hermeneuticae S. Diling. 1811. germ. ed. Lerchenmüller, Kemp. 1828. In censu librorum qui Hermeneuticae S. praecepta tradunt, locum suum tuetur * J. Jahn, Enchiridion Hermeneuticae generalis tabularum V. et N. F. Vienn. 1812. Successerunt II. fasc. app. Herm. seu exercitat. exeg. Vienn. 1813. 5. Jahnii merita de re critica V. T. p. 102. haud dissimulavimus; ingenii ac diligentiae laude fraudari nequit, sed in explicandis S. S. ipsum non servasse, quae servanda praecipit S. M. Ecclesia, omnes Catholici fatentur. Jahnii † 1816. errores sequitur * A. Arigler, Hermeneutica biblica generalis. Vienn. 1813., in multis peior magistro; cum vaticinia s. d. Messiana mysticas accommodationes habet. Utriusque scriptio a Sede Apostolica propter falsas propositiones censura confixa est. Istorum aberrationes erudite taxarunt: * G. Czuppon, Cath. Eccl. Sabar. Canonicus l. „Reflexiones hist. hermen. super Exegesi bibl. noviss. inv.“ Sopron. 1816.; item „Paralipom. superadd.“

Sabar. 1817. * J. N. Alber, e Scholis piis, Instit. Hermen. S. S. V. T. Pest. 1817. N. T. ib. 1818. VI. t. * J. H. Janssens, Hermeneutica. S. Leod. 1818. 2. vol. ed. stereotypa rep. Taur. 1858. * J. F. de Com. Zamboni, diss. de necess. incautos praeveniendi adv. art. non. Prof. Hermeneut. ex ital. in lat. versa a Theol. Dusseldorpiensi. [* Binterim?] Col. 1824. Ceterum Lipsiae apud P. G. Kummer anno 1822. vulgatae sunt „Vindiciae Joannis Jahn" quas — coll. G. Fejér, Hist. Acad. Scient. Pazmaniae. Bud. 1835. p. 168. — calamo magis ornato quam veridico, scripsit * J. Tumbacher.

Libris Hermeneuticam illustrantibus operam dabant: J. J. Griesbach, Vorlesungen ü. d. Hermeneutik ed. J. C. S. Steiner. Nürnberg. 1815. * G. Fejér, Tabulas V. ac N. F. rite interpr. lex cath. Pest. 1816. * M. Arneth, die Untersch. zw. d. b. ration. u. d. kath. Schriftauslegung. Linz. 1816. Fr. Lücke, Grundriss der n. T. Hermeneutik. Gotting. 1817. * H. Haid, Ende oder Schlussstein der bibl. Exegese. München. 1818. F. H. Germar, die panharm. Interpr. d. h. Shr. Schlesw. 1821. J. H. Pareau, Inst. Interpretis V. T. Trai. ad Rh. 1822.; et liber ei. viri praeclarus: disput. de mythica S. Codicis interpr. ib. 1824. Optimae notae est etiam disquisitio H. Steffens, v. d. falschen Theol. u. d. w. Glauben. Bresl. 1823. Anonymi sed * catholici viri est opus: Introd. in L. S. V. T. ed. sec. Aug. Taur. 1850.

VII. Quod ad ultimas tres decades saeculi, quo vivimus, attinet: evolventi libros Catholicorum hermeneuticos, praeclara opera ocurrunt; quorum scriptores cum sensui Ecclesiae inhaerent, doctos exhibent commentarios ad instruendum S. S. lectorem. Sunt autem sequentes: * Fr. Geiger, die protestantische und katholische Bibelauslegung. Altdorf. 1830. * C. L. Gratz, comment. de Codice S. interpr. Campod. 1832. * J. Alzog, explicatio Catholic. system. de interpr. S. S. Monaster. 1835. * C. Unterkircher, Hermeneutica biblica generalis iuxta formam studii theologici in imperio austriaco praescriptam. Oenip. 1831. Edit. III. ed. J. V. Hofmann. ib. 1846. * G. Riegler, Biblische Hermeneutik. Augsb. 1835. * Fr. Vogel, d. h. Schrift u. i. Interpr. d. die h. Väter. Augsb. 1836. * Ranolder, hermeneuticae biblicae generalis principia rationalia, christiana et catholica. Quinque-ecclesiis 1838. ed. sec. non var. Bud. 1859. * V. Reichel, Introd. in Hermeneuticam Biblicam Viennae 1839. * J. M. A. Löhnis, Grundzüge der biblischen Hermeneutik und Kritik. Giessen 1839. * J. Zama Mellinii, Institutiones Biblicae. Bonon. 1843. rep. 1855. * A. Schmitter, Grundlinien der biblischen Hermeneutik. Regensb. 1844. * C. G. Wilke, die Hermeneutik des N. T. systematisch dargestellt. I. Thl. die hermeneutische Grundlehre. II. Thl. die herm. Methodenlehre. Leipzig. 1843. 1844. Haec duo volumina scriptor exaravit, ubi adhuc coetui Acatholicorum nomen daret; reversus in sinum s. matris Ecclesiae, idem auctor fuit l. Bibl. Hermeneutik n. kath. Grunds. Würzb. 1853. * F. N. Patritius S. J., de interpretatione Scripturarum Sacrarum 2. v. Romae 1844. tiron. commod. in comp. redact. Ratisb. 1860. * C. Lomb, Biblische Hermeneutik nach den Grundsätzen der katholischen Kirche dargestellt. Fulda 1847. * G. J. Güntner, Herm. Bibl. Gener. iuxta principia catholica. Pragae. 1848. ed. III. 1863. J. Kohlgruber, Hermeneutica biblica generalis. Viennae 1850. * T. J. Lamy, Introd. in S. S. gen. Lov. 1866.

Quod ad Acatholicos spectat, exorta est penes eos nefanda interpretandi S. S. ratio „mythica"; i. e. perditissima de mythis in Divino Codice

obviis sententia. Huius explicandi generis auctores illa S. Literarum loca, in quibus de augustissimis fidei Christianae mysteriis perspicue agitur, tamdiu torquent, donec rationi humanae captui accomodata, nihil μυστηριωδες contineant. Miracula vero ad naturalium eventuum causas revocant, et falsis interpretamentis elevare conantur. Cum saepe et eruditissime quidem a suis repulsi fuerint, eorum disquisitiones obsoletae sunt. Verum enata est alia interpretum acatholicorum familia, quae se ipsam „historico-criticam" adpellat; in cuius scriptis neque ingenium, neque doctrina, neque bonum dicendi genus desideratur. Expositores historico-critici plerique „Classicorum" commentatores secuti, cum de Libris Sacris praesertim V. F. quaeritur, statuunt: Historias Revelationis Divinae ad radices usque — sicuti loquuntur — critice esse examinandas. Accurata S. S. indagine, continuant, omnia e temporum atque populi hebraei natura illustrentur oportet, et quae Deo indigna reperiuntur, eadem dicunt interpretando removenda esse. Quod ubi errore gravissimo delusi faciunt, primas doctrinae supernaturalis veritates negant, atque praestantissima S. Spiritus Eloquia in vanas dissolvere umbras pergunt. Admissa istorum virorum audacissima de V. F. sententia, N. F. quoque historiae corruant, necesse est. Accedit quod praeiudiciis capti primitiva, ut dicunt, a recentioribus secernere volentes; plurimorum S. S. L. L. authentiam, fidei dignitatem et integritatem impugnent. Eiusmodi conatus ad evertendam omnem supernaturalem Religionem tendere planum est; sed penitiorem eorum censuram, ab hoc commentario alienam, aliis relinquimus. Existit denique nostris diebus aliud genus Criticorum, quos „Neo-Tubigensem" scholam passim cognominant: cuius asseclae C. Baurii opinionibus confidenter insistunt. Inimico in „Verbum Dei" animo, S. Literas cumprimis N. T., ipsam quasi arcem Revelationis invadentes, orbem christianum Divini Codicis thesauro orbare student. E praeconcepta perversa crisi: plurima scripta Hagiographorum N. F. ad serius — saltem secundi saeculi exeuntis — aevum trahere volunt. Sacros Scriptores autem ita loqui praecipiunt, tanquam, e media schola recentissima philosophica progressi fuissent. Verum impia ista S. S. explicandi ratio apud omnes Theologos cordatiores proscripta habetur. Attamen singulas has παραδοξολογίας incredulorum, de quibus olim iam Psaltes regius queritur 118, 85., persequi, non est huius bibliographiae; sed plenioris Exegeseos Acatholicorum notitiae, quam aliis scribendam relinquimus.

Confixit istam S. S. pervertendi licentiam — Allocutione die 9. Jun. 1862. — PIUS P. IX.: „Summa praeterea impudentia asserere non dubitant divinam Revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni, ipsamque divinam Revelationem esse imperfectam, et idcirco subiectam continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat. Nec verentur proinde iactare prophetias et miracula in Sacris Literis exposita et narrata, esse poetarum commenta, et sacrosancta divinae fidei nostrae mysteria philosophicarum investigationum summam, ac divinis Utriusque Testamenti Libris mythica contineri inventa, et ipsum Dominum Nostrum Jesum Christum horribile dictu! mythicam esse fictionem."

„Insuper infitiari audent omnem Dei in homines mundumque actionem, ac temere affirmant: humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri ac falsi, boni et mali arbitrum, eandemque humanam rationem sibi ipsi esse legem, ac naturalibus suis viribus ad hominum et populorum bonum curandum sufficere."

Quo acriores et liberiores in expugnandis S. Scripturis cernuntur Veritatis Supernaturalis hostes; eo sagacius et accuratius „Verbi Dei“ propugnatores, in iis defendendis semper strenue pergebant. In ipso coetu Acatholicorum surrexerunt viri et numero bene multi, et exquisita doctrina clari, et auctoritate graves, qui emendata novis subsidiis scientiarum interpretandi arte, S. Librorum vindicias egregie susceperunt. Ceterum cum praesumta opinione de sufficientia rationis in explicando Divino Codice laborent, caute legendi sunt: ne forte in interpretandis S. S. plus aequo ingeniis hominum tribuatur; sicque S. Romanae Ecclesiae „cuius est iudicare de vero Scripturarum sensu“ negligatur magisterium. Qui vero hac aetate Hermeneuticas scripserunt viri acatholici, sunto: G. Seyffarth, ü. Begriff.... d. Hermen. Leipz. 1824. C. G. Wiedenfeld, de homine S. S. interprete. Lips. 1835. Fr. Schleiermacher, Hermeneutik und Kritik. ed. Fr. Lücke. Berl. 1838. H. N. Clausen, Hermeneutik. Leipz. 1841. J. L. Lutz, bibl. Hermeneutik. Pforzh. 1849. Cellérier, manuel d' Herméneutique. Gen. 1852. Quandoquiden in his similibusque Acatholicorum scriptis contrarias legum interpretationis S. S. applicationes catholicae normae, haud raro invenire licet; aequa trutina eorum opiniones ad pondus Sanctuarii examinemus!

§. 107. Notio et divisio sensus.

Omni verbo ubique, unde et in S. Scriptura, respondere debet idea seu notio rei, quem sensum dicimus; quod eius rei, quae voce exprimitur, sensus audiendo verba instauraretur. Est igitur sensus: ea veritas, quam significatam voluit Spiritus Sanctus; et quem verba Sacrae Scripturae mediate vel immediate declarant. Sensus S. Literarum a catholicis interpretibus haud sine gravi fundamento, ratione obiecti, in literalem et spiritualem dividitur. Et quidem sensum ‚literalem‘ vocamus illum, quem Spiritus Sanctus in S. Scripturis directe intendit ac proxime, si verba sint propria; remote autem si sint figurata; idque in quantum sunt figurata. Literalis proxime et immediate igitur resultat vel ex verbis simpliciter[1]; vel translate acceptis, pro rebus aliis, quarum habent similitudinem[2]. Sensum vero ‚spiritualem‘ illum vocamus, quem sub sensu literali delitescentem exprimere quidem Spiritus S. directe intendit, etsi remote. Resultat proinde sensus spiritualis ex rebus ipsis per verba significatis, et rursum aliud significantibus; quem igitur sensum[3] verba

[1]) Coll. Gen. 1, 1. [2]) E. g. Joann. 15, 1. Apoc. 5, 5. [3]) Coll. Exod. 12, 46. et Joann. 19, 36. V. J. M. de Turre, Inst. ad Verb. Dei intell. III, 84. N. le Gros, tract. de S. S. sensu multiplici add. J. Opstraet, diss. de loc. theol. p. 345.

S. Scripturae oblique enuntiant, si conferuntur cum aliis quibusdam S. Scripturae partibus; nec nisi remote illis sc. rebus, quas ipsa significant interpositis.

Definitiones ipsae variorum sensuum satis patefaciunt, unde id habeant S. Scripturae, quod non unicum sed duplicem sensum exhibere queant: ex eo videlicet, quod in iis praeter ea, quae directe enuntiantur et proxime, alia quaedam oblique dicuntur, licet utraque Spiritus Sanctus directe intenderit. Tandem cum ea, quae S. Scriptura habet vel leges sint, vel historiae, vel religiosa dogmata, vel morum praecepta atque instituta vel prophetiae; animadvertere iuvat: Leges et historias directe semper verbis, expressas esse; reliqua modo proxime, modo oblique enunciantur.

§. 108. Quid et quotuplex sit sensus literalis?

E dictis clare constat, quid sit uterque sensus S. S. ‚literalis' et ‚spiritualis'. Nihilominus difficultates circa istas species sensus S. S. obmotae nos cogunt, ut sua pro unoquoque instituatur quaestio, haec quidem pro literali, et sequens pro spirituali. Cum igitur quoties verbis proxime ac directe aliquid significare intenderit Spiritus Sanctus, toties sensus literalis exsurgat: ante omnia cavendum, ne sensum literalem seu κατὰ τὸ ῥητὸν eundem habeamus ac proprium κατὰ λέξιν, quod ipsa sensus definitione refellitur; qua edocti sumus differentiam, quae intercedit sensum inter Sacrarum Scripturarum ac ceterorum librorum. Porro liquet, cur sensus literae adpelletur ille, quem Spiritus S. directe intendit. Mens quippe legentium in illum sensum, recta fertur via. Enimvero contingit, ut cum unum dicimus, ad aliud praeter id indicandum nostra mens modo quodam indirecto tendat; quod tamen ut sensus literalis verborum haberi non potest, quia illud verbis minime exprimimus, solumque audientibus tacita consecutione inferendum permittimus. Addidimus autem insuper ‚proxime' si nimirum proprius est; quin alia, quae Spiritus Sanctus velit edicere, intercedant, ut fit in sensu spirituali. Ubi autem verba figurate dicta sunt, inter eorum sensum literalem intercedit propria eorum significatio,

ideoque literalem sensum indicant remote. Unde voces translatae sensum literalem exhibent, in quantum translata sunt i. e. iuxta tropum, non autem secundum literam. Praeterea sensus Literalis dispesci solet habito respectu rei significatae 1. in historicum; 2. in propheticum; 3. in allegoricum; 4. in anagogicum; et 5. tropologicum[1]. Nimirum quatenus ipsa verba aliquid significant quod ad res gestas[2]; vel ad futuras[3]; vel ad ea pertinet, quae credere[4], aut quae sperare[5], vel denique quae agere debemus[6].

§. 109. Ad sensum spiritualem agnoscendum dantur notae.

‚Literalis' et ‚spiritualis' sensus discrimen admisimus ea lege, ut tamen constituerimus spiritualem sub literali delitescere; quia verba, prouti sonant, cum aliquo sermone coniuncta et contexta, hoc est, in sensum literalem accepta, sensum hunc spiritualem minime praeferre videntur, quamquam ipsis reipsa subsit: ita ut instar partis involventis et involutae, unum aliquod corpus efficiat. Unde sumitur: quod illum Spiritus Sanctus — ultra cuius monitum sapere velle in hoc genere non licet — sensum spiritualem ‚remote' intenderit; ‚proxime' enim intendit illud, quod verba sonant in sensum literalem accepta. Per quae tamen Spiritus Sanctus vult aliud exprimere, quod sensum spiritualem vocamus. Atque hinc dici solet: quod sensus literalis medium quid sit, inter Spiritus Sancti consilium et inter sensum spiritualem[7].

---

[1]) Juxta notos versiculos: „Litera gesta docet; quid credas allegoria. Moralis quid agas; quo tendas anagogia." [2]) Gen. 2, 2. [3]) Isai. 7, 14. [4]) Deut. 6, 4. [5]) Matth. 25, 46. [6]) Marc. 12, 30. [7]) E. g. verba illa Domini Reg. II. 7, 14.: „Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium"; secundum S. Paulum Hebr. 1, 5. sensum habent spiritualem; qui etiam Veteribus νοούμενος et πνευματικὸς audit. Sane Spiritus Sanctus per ea verba a propheta Nathane ad regem Davidem dicta; V. H. R. D. V. T. p. 257. proxime intendebat Salomonem designare, remote vero una aliquid de Christo edicere. Quandoquidem, qui ea legit, non perspicit alium quoque praeter Salomonem notari, nisi prius legerit S. Paulum. In hoc enim differt hic sensus spiritualis a literali, quod non statim per verba intelligi potest, sed mediantibus rebus per voces sensu literali acceptas — quo veluti fundamento superstructus est — significatis, tanquam inclusus eruatur; non tamen hic propterea negligendus est.

Hinc frequenti usu sensus spiritualis etiam mysticus μυστικὸς, cui subest μυστήριον [1], sicut et reconditus vocatur. Utrumque ergo S. Scripturae nobis pandunt. At literis ipsis, sive verbis ac locutionibus solummodo literalis subest sensus, spiritualis vero personis, rebus, eventibus et gestis, quorum in S. Scripturis mentio fit. Adpellatio autem haec, sicuti et ratio distinguendi inter s. literalem et spiritualem sensum S. Pauli auctoritate sancita est; qui de S. Scriptura Veteris Testamenti disputans, non semel urget discrimen inter literam et spiritum [2]. Aliud de spirituali sensu nomen a S. Patribus saepe usitatum est: allegoria ‚ἀλληγορία' seu sensus allegoricus; neque infrequens apud eosdem reperitur ‚ἡ θεωρία' [3].

§. 110. Sensum spiritualem vere existere demonstratur.

E notione sensus spiritualis sua sponte patet illius u. v. ‚quidditas' [4]; nihilominus demonstrare huiusce sensus existentiam oportet propter eos, qui spiritualem sensum negant. Ita sensum S. Scripturarum spiritualem dari, iam olim negavit Theodorus Mopsuestenus, et non pauci aevi nostri interpretes, cumprimis

---

1) D. q. v. l. Suiceri, Thes. II, 381. s. 2) Rom. 2, 29. 7, 6. II. Cor. 3, 6. 8. 3) Mysticum sensum θεωρίαν adpellari liquet, e testimoniis S. Ephraemi, ad Gen. 15, 17. I, 162. e. Zach. 6, 13. II. s. 295. a. Eusebii Caesareensis, in Ps. 117. ed. Montf. I, 716. S. Ambrosii, de viduis III, 18. II, 190. Gregorii Abb. Pal., ap. Asseman. Bibl. Or. I. 173. 7. S. Cyrilli Hier., catech. XIII, 9. p. 187. Andreae Cret., or. in transfig. ap. Gallandium, Bibl. V. P. XIII, 116. Jacobi Edesseni, ap. Asseman. l. c. I, 470. Theodoreti, interpr. in Ezech. 1. op. II, b, 680. S. Isidori Pelus., ep. IV, 117. p. 1191. Sed aliis etiam plurimis nominibus sensus iste iuxta spiritualem intelligentiam vocatur: κατ' ἀναγωγὴν ἰχνοτέραν; τῇ ἀληθείᾳ; κατ' ἀλληγορίαν εἰρημένον, ἀλληγορικῶς. Jam vero per se intelligitur nomen ἀλληγορία, quae sic ab ἄλλο ἀγορεῖται dicitur; S. P. et S. E. non esse tropi continuationem, sed idem ac τὸ μυστικὸν. Utrum et quale discrimen inter expositionem θεωρίας et ἀλληγορίας intercedat, disquisiverunt: Küster, ad Suidae Lexicon s. v. Διόδωρος ex ed. Bernh. I, 1379. J. A. Ernesti, narr. crit. de interpr. Prophet. Messian. in Ecclesia Chr., opusc. theol. Lips. 1773. p. 498. s. Münter, comm. de schol. Antioch. Havn. 1811. Augusti, Eusebii Emiseni quae supers. opusc. Elberf. 1829. p. 106. s. H. E. F. Guerike, de scholae Alexandrinae catech. Theol. Hal. 1825. p. 58. s. C. R. Hagenbach, obs. hist. herm. circa Origenis Ad. method. Basil. 1823. p. 21. s. C. a Lengerke, de Ephraemi Syri arte hermen. Regiom. 1831. p. 145. H. Kihn, die Bedeutung der antioch. Schule auf d. exeget. Gebiete. Weissenb. 1866. p. 111. 4) Ut loquuntur Theologi Scholastici.

acatholici, eum reiiciunt exploduntque, nullum alium praeter literalem sensum agnoscentes. Quidditas sensus spiritualis interim certissime tuta habetur Sacro Eloquio. S. Paulus[1] pronunciat: Lex spiritualis est, i. e. ut d. Hieronymus interpretatur, habet ‚intelligentiam spiritualem‘[2]. Idem Apostolus[3] de historiis Isaaci et Ismaëlis scripsit: ‚quae sunt per allegoriam dicta‘; ubi nomen allegoriae, ut annotat S. Chrysostomus, d. Paulus — ut dicere solemus — καταχρηστικῶς[4] usurpavit. Enimvero intelligitur laudatam historiam Isaaci et Ismaëlis, nequaquam rhetoricam allegoriam esse[5]. Quicumque porro dicta et facta N. T. propius inspicit, ille observabit: quod Christus et Apostoli plures V. T. locos, tanquam N. T. figuras adduxerint[6]; quibus auditores suos quasi manu duxerunt, ut in illis altius quid et spirituale latere intelligerent. Impium autem esset dicere; Christum aut Apostolos male intellexisse Sacram Scripturam V. T. Idque eo magis admittendum erit: quod allatis e V. F. sententiis non raro addant: ut impleretur; tunc impletum est; ut dictum fuerat a Prophetis. Si igitur in alio id impletum fuit, quod scriptum aut dictum de secundo erat; quis dubitet, an dictum quoque fuerit aut scriptum etiam de illo alio. Verumtamen non iuxta sensum literalem dicitur; ergo secundum spiritualem[7]. Debere statui sensum S. S. spiritualem, ostenditur tandem: auctoritate Ecclesiae. Quaenam de hac re Ecclesiae Universae sententia fuerit, novimus ex plenissimo S. Patrum et Scriptorum consensu, qui omnes hoc ipsum docent, tanquam verissimum axioma[8].

---

1) Rom. 7, 14. 2) In epist. ad Gal. 4, 24. VII, 471. 3) Galat. 4, 24. 4) Per duritiem u. d. 5) „Praeter usum, inquit s. Joannes Chrysostomus, in h. l. comm. X, 710., figuram dixit allegoriam. Hoc autem vult significare. Haec Historia non hoc solum declarat, quod praedicat, verum et alia quaedam.“ 6) E. c. Matth. 10, 15. Joann. 18, 36. Rom. 10, 8. et saepe alibi. 7) Cf. Luc. 24, 44. Joann. 3, 14. 19, 36. Hebr. 7, 21. 8) Unde nec adversariorum recentiorum, qui eliminato sensu spirituali, solum literalem sumunt, quis dubii aliquid hac de re habet. Imo notum cuique est, id verti vitio S. Patribus et Scriptoribus E., quod sensum mysticum in S. Scriptura anxie quaesiverint. Superfluum foret ex plurimis illorum testimoniis aliqua laudare, cum vel ea ratio, quam secuti sunt in interpretandis S. S., hoc ipsum abunde confirmet. Sanctos Patres et Scriptores E. in sumendo sensu spirituali S. S., secuti sunt universi omnis aetatis orthodoxi Ecclesiae Catholicae interpretes. Haec sufficiant, plura aventi dabunt: S. Thomas, Prim. p. q. 1, art. 10. I, 36. s. Salmeron, Proleg. VII. p. 68. s. N. Serarius,

§. 111. Quomodo sensus literalis S. S. eruatur.

Ad sensum literalem alicuius loci eruendum requiritur ante omnia: intentio cognoscendi rem et sensum naturalem, verum, et simplicem. Naturae ordo hic est: ut res dicatur ea, quae est; ne contra essentiam rei aliquid statuatur. Veritatis ordo hic est, ut quod Dominus in S. Scriptura iubet, nobis maneat verum. Qui vult hac regula uti, genus, numerum et personam, quam S. S. proponit, retineat; nec mutet, nec remittat propositum dicentis, sed et intentionem iubentis non negligat. Simplicitatis ordo hic est: ut interpres sumat semper vocem in primaria significatione tamdiu, usque cum veritas aliud iubeat. Qui autem velit resolvere S. S. Textum: sumat voces, prouti stant, et stantibus istis adhibeat rationem naturae et veritatis. Jam vero interpretatio cuius sit ea, quam laudavimus ‚naturae, veritatis et simplicitatis' dos, a grammaticorum cumprimis legibus dependet, aut linguae universae, vel cuiusque certae aetatis. Unde prae omnibus interpretis arte efficiendum est: ut a. accurate explicet originem, significationem, vim verborum cum singulorum tum iunctorum, habita structurae ratione et orationis forma. Omnia, quae ad aliquem locum S. S. intelligendum pertinent, oculis, ut ita loquamur, subiiciantur. Ita lector ipse veluti S. Scriptoris vices sustinebit, venietque in quandam communionem sententiarum, affectionum totiusque conditionis scribentis. b. Eliciat interpres ipso ordine et modo eorum, quae dicuntur, si quis vel natura insit, vel praeceptis conformatus sensus venustatis; quod quidem genus aestheticum sensum nostri adpellant. Primum est eius interpretationis genus, quae grammatico-historica dici potest; alterum eius est, quae grammaticis et historicis observationibus adiungit explicationem ornamentorum dictionis, praeparatque lectores ad subtilius et exquisitius iudicium ferendum de venustate dictorum. Quam quidem interpretandi rationem ad troporum et figurarum usum spectare, nemo non videt. Itaque interpres non modo, quid universe in eam rem valeat; sed etiam, quae in singulorum Librorum S. S. imaginibus explicandis ei facienda sint, diligenter considerabit.

Prolegom. Bibl. c. 21. q. 6. p. 142. s. Bonfrerius, Praeloq. c. 20. s. 1. p. 51. s. J. Acosta, de vera Scripturas interpretandi ratione III, 5. p. 108. s. J. M. de Turre, l. c. p. 76. s. N. Nonnen, de rebus Tabernaculi typis coelestium. Brem. 1750. p. 23. s. Lampe, comm. Ev. s. Joannem. I, 272. s. Czerny, Inst. Herm. I, 130. v. Alber, Inst. Herm. S. S. I, 68. s. Patritius, de interpr. S. S. I, 219. s. C. B. Moll, Christolog. in ep. ad Hebr. I, 24. s.

§. 112. Criteria exponuntur, queis sensus spiritualis S. Scripturae cognoscitur.

Sensum spiritualem S. S. non esse inventum interpretum catholicorum; sed verum et nativum Codicis Divini vidimus [1]. Quamvis autem certum sit: subesse S. Scripturae sensum spiritualem, si de Scripturis S. in genere fit sermo; non tamen de singulis locis S. Scripturarum id certo affirmari potest. Illud vero cumprimis in spirituali interpretatione attendendum est, ut nihil sanctius habeamus; quam ne veluti Spiritus Sancti effata proferamus, quae talia fortasse nequaquam sunt, memores sententiae S. Augustini [2]: ‚Inutiliter signa interpretari, male vagantis erroris est.' Qui enim in alterum extremum procurrunt, atque ubi spirituali sensu colligendo adlaborant, literalem negligunt, atque sensum spiritualem etiam ibi quaerunt et statuunt, ubi nulla eius indicia reperiuntur; isti sane quam maxime praepostere agunt [3]. Itaque certa ac indubia sensus spiritualis argumenta non aliunde petere est, quam ex iis auctoritatibus, quibus refragari vetitum viris catholicis est; ex testimonio inquam S. Scriptorum, ex Ecclesiae iudicio atque ex communi S. Patrum sententia. Sicuti autem sine ullo dubio constat, minime vanam esse illorum operam, qui sensum spiritualem multarum partium S. S. indagant; ita nihil magis cavendum erit interpreti, quam ne quid temere, et quod non secundum

---

¹) Unanimis fere interpretum huius aevi acatholicorum vox est: nullum dari verum S. S. sensum nisi grammatico-historicum; eosque, qui aliter interpretantur, non Codicis Sacri sed suum vel a Divinis Literis alienum sensum exponere. Nos quidem quamvis de interpretationis grammatico-historicae necessitate intime persuasi simus, semper tamen iudicavimus eam, haud unicam et sufficientem esse; a multis Acatholicorum perperam adhiberi; et rei Christianae eo maximum detrimentum accidisse, quod ultra limites suos extenderetur, atque sine principiis ac consecutione usurparetur. Igitur ad interpretationem Librorum Sacrorum grammatico-historicam accedat necesse est typica, in iis locis, quae habent sensum spiritualem. ²) Lib. III. de doctr. chr. c. 9. p. 86. ³) Facile quidem largimur S. P. et S. E. docuisse: sensum spiritualem praestantiorem et sublimiorem esse literali, in quo latet: cum nunquam res ipsa effigiem suam non antecellat. Plane vero absonum foret, sumere solum spiritualem sensum semper propter S. S. foecunditatem requirendum. Quin imo pro comperto habemus, quod sensus hic ab hominibus S. Literarum disciplinis non rite informatis tractatus, saepe reverentiae S. Scripturae debitae adversetur. Quae cum ita sint, omnis abusus interpretationis, quam vocant, typicae fugiendus erit, et tenenda in his media via: ut nec prorsus inertes et torpidi maneamus, nec rursus curiosiores simus, quam par sit, atque ita a proposito excidamus.

leges iustae S. Bibliorum explicationis examinatum sit in medium veluti sensum spiritualem proferat. Duplex enimvero distingui potest eiusmodi sensus α. alter mere adscitus, ingenioque et arte quaesitus; quin ullum in re ipsa S. S. fundamentum subsit. Alter β. non arte solum quaesitus, sed in re ipsa fundamentum habens, qui proinde et summo studio investigandus erit. Certe s. Patres, qui Apostolorum vestigiis insistebant, contra excessum allegoricae interpretationis insurrexerunt [1]; quod sic veritas S. Scripturae contemtui exponatur. Ac imprimis I. quidem id pro indubitato censeri debet, sensum mysticum proprium esse Veteris Testamenti; illud enim figuris, allegoriis, symbolis res N. T. repraesentabat. Et re quidem vera: si finis Legis Christus est; quod Testamentum aliud exspectemus, cuius veluti in N. T. imago habeatur [2]. Quam maxime autem hallucinantur, qui totam S. S. in allegorias convertunt [3]: cum nulla sit auctoritas, quae id credere cogat; et ita hostibus Revelationis supernaturalis ansa detur, ex huiusmodi interpretatione Divinos Libros aspernari et irridere. In hunc S. S. sensum venando Judaei praesertim desudarunt Kabalae, sive arcanae S. Scripturae explicationi, addicti. II. Caveamus, ne in sensum spiritualem usurpari putemus ab aliquo Hagiographo verba aut sententias alterius; cum has quidem aliis rebus accomodat secundum aliquam similitudinem, quae intercedit voces ipsas inter et rem verbis illisque sententiis designatam.

§. 113. Utrum σύμβολον et τύπος differant?

Respondemus affirmative dicimusque ‚Typos' a meris ‚Symbolis' secernendos esse; neque pro typis habere licet res, e quibus tantum similitudines ducuntur. Nimirum attendere oportet ‚typum' inter et ‚symbolum' grande discrimen intercedere; quod ex ipsa definitione utriusque sponte sua sequitur. Symbolum, τὸ σύμβολον, est signum pro repraesentatione veritatis cuiusdam supersensualis et invisibilis, quae ad relationes Deum inter et homines spectat [4]. Typus, ὁ τύπος, est res quae ex intentione Divina facta est, ad rem aliam futuram

---

1) E. g. S. Epiphanius, ep. ad Joann. ep. Hier. II, 315. s. S. Augustinus, contra Faustum 12, 7. s. VIII, 230. s. S. Hieronymus, in Dan. 10, 4. „conticescant, qui imagines et umbras in veritate quaerentes, ipsam conantur evertere veritatem." 2) Coll. Hebr. 9, 16. 17. Gal. 3, 15. 3) Cf. A. J. Onymi, de usu interpretationis allegoricae in N. F. tabulis. Bamberg. 1803. p. 19. s. 4) V. H. R. D. V. T. p. 139. s.

indicandam, quae nondum existit, sed certe aliquando eveniet. Cum ergo in typo semper significetur futurum, non male etiam symbolum propheticum, imo et Prophetia vocatur; atque sensus typicus idem cum prophetico esse censetur. Deus qui per omniscientiam omnia futura cognoscit, res quasdam in V. F. ita conformavit, ut sint imagines futurarum. Sic igitur interpreti A. T. omnino post inventum sensum literalem dispiciendum erit, utrum sit symbolum vel typus? Semper autem sensus symbolicus et typicus nascatur, supposito literali ex ipsamet sententia; non violenter nec contorte. Quod quidem ut melius intelligatur, aliquas cautelas in explicando sensu typico observandas addere iuvat, a. Non omne quod in A. F. respectum habet N. F. typus est [1]. b. In re, quam constat typicam esse, non omnes partes idcirco typicae sunt. c. Quae in una eademque re nonnunquam exprimi haud potuerunt, subinde a Deo inter plures divisae fuerunt [2]. d. Omnis typus imbecillior esse debuit antitypo [3].

§. 114. Referuntur et expenduntur typi V. F.

Typi V. F. igitur sunt vaticinia realia, exhibita per certas res gestas; quae et quatenus a Spiritu S. ad praenotanda futura ordinatae et comparatae fuerunt. Typos sive vaticinia realia vere in S. S. V. F. reperiri constat: e generalibus dictis Divinarum Literarum N. F. a. Docente divo Paulo [4] plures personae et res, nec non eventus Historiarum Veteris Foederis peculiari quodam consilio atque instituto ad id conformabantur: ut futura quaedam praesertim ad Christum et eius Ecclesiam pertinentia, rudioribus veluti lineamentis praesignificarent. Uti erant: Adamus [5], Melchisedecus [6], Isaac

[1]) Hanc legem observare neglexit Ph. Krementz, in libellis d. A. T. als Vorbild d. N. Cobl. 1866. et d. Evangel. im B. Genesis. ib. 1867. [2]) Notandum tamen in Prophetis et Psalmis huic regulae aliquando locum non esse, quia subinde ab una re ad aliam Vates avolant: a figura ad rem figuratam, ut, cum de diversis rebus videatur esse sermo, deprehenditur tamen totus contextus de eadem re esse, maxime ubi eodem nomine et res et figura afficitur. Cf. Bas. Poncii Legion. Augustin., quaest. expos. 1, 1. in Menochio suppl. p. 123. s. H. R. D. V. T. p. 281. s. [3]) Enimvero qualiscumque demum imago apte facta aliquam rei etiam nondum visae notionem intuenti exhibet; sed accurate ab eo demum intelligitur, qui ἀρχέτυπον ipsum oculis usurpavit. [4]) Rom. 5, 14. I. Cor. 10, 6. 11. Coloss. 2, 17. [5]) Rom. 5, 14. „Adae, qui est forma futuri." [6]) Hebr. 7, 1.

et Ismael, Sara et Hagar[1], arca Noae[2], scala Jacobaea[3], Moyses[4], victimae et caerimoniae[5], Lex[6], nubes, quae Israelitas ducebat[7], manna et petra, e qua potum hauserunt[8], serpens aeneus aliaque id genus facta[9]. Sunt vero facta haec typi non solum κατ' ἔμφασιν u. d., seu ob similitudinem quandam, quam habent cum iis rebus, quarum typi esse dicuntur: sed ideo quod illa Deus ita direxerit et conformaverit, ut futura praesignificarent. Sed nec Antiqui Foederis hanc in rem testimonia deesse, colligitur b. inde: quod Psaltes canere aggrediens, quae Israelitis contigerant mirabilia in deserto, ea[10] vocat ‚parabolam‘[11] et ‚aenigmata‘[12]. Quibus nominibus naturam Historiarum V. F. typicam manifeste indicavit. Enimvero parabolam et aenigmata illas res non alia profecto de causa dixit, nisi quia aliud quid, praeter id, quod erant, significabant; prorsus sicuti parabolae aliud significant praeter id, quod sonant. Cognoscuntur Typi c. explicatis exemplis. Videlicet sunt haec illa signa, quorum complementum[13], Apostoli et Evangelistae his dicendi formulis: tunc adimpletum est; et impleta est Scriptura; ut adimpleretur; aliisque similibus scribendi formis constituunt[14]. d. Sanctorum Patrum et Scriptorum E. eandem fuisse sententiam, neminem latet, qui aliquot paginas perlegerit e commentariis venerandis, quae gratae posteritati reliquerunt perpetua monimenta[15]. Neque parvi faciendum est e. testimonium Ecclesiae

---

1) Gal. 4, 22. s. „Quae sunt per allegoriam dicta.“ 2) I. Petri 3, 20. 3) Joann. 1, 51. 4) I. Cor. 10, 2. „Et omnes in Mose baptizati sunt in nube et mari.“ 5) Hebr. 8, 5. 9, 9. 6) „Umbram habens Lex futurorum bonorum.“ Hebr. 10, 1. 7) I. Cor. 10, 1. 8) I. Cor. 10, 4. 9) Joann. 3, 14. 15. 10) Ps. 78, 2. t. o. 11) מָשָׁל. 12) חִידוֹת. 13) Πλήρωμα. 14) Matth. 2, 15. 13, 35. Joann. 13, 18. 15, 25. 19, 36. Act. 1, 16. In his locutionibus verba πληρόω impleo; τελέω, perficio, idem omnino valent: ac facere ut eveniant ea ipsa, ad quae Oraculum V. F. allegatum pertinet. Et ideo non autem alia his similia vel analoga adferuntur; de quibus tamen vaticinium minime fuerit prolatum. Sane energiam quandam locutiones illae praeseferunt, qua compellimur in aliam prorsus significationem eas accipere, quam ut simplex: quemadmodum volunt etiam nunc quidam e nostris interpretibus, comparationis forma sint, simplicemque annuntient rerum similitudinem. Cf. E. W. Dresde, de sensu v. πληροῦν in N. T. Witt. 1786. 7. 15) Videantur S. Clementis Rom., ad Cor. I, 12. p. 69. S. Justini Martyris dial. cum Tryphone §. 42. p. 137. 68. p. 235. 86. p. 209. 114. p. 383. S. Irenaei, adv. haer. IV, 25. 26. p. 641. s. S. Cypriani, de bono patientiae n. 10. p. 246.

Romanae, quod vetera monimenta artis nobis servarunt. In his depicta vel sculpta conspicimus ea Veteris Foederis instituta, quae in Novo Foedere veluti adimpleta describuntur. Repraesentantur homines E. g. Noe, Abraham, Melchisedec, Isaac, Jacobus, Josephus, Moyses, Aaron, David, Salomon, Jonas aliique V. F. viri, qui personam typicam sustinebant, tenuemque imaginem antitypi exhibuerunt. Hoc autem non ad ornatum, decoremque modo Sacrorum Locorum pertinuisse; sed ad morem, qui penes priscos Christianos erat, mysteria religionis Christi hisce typis delineandi, docuerunt viri horum monimentorum scientissimi.

V. o. P. Aringhi, Roma subterranea. Roma 1651. C. Bottari, Sculture e pitture sagre, estratte dei cimiteri di Roma. Romae 1737—46. Boldetti, Osservazioni sopra i Cimiteri de santi Martiri ed antichi Christiani di Roma. Romae 1720. Ciampini, vetera monumenta Romana. III. v. Rom. 1747. Fr. Münter, Symbola Veteris Ecclesiae artis operibus expressa. Hafn. 1819. Ei. Sinnbilder und Kunstvorstellungen der alten Christen. Altona 1825. Chr. Fr. Bellermann, üb. d. ältest. chr. Begräbnissstätten. Hamb. 1839. Marchi S. J., I Monumenti delle antiche arti christiane, nella Metropoli del Christianismo. Torin. 1841. Gaume, Geschichte der Catacomben in Rom. Reg. 1849. J. L'Heureux, Hagioglypta sive picturae et scripturae s. antiq. ed. R. Garucci S. J. Lut. Par. 1856. C. J. Pitra, Spicilegium Solesmense. Par. 1855. III, 499. J. B. eq. de Rossi, diss. ib. p. 545. s. Ei. Roma sotteranea. Rom. 1864. 1. L. Perret, Catacombes de Rome. Par. 1857. Testimonia Synagogae nobis hac in re patrocinari, docent loci huc spectantes, quos collegit Raymundus Martini, in pugione fidei ed. B. Carpzovi. Lips. 1687. p. 837. s. Frischmuth, diss. de agno Dei in Thes. II, 366. s. Cf. C. A. Crusii, Hypomn. ad Theol. proph. Lips. 1764. I, 43. s. J. Fr. Kleuker, de nexu q. c. i. utr. Div. const. Foedus prophetico. Helmst. 1791. p. 72. s. Fr. Freindaller, Quartalschrift I. 2. 266. s. Olshausen, ein Wort über tieferen Schriftsinn. Königsb. 1824. cum additamento. Hamb. 1825. Tholuck, einige apolog. Winke f. d. Studium des A. T. Berlin. 1821. C. H. Sack, üb. d. Geschichtl. im A. T. Bonn. 1841. F. X. Patritii S. J., de interpretatione Scripturarum. I, 170. s. Bade, Christologie. IV, 294. s. Laib et Schwarz, Biblia Pauperum. Zür. 1867. p. 14. s.

Tertulliani, adv. Marc. III, 7. p. 117, 16. p. 130. IV, 35. p. 233. s. adv. Praxeam 16. p. 268. s. Clementis Alexand., Strom. V, 8. p. 671. s. S. Augustini, de cons. evang. I, 11. §. 17. p. 671. S. Hieronymi, ep. 53. ad Paulinum p. 271. Missum facimus Origenem, qui, quod in Divinis Voluminibus edisserendis, pessumdato nonnunquam vel neglecto historiarum sensu, allegoricis expositionibus rei veritatem nimis oblimasset; multorum insimulationes vivus vidensque saepe expertus est. Addimus pulcherrima S. Paulini Nol. ep. XXXII, 5. p. 333. ad Sever. verba: „Aula duplex tectis ut Ecclesia Testamentis; Una sed ambobus gratia fontis adest. Lex Antiqua Novam firmat, Veterem Nova complet; In Veteri spes est, in Novitate fides. Sed Vetus atque Novum coniungit gratia Christi.“

Ut illa, quae de typis S. S. V. F. monuimus, rite intelligantur; typum Agni Paschalis explicare visum est. Agnum paschalem — Exod. c. c. 12. et 13. coll. H. V. T. p. 105. 145. — Christi Domini typum fuisse, in aprico ponit S. Joannes Ev. 19, 36., qui Jesum in Apocalypsi agnum vocare in deliciis habet. Cf. 5, 7. 8. 12. 6, 1. 7, 9. 10. 14. 17. 12, 11. 13, 8. 14, 1. 4. 10. 15, 3. 17, 14. 19, 7. 9. 21, 9. 14. 22. 23. 27. 22, 1. 3. 14. S. Paulus vero I. Cor. 5, 7. Christum „Pascha nostrum" esse affirmat. S. Joannes quoque Baptista ad agnum in V. F. mactari solitum, et cumprimis paschalem respexit; cum ideo Joann. 1, 29. Christum peccata mundi ferre asseruit; hunc ipsum agnum aspicere iubet Praecursor Domini atque praestantiam eius considerare, ubi voce „ecce agnus Dei!" unumquemque nostrum veluti ad rem magni momenti attendendam excitat. Sane ratio primaria et respectus potissimus, cur Messias cum agno comparetur Isai. 53, 7., e verbis Baptistae luce clarius patet. Princeps quoque Apostolorum nomine „ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου" Christum vocare cepit. I. 1, 19. Victima ergo paschalis, quam peculiari et operosiori ritu, maiori item caerimoniarum apparatu, quam ulla alia sacrificia parare oportuit Judaeos, sua e qua parte erat victima Dominici sacrificii tam cruenti quam incruenti, figura fuit. Sed et ratione illa, qua sacramentum sacer cibus fuit, Eucharistiae typum gessit. Cum fere omnes circumstantiae in tanto mysterio considerationem mereantur et aliquid significent, analogia inter rem significantem et significatam penitius consideranda venit. Oportuit edere agnum, qui esset perfectus, inter duas vesperas; non frangebantur eius crura et sanguine ipsius respersi fuerant portarum postes, ut Angelus percussor Hebraeos transiret. Assatus denique edebatur totus, sine fermento, cum herbis amaris. Haec omnia ἀλληγορούμενα, ut loquuntur S. P. et S. E., i. e. typica fuisse, facile constituitur. Nam Jesus Christus, Filius hominis, absque peccato Hebr. 7, 26. 9, 14.; agno labis et maculae experto, patientia et mansuetudine fuit simillimus. Coll. Jerem. 11, 19. Act. 8, 32. s. Revera τὰ παθήματα Christi II. Cor. 1, 5. Hebr. 2, 10. insigni amaritudine acerba fuere. Sic itaque Dominus Noster cruciandus igne passionum; consumendus et occidendus erat in consummatione V. F. Heb. 9, 26. Et tamen semper ille idem mansit, cuius nec ossa frangi, neque corpus in sepulchro putrescere potuit. Eodem sane tempore, quo fusus est agni paschalis sanguis in templo — ut figura veritati praeiret. — effusus est etiam sanguis Christi. Enimvero cum alio die Christus, alio die Judaeorum primores pascha celebraverint; non sine Deo factum est, ut inciderit veri agni Christi mors, in eum ipsum diem et tempus diei, quo agni paschalis sacrificium fiebat. Cuius Agni N. F. sanguis ut prosit applicandus est homini per baptismum, qui est Ecclesiae ianua; Ephes. 1, 7. Col. 1, 13. 14. aliaque sacramenta, de quibus disputare non est huius commentarii. Sed etiam iugis atque incruenti Sacrificii N. F. mysterium typus agni paschalis adumbravit V. F. Suam carnem edere nos iubet Divinissimus Salvator. Joann. 6, 54. s. Ad sacrum epulum corporis Christi accedere debemus iuxta Apostoli I. Cor. 5, 8. praeceptum: non in fermento veteri, neque in fermento malitiae; sed in azymis sinceritatis et veritatis. Utique agno paschali: sacrificium, quod Christus obtulit, et Ecclesia offert, prophetice indicatum, liquet inde: quod Apostoli ante Christi passionem manducaverint carnem Christi in novissima coena, et proinde verum illum agnum paschalem; ad cuius epulas nos hortatur, ut vidimus, iam s. Paulus I. Cor. 5, 7. Adiunxit

autem Christus Dominus manducationi agni paschalis continuo celebrationem Eucharistiae, ut aperte ostenderet, se hac typum implevisse. Si porro consideramus circumstantias utriusque rei, manifeste sibi invicem respondent. Cf. H. V. T. p. 105. 145. H. N. T. p. 96. s. 234. s. Enimvero agnus paschalis die 15. primi mensis immolari debuit; hoc ipso autem tempore Christus instituit S. Eucharistiam. Victimam Paschalem mactari oportuit in memoriam transitus Domini et liberationis populi de Aegypto; Eucharistiae sacrificium sub speciebus panis et vini quotidie immolandum, renovat memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem; item nostrae liberationis de potestate diaboli, quae per Christum facta est. Agni sanguinem Jerosolymis effundere iussi sunt sacerdotes; Solymis effusus est sanguis Christi, sicut ipse praedixerat. Luc. 13, 32. Lege cautum erat, ne fermentato Hebraei uterentur pane tempore Paschae; Jesus, ut canit Ecclesia duce s. Paulo I. Cor. 5, 7. s. „observata lege plene cibis in legalibus“ veluti azyma instituit Eucharistiam. Unde optime perorat S. Joannes Chrysostomus, hom. de proditore Judae I. 2, 453.: „Adest Christus, et nunc is, qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat, non enim homo est, qui facit: ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est.“ „In ipsa mensa, concludit idem s. Pater, utrumque Pascha et typi et veritatis celebratum est.“ Hoc ipsum habet communis sensus S. S. Patrum et Scriptorum. Cf. Tertullianus, adv. Marc. IV, 40. 247. s. S. Cyprianus, de unit. eccl. II, 122. S. Ambrosius, de Abraham I, 40. I, 297. in Ps. XLIII. ennar. n. 35. p. 902. S. Hieronymus, in Matth. 26, 26. VII, 216. S. Augustinus, quaest. in Hept. II, 42. p. 608. S. Leo M., serm. VII. de Pass. Dom. ed. Malou in Bibl. asc. Lovanii 1850. XIX, 42. S. Gregorius M., l. II. hom. XXII. in Evangel. I, 1534. S. Cyrillus Alex., in Joann. 4, 437. 438. Quare merito praefatione paschali Ecclesia canit: „Te in hac potissimum die gloriosius praedicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus: ipse enim vere est agnus, qui abstulit peccata mundi.“ Egressum ex Aegypto, typum etiam alterius Redemtionis esse, concedunt etiam Judaei; dummodo non praeiudicio occupati terrenam aliquam et in S. S. haud promissam liberationem inferre satagerent: quae postquam Hostia illa Divina se stitit i. e. Messias, vana prorsus et insipida est. Christus, cuius apparitione quantopere laetati fuerint veri Judaei ex eo liquet; quod non aliter ac si magni pretii thesauro invento laetabundus exclamet Philippus: Joann. 1, 41. „Invenimus Messiam Christum.“ Jesus Christus passus crucifixus et mortuus pro nobis lytrum solvit, et sanguine suo nos vere aspersit. Unde et virtute illius redemti, novum illud canticum, quo Judaei tum demum Deum se veneraturos spondent, cum in integrum restituta fuerit Theocratia, iam inchoandi causam habemus laetissimam.

Consulendi sunt de hoc typo: C. R. Bellarminus, contr. de sacrif. Miss. I, 7. p. 1332. J. Th. Freigins, Mosaicus. Bas. 1592. p. 207. A. Varenius, de agno pasch. Hebr. Rostoch. 1652. G. Moebius, de agno pasch. Lips. 1655. S. Bochartus, Hierozoic. II, 50. I, 551. s. J. Frischmuth, de agno Dei, in thes. th. ph. II, 365. s. Ei. de iud. agno paschali Jen. 1660. Z. Frosterus, de agno paschali Aboae. 1698. D. Lundius, de agno paschali. Ups. 1705. A. Natalis, H. E. V. T. Diss. XVI, 7. I, 285. s. A. Calmet, Dictionar. Bibl.

II, 204. s. H. Scharrau, de pl. pasch. ei. myst., in Obs. s. Lubec. 1733. II, 317. s. W. Smits, L. Exodi elucid. Antv. 1757. I, 238. s. J. Fr. Frisch, bibl. Abh. v. Osterlamme. Leipz. 1758. B. Ugolinus, in Thes. Antiq. S. XVII, 1178. s. C. C. W. F. Bähr, Symbolik des Mos. Cult. Heid. 1839. II, 627. J. H. Kalthoff, Handb. d. hebr. Alterth. Münst. 1840. p. 209. s. S. J. Ch. R. Hoffmann, Weiss. u. Erfüll. Nördl. 1841. I, 123. s. Ei. Schriftbeweis. ib. 1853. II. 1, 268. s. Krüger, das Osterlamm in der Tüb. Quartalschr. 1854. p. 200. s. 263. s. Bade, Christ. III, 316. Fr. Hülskamp, Rohrbachers Universalgesch. d. k. Kirche. Münster. 1860. I, 378. s. C. Fr. Keil, bibl. Comm. ü. d. Bücher Moses. Leipz. 1861. I, 384. s.

§. 115. E sensu spirituali sumitur efficax argumentum ad probandas res fidei.

Ex iis, quae hactenus exposita sunt, sequitur: sensum spiritualem perinde ad probanda fidei atque morum dogmata valere; atque ex eo aeque firmum argumentum duci, sicut ex sensu literali. Enimvero α. cum hic sensus non minus a Spiritu S. intentus sit, quam literalis; si talem habet auctorem, nequit non esse certissimus: si vero certissimus est, ineptus esse non poterit, ex quo argumenta ducantur. Sed et β. hoc ipso argumentorum genere usi sunt ipsi Scriptores Sacrorum Bibliorum. E. g. Matth. 2, 15. Rom. 9, 7. I. Cor. 9, 9. Hebr. 4, 3. Unde argumenta ex sensu spirituali non modo concionatorum discursibus inserviunt, sed ea iam per se illud argumentorum genus suppeditant, quod a vaticiniis sive a rerum futurarum praedictionibus duci solet. Sic verba Exodi 12, 46. „Os non frangetis"; de agno paschali scripta, teste divo Joanne Ev. 19, 36. spiritualiter significabant: Christi crura non frangenda esse; et plane id efficiunt praedictum olim a Moyse fuisse, quod factum narrat S. Joannes. V. p. 268. 270. Illud ad extremum annotandum est: cum S. Literarum dignitas et auctoritas a Spiritu S. tanquam auctore primario Sacrae Scripturae procedat; ultro colligitur, omnium minime necesse esse, ut sensus spiritualis distincte secundario auctori, sive Hagiographo, fuerit cognitus. Satis est ad rationem Hagiographi, instrumenti licet animati Spiritus S., ut sit in iis, quae scribit intelligens et liber; hoc autem est: si verba ut sonant, prae se habuit, retento etiam et non communicato sibi intellectu sensus spiritualis. Interim multa cogimur in talibus rebus, quae ad internam conditionem Hagiographorum attinent, ignorare; et sane malumus modum inspirationis humiliter nescire, quam citra Divinae Revelationis axiopistiam, quidquam amplius, definire.

§. 116. An et qui praeter literalem et spiritualem in Divinis Literis reperiantur sensus?

Praeter genus interpretandi S. Scripturam literale et mysticum, a quibusdam distinguitur: consequens et accommodatum. In qua distinctione illud facile concedimus, fieri non sine magna utilitate: ut ex iis quoque, quae in Sacri Codicis lectione media ratiocinatione colliguntur, ad mentem doctrinarum

veritate imbuendam, vel ad mores honestate informandos, ut legentes et alii pie erudiantur. Secundum S. Pauli verba: Rom. 15, 4. „Quaecunque scripta sunt: ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus." Et ad Cor. I. 10, 4. „Haec autem scripta sunt ad correptionem nostram." Denique iuxta monitum: Tim. II. 3, 15. 16. 17. „Sacras Literas nosti ab infantia, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.": illud inter alia spectabat Spiritus S. in Scripturis, ut ex illis discamus, quid nobis agendum, quid cavendum sit. Atque hanc quidem utilitatem S. Scripturae Apostolus repetit ex eo, quod Scriptura Divinitus inspirata sit. Quod ipsum consequentem sensum adpellare aliquibus Theologis placuit. Sed non satis accurate, non enim agitur hic de sensu S. Scripturae obvio, sed de nostra eiusdem cognitione et applicatione. Cognitionem hanc quid plane aliud esse, et a sensu differre, ultro sequitur. Posset forte sensus impropria quadam ratione haberi, in quantum Spiritus S. Scriptori Bibliorum suggerens sententias, id providit, ut ex earum lectione veri quid eruamus, quod moribus rite fingendis, alendaeve in Deum pietati conducat. Huius rei meminit d. Augustinus, de Civ. Dei. XII, 19. I, 455. et de Doctrina Chr. III, 27. p. 99. s. Attamen si quid hoc modo e Divino Codice colligit pius S. S. lector, cavere debet; ne quid a veritate absonum, aut ab ipsa verborum significatione alienum inde depromat. Eiusmodi enim rem Spiritus Sanctus, Divini Codicis U. T. Auctor, profecto non intendebat. Sensus accommodatus, quem rectius transsumtivum alii dicunt, voces atque enunciationes S. Scripturae aptat alicui alteri rei exprimendae, ac ea sit, quam auctor expressit. — Exempla huius sensus bene multa congessit J. Acosta S. J., de vera Scripturas interpretandi ratione III, 6. ed. c. p. 109. s. — In hoc autem genere tractandi S. Literas per accommodationem, nullum certe in se vitium est. Licet ad finem mutuae aedificationis voces atque enunciationes S. Scripturarum, quandoque etiam nonnihil inflectendo, aliis rebus exprimendis aptare; quam iis, quas verbis illis secundum literam auctores ipsi expresserunt. Quod inde facile patet, quia Sacrosancta Ecclesia in suis divinis Officiis, hoc genus interpretandi saepissime et pulcherrime usurpat; suas videlicet ex S. Paginis antiphonas, laudes atque preces concinnans. S. Patres et Scriptores E. hoc ipsum faciunt; idque non sine multa venustate. Neque modo licet, sed cum laude quoque fit, nec sine pietatis emolumento: ut nostris etiam diebus eloquentissimi oratores sacri in eo genere utendi S. S., ad propositas sibi res versentur. Nonnulla tamen in hoc S. Scripturarum usu sunt observanda; quibus neglectis modus transferendi verba S. Scripturae improbandus atque illicitus evaderet. Quamobrem a. sane erraret, qui accommodatitium sensum traderet velut literalem et viceissim. Vel si quis b. e sensu transsumtivo vellet necessarium et quasi divinum pro veritate aliqua ducere argumentum; si quid enim momenti haberet sensus accommodatus ad aliquid probandum, nequaquam illud haberet ab auctoritate S. Scripturarum, quae non in hunc sensum ea nobis ratione exhibent, sed utique aliunde. Unde constat: hunc sensum magnopere differre ab illo altero literali et spirituali, in quo vehementer peccatum est, si verba quovis modo immutentur, ut sententiae diversae serviant.

Qua ratione sensus S. Scripturarum bene perspecta, refellitur prorsus opinio falsa s. d. Rationalistarum, qui Prophetias et Typos V. F. in N. T. a Hagiographis citatas allegatosque: non vero sensu literali et typico, sed hoc accommodato accipiendas esse putant. Certe, ut paucis rem dicamus, nefas est existimare: Scriptores Spiritu Dei plenos, insufficientia et a vero sensu aliena testimonia laudasse. Quae literali vel spirituali sensu ab Hagiographis proferuntur, de quibus scripta sunt, ad eum modum lectores habeant; quae vero per accommodationem non per proprietatem enunciantur, in his pietas et devotio quaeritur. Neque enim Ecclesia vult, vel potest S. Scripturae sensum verum κατὰ λέξιν adscribere, quem illa a Spiritu S. intentum non contineret. Verum enimvero cuncta S. Literarum mystica loca, quorum fides sustentatur D. N. J. Christi, Apostolorum et Ecclesiae auctoritate; ad humanae „pro tempore“ rationis placita reducere, ausi sunt: J. G. Rosenmüller, de traditione hermeneutica, Lips. 1786. C. D. Beck, de interpr. Veter. Script. Lips. 1791. M. Weber, de discr. leg. et bene fact. in l. N. T. propos. negl. Vit. 1792. C. L. Nitzsch, de iud. mor. praecept. in N. T. Vit. 1793. H. Planck, de princ. et caus. interpr. Philon. allegor. Gott. 1806. Anonymi, de interpr. l. N. T. histor. u. un. vera. Gott. 1807. A. J. Onymus [d. q. v. viri praecl. Ruland librum, Ser. Prof. Theol. Wirc. p. 180.], de usu interpr. allegor. in N. F. tabulis. Bamb. 1809. Fr. B. Koester, de relig. ac poes. confin. Kiliae 1825. W. A. Hengel, or. de gramm. L. S. interpr. Lugd. Bat. 1827. C. Fr. Fritzsche, de Revelationis not. bibl. Lips. 1828. Ei. de Rationalismo comm. I. II. Hal. 1838. Uhlemann, de varia Cant. C. interpr. rat. Berol. 1839. G. Moll, or. de iis q. n. aet. f. E. Antist. min. negl. s. Amstel. 1847.; aliique quorum errores plus semel taxare coacti sumus.

LEGES SERVANDAE IN EXPLICANDA S. SCRIPTURA.

§. 117. Norma recte quaerendi sensum S. Scripturae.

Leges explicandi S. Scripturam sunt proprie praecepta definientia modum: sensus varios verborum in Divino Scriptore recte reperiendi. Ducuntur eae primo quidem e decretis de natura sensus. Attamen universae illae observationes de sensu eiusque diversis generibus ad hoc non sufficiunt; quia sensus verborum pendet ab usu loquendi; sive coniunctione, quae inter verba et ideas intercedit: quae rursus orta est ab institutione humana, contineturque consuetudine. Verba enim in se non sunt naturalia aut necessaria rerum signa; unde facile intelligitur, regulas de sensu quaerendo maxime debere definire modum, quo reperiatur

usus loquendi. Eius porro observatio proprie est Grammaticorum; quorum artis praecipua pars in eo versatur, ut quid verbum quodcumque apud singulum scriptorem sonuerit, diligenter exquirant. Cum vero sensus verborum in L. L. S. S. U. F. habito respectu ad solas literas non magis sit arbitrarius, quam in ceteris libris; imo adstrictus certis a natura linguarum V. et N. F. ductis legibus, ultro sequitur: illa quae Grammatici circa idiotismos in Scriptura S. occurrentes praecipiunt, solerter expendere oportere eum, qui Codici Divino explicando operam navare cupit. Sunt autem idiotismi certae quaedam constructiones linguis propriae, quibus fit, ut una ab alia lingua multum differat. Enimvero cum Libri Sacri, quod ad sensus literalis naturam et indolem attinet, nihil plane differant ab alio ingenii humani partu; sed significatio verborum sive proprie sive μεταφορικῶς sumantur, eodem modo se in Sacris atque in profanis elucubrationibus habeat: etiam sensus literalis in utrisque literis pari ratione quaerendus est.

§. 118. Sub iisdem verbis S. Scripturae unus nisi reperitur sensus literalis.

Ut autem eo rectius, quae hac de re disputari solent, intelligantur, observare iuvat: tribus abhinc saeculis multos Theologos docuisse: unam eandemque sententiam Divi Codicis multiplicem sensum habere literalem. Istorum catalogum exhibet Jos. de Turre, l. c. p. 58. et J. Th. Beelen, diss. th. qua sententiam vulgo receptam esse S. Scripturae multiplicem interdum sensum literalem nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur. Lovanii 1845. p. 5. s. Catalogus autem iste faciliter novis accessionibus nominum augeri posset. E. g. J. Acosta, de vera Scripturas interpretandi ratione III, 19. p. 114. s. J. Opstraet, Theol. Lovan., de locis theol. diss. de S. S. q. VII, 4. ed. Ven. 1780. p. 45. s. et aliorum. Et isti quidem viri dicunt Veteres sumsisse: in eadem litera plures latere sensus veros et proprios; velut ab ipso S. Scriptore cognitos et intentos. Cum vero α. naturae indolique sermonis et iam D. Bibliorum longe sit convenientius, ut unicus tantum eius sensus proprius „literalis" s. d. admittatur; idque β. dignitas et gravitas S. Scripturae requirat; imo consilium eius postulet, non sine sufficienti causa sententia, quae multiplicem S. Scripturae sensum uni eodemque loco subesse statuitur, reiicitur.

Possunt tamen eiusdem loci S. S. nonnunquam ab ipsis d. Scriptoribus, item a S. P. et S. E. vario sub respectu, plures dari interpretationes; iuxta illud d. Augustini: „In libris autem omnibus sanctis intueri oportet, quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrentur, quae futura praenuncientur, quae

agenda praecipiantur." De Genesi ad liter. I, 1, III. a. p. 117. E. g. manna Exod. 16, 15. s. significat cibum coelitus missum, quo Israëlitae pascebantur; Joann. 6, 31. s. sensu spirituali de Eucharistia sumitur, cuius erat typus; II. Cor. 8, 15. accommodate de eleemosyna danda usurpatur; denique Apoc. 2, 17. anagogice refertur ad gloriam coelestem. Nec secus sentire queunt Theologi Catholici, qui foecunditatem vimque divinam S. Bibliorum norunt, eiusdemque excellentiam agnoscunt. V. Comm. h., p. 67. s.

§. 119. Natura et ratio linguae Hebraeae.

De linguae Hebraeae natura et ratione agentes, eam merito vocemus: sanctam et antiquissimam; imo habito certo respectu primaevam. Qua de re v. H. R. V. T. p. 42. 43. Et sane absque cognitione huius linguae maxima Codicis s. V. F. pars, densis obvoluta tenebris, interpretem doctum S. Scripturae fugeret. Unde res ipsa explicandorum S. Bibliorum postulat, ut illi, qui S. S. V. F. exponere aggreditur, hebraei sermonis singulae pateant copiae; omnemque linguae huius vim ac facultatem teneat, tanquam praecipui V. T. intelligendi aliisque recte exponendi organi. Quod ut pluribus demonstremus, eo minus opus videtur, quominus id his diebus ab aliquo in dubium vocatur.

Ipsa linguarum omnium, praeprimis earum, quae per longos saeculorum decursus obtinent, ratio fert: ut plurimas non modo ex usu quotidiano, commercio cum exteris, a victoribus populis; sed ex temporum quoque et fatorum serie, diversas subire necesse habeant mutationes. Ut enim omnes linguae, sic quoque Hebraea suis variata est periodis. Has periodos commode sub fatorum Revelationis Divinae V. F. ratione concipere licet. Cf. proleg. H. V. T. p. X. XI. Quo pacto observanda nobis occurrunt: initia et studium perficiendi linguam usque ad exitum Israelitarum ex Aegypto, et ingressum in terram Chanaam. Durante hac periodo lingua Hebraea non tantum naturalem suum vigorem retinuit, sed paulatim cultior evasit. In Volumine Moysis quaedam particulae sublimi ac venusta nitent poesi, vocum copia, imaginum elegantia; quod orationis flumen amplam linguae perpolitamque extensionem deposcit. Cf. H. R. D. V. T. p. 184. s. Maxime floruit lingua Hebraea periodo altera sub Regibus, non sine notabili attamen varietate. Salomon non modo tercentum parabolas et mille quinque Cantica protulit; verum et de omnis generis rebus naturalibus uberrima novarum vocum ante ignotarum supellectile adhibita, disputavit. Aetate illa et sequentibus plurimi Didactici et Prophetici Libri s. exarati sunt. In scholis Propheticis, procul dubio, etiam puritati et facundiae linguae Hebraeae opera navata fuit. Quamvis autem eo tempore lingua Hebraea summopere floruerit, facile tamen concedi poterit, ipsam hac periodo ad finem vergente, in deterius ruisse. Cum captivitate babylonica tertia linguae Hebraeae, continuo decrescentis, periodus incipit. Quanquam Judaei in Palaestinam ex exilio reduces facti vernaculam Hebraeam adhuc callerent, perque aliquod tempus conservarent: tamen linguae aramaeae, idiomati Hebraeo valde cognatae, ita pedetentim assueverunt, ut praesertim penes plebem linguae Hebraeae notio in oblivionem abiret; atque ab eruditis modo intelligeretur. A secunda Hierosolymarum vastatione, lingua Hebraea sub favilla et ruderibus quasi sepulta iacuit; usquedum per Judaeos aeque ac Christianos instauraretur.

De linguae Hebraeae natura et ratione, praeter Grammaticos, legi merentur: V. E. Löscher, de causis linguae hebraeae libri III. Francof. 1706. J. Simonis, Introductio grammatico-critica in linguam hebraeam. Halae. 1753. G. F. Hezel, Geschichte der hebr. Sprache u. Liter. ib. 1776. G. Gesenius, kr. Gesch. der hebr. Sprache. Lips. 1815. A. Th. Hartmann, ling. Einl. in d. Studium der Bücher d. A. T. Brem. 1818. S. E. Blogg, Gesch. d. hebr. Spr. u. Liter. Hann. ed. 2. 1826. Ei Aedificium Salomonis. ib. 1832. שפת ישרון, Isagoge in grammaticam et Lexiographiam linguae hebraicae auct. Fr. Delitzsch. Grimm. 1838. L. E. Hävernick, H. d. h. k. Einl. I. 91. s. Keil, Lehrb. d. h. kr. Einl. ed. II. Franc. 1859. p. 28. s. Bertheau, in Herzogs R. E. V, 608. s. Bleek, Einl. in d. A. T. ed. II. Berl. 1865. p. 71. s. Fr. Böttcher, Lehrb. d. hebr. Spr. Leipz. 1866. Eandem illustrant: Th. F. Stange, Beiträge zur hebr. Gramm. Hal. 1820. G. B. Winer, ü. d. Armuth d. hebr. Spr. Lips. 1820. Ei. ob. d. hebr. Spr. leicht zu nennen sei. ib. 1823. H. Hupfeld, de emendandae lexicographiae hebraicae ratione. Marb. 1827. Ei. de rei grammaticae apud Judaeos initiis antiquissimisque scriptoribus Hal. 1846. Hoc argumentum denique olim copiosissime tractavit B. Waltonus, in prolegom Bibl. polyglott. ed. Cantabr. 1828. I, 101. s.

§. 120. Praecipua literas Hebraeas cognoscendi subsidia enumerantur.

Sequitur, ut paucis ipsa subsidia recenseamus, quae ad intelligendas literas Hebraeas faciunt. Omnes, qui vel a limine u. d. S. Codicem Veteris Foederis originarium salutavere, in comperto habent, quantum ei lucis affulgeat ex illarum cognitione linguarum, quas tanquam filias magnae Matris Semiticae, singulari Numinis providentia servatas habemus. Sunt nempe hae s. d. dialecti orientales i. e. Chaldaica, Syriaca et Arabica; quarum ope tam Judaei quam Christiani hebraearum radicum primigenias significationes explicarunt earumque fide sua Lexica exstruere non dubitarunt. Aramaeam dialectum, bifariam divisam, quod attinet: Cum non solum multae anomaliae e lingua Chaldaica assumtae, sed integrae quoque pericopae — Gen. 31, 47. Jer. 10, 11. Dan. c. 2, 4 — c. 7, 28. Esr. 4, 8—6, 18. 7, 12—26. Cf. a. r. E. Boehl, de Aramaismis Libri Koheleth. Erl. 1860. p. 5. — chaldaice scriptae in Textu V. T. reperiantur; linguae illius cognitio S. S. studiosis perquam utilis, imo expositoribus eruditis summe necessaria est. Multae etiam radices deperditae, ἅπαξ λεγόμενα incertaque vocabula in dialecto chaldaica supersunt, et ex ea explicari possunt. Est quoque linguae Syriacae suus et quidem haud negligendus usus. Dialectus aramaea occidentalis — U. v. H. N. T. p. 217. Comm. p. 178. — vernacula exstitit Christi Salvatoris; eiusque Virgineae Matris, Apostolorum et discipulorum; unde in eadem Evangelium primo promulgatum est atque in ipsam S. S. N. F. complures voces aramaeae receptae sunt. V. H. N. T. p. 217. Verumtamen etiam in interpretatione V. F. Syrorum monimenta explicationem Divini Codicis adiuvare, nulla disputatione eget. Neque inferiorem locum tenet Arabica, quippe quae hodiedum usu, et antiquissimorum iuxta ac praestantissimorum omnis generis librorum copia viget ac floret. Nullus sane dubitationi relictus est locus: multarum hebraearum vocum vim, prae ceteris ex

arabicae linguae thesauro erui. Tractavit hoc argumentum copiosissime et eruditissime Alb. Schultens, Origines Hebraeae ed. II. Lugd. Batav. 1761. et J. Fr. Schelling, Abh. v. d. Gebr. d. arab. Spr. z. e. gr. Eins. in die hebr. Stuttg. 1771. Aliud subsidium, quo S. S. V. F. sensus originarius evolvitur, in veteribus iactum est interpretationibus; quorum auctores quo propius abfuerunt ab ea aetate, qua lingua hebraea vernacula fuit, eo etiam ampliori linguae sanctae notitia imbuti fuisse creduntur. V. Comm. h. p. 144. Subsidiis linguae Hebraeae et dialectorum cognatarum intelligendarum annumeranda sunt: opera grammaticalia, lexica, concordântiae, annotationes et commentaria in Libros S. V. F.; observationes atque dissertationes, quibus vel integra loca V. F., vel singulae locutiones dilucidantur. Etiam traditio hermeneutica non est hac in re minimi facienda; cuius testes praeter Josephum, Philonem aliosque Judaeos, merito S. Patres et Scriptores ecclesiasticos esse censemus. Verum isthac super traditione plura in fine huius commentarii p. 304. s. dicemus. Pro Libris V. F. quos quidam deutero-canonicos vocant, quive hodie in volumine Sacrarum Scripturarum nisi in graecum aliaque idiomata translati leguntur, etiam linguae graecae notitia est necessaria. Sunt viri docti, qui ex Aethiopica quoque, Samaritana et Persica lingua, suppetias pro Hebraismo advocant; quarum tamen cum pauca nisi monimenta supersint, in enucleandis notionibus hebraeis vix magnus erit usus.

Ecclesiam non posse Linguarum istarum, inprimis Hebraeae, scientia carere, quae fontes tradit S. S. V. F., e quibus et S. S. N. F. dilucidantur, satis constat. Omnium fere, qui disciplinas theologicas Catholicas sedulo colunt, haec communis est sententia: In Vulgata Versione explicanda et defendenda quoque opus esse cognitione linguarum, queis Archetypum U. F. exaratum est. Rem ita se habere, per se quisque intelligit. Catholicae veritatis Inimici a Romanae Ecclesiae communione alieni, ut sinistras suas Codicis inspirati expositiones tueantur, amplissimum excitare solent literarum orientalium apparatum, quem quanti cuiusve sit ponderis? examinare nequit in his literis parum, vel plane non eruditus theologus. Haec cum verissima sint, Clemens P. V. Oec. Concilio Viennensi approbante statuit: teneantur viri catholici, sufficientem habentes Hebraicae, Arabicae et Chaldaicae linguarum peritiam, alios docere. Decretum istud quod et in Clem. V. 1, 1. exstat — Cf. Comm. a. h. c. in edit. Lugd. 1571. p. 1027. s. A. Barbosae, Collect. Doct. Ven. 1718. IV, 320, s. —, Ecclesiae Romanae curam circa Textum Originarium monstrat. Idem egit S. P. Paulus V., qui bulla „Apostolicae servitutis" a. 1610. Bullar. ed. Luxemb. III, 485. iussit: „ut scholae linguarum huiusmodi quamprimum instituantur, earundemque linguarum lectionibus scholares assignentur, qui illis sedulam et assiduam operam navent." D. q. utiliter legi poterit S. Seemiller, comment. de studio linguae hebraicae cum Theologia coniungendo, add. expl. Ps. 119. Vienn. 1790. p. 41. s. Ceterum Institutiones Grammaticae Hebraeae scripserunt: J. Jahn, G. Gesenius, H. Ewald, Roorda, R. Stier, H. Hupfeld, G. Böttcher-Mühlau, Freytag, Nägelsbach, Reinke, Dietrich, Vosen. Lexicis concinnandis operam dabant: Sanctes Pagninus, Michaelis, Simonis, Winer, Gesenius-Roediger, Lee, Fürst, E. Meier, Drach; Concordantiis Buxtorf et Fürst. Linguae Chaldaicae addiscendae inserviunt Grammaticae: Zanolini, Michaelis, Winer, Fürst, Petermann, Drach; item vocabularia et glossaria: Zanolini, Landau, Dessauer, Kärle.

Syriacas Literas illustrant: grammatica compendia: Tyschen, Jahn, Oberleitner, Yates, P. Ewald, A. Th. Hoffmann, Swyghuisen, Groenewoud, Cowper, Wenig; vocabularia et glossaria ediderunt syriaca: Michaelis, Bernstein, Agrelli, Roediger. Locupletissimis subsidiis gaudet Lingua Arabica, et quidem grammaticis: Schultensii, de Sacy, Rosenmüller, Jahn-Oberleitner, H. A. Ewald, Roorda, Petermann, Caspari, C. Schier; lexicographicis: Golii, Meninski, Richardson, Freytag. Ut silentio premamus varias variorum disquisitiones minoris generis, quibus Linguis Semiticis lux affunditur.

§. 121. Indoles linguae Graecae Novi Foederis.

Qua lingua Scriptores Sacri Novi Foederis usi fuerint, hac de re non multis disceptabimus. Quanquam enim Evangelium d. Matthaei et Epistolam ad Hebraeos Aramaea, tempore Christi vernacula, lingua exaratam ex fide concordi Maiorum docuerimus — v. H. N. T. p. 268. s. 461. add. Zahn, Papias von Hierapolis, in ann. Stud. u. Krit. 1866. p. 690. —; tamen et Archetypa nusquam hodie reperiri, confessi sumus. V. Comm. p. 103. Omnes itaque, qui scriptoribus θεοπνεύστοις debentur N. F. Libri, nunc graece nisi existere, res est clara et evidens. Id vero inter eruditos a saeculo inde decimo sexto controversia plena quidem scientiae, at non aeque moderaminis, disputatum est acriter: utrum Graeca illa Scriptorum N. F. lingua sit pure graeca? vel num Hagiographi graece scribentes aramaeam consuetudinem multipliciter sequantur? Sane si libros utrinque scriptos, si disputationis fervorem respicimus, de re gravissimi momenti agi putaveramus; si autem abstrahimus a quaestionibus, quae ad Historias magis spectant, omnis lis in meram λογομαχίαν transibit.

Cum Desiderius Erasmus Rotterodamus et Laurentius Valla linguam graecam N. F. haud puram esse contenderent, Henricus Stephanus Graecismi probe gnarus, praefatione ad ed. N. T. puritatem eius affirmare conabatur. Stephani opinionem suam fecit et auxit S. Pfochenius, diatribe de linguae graecae N. T. puritate Amst. 1629. 33. ap. J. Rhenferd, diss. ph. th. de stylo N. T. syntagma. Leovard. 1701. p. 145. s. Pfochenii ῥήσεις J. Grossius repetiit defenditque in libellis: Trias observ. th. stilum N. T. a barb. crim. vind. Jen. 1640. Observ. pro Triade obs. apol. 1641. Tert. def. Tr. Hamb. 1641. Quart. def. ib. 1642. Eandem sententiam propugnarunt: B. Stolberg, de soloecismis et barbarismis graecae N. T. dictioni falso tributis. Vit. 1685. A. Blackwall, Critica N. T. lat. C. Wollius, ed. Lips. 1736. C. S. Georgius, Vind. N. T. ab Ebraism. l. III. Franc. 1732. Hierocriticum N. T. Vit. 1733. Pfochenii diatriben vero refutarunt: Th. Gataker, de Novi Instrumenti stylo. Lond. 1648. M. Solanus, de Stylo N. T. Franeq. 1696. ap. Rhenf. p. 261. s. J. Olearius, de Stylo N. T. Cob. 1672. ap. Rhenf. 1. s. J. Vorstius, de Hebraismis N. T. Amst. 1683. 65. Vorstii, commentarium animadversionibus cribravit J. Fr. Fischer, Lips. 1778. atque tribus supplementorum speciminibus ib. 1790. s. Si quis hac de re sententiam Veterum S. Patrum et Scriptorum E. requirit, inveniet — apud Eusebium H. E. III., 24. p. 94. — istos quidem confessos fuisse: „admirabiles illi prorsusque divini Apostoli Servatoris Nostri, cum essent vita quidem et moribus castigatissimi, et omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent et inculti; freti divina ac

mirifica virtute ipsis a Servatore concessa artificioso verborum ornatu magistri sui praecepta exponere neque noverant, neque item conabantur." Idem habet Origenes, plurimis in locis libr. adv. Cels. Cf. I, 38. 62. III, 39. VI, 1. 2. VII, 59. 60. ed. Lomm. XVIII, 76. 112. 302. s. XIX, 298. XX, 91. 94. D. Chrysostomus, in I. Cor. III, 4. X, 20. S. Hieronymus, ad Eustoch. XXII, 30. p. 115. s. coll. Comm. in ep. ad Ephes. 3, 1. VII, 586. Nota est sane Juliani Apostatae de rudi dictione N. F. scriptorum sententia: „ἡμέτεροι φησὶν, οἱ λόγοι, καὶ τὸ ἑλληνίζειν, ... ὑμῶν δὲ ἡ ἀλογία καὶ ἡ ἀγροικία." Apud S. Gregorium Naz. Orat. IV. c. Julian. I, 102. I, 636. 7. Suo quoque tempore Lactantius V, 1. I, 230. questus est, contemni Scriptores Sacros ab iis, qui nisi diserta legere volunt. Cf. i. Lami, de erud. Apost. c. 11. p. 571. Reithmayr, Einl. p. 175. s.

Quod ad linguae puritatem attinet, illam neque Graecorum ingenio, neque grammaticorum regulis ubique convenire, satis constat. Quis enim hodie N. F. legens praeter multa hebraea et aramaea vocabula, non agnoscet plurima alia, quae vel in sensu, vel in compositione, vel in constructione ad semiticae linguae indolem revocare posse videatur. Et istam quidem indolem linguae N. F. J. J. Scaliger, animadv. ad Eus. p. 134. primus „hellenisticam" dicere maluit; nemine quod sciamus repugnante. Verum ubi D. Heinsius, in praef. ad Nonni ep. paraphr. Ev. Johannei. Lugd. Bat. 1627. Exercit. S. ad N. T. ib. 1639. Exercit. de lingua Hellenistica et Hellenistis. ib. 1643.; „dialecti" adpellationem hac in re usurpasset, nactus est adversarios gravissimos: C. Salmasium, de Hellenistica. Lugd. B. 1643. Funus ling. hell. ib. e. a. J. Croium Obs. in N. T. Gen. 1645., M. Cotterium, exerc. de Hellen. et ling. Hellen. Argent. 1646. M. Sckokium, de Hellenistis et lingua hellen. Ultrai. 1651.; aliosque. De qua tamen adpellatione non tam morosa κρίσει iudicassent philologi, si observare voluissent: rotundiore magis, quam veriore titulo „hellenisticam" vocatam esse dictionem N. T.; eo quod commune haberet aliquid cum illa graecitate, licet usitatam eius indolem per omnia non retineat. Ex adversa parte facile largimur: non exstitisse dialectum peculiarem hellenisticam, nomen „hellenisticae" in tantum admittentes, in quantum nihil aliud quam characterem, ut vocant differentiae specificae in lingua graeca N. T. innuere debet. Dialecti Alexandrinae nomen placuit E. Grabio accommodare linguae LXX. interpretum, ac de eadem diligentissime disquisivit F. G. Sturz, de dialecto Alexandrina ratione simul habita vers. L. L. V. T. gr. Lips. 1786. De dial. Alexandrina I. II. Lips. 1786. III. Ger. 1788. Denique de dialecto Macedonica et Alexandrina Lips. 1808. Sed peculiarem dialectum Alexandrinam unquam in rerum natura exstitisse, merito inficias eunt alii. Cumprimis H. Planck, de vera natura atque indole orationis graecae N. T. commentatio, in Rosenmüller, comment. theol. I. 1. 113. s. Nam quae Alexandrina dialectus dicitur, est sermo vulgaris, mixtus, in variis regionibus et civitatibus per Macedones expugnatis. Enimvero tunc dialecti, quae hactenus in Graecia seorsum obtinuerunt, in unum communem τῆς κοινῆς coaluerunt. Ex omnibus aliquid habebat, idque pro locorum rerumque externarum diversitate varie compositum erat. Quodsi ita est, facile intelligitur Judaeorum Alexandrinorum linguam, dialectum Alexandrinam exacte dici non posse; quia χαρακτὴρ dialecti distinctivus, quod linguae communis sit diversitas quaedam, prorsus in eo sermone desideratur.

§. 122. De lingua N. F. Graeca cognoscenda.

Linguae graecae communis, quae idiomati Novi Testamenti fundamento est, vestigia reperiuntur: in vocibus et vocum formis omnium dialectorum graecarum; vocabulis antiquis nova significatione donatis; vocibus novis, quae recens ad analogiam ante iam obviam effictae sunt; in nominum verborumque flexione vel peculiari; vel quae etsi nihil anomali in formatione habeat, tamen apud probatae orationis scriptores non usurpatur; in orthographia vocumque pronunciatione; in vocabulis barbaris, quae ex aliis linguis in graecam immigrarunt. Id quod a nemine literarum Hebraicarum et Graecanicarum perito, in dubium vocari putamus.

Judaeorum quam plurimae erant notiones, quae cum a Graecorum cogitandi ratione plane differrent, iisque apta atque idonea verba inveniri omnino nequirent, si Judaei graeco sermone utentes reddere vellent; ea utcunque voce utebantur, quae iam alius significationis communione cum hebraeo verbo, quod in mente habebant, coniunctissima erat. Eas vero notiones, quae primum Religio Christi attulit, a graecis rebus similibus plerumque nomen traxisse videmus. Cavendum igitur erit iis, qui explicando Codici N. F. operam navare cupiunt, ne notiones subiiciant locutionibus S. Librorum N. F., quae a singulari indole Hagiographorum abhorrent. Enimvero **sola** cognitio linguae graecae non sufficit, ad sensum S. S. N. F. eruendum. Usus loquendi communis explicare nequit voces, quas Scriptor S. nova plane significatione usurpavit. Ita v. c. quid sit „πίστις“ Rom. 1, 17. non pendet ex usu loquendi graeco, sed aliunde discendum est. Accedit, quod Hagiographus interdum in vocibus obviis et usum loquendi neglexerit; certe haud paucae reperiuntur voces, quae in N. F. de rebus adhibentur, de quibus Graeci alio vocabulo uti solebant, quam Judaei. Enimvero licet haud necesse sit assumere Hagiographos Novi Foederis omnia hebraee cogitasse, antequam graece scriberent; tamen fieri nequivit, ut tantopere ab usu loquendi hebraeo abstraherent, ut ne quidem in locutionibus et vocibus adhibendis, vernacula eorum lingua dictioni graecae suum darent colorem. Ut enim non ille s. d. Classicorum Latii genus dicendi expressisse dicendus est, qui sermonem suum verbis quibusdam classicis ornare studuit; ita nec oratio N. T. graeca „**attica**“ dici potest, quod in ea nonnullae **voces** et **formae atticae** reperiantur. Cum de puritate linguae N. T. certarent eruditi, ab utraque parte peccatum est: nam multarum vocum significationes, quae in N. T. reperiuntur, Graecis perperam vindicatae sunt; et rursus multorum vocabulorum usus, qui apud optimae notae scriptores graecos invenitur, ad hebraeae linguae indolem frustra revocatus est. Apostolorum aetate lingua, qua usi sunt, graeca nonnulla etiam ex latino, persico, rabbinico recepit. Qua de re tamen hic pluribus disputare non attinet.

Ad **fontes** quod attinet, ex quibus usus loquendi scriptoribus N. T. familiaris cognoscendus est praeter Libros S. V. F. qui graece exarati habentur, sunt **priscae V. F. interpretationes graecae.** E nullis aliis libris linguam N. F. magis intelligimus, quam e Versionibus τῶν LXX., Theodotionis, Symmachi Aquilaeque. V. p. 157. Multum etiam adiuvant: Josephus F., Philo, S. S. Patres et

Scriptores E. graeci; Etymologicon Magnum — d. q. v. J. A. Fabricii, Bibl. gr. ed. Harles. Hamb. 1798. VI, 595. s. — utilissimum; Photii Lexicon ed. R. Porson. Lond. 1822. ed. Hermann Lips. 1823. — d. q. v. S. F. G. Hoffmann, Lexicon Bibliogr. Scr. Gr. Lips. 1836. III, 247. — Suidae Lexicon ed. L. Küster. Cantabr. 1705. 3. v. Th. Gaisford. oxon. 1834. 3. t. G. Bernhardy. Hal. 1853. 4. 2. v.; Hesychii Lexicon ed. J. Alberti Lugd. Bat. 1747. 2. v. — d. q. v. C. F. Ranke, de Lex. Hesych. v. orig. et gen. forma. Lips. 1831. Glossis sacris ex illius Lexico excerpendis l. dic. J. C. G. Ernesti. Lips. 1785., qui etiam Suidae et Phavorini [ed. Bortoli Ven. 1712.] glossas s. congessit ib. 1786. — Zonarae Lexicon ed. A. H. Tittmann Lips. 1808. — eiusdem Glossas sacras illustravit G. Sturz. 1—3. Grimm. 1818—20. — et similia Veterum opera; ad quae accedunt recentiorum scriptorum quoque Lexica et Commentaria varii generis.

Equidem minime diffitemur hac nostra aetate multos viros linguae graecae haud parum peritos, variis scriptis grammaticam et lexicon sermonis N. F. coluisse atque S. Literarum studiosos iuvisse, ut faciliori ratione hanc intelligere queant. Ex his prae omnibus nominare oportet G. B. Winer [Prof. Th. ac. Lips. † 12. Mai. 1858. d. q. v. G. Lechler, in Herzog' R. E. XVIII, 190.], qui exquisita doctrina his fere libris scientiam idiomatis N. F. emendavit et auxit: Grammatik d. neutest. Sprachidioms. ed. pr. Lips. 1822. 8. 2. vol. noviss. VII. cur. G. Lünemann. ib. 1867.; in angl. v. E. Robinson Andov. 1825.; in sved. k. G. Rogberg. Ups. 1827. Scholis latine habendis accommodavit J. Th. Beelen. Lov. 1857. Idem eruditissimus vir G. Winer gramm. N. T. illustravit: de Hypallage et Hendiady in N. T. libris. Erl. 1824. coni. in N. T. expl. c. et ex. 1827. de verbor. disp. simpl. p. compos. in N. T. usu. Lips. 1833. De verborum cum praepos. compos. in N. T. usu part. I—V. Lips. 1834. 5. 8. 42. 3. Grammaticam linguae graecae qua N. T. scriptores usi sunt comp. J. C. G. Alt. Hal. Sax. 1829., sed non eiusmodi ut laudem mereatur. Melior, sed Wineri libro inferior, censetur Ph. Buttmann, Gramm. d. neutest. Sprachgebr. Berl. 1859. Lexicis gr. N. T. concinnandis praeter vetustiores: G. Pasorem, C. Stockium, J. Fr. Fischerum, Chr. Schöttgen, J. Fr. Schleusner, et recentiores: Chr. Abr. Wahl, C. G. Bretschneider, C. G. Wilke, Chr. Schirlitz; novissime operam navarunt: C. L. W. Grimm, Lexicon gr. lat. in L. N. T. Lips. 1862—5. atque H. Cremer, bibl. th. Wörterbuch der neutest. Gräcität. Gotha. 1866. Obiter addimus adhucdum nomina Lightfooti, Schöttgenii, Meuschenii; item L. Bosii, G. Raphelii, J. Elsneri, J. Alberti, E. Palairet, G. D. Kypke, C. Fr. Munthe, J. T. Krebs, J. Vorst, Fr. Woken, J. B. Otte, C. Fr. Lösner, A. Fr. Kühn, J. B. Carpzov, A. Schott, Tittmann; qui in variis commentationibus — a nobis ubi fieri potuit commemoratis — haud parum ad enucleationem S. Literarum N. F. contulerunt.

§. 123. S. Scripturae sensus in sermone Tropico.

Ornari orationem Graeci existimant, si verborum immutationibus utuntur et sententiarum. Spiritus Sanctus linguae et sermonis artifex Divinarum Literarum simplicitati indivulsam

esse comitem voluit eloquentiam. Qua de re pulcherrime inquit S. Augustinus: ‚Sciant literati, modis omnibus locutionis, quos grammatici graeco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse. Quos tropos qui noverunt, agnoscunt in Literis Sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas adiuvantur'[1]. Unde interpres dictionis Biblicae lumina, tropos et figuras expendat dilucidetque necesse est; in qua expositione duo accurate hic cavenda sunt quasi praecipitia: Summopere attendendum a. ut ne sicut νεώτεροι faciunt, quae proprie sunt intelligenda, figurate accipiantur. Semper iubet s. Augustinus: ‚ne propriam quasi figuratam velimus accipere' locutionem[2]. Enimvero nisi in manifestos errores ire volumus, eousque verborum proprietas retinenda est; donec quaedam urgens ratio tropum suadeat[3]. b. Refert plurimum, ut ne quae figurate sunt accipienda, proprie intelligantur, tunc enim carnaliter sapitur, iudice eodem s. Augustino[4]; quo ii interpretes peccare facile possent, quibus loquendi ratio Scriptoribus Biblicis usitata, minus perspecta est. In quavis oratione tropica interpretanda, etymologia vocum non est valde urgenda; quia usus docet istam non semper spectari, vel plane iam evanuisse. Deinde interpretis est tropum in explicatione S. Scripturarum U. F. penitus exhaurire[5].

1) De doctr. Chr. III, 29. p. 100. 2) L. c. 10. p. 86. 3) Quod proprium est illi perversae interpretationi, qua illi aevo nostro pessime peccant interpretes, qui Historias Sacras in mythos; Vaticinia autem in locutiones figuratas transmutant. V. p. 258. 274. 4) De doctr. Chr. III, 5. p. 82. 5) Cf. Hagelmaier, de dict. trop. S. S. Tub. 1779. M. J. H. Beckhaus, de dictione N. T. tropica indicanda et interpretanda. Marb. 1819. Potest vero totius Eloquentiae Sacrae consideratio ad duo principalia referri capita, quorum alterum „Tropos" τρόπους, a τρέπειν vertere; alterum „Figuras" σχήματα rhetores adpellant. In eo autem differunt haec duo, quod tropi ipsum verborum sensum concernunt; cum propria verborum significatio in aliam cognatam contrariamve vertitur. Prisci sermonis inopia homines compulit, novis ideis designandis verba iam usu recepta ad illas transferre; quorum notio aliquam cum iis similitudinem aut nexum prae se ferret. Quod vero ad figuras attinet, sensum verborum per se non immutant; sed sermoni tantum ornatum conferunt: licet enim tam translatis quam propriis verbis sermo figuretur; tamen qua translata illa verba talia sunt, non ex vi figurae, sed tropi. Dari in S. Scripturis cum tropos tum figuras nimis apertum est, neque indiget demonstratione. Nostrum non est troporum species, cuiusmodi habentur: μετάφορα, συνεκδοχή, μετωνυμία, κατάχρησις, εἰρωνία, ὑπερβολή, μείωσις; vel schematum sive figurarum q. d. τῆς λέξεως καὶ διανοίας, uti sunt: ἐπιζεύξις ἀναδί-

§. 124. Genus Divini Codicis dicendi poeticum.

In explicando genere dicendi S. Literarum „poetico“ supervacaneum foret: de elocutione, quam proprio strictiorique sensu — voce barbara — stylum dicunt; item de figuris, quibus Sacri Poetae potissimum utuntur, dicere; cum e legibus Poeseos in universum satis sermo Vatum, cumprimis V. T., maxime patheticus vivisque affectuum animatus igniculis, sublimibus sententiis ornatus affatim cognosci possit et iudicari. Tempus et chartarum penuria prohibet, aliqua belle florentis in Divino Codice sermonis specimina exhibere. At vero diversa genera sacrorum carminum, et externa forma consideranda venit; unde et tota Poeseos Sacrae ratio clarior evadet.

a. Omnis S. Literarum V. T. poesis duplici maxime genere continetur: „lyrico“ nempe et „didactico.“ E quibus lyricum et antiquissimum apud Hebraeos fuit et latissime patens. Lyricae poeseos rursus diversae sunt species, pro diversitate affectuum, qui exprimendi sunt. Enimvero quod si pii in Deum sensus profundantur „hymnus“ habetur; si animi dolor, maxime de peccato, promatur: elegia, lamentatio, threnus; si victoriae celebrantur „epinioion“ canitur.

In quaestione positum est: cur Poesis drammatica et epica a Sacris Scripturis omnino exulat? Responsum in promtu illud datur: quia doctrina de Providentia Divina, quae per singulas paginas S. Codicis inculcatur, fatum, quocum pugnare debet actor drammatis, excludit. Unde genus poeseos drammaticum Revelatio V. F. non admisit. Sed neque unquam ab hebraeis poetis cultum fuit carmen heroicum; namque ex intuendi ratione theocratica: Deus ipse pro populo sibi electo contra hostes dimicabat, quod si igitur victoria reportata esset, ea nequaquam hominum fortitudini, sed soli Jehovae virtuti tribuenda fuit. V. H. R. D. V. T. p. 130.

b. Alterum Poeseos Sacrae genus est: „didacticum“; cui quidem Psalmorum aliqua pars; Proverbia; Ecclesiastes Jobique libri adnumerandi veniunt, et ad eandem cum graecorum carminibus gnomicis speciem referendi esse videntur. Utrumque Poeseos V. F. genus in Prophetarum vaticiniis compositum mixtumque conspicitur; ubi Vates docent, monent, hortantur, oratio eorum ad didacticam accedit poesim; verum quotiescumque doloris vel spei sensus exprimunt, toties lyricum colorem induunt. Cf. a. r. L. Buchegger, de orig. s. Chr. Poeseos. Frib. 1827. p. 5. s.

πλοσις, κλίμαξ, ἀνάφορα, πολυσύνθετον, ἀσύνθετον, ἐπιστροφή, συμπλοκή, ἐπανάληψις, ἐπανοδός, πολύπτωτον, ἀντανάκλασις, ἐκφώνησις, ἐπανόρθωσις, ἀποσιώπησις, ἀποστροφή, προσωποποιΐα, ἐρώτησις, ἀπορία, ἀνακοίνωσις, πρόληψις, ἐπιτροφή, συγχώρησις, αἰτιολογία, ὑποτύπωσις, συλλογισμός, μετάβασις, ἀντίθεσις, ἐπεξήγεσις, περίφρασις; et quae sunt aliae figurae, e regulis artis oratoriae repetendae, iusta ἐξεργασία expendere.

§. 125. De ratione S. Librorum metrica.

Jam inde ab antiquissimis temporibus viri docti disputarunt: quaenam externa carminum Hebraeorum forma fuerit? Utrum legibus metricis, adinstar carminum Graecorum atque Romanorum, V. F. poemata adstricta; vel an liberiori quadam structura, ad solutam propius accedente orationem, fuerint composita? In diversas, ut fieri solet, partes saepe contrarias et sententias abiere vero quam maxime dissimiles. Fuere viri, qui e Masoretharum accentuatione et pronunciatione, accommodata cognata arabica, poesim hebraeam e metricis legibus dimetirentur. Quas ubi ad liquidum perducere conati sunt, oleum et operam — sicut habet proverbium — perdiderunt. Ideo quidem quia numerus, harmonia et quantitas syllabarum apud Hebraeos nobis prorsus mansit incognita. Sed neque feliciores erant alii, qui concedunt omnino rem Hebraeorum metricam, deperdita videlicet linguae hebraeae vera pronunciatione et accentuatione, expediri nostris temporibus vix posse; nihilominus tamen haud probabilioribus rationibus ex metrica carminum arabicorum structura colligunt: Hebraeorum Poetas in carminibus suis certis metris usos fuisse. Si quid in re admodum obscura dicendum est: confitemur nobis illam arridere opinionem, quae etiam Judaeorum doctoribus, et nostrae aetatis interpretibus quam maxime probatur. Haec vero sententia sumit: Sacram Poesim Hebraeorum iusti quidem metri vinculis destitutam fuisse; attamen liberiori aliquo rythmo sive numero, uti vocant, poetico eandem contineri existimat. Et istud quidem non sine gravi fundamento statuitur: quocumque enim in Carminibus S. oculum convertimus; ultro aliquis rythmus sese offert, in certa quadam membrorum orationis poeticae proportione conspicuus; qui „parallelismi poetici" nomine insignitur.

Multi sunt iique praeclari libri, qui rationem metricam S. Poeseos elucidant, quorum praecipui existimantur: C. R. Bellarmini, Institut. lingu. Hebr. Col. 1580. p. 127. s. Fr. Gomari, Davidis lyra. Gron. 1637. J. G. Drechsler, manud. ad poet. hebr. Lips. 1672. Cithara Davidica ib. 1675. A. Calmet, de Poesi Vet. Hebr. Diss. V. T. I, 231. A. Fleury, disc. s. l. Poesie et part. s. c. d. anc. Hebreux, in ed. Op. Par. 1837. p. 88. lat. in Diss. Calmeti V. T. II, 140. s. A. Pfeifferi, man. ad accentuat. V. T. pros. et metr. Dresd. 1721. Ch. Weisse, syst. Psalm. metr. Lips. 1740. rep. a Rosenmüllero, l. c. p. 699. s. G. Wernsdorf, de arte poet. Hebr. Ged. 1744. 1. 2. d. G. Jones, poeseos asiaticae Comm. l. s. rec. J. G. Eichhorn. Lips. 1777. C. G. Anton, coni. de metro. Hebr. antiq. Lips. 1770. Vind. ib. 1772. C. D. Ilgen, Jobi ant. Carm. hebr. nat. atque virtut. Lips. 1799. p. 40. s. R. Lowth, de Sacra Poesi Hebr. pr. ac. Oxon. 1753. c. not. J. D. Michaelis Goett. 1770. animadv. E. Fr. C. Rosenmüller. Lips. 1815. J. G. Herder, v. Geiste d. hebr. Poesie. Dess. 1782. 3. auct. C. W. Justi. Lips. 1825. Bellermann, Metrik der Hebräer. 1813. A. Gügler, d. h. Kunst der Hebräer. Landsh. 1814. I. J. G. Eichhorn, de proph. Poesi Hebraeorum Paralip. Gott. 1822. Kaiser, de paralellismi in poesi hebr. natura. 1839. Wocher, in ann. Tüb. Quart. 1834. p. 614. s. J. L. Saalschütz, v. d. Form d. hebr. Poesie. Königsb. 1825. Form u. Geist d. hebr. b. Poesie ib. 1853. Delitzsch, z. Gesch. der jüd. Poesie. Leipz. 1836. J. G. Wenrich, de poes. hebr. atque

arab. orig. ind. m. cons. a. discr. Lips. 1843. E. Meier, Form d. hebr. Poesie. Tüb. 1853. Fr. Böttcher, ausf. Lehrbuch der h. Sprache ed. F. Mühlau. Leipz. 1866. I, 24. s. J. Ley, die metrischen Formen der hebräischen Poesie. Leipz. 1866. T. J. Lamy, Introd. spec. in S. S. Lov. 1867. p. 102. s.

§. 126. Parallelismi poetici S. Literarum V. F. variae species recensentur.

Poesis, qua ideae cogitationesque maiori vi et enthusiasmo proferuntur, utitur oratione pathetica, varia verborum ubertate distincta. Ubi autem sermo fit vividior motu quodam progrediente, numerus efficitur, qui ‚rythmus' vocatur; atque in Poesi Sacra per ‚parallelismum poeticum' formali u. d. exprimitur modo. Hebraei ad sua carmina quodammodo condienda parallelismum adhibent; qui etiam Latinis non deest. V. Horatii, Carm. I, 4. Vi Paralellismi concepta in animo cogitatio, non una sententia, sive serie vocum enunciatur; sed in pluribus sibi invicem certa proportione correspondentibus evolvitur et illustratur. Ea proportio vel in solis cogitationibus, vel etiam in verbis locum habere potest. Quod vero ad cogitationum proportionem attinet, respectu ‚logico', iunguntur a Poetis Sacris in carminibus: a. Sententiae quae eundem sensum mutatis tantum verbis fundunt; ita ut aliae ex asse, aliae ex parte sibi consonent. Et ista quidem proportio duobus passim membris absoluta ‚parallelismus synonymus' vocatur. E. g. Ps. 2, 1. 19, 3. b. Divi Vates iungunt sententias, quae opposita continent, ut eo magis illa oppositione sententiae cuiusdam veritas illustretur atque comprobetur; quod genus parallelismi ‚antitheticum' audit. E. g. Ps. 18, 28. Prov. 15, 1. Habetur denique c. quoddam tertium parallelismi genus ‚syntheticum'. In isto neque eiusdem rei iteratione, neque diversarum rerum oppositione, sed sola constructionis forma, qua sibi certa membrorum proportione invicem ideae respondent et cogitationes continuantur; Poetae Sacri firmius volunt animo inculcare aliquam sententiam. Unde et saepenumero ad solutam orationem quam proxime accedit, atque aegre ab ea nonnunquam discernitur. E. g. Ps. 19, 13. 21, 12. Quodsi parallelismus poeticus in membris suis pari vocabulorum numero constat, perfectus vocatur. E. g. T. O. Ps. 20, 9. Prov. 10, 1. Ubi vero dispar reperitur vocum numerus, imperfectus dicitur. Ceterum posterior frequentissime in S. Scripturis occurrit. E. g. Ps. 31, 2. Ad haec igitur tria genera parallelismi: synonymum, antitheticum et syntheticum advertere diligenter debet ille, qui Libris Sacris Antiqui Testamenti Poeticis explicandis occupatur.

§. 127. Παραλλαγὴ et παρονομασία.

Ut S. Scripturae studiosorum parcamus labori, libet quaedam de parallage ellyptica et paronomasia, quae figurae admodum frequentantur, in S. Libris Poeticis referre. Ne parallelismo pleonasmus molestus, et tautologia inanis oriatur; sed potius cum varietate consona simul brevitas concinnaque venustas festive iungatur, Sacri Poetae parallagen ellypticam adhibuerunt; qua in uno membro parallelo una, in secundo altera res exprimitur: et tamen in ambobus utraque intelligenda est. Haec autem dispositio fit duplici ratione. Interdum α. quaedam voces primi membri prorsus eaedem, neque ullo modo mutatae, subaudiendae sunt in altero quoque membro: ita ut sententiae cuiusdam parte duplice seiuncta et divisa, duae enunciationes parallelatae formentur; in quibus non minus prioris membri voces certae ad posterius membrum, quam huius verba certa ad illud pertinent. E. g. Job. 13, 17. Prov. 10, 1. Vel β. aliqua verba quodammodo antea mutata ex uno membro sumenda erunt, et in altero membro subintelligenda veniunt. E. g. Ps. 1, 6. Isai. 32, 3. Neque tantum haec parallages ellypticae ratio inter unius eiusdemque commatis membra singula; sed etiam inter ipsa singula commata intercedere potest. E. g. Isai. 7, 8. 9. Denique cum u. v. p. 281. dictio V. F. dictioni N. F. quasi fundamento sit; non mirum est: quod etiam in N. F. parallage ellyptica quandoque reperiatur. Vid. Matth. 23, 29. 24, 3. Joann. 14, 10. Rom. 4, 25.; ib. 10, 10. Cf. C. L. Hendewerk, Obadiae Pr. Orac. Regiom. 1836. p. 132. s. J. J. Snouck Hurgronje, de parallelismo membrorum in Jesu Christi dictis observando. Trai. 1836.

Παρονομασία Ciceroni, Rhet. IV, 21. ed. Bip. 1, 96. „Annominatio est, cum ad idem verbum et ad idem nomen acceditur commutatione unius literae aut literarum; aut ad res dissimiles similia verba accommodantur.“ Cum ita dictio commutatione literarum mutat significationem in diversam vel oppositam, oratio leporem, emphasim aut energiam acquirit. E. g. Gen. 49, 8. Soph. 2, 4. Luc. 21, 11. Act. 8, 30. Phil. 20. coll. Rom. 12, 15. In paribus iisdemve verbis diversa sonantibus posita figura Graecis Dilogia adpellatur. Διλογίαις in nomine „τοῦ νόμου“ plena est epistola ad Romanos. Cf. i. c. 2. et 3. Ceterum de Paronomasia finitimisque ei figuris Paulo Apostolo frequentatis docte disputat J. Fr. Böttcher, spec. diss. rh. exeg. Lips. 1833. 4.

Παρεργὸν de Carminibus V. F. alphabeticis.

„Carmina alphabetica“ vocantur ea: quorum singuli vel versus, vel strophae literis primis seriem alphabeti repraesentant. Ad id carminum genus pertinent: Psalmi T. O. 9. 10. 25. 34. 37. 111. 112. 119. 145.; Jeremiae Threni, excepto capite ultimo V. H. V. T. p. 446.; nec non Proverbiorum c. 31. Ib. p. 312. Sed age videamus anne verum sit? id carminum ad elementorum ordinem componendorum genus: „nil esse nisi ineptum seriorum poetarum lusum, qui cum priscae poeseos dignitatem haud possent consequi, novo aliquo artificio, carminum suorum tenuitatem

compensare studebant." Huic imbecilli recentiorum interpretum acatholicorum quorundam opinioni, repugnat ipsorum carminum alphabeticorum s. d. indoles, quae uti e. g. Threni, poetica inventione luminibusque sermonis tropici egregie adornata cognoscuntur; tempore quidem scripta, quod reditum e captivitate babylonica antecessit. V. H. R. D. V. T. p. 447. Quare placet illa aliorum eruditorum interpretum sententia: camina quaedam V. F. ἀκροστίχοις exarata in subsidium memoriae, quo facilius ediscerentur et docerentur a pueris ac plebe. Neque haec ars aliis literis Orientalibus incognita fuit; habent enim similiter carmina alphabetica et Samaritani et Syri; nec postea evanuit, ut apparet e carminibus ecclesiasticis. Cf. G. Gesenii, Carmina Samaritana. Lips. 1828. p. 8. s.

§. 128. Parabolae.

Inter dictionis Biblicae, cumprimis poeticae V. F., lumina referuntur: Parabolae et fabulae. Nomine ‚Parabola[1]' veniunt nobis: illae Divini Codicis narrationes, in quibus fictae res — et quidem si homines stricte parabolae, si res ratione destitutae fabulae vocantur — tanquam in facto positae proponuntur; eo quidem consilio, ut sententia aliqua ad doctrinam[2]; vel mores[3] pertinens illustretur vel in genere veritas quaedam supernaturalis, quae ad constitutionem Regni Messiani[4] spectat, depingatur et quasi oculis subiiciatur. ‚Familiare est Syris et maxime Palaestinis, monet S. Hieronymus[5], ad omnem sermonem suum parabolas iungere; ut quod per simplex praeceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur'[6]. In parabolis sive exempli brevioris, sive τοῦ εἰκόνος, sive inductionis — quae ἐπαγωγὴ gr. dicitur — explicandis, semper attentendae duae sunt partes. Prima est res, quae adfertur in similitudinem[7]. Altera est rei eius applicatio. Cum a recta narrationis i. e. προτάσεως interpretatione, magna ex parte pendeat rei significatae intelligentia, qui parabolas exponere

---

¹) Παραβολή, usu loquendi graecanico, quaevis comparatio in oratione obvia dicitur. In versione τῶν LXX. dicitur similitudo, proverbium, aenigma et quidquid habet aliquid obscuritatis. Coll. hebr. מָשָׁל. Vid. J. Vorstii, de Adagiis N. T. diatribe. Colon. Br. 1669. p. 4. s. Suiceri, Thes. II, 566. J. Fr. Schleusner, N. Thes. Lips. 1821. IV, 186. s. Fabula narratur Jud. 9, 7. ²) Matt. 18, 23. Luc. 15, 3.; 8, 11. ³) Matth. 21, 28. Luc. 7, 41.; 18, 9. ⁴) Matth. 13, 31. 21, 33. ⁵) Comm. in Matth. III. 18, 23. p. 142. ⁶) Cf. II. Reg. 12, 1. Ezech. 18, 2. H. R. D. N. T. p. 297. s. ⁷) E. c. grani sinapis Marc. 4, 30.; fermenti Luc. 13, 21.; oeconomi prudentis Matth. 24, 45. ⁷) Quae partim ab ipsa S. Scriptura fit Matth. 13, 3.; partim ab interpretibus fieri debet. V. Marc. 13, 34.

vult, ille imprimis curabit: a. ut primo indaget quis sit dicentis scopus? qui cognoscitur vel e plena parabolae explicatione[1]; vel ex dicto quodam nervoso, quod praecedit[2]; vel ex conclusione[3]; vel si eiusmodi indicia desunt, sumitur ex toto parabolae corpore. b. Studeat interpres, ut constitutis parabolae partibus, quae ad rem pictam transferri possint, ubi in singulis cernatur momentum comparandi, recte definiat; praecipue ex eius opportunitate, quae aut diserte commemoratur[4], aut saltem e loci contextu cognosci poterit[5]. Neque tamen in singulis partibus praesertim iis, quae ad narrationem ornandam, iuvandamque eius probabilitatem addita sunt, anxie nimis ἀκριβῶς haereat; cum sufficiat similitudinem servire in ea Regni Coelorum parte aut conditione, propter quam declarandam parabola erat narrata[6]. Enimvero adiuncta fere assumta sunt; ut narratio parabolica magis integra fieret, et esset habito respectu ad consuetudinem vitae humanae aptior accommodatio rei materialis ad rem spiritualem[7]. Sensus enim literalis Parabolarum est res primaria, quae occurrit in narratione ad declarandam rem aliam per similitudinem, quam habet cum illa[8]. Omnibus vero parabolis S. Scripturae illa laus tribui debet: sententias, quae iis subsunt, simplices et breves, magnam vim in animum humanum exercere; quarum elocutio ita comparata est, ut disciplinae quoque aestheticae nihil desiderandum relinquat.

1) Matth. 13, 19—21. 2) Matth. c. 20. e c. 19, 30. coll. 20, 16. 3) Matth. 13, 21. 4) Luc. 19, 11. 5) Matth. 25, 14. 6) Itaque non quaeramus, quid Lucae 15, 16. significent: κεράτια, μόσχος etc. 7) Multum autem conducit ad parabolarum intellectum, si cognitas habemus rerum, quae in similitudinibus adducuntur — E. g. zizania, sagena, serpens, vulpes. — proprietates. 8) Differt igitur parabola ab historia et exemplo, — quod est pars historiae, — nam historia est narratio rei vere gestae; parabola vero fictae et ad docendum apte concinnatae. Ita autem benignissimus Salvator parabolis usus est: ut maiori cum simplicitate et dignitate tractari a nemine potuerint. Ad instar tabulae eleganter pictae, ne umbra quidem levissima deesse reperitur, quae absolutam imaginem redderet. Commentarios in Parabolas D. N. J. C. ediderunt: A. Salmeron, de Parabolis D. N. J. C. Col. 1593. Lev. Lemnius, similitudinum ac parabolarum quae in Bibliis ex herbis atque arboribus desumuntur dilucida explicatio. Antv. 1569. C. M. Pfaff, de recta Theol. parab. et alleg. conform. Tüb. 1720. Gray, Vorl. ü. d. Gleichnissr. d. Heilandes ex angl. v. Roos. Hann. 1783. Storr, de parabolis C. Tub. 1779. rep. in op. ed. I, 89. s. J. J. Krome, sämmt. Par. Jesu übers. erl. Fulda. 1823. L. Pflaum, die Gleichnissr. Jesu. Nürnberg. 1823. G. A. van Limburg Brouver, de Parabolis J. C. Lugd. Bat. 1825. W. Scholten, diatr. de Parabolis J. C. Delphis Bat. 1827. F. W. Rettberg, de Parabolis J. C. Gott. 1827. A. H. A. Schültze, de Parab. J. C. indole poetica com. ib. 1827. A. F. Unger, de parabol. J. nat. interpr. usu. Lips. 1828. F. Arndt, die Gleichnissr. J. C. Magd. 1842.

§. 129. De Prophetiis V. F. earumque explicatione.

S. Literae Novi Foederis fidem superstrui volunt Prophetiis Luc. 1, 70. Joann. 5, 39. II. Tim. 3, 15. I. Petr. 1, 11.; quin etiam Vaticinia reliquis probationibus praeferunt. Coll. Exod. 15, 18. I. Cor. 15, 1. II. Petr. 1, 19. s. Cum verò diversi generis impedimenta sensum Prophetiarum difficilem faciant: interest aliqua attexere praecepta, quibus intelligentia Vaticiniorum adiuvetur. Cassiodorio: „Prophetia est aspiratio divina, quae eventus rerum, aut per facta, aut per dicta quorumdam immobili veritate pronuntiat." Praef. in Ps. c. 1. Op. ed. Garetii Venet. 1729. II, 2. De qua, continuat, bene quidam dixit: Prophetia est suavis dictio coelestis doctrinae favos, et dulcia divini eloquii mella componens. Ibid. Prophetae V. T. omnes una et alta voce fatentur: esse Dei Spiritum, quo acti et impulsi ad Divinae Revelationis annuntiationem ferantur. V. Isai. 38, 4. 43, 12. Jerem. 1, 4. 9. 10. 23, 21. 22. 28. Ezech. 1, 3. Joel. 1, 1. Ose. 1, 1. 2. Amos. 3, 7. 8. Hab. 2, 2. Zach. 1, 9. 14. coll. Num. 12, 6. 8. I. Reg. 3, 21. II. 23, 2. III. 20, 35. 36. Act. 1, 16. Hebr. 1, 1. 2. I. Petr. 1, 11. II. Petr. 1, 21. Apoc. 1, 1. Atque profecto hoc satis probatur, effato illo usitatissimo: נְאֻם יְהוָה צְבָאוֹת, dicit Dominus exercituum — qui sc. suum dictum נְאֻם in hominum animis et audire facit et conservat —; quod in nonnullorum Prophetarum singulis fere capitibus invenitur: ut auditoribus et lectoribus inculcetur, non humana et levia sed Divina et gravia a Prophetis Sancti Spiritus nuntiis proponi; quibus fidem habere homines et possint et debeant. Unde recte infertur: non in Prophetis ipsis esse vaticinandi necessitatem, sed Deum per suos Prophetas loqui, qui proinde Divina voce missi, non ex suo sed ex Dei mandato agunt. Mandata frequentissime Prophetis facta sunt: ut ea quae a Deo audiverant sine dissimulatione ulla, sine personarum aliquo intuitu fideliter annuncient. Ad quae respiciens s. Augustinus, quaestion. in Heptat. II, 17. III. a. 601. scribit: „Hic Exod. 4, 16. insinuatur nobis, ea loqui Prophetas Dei, quae audiunt ab Eo, nihilque aliud esse Prophetam Dei, nisi enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire."

Singularis Prophetarum V. F. prae aliis viris Theocratiae praerogativa significatur voce נָבִיא, quo nomine in S. Scriptura non omnes interpretes quoscumque, sed nuntios Dei; qui res divinas, quae sine Dei inspiratione nec cognoscere, nec proferre possunt, hominibus renuntiant, notari alibi docuimus. V. H. V. T. p. 228. Affinia sunt nomina רֹאֶה, חֹזֶה — Vulg. videns — antiquissimi usus coll. I. Reg. 9, 9.; quae ita iunguntur nomini נָבִיא ut eandem quidem rem dicere videantur, ast respectu aliquantulum diverso. Videntes i. e. prospectores dicuntur Prophetae, qui conspiciunt e Divina Revelatione, quod est futurum. Ita fit ut cum de locutione Dei agunt Prophetae, saepe, quae rerum sunt, verbis; et quae verborum sunt, rebus tribuunt: ut dicant se vidisse verbum, visionem audiisse. Cf. Isai. 1, 1. 2, 1. Synonyma sunt, אִישׁ אֱלֹהִים vir Dei, i. e. totus Deo et divinis rebus devotus, qui in et cum Deo vivit. I. Reg. 9, 8. Cognominantur θεόπνευστοι, אִישׁ הָרוּחַ, vir spiritus, a S. Spiritu sc. affectus

actusque Ose. 9, 7.; item מַטִּיף, stillator, qui stillat stillas i. e. minas vel consolationes. Mich. 2, 11. „Vir habens spiritum.... stillabo tibi."

A Prophetis veris S. Literae caute distinguunt pseudoprophetas Deut. 18, 10—15. 20—22. Jerem. 23, 17. s. Ezech. 13, 3. s., quorum non tantum extra Palaestinam, sed et in Terra Sacra, praesertim post schisma decem tribuum et invalescentem idololatriam, per plerasque eius aetates magna fuit copia. Ut ante captivitatem babylonicam Palaestina scatebat huiusmodi falsis Prophetis; sic nec posteris temporibus defuerunt; imo maxime quidem paulo ante veri Messiae adventum, brevique post eundem pseudoprophetae et pseudomessiae apparuerunt. Duplicis isti erant generis. Aliqui eorum, omni posito pudore et reverentia Dei, honoris aut lucri respectu simulabant donum propheticum, quod ipsi suum non esse, probe sciebant. V. Jerem. 14, 14. 24, 26. Aliqui sive corruptae imaginationis vi, sive a spiritu malo acti, sibi omnino persuadebant, et persuasum ibant aliis, esse se veros prophetas, cum falsi essent. Coll. Deut. 13, 1—5. III. Reg. 22, 10—18. Hoc ut in effectum darent, proterve in nomine Domini loquebantur, ac impudentissimo ore missionem suam divinam ac instructionem iactabant. Jer. 27, 14. Imo talia praedicabant, quae populo ad palatum erant. Jerem. 5, 31. 6, 14. A peccatorum autem cum increpatione, tum quoque a comminatione poenarum studiose sibi cavebant. Isai. 56, 10. Neque vero impune ferebant artes suas nominisque Divini abusum, sed morte luebant e lege Deut. 13, 5. 18, 20.; ubi vero magistratus negligentia, aut idololatria veniam ipsis daret, Divina eos vindicta interdum repente e medio sustulit, quo sic evidentius irae suae exemplum in posteros quoque celebre Sanctissimus statuisset Deus. Cf. Jerem. 28, 15—17. Ex inspiratione veri instruebantur Prophetae, et saepius quidem sine speciebus materialibus, immediate lucem supernaturalem recipiebant. Inde solennis ista, atque a s. s. Patribus et Scholasticis passim recepta Prophetiae ratione originis suae divisio: in corporalem, imaginariam et intellectualem.

Ἔκστασις prophetica qualis fuerit? inter Theologos disputatur. Hoc quidem omnes facile concedunt posse: a. Deum formis et sonis, qui ope sensuum percipiuntur ad consuetum hominis captum se adcommodare. Sed et b. in intimo animae adyto repraesentationes et cogitationes producere, absque praevia mentis operatione, simplici u. d. mentis intuitu. Similiter c. animam supra sphaeram consuetae vitae elevare, et ei in hoc statu praeter et supernaturali se ipsum manifestare. Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Vaticinia Prophetis A. T. obtigisse docet s. Paulus Hebr. 1, 1.; passim autem modi isti referuntur: ad somnia, visiones et verba. Somnia sunt revelationes internae, absque sensuum externorum adminiculo, Prophetis revera exhibitae; ut per imagines illis in quiete accurate descriptas intelligerent, quod eos scire voluit Deus. Estque hoc genus Revelationis vetustissimum. Vid. Gen. 15, 12. 28, 12. s. 46, 2. Jud. 7, 15. III. Reg. 3, 15. Indifferens autem erat an id noctu contingeret an interdiu; item an imagines istae vocum essent, an vero simul et rerum. Jam si quis quaerat? unde Prophetae somnia sibi a Deo peculiariter missa, a mere naturalibus distinguerent, respondemus: Ex re ipsa eiusque circumstantiis. Enimvero opinamur eiusmodi somnia caruisse phantasmatibus, quae in aliis somniis dormientes deludunt; vividius animum affecisse atque distincte animis dormientium illas res, quas vellet Deus, obtulisse. Coll. Dan. 2, 27. 28. Job. 33, 14. s.

Alter propheticae revelationis modus est: Visio coll. Isai. 1, 1. 6, 1. 13, 1. Jerem. 1, 11. Ezech. 1, 1. Apoc. 1, 10., qua vigilantes rapiebantur in ecstasin, cessante ad tempus usu sensuum externorum. In hoc statu a S. Spiritu menti Prophetarum exhibebantur et alte infigebantur imagines quaedam, sive figurae rerum propheticae, quibus et praesentiam et voluntatem suam manifestabat Deus: quarum vero sensum aut Deus ipse, vel angelus edocuit. Cf. Zach. c. 1—8. Summus gradus est vox, verbum Divinum; humano simile, quali vir cum viro, amicus cum amico, sermones instituere solet. Cf. Exod. 33, 11. Num. 7, 89. Deut. 34, 10. quod rursus evenit pure, absque aliquo internuntio; vel medio, ultro citrove, explicando et respondendo. Matth. 3, 17. Joann. 12, 28. Act. 9, 4. Aliquando verbum visionibus et imaginibus coniunctum erat. Isai. 6, 9. 21, 6. I. Reg. 3, 1. In his omnibus modis Spiritus Sanctus non mentem solum rerum dicendarum revelatione collustravit; verum etiam effecit: ut Prophetae appositas voces eligerent; quibus ad consilium mentemque Dei oracula sua funderent. Isai. 59, 21. Neque tamen unum propterea omnium et aequabile Vatum dicendi atque scribendi genus reperitur, sed longe diversissimum; perelegans in quibusdam, in aliis simplicius, ut exposuimus ubi de singulis V. F. Prophetis diximus. Natururalia enim dona integra cuique Spiritus S. reliquit; sanctificavit autem eadem, sibique fecit inservire: ita quidem, ut nativa sibi lingua et indole quisque in scribendis vaticiniis uteretur; attamen in tradendis vaticiniis omnibus auctor primarius vaticiniorum Prophetas sic direxit, ne quid a mente ipsius Divina deflecteret.

§. 130. Sermo Prophetarum amplius illustratur.

Quantum ad sermonem Prophetarum attinet, habet quandam sibi privam propriamque structuram, quae ab historico iuxta ac oratorio multum abit, ad poeticum autem quam proxime accedit; figuris grammaticis et rhetoricis pictus sententiosus, gnomicus — quia vulgare dicendi genus non suffecit. — concisus praeterea et abruptus nonnunquam deprehenditur. Quo fit, ut Prophetiae evadant intellectu difficiliores, et diligentissimo scrutinio atque attenta personarum, locorum, temporum et circumstantiarum consideratione, opus sit interpreti. Cum Prophetia sit praedictio de rebus abditis et futuris, gaudet dicendi genere obscuro — praesertim apud Ezechielem, Danielem, Zachariam — symbolico et parabolico. Obscuritas, quae observatur in sermone prophetico, magna ex parte nascitur ex oratione translata. Hinc s. Cyrillus Al., in Isai. 27, 13. verissime monet: „Mos est sanctis Prophetis obscuritate quadam suum obtegere sermonem.“ Op. III, 610. Quin s. Joannes Chrysostomus: „Utiliter et percommode factum esse dicit, ut Prophetiae de Christo et Gentibus deque Judaeorum reprobatione obscurae essent.“ Op. VI. 168. s. Accidisse putat hoc „in obscuritatem Veteris Testamenti, et quod alii alios non debeant accusare.“ Ibid. 180. s. Idem porro s. Doctor in causas obscuritatis Prophetiarum indagavit; et providentiae divinae omnino congruas esse ostendit. Neque tamen propterea visa et vaticinia Prophetarum ita obliquata, dubia, ambagibus submersa; quemadmodum responsa Pythii Apollinis inveniuntur; cuius hoc vitium notavit Arnobius, adv. Nat. lib. 3, 23.

ed. Oehler Lips. 1846. p. 143. Sermo propheticus, qualicumque tandem dicendi genere editus, semper continet orationem intelligibilem; qui enim illum largitus est Spiritus S., propositum sibi habuit: certum et definitum quid, non autem vagum vel incertum annunciare. Aliquae Prophetiae, quas Deus ab omnibus sciri voluit — e. c. de Messia. — etiam ante implementum perspicue et clare traditae sunt; aliae ante eventum obscuriores, post eventum clarissimae evaserunt.

At non solis verbis voluntatem Dei patefacere iussi sunt Prophetae, sed et factis quibusdam symbolicis; ut res significata altius spectatorum animos penetraret. Multum autem disputant interpretes? an revera ea Vates patraverint; inprimis si quae facere iussi sunt, quae cum communi honestate, et gravitate muneris prophetici videntur pugnare! Et istud quidem certissimum esse tenemus: nihil mandatum Prophetis, ut agerent; quod non salva verecundia peragere potuerint. Nonnulla facta symbolica absque dubio sic sistuntur; ut in mera repraesentatione potius, quam rei factae veritate consistat argumentum: et adeo de parabola potius; quam de rei gestae veritate sit cogitandum. E. g. Ose. 1, 2. 3, 1. Ezech. 4, 4. Alia ita narrantur, ut reapse a Prophetis praestita fuere. E. c. Isai. 20, 2. Jerem. 27, 2. s. Ezech. 5, 12. 24. Si ita distinxerimus, suisque in locis circumstantias rerum examinaverimus; sublata erit omnis difficultatis species, satisfietque vi illorum verborum, quibus Prophetae in sua narratione utuntur.

Si obiectum sive argumentum Prophetiarum consideretur, facillimum est, omnes Prophetias distinguere in duas classes maiores. Sunt quae Ecclesiae; sunt quae fata et eventus mundi praenuntiant. Praedictiones, quae ad Ecclesiam respiciunt, in binas rursus species partiri licet; aliae ad Caput Ecclesiae, aliae ad corpus Ecclesiae pertinent. Ad Caput Ecclesiae sive Messiam, quem nos Jesum Christum D. N. esse credimus, referuntur illa vaticinia, in quibus characteres, proprietates, officia, beneficia Redemtoris graphice describuntur. „Omnes enim promissiones Dei“ inquit s. Augustinus, enarr. in Ps. 71, 18. IV. a. 911. „in illo firmatae sunt: quia in illo impletum est,“ „quidquid pro salute nostra prophetatum est. Nam summa montium Scriptura-“ „rum divinarum auctores, id est, per quos ministratae sunt, intelligere convenit:“ „in quibus utique ipse est firmamentum; quoniam ad illum omnia, quae“ „divinitus scripta sunt referuntur. Unde et ipse in terram venit, ut ea cuncta“ „firmaret, id est in se monstraret impleri.“ Uno et consono ore in Christum, quasi in scopum collimant omnes V. F. vates. Coll. I. Petr. 1, 10. Act. 10, 43. Apoc. 19, 10. Hinc ubi aliquid se oculis Prophetarum ostendit, quod Eius memoriam excitare possit, affectu magno rapiuntur ad Christum, quasi delicias suas, factaque digressione demum redeunt ad ceptam materiam. Quae vero Prophetiae spectant Ecclesiam sive Regnum Christi, partim beneficia tempore Evangelii hominibus concedenda canunt; — haec enim intelligunt, cum dicunt: in tempore illo, in diebus illis. — quae passim comparari solent cum rebus „Legis“ sive Oeconomiae Veteris; Joel. 2, 23. Isai. 35, 1. Jerem. 31, 8.; partim loquuntur de acri certamine, victoria et triumpho Regni Christi. Et haec quidem postrema vaticinia quotidie pergunt impleri; sed perfecte implebuntur nisi in fine saeculi. Cf. Rom. 11, 26. Neque praetermittendum est, Prophetas cum repromissiones faciunt Sioni sive Jerosolymae, de Urbe Judaica ad mysticam i. e. Ecclesiam assurgere; quae cepit in Jerusalem, et veteri labenti ibidem

surrogata est. Isai. 2, 3. 60, 1. 62, 1. Prophetiae quae fata mundi describunt vel singularium gentium: Judaeorum, Aegyptiorum, Assyriorum, Chaldaeorum, Idumaeorum, Arabum, Philisthaeorum, Syrorum, Moabitarum, Ammonitarum; aut personarum mundi nobiliorum: Nabuchodonosoris, Cyri, Alexandri M., Machabaeorum eventus praedicunt. Saepe per nomina gentium, quae erant populo electo hostiles; Prophetae significant omnes omnis aevi populos impios, adversarios Ecclesiae a Christo subigendos. Coll. Ps. 2, 8. s. 109, 5. s.

Veram Prophetiam a falsa discernit implementum prophetiae. Isai. 44, 22. coll. Num. 23, 19. Deut. 18, 21. Ps. 32, 4. Magna interim se offert difficultas, cum de implemento singulorum vaticiniorum in specie quaeritur? Enimvero Revelationis supernaturalis adversarii urgent: quandoquidem Prophetiarum veritas ex eventu aestimanda est; unde fiat quod multis Prophetiis eventus non respondeat? Ut elevetur vis huius obiectionis distinguere oportet Prophetias; ut aliae absolutae esse censeantur; aliae a conditione quadam aperte vel tacite expressa suspensae. Coll. Jerem. 18, 7—10. Illas semper impleri necesse est; has tum demum, ubi conditio a qua pendent locum habet. Porro observatione dignum est: eiusmodi conditionem in comminationibus sive promissionibus saepe subintelligendam innui. E. c. Isai. 38, 1. s. Jon. 3, 4. Ex singularibus autem, quibusdam accidentibus colligi potest, quae praedictiones in censum absolutarum referendae sint. Nimirum ad illas spectant: a. eae quibus singulares eventus cum suis circumstantiis et definitione loci, temporis, modi et personarum annunciantur. b. Ad absolutas numerantur porro illae Prophetiae, quibus res praedicuntur, quae in solius Dei manu atque arbitrio sunt; nullaque hominum mutatione mutari posse palam est. c. Illae quas Deus confirmavit miraculo, vel iure iurando. Isai. 54, 9. Denique d. quibus ea praenunciantur, quae omnem captum ingenii humani longe superant; et in se considerata, omni probabilitate et verisimilitudine destituta sunt. Isai. 44, 6. 7. 20. 21. 22. Quorundam Vaticiniorum implementum denique adhuc expectandum est.

Ad extremum addimus nomina Scriptorum qui de Prophetia et Prophetis in genere sive obiter sive ex instituto egerunt: Sunt S. Thomas Aquin., Summa II, 2. q. 171. s. ed. Parmae 1853. III, 568. s. Cornelius a Lapide, in Prophetas prooemium, canones prophetis faciem praeferentes, Comm. in Proph. Mai. ed. Antv. 1676. p. 1—41. E. L. du Pin, Prolegom. l. I, c. 1. p. 34—46. N. Serarius, Prolegom. c. 4. 5. p. 10. s. A. v. Dale, dissertationes de vera ac falsa Prophetia. Amstelod. 1696. p. 187—360. C. Vitringa, Typus doctrinae Propheticae iunct. ei. Hypotyposi Hist. et Chron. S. Leovard. 1716. Ei. Obs. S. VI, 10. p. 360. s. N. Gürtler, Voc. typ. Prophetic. expl. Amstel. 1721. J. H. G. Carpzov, Introductio ad libros propheticos Bibliorum V. T. Lips. 1721. p. 1—87. Herm. Witsius, Miscellanea S. I, 1. Lugdun. Bat. 1726. p. 1—318. Lilienthal, die gute Sache der Offenbarung. Königsberg. 1750—58. W. Smits, L. Exodi elucid. Antv. 1757. I. prol. p. 84. s. C. A. Crusius, Hypomnemata ad theologiam propheticam. Lips. 1764—78. Anonymi Angli, Bew. a. d. u. Proph. d. d. Mess. g. Lond. 1819. C. F. A. Engelmann, die wicht. Weiss. d. Proph. v. Jesu Chr. Leipz. 1830. J. Beck, über die Entwickelung und Darstellung der messianischen Idee. Hannover 1835. F. Herd, Erklärung der messianischen Weissagungen in A. B. Regensb. 1838. F. Dieringer, System der göttl. Thaten des Christenthums. Mainz 1841. I, 297—328. F. Delitzsch, die biblisch-prophetische

Theologie, hist. krit. dargestellt. Leipz. 1845. Ei. bibl. Comm. ü. d. Pr. Jesaia. Leipz. 1866. prol. p. 5. s. Hävernick, Einl. i. d. A. T. II, 2. Erl. 1844. p. 1. s. J. Bade, Christologie des Alten Testaments. Münster 1850. I, 3—48. Fr. Duesterdieck, de rei propheticae in Vetere Testamento quum universae tum messianae natura ethica. Goettingae 1852. L. Reinke, Allgemeine Einl. in die Weissagungen, insbesonders in die mess. Beitr. II, 1. Münster 1853. E. W. Hengstenberg, Christologie des alten Testamentes III. B. 2. A. Berlin 1857. p. 1. s. A. Keith, Zeugnisse für die Erfüllung des prophetischen Schriftwortes als Beweise für die Zuverlässigkeit desselben. Frankfurt 1858. C. F. Keil, Lehrb. d. h. k. Einl. d. A. T. ed. a. Frankf. 1859. p. 192. s. Oehler, ü. d. Verh. d. alttest. Prophet. z. heidn. Mantik. Tüb. 1862. Id. in Herzogs R. E. XII, 211. s. Fr. H. Reusch, Lehrb. d. Einl. i. d. A. T. ed. a. p. 76. s. A. Tholuck, die Propheten u. ihre Weissagungen. Gotha. 1860. Collectio: Gess, Preiswerk, Riggenbach, Sartorius, Stockmeyer, s. t. Vorträge üb. d. Proph. Bas. 1862. J. H. Kurtz, z. Theol. d. Psalmen. Dorp. 1865. p. 2. s. Prophetias destruunt et negant ex acatholicis interpretibus: Eichhorn, die hebr. Propheten. Gött. 1816—19. De Wette, de Prophetarum in V. Testamento et doctorum Theologiae in c. e. ratione, opusc. theol. ed. Berol. 1830. p. 172—194. Einl. p. 271—276. C. A. Credner, der Prophet Joel. Hal. 1831. p. 52—88. Fr. G. C. Umbreit, de V. T. Prophetis clar. antiq. temp. orator. Heidelb. 1832. F. Hitzig, der Prophet Jesaia. Heidelb. 1833. p. XXII—XXXIII. A. Knobel, der Prophetismus der Hebräer v. dargestellt. Breslau 1838. F. B. Köster, die Propheten des A. u. N. B. nach ihrem Wesen und Wirken. Lips. 1838. H. Ewald, die Proph. d. A. B. Stuttg. 1840. I. prol. E. Meier, Geschichte der poetischen National-Literatur. Leipz. 1856. p. 243—444. G. Baur, Gesch. d. alttest. Weissag. Giess. 1861. I, 9. s. His omnibus viris pertinax insidet opinio, de negando quocumque Dei interventu extraordinario. Qui semel ita decreverunt, eos praesumta sua opinio iubebat: Vaticinia ad humanam originem contorquere; et Prophetas pios futurorum augures dicere. Quam opinionem vehementer improbandam et reiiciendam esse docet Apologia D. Revelationis. Cf. Fr. Hettinger, Apologie des Christenthums. Freib. 1863. I, 582. s. 682. s. Literalem sensum, qui s. Scripturae fundamentum est, illustribus vaticiniis eripit etiam J. C. K. Hoffmann, Weissagung und Erfüllung. Nördlingen 1841. 1842., qui licet rei christianae minus ac priores adversetur, affectui tamen suo praeter rationem indulget, ideoque a vero non semel aberrat.

§. 131. Res circumiectae sive circumstantiae.

S. Augustinus, de doctr. Chr. III, 4. p. 82. praeclare monuit: „Circumstantia ipsa sermonis, cognoscitur scriptorum intentio.“ Quae res circumiectae, sive circumstantiae vocantur: adiuncta sunt, quae interpretandi Textus U. F. scriptionem afficiunt; quare non parum saepe ad investigandum consilium conferunt. Quo plura enim rei cuiusdam adiuncta undequaque cognita sunt; eo clarius pleniusque res ipsa explorata erit. Praedictae autem circumstantiae, si de Historiis agatur, expendendae sunt: locus ubi personae agentes loquentesque sistuntur et in quo moratus est scriptor; neque minor ratio habenda

est temporis, iuxta quod gesta quae narrantur ordinare oportet. Geographiam et Chronologiam duo Historiarum magna luminaria iure adpellant. Notitiae loci et temporis, accedat aliarum quoque circumstantiarum attentio; maxime vero rituum morumque, qui iis in regionibus vigent. Enimvero multae S. S. U. F. ex his natae sunt formulae loquendi; quae nonnisi ab eo qui eorum perfectam cognitionem habet, distincte explicari queunt. Sine accurata harum rerum scientia, Verba Divina saepe torquentur atque pervertuntur; quod quam indignum sit S. Libris, et quam diligenter cavendum, sua sponte sequitur. Unde igitur sedulo discenda est S. Literarum studiosis γεωγραφία — v. N. T. S. G. p. XV. — Terrae Sacrae veterrima et recentior; ubi quod pertinet ad Palaestinam eiusque varias vicissitudines in modo descriptionis, finium et imperii civilis edocemur. Deinde Geographiae adiungenda est etiam temporum scientia, quae in S. S. plurimas habet difficultates; latissime vero patet usus Chronologiae, cuius ope narrationes L. L. S. S. U. F. ad sua tempora et temporum partes — annos, menses, dies — accommodantur. Nec porro superficialis consuetudinum Hebraicarum requiritur, sed exacta; quae sententiarum vim saepe saepius aperit. Atque haec sunt fere maiora ex hoc genere; cetera etsi minora sunt uti: res monetaria, mensurae et pondera, agricultura, pastura, mercatura, et quae sunt s. d. civilis Archaeologiae capita; tamen si ignorantur, impediunt interpretem. Habet autem haec ratio subsidiorum Geographiae, Chronologiae et Archaeologiae plures cautiones; nam videndum, ne eius studio nimis inhaereamus, deinde ne iis scientiis inepte abutamur. Gravibus id genus erroribus laborant viri eruditi nostri temporis, ubi a suis placitis in explicandis S. S. coeci pendent. In genere Hagiographum ad tales res, vel certos ritus et consuetudines respexisse, tunc nisi sumendum erit: quando Sacer Scriptor aperte hoc fatetur; aut verba, quibus utitur, locique nexus haud obscure ea de re monent. Secus autem eum ad haec vel illa respexisse, sumere non licet; praesertim ubi verba aliis locis parallelis satis explicari possunt. Exempla usus et abusus Antiquitatum S., ne in molem crescat praesens de S. S. eiusque interpretatione commentarius, adferre omisimus.

§. 132. Loci S. S. Paralleli et Analogi.

Vocem „παράλληλος" a mathematicae magistris mutuati sunt Theologi; quemadmodum enim illi lineas, quae in eodem plano positae aequali spatio ab invicem distant „parallelas" vocant: sic isti Textus S. S. „parallelos" adpellant, qui aut ob rem de qua agunt, aut ob verba quibus eandem rem tractant; eam inter sese similitudinem sive proportionem habent, ut alius ex alio intelligi explicarique locus possit. Ergo ut loci paralleli habeantur, duo requiruntur: a. convenientia sive in verbis et rebus, sive in rebus modo; b. ut alter ad alterum sic referatur Textus, quod eius aliquid dilucidet. Ideo recte prior Parallelismus „verbalis" est; posterior „realis" dicitur; ab illo tamen semper quem „poeticum" vocamus, et de quo superius egimus p. 285., probe distinguendus. Cum ille quippe intra unius alteriusque periodi limites continere se debet; hic autem per integra S. Biblia vagetur. Parallelismi usus in explicandis S. Scripturis latissime patet. „Magnifice et salubriter, animadvertit S. Augustinus, de doctr. Chr. II, 6. p. 36., Spiritus Sanctus ita Scripturas Sacras modifi-

cavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur." Paralleli utriusque generis loci tam verbales quam reales in S. Codice U. T. dari, liquidum est: cum non modo duae pluresve sententiae, seu enunciationes in Proverbiis Salomonaeis, Historiis V. T.; Evangeliis, Epistolis, sed et integra capita, narrationes sermones paralleli inveniantur: quorum comparatio cum aliquod sibi lumen afferre possint, ad capessendam notitiam S. Scriptorum atque argumentorum, ad varias loquendi rationes perspiciendas, interpreti magno subsidio est. Facta quadam familiaritate cum ipsa lingua Divinarum Scripturarum, in ea quae obscura sunt aperienda et discutienda sic pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant. „In qua re memoria — nostro tempore etiam Concordantiae v. p. 62. s. — valet plurimum; quae si defuerit, non potest his praeceptis dari." S. Augustinus, de doctr. Chr. II, 9. p. 41. Ut vero recte parallelismus locorum S. S. instituatur, sequentia observare praecepta, non parum conferet: α. Cum in quavis lingua haud paucas invenire voces sit, quae plures easque diversas habeant significationes, nequaquam statim consequitur, ea loca inter parallela esse computanda, si in iisdem easdem voces dictionesve deprehendimus; sed ex contextu, loquentis consilio et adiunctis historiarum, quaenam vocum in quovis loco potestas sit? erit definiendum. Sane inepte quis ad locos parallelos referret Joann. 8, 24. et Num. 27, 3. Sed neque β. ad locos parallelos necesse est requirere, ut easdem voces contineant aut phrases; sed paralleli ii quoque merito habentur, in quibus vox seu phrasis synonyma II. Reg. 8, 18. et I. Paralip. 18, 17.; Matth. 16, 25. et Luc. 9, 24., imo et prorsus contraria et opposita legitur; eo quod synonyma aeque ac opposita ad intelligendum quemdam locum haud parum luminis conferunt γ. Cum eaedem voces, aliis atque aliis in locis, diversa significantes inveniuntur, probe earum notio generica consideranda est; et videndum, qua in re sibi respondeant, in qua vero dissentiant. E. g. vox δικαιοῦν, δικαιοσύνη; ἁμαρτάνειν, ἁμάρτημα in Epistolis S. Pauli. δ. Nonnunquam diversas parallelismi rationes inire oportet, ut locus aliquis illustretur. Ita e. c. verbis Joann. B. Joann. 1, 29.; parallelis Isai. 16, 1. 53, 7.; quoad priora verba: „Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ" lumen affertur, instituto parallelismo cum frequentissimis his et aequalibus V. F. locutionibus — Lev. 24, 9. sacrificia Domini ib. 23, 12. holocaustum Domini, Exod. 29, 18. victima Domini — quibus Hagiographi significare consueverunt, aliquam rem Deo sacram sive devotam. Quod attinet ad posteriora autem: „ecce qui tollit peccatum mundi"; ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου; haec verba idem valere ac: solvere, pendere peccatorum poenas, confirmatur coll. l. Exod. 28, 43. Lev. 5, 17. ubi eadem locutio, aut aequalis, quae idem valeat, habetur. Coll. et I. Pet. 2, 24. V. Comm. n. p. 270. s. Denique ε. definiendum est, quinam locus e duobus aut pluribus parallelis clarior sit ceteris? atque ex illo ceterorum illustratio petenda, et si unus parallelus non sufficit rei conficiendae, alii conquirantur ac comparentur. In quo autem discrepent paralleli ab analogis locis S. S. facile perspicitur. Plurima utique capita in S. Paginis reperire est, quae iisdem fere verbis descripta, non semel leguntur. E. c. II. Reg. 22, 2—51. Ps. 18, 1. T. O.; 17, 1. s. V. I. Paral. 16, 23—33. et Ps. 105. T. O.; 104. V. Paral-

lelos locos iam passim collegerunt, evolveruntque eruditi S. Scripturarum expositores; ita ut his diebus illos invenire haud difficile sit. Unde potius labor illorum, qui S. Scripturis explicandis operam navant, assidue eo enitatur; quaerere utrum inter parallelos locos S. S. U. F. relati, revera tales sint, qui diligenti examine perquisiti, revera sibi invicem mutuo respondeant.

§. 133. Allegata, sive Testimonia N. T. ex A. T. desumta.

„Allegata“ dicuntur: verba unius Scriptoris S. ab aliis Hagiographis relata sive citata. Quae cum aliquam S. Scripturae partem constituant; quid de his iudicandum sit? eo magis erit examinandum, quod comparatio huiusmodi locorum nunquam non utilis sit, et hac super re varia variorum, cumprimis acatholicorum interpretum, erronea sententia ventiletur. Ac primo quidem diversas rationes, quibus verba S. S. allegantur, saepe considerare necesse est. Primo examinanda erit: Allegatorum sive citationum differentia. Sic adducuntur 1. integrae sententiae ad probanda vel fidei dogmata, vel morum praecepta. Matth. 4, 10. Coll. Deut. 6, 13. Usurpantur 2. vaticinia vel ut iam completa; Act. 2, 25. coll. Ps. 15, 8. vel ut complenda Rom. 11, 26. coll. Isai. 59, 20. Simili fere modo laudantur 3. facta sive exempla probantia et illustrantia; Marc. 2, 25. I. Reg. 21, 6. vel 4. res atque dicta quae allegorice applicantur ad res Novi Foederis sensu spirituali. V. p. 263. Denique 5. Typi ad Antitypum referuntur. Ib. p. 267. Secundo accuratius examinanda est quaestio de allegatorum fonte ac sede. Ubi notandum quandoque veluti digito locum V. F. monstrari. Ita v. g. Matth. 1, 23. Isaias 7, 14.; Act. 2, 27. coll. Ps. 16, 8. s. T. O. 15. V. Davides. Alias sedes dicti in genere tantum demonstratur. Coll. Luc. 24, 44. Nec rarum Hagiographorum N. T. allegata pluribus V. F. locis mutuo iunctis respondere; vel ad universam locorum similium syllogen V. F. respicere N. F. Cf. Rom. 3, 13. Ps. 5, 10. 139, 4.; 9, 7. s. Gen. 21, 12. 18, 10. 25, 22. 3. Saepissime vero contingit allegationem indefinitam esse, nullius plane scriptoris vel libri iniecta mentione. Matth. 4, 4. 7. 10. „scriptum est“ coll. Act. 23, 5.; vel Deus allegatur eiusque Spiritus loquens Act. 13, 47. coll. Is. 49, 6.: et dixit eis, quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die. Quod ad formam allegationis externam observatur: Tertio verba quae citantur interdum eadem fere, aut levissima facta mutatione repeti. V. c. Matth. 4, 4. coll. Deut. 8, 3. Brevitatis et perspicuitatis gratia ab Apostolis aliquando sensus tantum locorum S. S. V. F. retinetur: mutatis verbis vel per additionem Matth. 19, 5. Gen. 2, 24., 15, 9. Is. 29, 13.; vel per detractionem Matth. 4, 4. 4, 15.; 12, 21. Isai. 29, 13. 9, 1. 42, 4.; vel per commutationem Matth. 21, 5. Zach. 9, 9. Nec insolita est mutatio cum vocum ipsarum, tum earum accidentium; ex quo accidit allegata N. F. fontibus suis verbisque locorum allegatorum tantum non adversa et contraria videri; quae tamen si penitius inspiciantur, expositionem potius et veluti commentarium dictorum V. F. exhibent. E. c. Act. 1, 28. Ps. 68, 26. Heb. 10, 5. Ps. 39, 7. Quid quod aut generalis doctrina ad specialem materiam applicetur Act. 1, 20. Ps. 68, 25.; aut dictum speciale de una re, ad rem similem aliam accommodetur. Matth. 13, 14. Isai. 6, 9. Hoc demum quarto observare oportet: loquentes vel scribentes in N. F.

loquendi formis et s. d. phraseologia ex V. F. uti, quin citare vel allegare intendant. E. g. B. V. Maria in Cantico „Magnificat." V. H. N. T. p. 6. n. 2. Eiusmodi allusiones ad facta et sermones V. F. perquam frequenter in Apocalypsi reperiri monuimus. H. R. D. N. T. p. 517. Apostoli et Evangelistae non semper secundum Hebraeum Textum, sed secundum graecam, quae τῶν LXX. vulgo dicitur, versionem a fonte originario hinc inde discedentem citasse — eo quod ii, quos Scriptis suis erudierunt graecae quam hebraicae linguae erant peritiores. — iam olim animadvertit S. Hieronymus, prooem l. XV. comm. in Isaiam IV, 625.: Crebro dixisse me novi, Apostolos et Evangelistas ubicumque de Veteri Instrumento ponunt testimonium, si inter hebraicum et septuaginta nulla diversitas sit, vel suis, vel septuaginta interpretum verbis uti solitos. Sin autem aliter in Veteri Editione sensus est, Hebraicum magis, quam septuaginta interpretes sequi." Libro IX. ad Is. 29, 16. p. 396. autem praecipit s. Doctor: In quibus cunctis illa semper observanda est regula: Evangelistas et Apostolos absque damno sensuum interpretatos in Graecum ex Hebraeo, ut sibi visum fuerit. Cf. H. N. T. p. 269. 462. Tandem quinto commemorantur historiarum V. F. circumstantiae, vel res connexae in N. F., de quibus altum in V. T. est silentium — v. c. Luc. 4, 25. et Jac. 5, 17. coll. Reg. III. 17, 1.; II. Tim. 3, 8. coll. Exod. 7, 11. — quae ex traditione orali, vel immediata θεοπνευστία deducendae sunt. Quid de citatis τῶν ἀθεοπνευστῶν in S. S. sentiendum sit, exposuimus H. N. T. p. 365. 418. s. 495.

§. 134. Conclusionum N. F. ex Allegatis V. F. vis et ratio.

In allegatis S. S. locis sive ad demonstrandam sententiam primariam, sive ad unam ex adiectis adferantur iudicandis; non tantum eo advertere debet interpres animum, unde sumta sint? sed et quomodo cum enunciatione demonstranda cohaereant; et qualem habeant probandi vim indagare, tum si quae forte argumentationis partes desint, attendere. Ac primo despiciendum est, utrum S. Scriptor ipse aliena verba alleget, an aliquis alius? si alius, rursus quaerendum, utrum is, cuius auctoritati refragari nefas sit, an secus; atque num ideo vel minus recte ea protulerit, vel prave etiam exposuerit. Eiusmodi erant allegationes Judaeorum Matth. 17, 10. „et interrogaverunt eum discipuli dicentes, quid ergo scribae dicunt, quod Eliam oportet primum venire." Cf. Mal. 4, 5. H. V. T. p. 532. Si autem S. Scriptor ipse, aut alia persona inspirata, cuius auctoritas necessario suspicienda erit, in allegando versetur: quaerendum est secundo, utrum ad aliquid probandum, et quonam argumentationis genere verba alleget. Si primum fiat, dubitare nequimus horum verborum significationem illam esse, in quam ab eo accipiuntur, qui ea allegat. Cf. Isai. 7, 14. „Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel"; coll. Matth. 1, 22. 23.; item Gen. 2, 24. coll. Matth. 19, 3—6. Vis probandi allegatis eadem manet sive directa sit argumentatio, sive indirecta; atque illud solum hac in re cavendum est, ne sensum spiritualem pro literali habeamus. Quidquid roboris in Hagiographorum similibus argumentis est, id omne in alterius, quem citant, ponunt auctoritate: etenim allegata deficerent, nisi ad alterius provocans aucto-

ritatem, totum probandi pondus iis sustentaret. Quodsi vero allegatum dictum „κατὰ τὸ ῥητὸν“ in Veteri Foedere nullibi reperiatur; sed „κατὰ τὴν διάνοιαν“ i. e. per consequentiam — e. c. Matth. 2, 23. „Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur.“ Coll. Gen. 49, 26. Isai. 11, 1. H. N. T. p. 15. — non est statim lacuna vel corruptio S. S. arguenda, sed vis argumenti, et ratio divina argumentorum Spiritus S. agnoscendae sunt. Cum vero tertio in allegationibus impropriis S. Scriptores alienis verbis ut suis utuntur — e. g. Matth. 13, 35. coll. Ps. 77, 2. — phraseologiam tantummodo consideret interpres. Atque in talium locorum interpretatione haud profecto opus est, ut interpres anxie curet, utrum secundum orationis in libris V. F. contextum ad eandem rem pertineant, de qua in N. F. prolata sunt; ex tali allegatione nihil plus discere oportet, quam sensum, in quem verba illa Hagiographus N. F. usurpavit. E. c. s. Paulus ubi scribit: Heb. 13, 6. ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor: non timebo, quid faciat mihi homo. Coll. Ps. 117, 8. Advertat quarto denique interdum non tam propter citata verba, quam propter conclusionem inde fluentem, vel propter argumentum ex toto isto loco sumendum oraculum aliquod allegari — v. c. Matth. 8, 17. Isai. 53, 4. „ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.“ —: quae quidem citandi S. S. ratio „analogica“ quibusdam interpretibus vocatur. Videantur ceterum hac de re: J. Wiggers, de interpretationis genere, quo in explic. V. T. N. T. Script. usi sunt. Rostoch. 1837. J. H. Scholten, disq. de loc. nonnull. Ev. in q. V. T. libri ab Jesu laud. Amst. 1856.

§. 135. Observationes περὶ ἐναντιοφανῶν.

Si in comparandis locis parallelis S. Scripturarum U. F. reperiantur, quae pugnare inter se videntur ‚ἐναντιοφανῆ‘ oritur; sive ‚ἀντιλογία‘ — idem quod contradictio. — habetur. Harum plurimas in Divino Codice reperiri clamant αὐτοκατάκριτοι νεώτεροι. Fatemur equidem multas in S. Literis adparere contradictiones, quae quidem si Dei vel angeli, aut hominis theopneusti dicta referunt; revera sibi contrarii esse nequeunt. Quis enim S. Spiritui D. Literarum auctori contradictionem affingere ausit? Unde interpretis est, prius detegere causam antilogiarum; deinde earum pugnam tollere. Repugnantiae autem species existit in locis vel dogmaticis vel historicis; pugnare porro videntur interdum scriptores N. F. secumetipsis, interdum cum aliis vel N. vel V. T. scriptoribus. Rationem dissidentes Textus conciliandi, ipsa ‚contradictionis‘ notio docet; quae est ‚eiusdem, de eodem, secundum idem affirmatio et negatio.‘ Ex ista notione antilogiae sequitur, apparentem contradictionem cessare: vel si non eiusdem

rei sit affirmatio et negatio; vel non de eodem; vel non secundum idem. Ne quando autem in locis S. S. ad speciem sibi repugnantibus ad concordiam vocandis, frustra torqueri contingat: cum in aliquid huiusmodi incurrimus, primum quaeremus, de quali subiecto uterque Textus sibi oppositus agat; num de eodem vel diverso [1]. Sua sponte enim intelligitur, quod de diversis subiectis in S. Codice etiam diversa vere praedicari possint. Si ex parte subiecti nulla tollendae repugnantiae via apparet; recurrendum est secundo ad praedicatum; ubi eadem, quae de subiecto monuimus, erunt observanda [2]. Tertia ratio conciliationis locorum, qui sibi opponi videntur, saepe etiam in diverso contextu, aut consilio est quaerenda; ubi enim diversum disputatur argumentum, ibi etiam diversa enunciari possunt [3]; et qui diverso agendi consilio ducuntur, etiam ut diversum teneant modum, res ipsa exigit. Quarto saepe saepius in Historiis repugnantia expeditur, attento accurate tempore, ceterisque quae cum historiis rei, de qua quaeritur, cognata sunt. E diverso in eadem re narranda consilio ac modo — ut saepe in Evangeliis. — facile species dissensus oritur; haec enim ubi diversa sunt, existimata etiam evanescit repugnantia [4]. Quandoque quinto ,ἐναντιοφανεία' non aliunde dependet, quam quod in alterutro loco mendum habeatur, tunc criticae artis est disquirere: uter sit locus in quo mendum est? et eum locum, qui ammanuensium oscitantia corruptus fuit, emendatione restituere oportet [5]. Obscurior locus dogmaticus explicetur iuxta clariorem, qui omnem ambiguitatem excludat; et ille in quo dogma aliquod obiter commemoratur, ex eo qui est in illo argumento ut dicitur ,classicus.' Si neque his regulis adhibitis sensum assequi continget, meminerimus Scriptores S. Bibliorum res, quas narrant, paucis plerumque perstringere et plura consulto reticere; utpote quae ipsorum aetate omnibus nota essent, quibus tamen ignoratis quaedam in S. S. nobis obscura fieri necesse sit. Denique in obscuris sensibus, praesertim ubi oratio vel vox in Versione aequivoca est, utilissime recurritur ad Textum Originarium [6].

---

[1]) E. c. Job. 15, 15. coll. 4, 18. Sap. 5, 16.; Exod. 20, 5. Ezech. 18, 20. [2]) E. g. Gen. 22, 1. Jacob. 1, 13. [3]) E. c. Rom. 3, 28. Jacob. 2, 24. [4]) E. c. Gen. 46, 27. Act. 7, 14. [5]) E. c. II. Paral. 36, 9. coll. IV. Reg. 24, 8. 9. Isai. 22, 28. 30. [6]) Ut iam monuit S. Augustinus, de doctr. Chr. III, 4. p. 82. Antilogias

§. 136. Consilium, quo S. Scriptura exarata est.

Sicut omnis actio e certo animi consilio proficiscitur, atque inde diiudicanda est; ita et oratio aut liber aliquis, de ipsius scribentis vel loquentis proposito erit aestimandus: ut quae notio, quique sensus huic consilio repugnat, eum respuamus; accipiamus vero eum, qui unus solus, vel qui reliquis melius huic respondet. Quoniam vero plures ad unum eundemque finem persaepe actiones conspirant; quarum quaelibet suum particularem finem respicit: licet consilium S. Librorum quadruplici modo considerare. Vel ut omni S. Scripturae est commune; vel ut singulis eius Libris est proprium; vel ut est huic illive cuiusdam Libri pericopae speciale; vel ut aliquam periodum, phrasim aut sententiam peculiarem attingit. Commune S. Librorum omnium U. F. consilium est: Jesus Christus! Nimirum ut salutis viam monstraret Deus; ideo S. Literas dedit Spiritus Sanctus. Divo Petro enim testante [1], nemo alius est in quo nos salvos fieri oporteat, nisi in Christo Jesu: unde non tantum Moyses de eo scripsit [2]; sed et Prophetae omnes a Samuele et deinceps qui locuti sunt, annunciaverunt dies eius [3]. Neque tamen cum dicimus: finem ad quem omnes Hagiographi tendebant esse Jesum Christum; id volumus quasi omnes S. Scripturae pericopas de Jesu explicandas esse arbitremur: sed ita rem accipiendam putamus, multa — E. c. Prophetias — de Christo, cetera propter Christum — E. c. Historias, Genealogias — esse literis mandata; quorum alia proximiorem alia remotiorem habent relatinemo ad Salvatorem. Consilium orationis aut integri Libri, saepe quidem ex occasione eius efficitur [4], interdum sive ab initio [5], sive in libri decursu [6] indicatur; aut e nexu loci [7], aut ex omni Scriptionis argumento elucet. Quod quandoque unicus eruendi consilii modus est [8].

S. S. in unum diligenter collegerunt et apte conciliarunt: Seraphinus Cumiranus Minor. Antv. 1557. s. t. Conciliatio Locorum communium totius S. S. qui inter se pugnare videntur. rep. Vienn. 1665. et acath. J. Thaddaeus, Conciliatorium Biblicum. Amstel. 1648. Egregia hanc in rem dabit quoque J. de Ulloa S. J., Dec. tr. princip. pro intell. S. S. ed. Graec. 1748. p. 311. s.

[1]) Act. 4, 12. [2]) Joann. 5, 46. [3]) Act. 3, 18. s. [4]) Luc. 16, 19. [5]) In Proverbiis. V. H. V. T. p. 311. [6]) Joann. 20, 31. V. H. N. T. p. 294. [7]) Phil. 2, 6—11. Ib. p. 441. [8]) E. g. in Prophetiis.

Invento cuiusdam libri consilio proprio, speciale quoque alicuius libri definire difficile non est; modo cum antecedentibus, et cum totius Libri consilio, quae quaeruntur, probe comparentur[1]. Cum vero speciale perquirimus consilium, videndum, ut inter consilium scribentis et loquentis bene distinguamus; eo quod Scriptores Sacri aliorum hominum, etiam improborum, quorum personam tantisper sustinent, sensus atque affectus veluti suos quandoque exprimere videantur[2]. Certus vero fit interpres de assecuto ab se Hagiographi consilio, si sermonis omnes circumstantiae ad eum ipsum collineent.

§. 137. De Codice Sacro explicando iuxta ‚Analogiam Fidei.‘

Norma, ad quam velut ad lydium lapidem, omnis S. Scripturae interpretatio exigi et iudicari debet, est ‚Analogia Fidei.‘ ‚Analogia fidei‘ nomen Doctori gentium[3] proprium, definitur: ‚mutuus doctrinarum cum S. Literis, tum viva voce traditarum consensus‘[4]. Cum omnis Doctrina Revelata a Deo originem ducat, unumque totum constituat; inter eius partes mutuus consensus adsit necesse est, unde fluit regula specialis: Textus S. S. qui cum veritatibus, alibi claris, pugnare videntur, ita exponantur, ut cum his consentiant. Interpres catholicus itaque non solum: quam significationem quodvis verbum grammatices vi habeat, indaget; sed et doctrinam Ecclesiae Catholicae attendat oportet. Huius notitia eum ducat diri-

---

[1]) E. c. s. Pauli II. Cor. c. 11. et 12. coll. H. N. T. p. 401. s. [2]) Cf. Matth. 14, 21. 2. [3]) Qui Rom. 12, 6. monet, ut Christiani donis gratis datis — v. H. N. T. p. 508. s. — utantur „κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως.“ [4]) In sumenda „Analogia Fidei“ nobiscum facere videntur orthodoxi Acatholicorum magistri contra Socinianos aliosque incredulos; — v. G. Ruitenschild, de adh. q. v. doctrinae analogia in L. s. interpr. Lugd. Bat. 1823. — revera autem seiunguntur, quia S. S. Patrum et Ecclesiae auctoritatem excludunt. Cf. J. Dallaei, de usu Patrum. Gen. 1666. D. Whitby, de S. S. interpr. sec. Patrum comm. Loud. 1714. Ch. Alethophili, de S. S. atque Antiqu. Eccl. in Theol. usu et auctor. Jen. 1735. G. H. Ribovii, de Oeconomia Patrum. Gott. 1748. C. Fr. Roesler, de var. disp. meth. Vet. Eccl. Tub. 1784. J. G. Rosenmüller, de Traditione Hermeneutica. Lips. 1786.

gatque; ne S. Scripturis sensum alienum inferat. Qua de re iusserunt Patres Tridentum congregati[1]: ‚Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia ... interpretari audeat.‘ Potestate Divina Eloquia αὐθεντικῶς exponendi, sibi a Christo tradita, per continuam temporum seriem usa fuit Ecclesia. Omnis proinde S. Scripturae interpretatio conformis esse debet explicationi Ecclesiae Catholicae; cum autem Haeretici hanc regulam non recipiant, negat Tertullianus eos admittendos esse ad illam de S. Scripturis disputationem, quam prorsus inutilem esse merito censet[2]. Apud solos Catholicos ait idem: esse veram Scripturam Sacram genuinamque eius interpretationem i. e. traditionem quandam hermeneuticam; ab Apostolis eorumque successoribus ad posteros propagatam, contra quam disputare nefas quidem sit. Quanti facienda sit S. Patrum auctoritas in S. Scripturis explanandis, is nos docet, quo potiorem vix optare est D. Hieronymum, qui scribit[3] se in suis commentariis: ‚Maiorum in omnibus sequutum esse sententiam, quorum aemulari exopto, negligentiam potius, quam aliorum obscuram diligentiam.‘ Idem porro Maximus in exponendis S. Scripturis Ecclesiae Doctor fatetur[4]: ‚praestiti, ut docerem, quod didiceram; non a me ipso, id est a praesumptione pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris.‘ Potestatem Divina Eloquia ‚auctoritative‘ u. d. explicandi sibi a Christo concessam agnovit, ac irrefragabili iudicio per omnes aetates exercuit S. M. C. Ecclesia. S. Patres tanquam genuinos S. S. interpretes et fidei testes declaravit novissime S. Synodus Tridentina[5]; cum iubet ne quis: ‚contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam interpretari audeat.‘ Professio autem fidei Tridentinae[6] iubet profiteri: ‚nec eam unquam, nisi iuxta

[1]) Sess. IV. [2]) Cf. de praescr. c. 16. 17. 18. 19. III, 12. s. [3]) Ad Pammach. Ep. 48, 15. p. 226. [4]) Ad Eustoch. Ep. 108, 26. p. 720. [5]) Sess. IV. [6]) A Pio IV. const. „Iniunctum nobis“ 18. Nov. 1564. praescripta e decr. sess. XXIV. c. 13. de ref. et XXV. c. 2. d. e.

unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.' Sed iam quousque lex haec extendenda sit? quandonam liceat a S. Patribus dissentire, inquirendum est. S. Patres in aliqua parte S. Scripturarum exponenda vel discrepant inter se, vel consentiunt; si discrepant, integrum cuique erit, quamlibet ex eorum sententiis aut aliam amplecti, nisi ratio praeterea aliqua sit, quae unam prae alia sequi cogat. Si autem consentiunt ita tamen, ut nec pauci sint nec serioris notae, quaerendum ulterius est: utrum ea, quae interpretantur, dicta sint de rebus fidei et morum et ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, an secus? Si posterius obtinet, non vetamur ab eorum sententia discedere. Quod tamen caute, nec sine optima causa fieri oportet; cum ad huiusmodi quoque capita S. Scripturarum recte explicanda, S. Patrum consensus non leve momentum adferre soleat; quamquam si coniecturae ex utraque parte aequae ducantur, res ipsa flagitat, ut praecedat s. Patris auctoritas. Praestantia haec obsequium significat interpretis catholici, quod Testibus Traditionis Ecclesiasticae debetur, et Ecclesiae filiis apprime congruit. Unde lege supra citata cautum est: ne quis in rebus fidei et morum Scripturam Sacram interpretari audeat contra unanimem consensum s. Patrum; illa ipsa inquam lege, qua id facere mox vetamur: contra eum sensum, quem tenuit et tenet s. Mater Ecclesia. Considerare tamen libet, S. Patres auctoritate differre admodum inter se, et a Scriptoribus E. Si illos invicem comparemus, cum, quod attinet ad approbationem a Conciliis factam operibus et doctrinae aliquorum, tum quoad honorem ipsis exhibitum — legendo publice in Ecclesiae Officiis illorum Tractationes —; denique quoad praerogativas a Summis Pontificibus nonnullis, quos passim nomine ‚Doctorum' veneramur concessas. Attentos quoque esse oportet: ne sinamus nos syrtide urgeri a quibusdam interpretibus S. S., qui auctoritates S. Patrum allegant. Enimvero reperire est, qui id quod aliqui S. P. et S. E. coniecturando opinabantur, tanquam Traditionis documentum obtrudant; alii aliquos S. P. et S. E. tanquam ipsorum sententiae adstipulantes nominatim laudant, quos in contraria plane fuisse deprehendimus; multo autem minus iis fidendum, qui eosdem S. P.

et S. E. in universum nominant, quamvis revera non pauci, imo plures ab iis dissentire inveniantur [1]. Quisquis S. Patrum Ecclesiae fidelem se praestare laborat discipulum, diligentissime eorum opera pervolvat, nec ea unquam e manibus dimittat. Diuturna exercitatio laborem minuit, facilioremque parat intelligentiam; ac mira demum suavitate, atque delectatione perfunditur animus, cum occurrentia S. Patrum loca statim, nulloque fere negotio, quem in sensum referantur, percipere valet. Traditio facem praefert, ut interpretes Codicis S. sensum genuinum percipiant, Traditio literae inanimae vitam inspirat. Denique ad Scripturas Sacras recte exponendas, quam utile sit, imo et necessarium nullam non scientiam tenere, pulchre s. Augustinus exponit: plerumque a sensu auctoris devius aberrat interpres, si non sit doctissimus. Quam autem vere id edicat, scientias singulas percurrens longo sermone nos edocet; iubetque earum notitiam nobis comparare vel ab ipsis veteribus scriptoribus classicis, qui si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt . . . non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tanquam iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Quae autem de scriptoribus classicis dicit, de ceteris quoque scientiis, quae ad S. Bibliorum interpretationem conferunt, dicta esse sponte sua intelliguntur [2]. Ad recte intelligendas et explicandas S. Scripturas opus est tandem multa oratione: ‚Non solum admonendi sunt, belle idem hortatur Magnus Augustinus [3], studiosi Venerabilium Scripturarum, ut in Scripturis Sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant memoriterque retineant; verum etiam quod est praecipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant, in eis quippe Literis, quarum studiosi sunt, legunt: quoniam Dominus dat sapientiam et a facie eius scientia et intellectus [4], a quo et ipsum studium, si pietate praeditum est, acceperunt.‘

[1]) De auctoritate s. Patrum in explicandis S. S. disputant: B. Germon S. J., de veter. haeret. cod. eccl. corrupt. Par. 1713. p. 558. s. F. Bonaventura ex. ord. Cartus., de optima methodo leg. Eccl. Patr. Aug. Vind. 1756. p. 23. s. A. J. Dorsch, de Auctoritate S. S. Ecclesiae Patrum. Mog. 1781. p. 27. s. J. Pletz, in J. Frint th. Zeitschr. Wien. 1824. 5. XII. XIII. W. Kozelka, in Pletz n. th. Zeitschr. Wien. 1833. VI. Ep. J. Fessler, Institutiones Patrologiae. Oenip. 1850. p. 128. s. [2]) Cf. De doctrina Christ. II, 13. 29—40. p. 44. s. 64. s. [3]) De doctr. Chr. III, 37. p. 114. [4]) Prov. 2, 6.

§. 138. De Allegatis S. S. penes s. Patres et Scriptores e. disquisitio.

Cum recentiori tempore — v. Chr. Fr. Matthaei. N. T. Viteb. 1803. I, 680. Ueb. d. sog. Recens. p. 2. s. — non hic illeve, sed ad unum omnes fere Critici acatholici S. P. et S. E., criminis Textus S. ex ingenio saepissime mutati, et negligentiae in locis Hagiographorum excitandis falso accusarent S. P. et S. E.; diligenter de Allegatis S. S. apud P. et S. E. causa exponenda et disceptanda erit. Coniecerunt iam superioribus aevis has accusationes conviciaque in S. P. et S. E. J. Dallaeus, de usu Patrum ad ea definienda Religionis capita, quae hodie sunt controversa. Gen. 1656. p. 234. s. Pfaff, de genuinis N. T. lectionibus. Stuttg. 1720. Eandem cantilenam ex nostris cecinere Morinus, de Hebraei Graecique textus sinceritate, I. IX. 4, 2. p. 417. Fidem vero S. P. et S. E. egregie vindicarunt. C. J. Ansaldi, Ord. Praed. de authenticis Sacrarum Scripturarum apud S. S. Patres lectionibus libri duo. Veronae 1747. Et quod mireris: Griesbach, diss. cr. de cod. q. Ev. Origen. p. 278. s. Vater, Specileg. observ. I, 12. s. viri acatholici. S. Patres e S. Scripturis testimonia dicentes, non solum in Commentariis ad S. Biblia, sed et in polemicis lucubrationibus maxime cum adversus heterodoxos pugnarent, in Homiliis et ubicunque se Scripturas citasse ostendunt, non memoriter, arbitrarie, et tumultuarie id fecisse, sed Textibus Originariis ac Versionibus adhaesisse suis; itaque ab aliqua recensione, interpretatione, ab aliquo demum seu correcto seu minus correcto S. S. volumine — saltem quod suis obtinebat in Ecclesiis quodque apud privatos licito in usu erat, — derivasse et pronunciasse S. Scripturarum testimonia, multiplici et efficaci argumento confirmari potest. Antequam calumnias in S. P. et S. E. proiectas repellamus: distinguendas putamus allusiones, quas S. P. et S. E. ad aliquas faciunt S. Scripturae locutiones historiasque, ab ipsis S. Scripturarum testimoniis; i. e. sermonem, ut ita dicamus, eorum scripturalem, a testimoniis S. Scripturarum. a. Extra dubitationis aleam positum est S. P. et S. E. ea loca, in quorum expositione versantur ad codicum suorum fidem accurate laudasse. b. Codicum suorum lectiones fideliter repraesentant in allegationibus omnibus, quibuscunque demum suis scriptionibus aspersis; admissa interdum ibi aliqua lectionis mutatione loci laudati, ubi vel adiectae explicationi non conduceret, vel nihil faceret ad consilium scribentis. Attamen ne cupiditate S. P. et S. E. per omnia defendendi abrepti, atque rem praeter modum augere existimemur; hoc ipsum explicatius eruendum est. α. Fieri nullo modo potuisset, ut S. P. et S. E. pericopas S. S. copiosiores allegantes, non solum eadem pene verba, quae nunc legimus, sed ordinem quoque vocum ad contextum libri aut nihil aut parum conferentium omnino eundem religiose servarent; nisi locos ita voluissent et allegare, et revera allegassent, ut in suis codicibus S. Bibliorum ab ipsis legerentur. Argumenti huius vis et gravitas augetur etiam β. cum perpendimus: in diversissimis diversorum S. P. et S. E. operibus, hunc lectionis consensum reperiri; atque ubi porro animadvertimus eos cum codicibus vetustissimis in easdem lectiones conspirare, rem confectam esse quivis aequus rerum arbiter largietur. Unde magis adhuc allegationes illae, quae disertam aliquam

provocationem ad codices, aut annotationem: „sic legi, non aliter“, appositam habent, merito accurate factae censentur. Non minus γ. probant illa loca, in quibus Textus S. S. paralleli simul excitantur, atque inter se conferuntur. Quod ubi cernimus, suspicari nefas est: singulos Textus, imprimis si ampliores sint, e fonte incerto nedum fraudulento, vel e sola memoria manasse. Citationum diversitas apud S. Patres et S. E., imo apud eundem aliquando S. Patrem vel Ecclesiasticum Scriptorem, non ex eo derivanda censenda est; quod tumultuario, memoriter, arbitrarie, nullaque lege S. Scripturae testimonia recitaverint; sed quod, pro illorum moribus ac libertate temporum, multiplici gaudentes probatarum Versionum copia, variis pro opportunitate et iuxta exigentiam loci usi fuerint interpretationibus; nec uni, uti in praesentiarum nos, editioni cuidam „authenticae“ addicti, per diversas vagarentur. Tenendum tamen est: S. P. et S. E. in dogmaticis et exegeticis disquisitionibus accuratissimos fuisse; in homiliis liberiores; in illis proprie ac presse disputasse, in istis vero occasione temporum et locorum, orationis cursu et impetu raptos fuisse. Cum scilicet S. Scripturam interpretarentur S. P. et S. E., sive Commentaria ad Libros S. Veteris et Novi Testamenti concinnarent, non Textui utcunque aut cuicunque adhaerebant; sed sincerum magis Textum inquirebant et τὸ Originarium pressius repraesentantem. Interim tamen non semper iuxta unam tantum allegarunt ac interpretabantur editionem ac versionem; sed plures in examen revocabant, plures recitabant, ad exemplaria authentica aut originaria, aut ad archetypos magis accedentia, si facultas ipsis erat, confugiebant; quod utique ceteris in lucubrationibus sive moralibus, sive asceticis, sive homileticis eos praestare necesse minus erat. Cf. quaestiones aut locutiones S. Augustini, in quibus passim imo vicibus infinitis legere est: quod plurimi habent latini codices; quod scriptum est in quibusdam; in codicibus paucioribus sed veracioribus. Ita ut plurium instar unum in medium proferamus exemplum, S. Pater, locution. de Gen. I, 198. annotat. III. 1, 338. animadvertit „Quod scriptum est Gen. 48, 1. Nuntiatum est Joseph, quia pater tuus turbatur; aliqui codices habent vexatur, aliqui aestuatur, et aliud alii, sicuti interpretari Latini potuerunt, quod Graece scriptum est ἐνοχλεῖται.“ Similis nota recurrit mox n. 202. p. 339. Illud δ. unum facile damus: interdum librarios, qui opera S. P. et S. E. descripserunt in locum lectionis, quam illi interpretes sequebantur, aliam sibi magis familiarem substituisse. Eorundem amanuensium, qui iuxta communem editorum sententiam S. P. et S. E. dictata festinante calamo exceperunt, celeritati et negligentiae tribuimus, quod in Allegationibus controversis synonyma synonymis, similiaque verba aliquando verbis similibus substituta videamus. Non ultimum pro Citatis S. P. et S. E. accurate factis argumentum ε. sumitur ex eo, quod testes sint Ecclesiasticae Traditionis. V. p. 305. Qui enim sensus S. Scripturarum, et verae Traditionis testes esse possent ii, qui saepe numero S. Scripturas temere repraesentassent? quot certe tunc falsa consectaria, quot inde derivari debuissent hallucinationes! S. Scripturarum admixtio, quam Veterum lectionibus contineri obiiciunt adversarii, uti additiones ac omissiones; ipsis illorum temporum codicibus, in quibus admixtiones S. Scripturarum illae et additiones ac interpolationes exstiterant, erit tribuenda. Quid amplius poterant S. Patres et Scriptores E. praestare mediis illis in persecutionum angustiis, in continuato illo instituendae plebis et Episcopalis oneris pro dignitate adimplendi studio, in illarum Literarum

universarum per Romanum Imperium inclinatione, nulla arte Critices tunc temporis statuta, nulloque exstante exemplari principe, vel editione recepta approbataque, sed discrepantibus codicibus, e quibus suas lectiones necesse erat etiam Patres et S. E. derivare. Quid tamen fecerunt? non defuere S. P. et S. E., qui illi malo tempestive occurrerent, idoneaque traderent lectoribus media; unde lectores diversas Divini Voluminis partes, vel in ita male compositis codicibus distinguerent, et suas cuique tribuere valerent. Ex quibus certe S. S. Joannes Chrysostomus, Isidorus P., Augustinus, Hieronymus aliique, canones optimos „de dignoscendarum lectionum genuina indole" statuerunt.

§. 139. De Catenis Graecis et Latinis S. P. et S. E.

Opportunus nobis hic videtur locus esse, aliqua monere de „Catenis graecis et latinis S. Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum in Utrumque Testamentum." Primus Instituti „Catenarum" auctor dicendus est Olympiodorus, Ecclesiae Alexandrinae diaconus, quem saeculo quinto exeunte vel sexto ineunte post Reparatam Salutem vixisse, ut credamus, idoneo argumento effecit Grabe, Specil. Patr. II, 245. et Gallandius, praef. gen. in Biblioth. Vet. Patr. I. n. VII. Quamvis J. A. Cramer, Catenae Patrum Graecorum in N. T. Oxonii 1840. I. praef. p. 13. concedat Olympiodorum Commentarium in Jobum edidisse; negat attamen eiusdem esse Catenam, quae hodie sub eius potissimum nomine circumfertur. Olympiodoro debetur ars e Veteris Ecclesiae Graecae Latinaeve P. P. S. E. operibus ea contexendi et quasi colligandi, atque ad ordinem singulorum librorum ita disponendi, ut interpretationi S. Literarum lucem adferrent. Ex eo natae: Catenae, Graecis ἐπιτομαὶ ἑρμηνειῶν, συναγωγαὶ ἐξηγήσεων παρὰ διαφόρων, χρυσᾶ κεφάλαια, *creberrime appellatae. Nominis Catenae, ita ut videtur ob similitudinem cum catenis proprie sic dictis vocitatae, originem a D. Thoma Aquinate, cuius nimirum collectio in IV. Evangelia nunc „Catena aurea" inscribitur V. H. N. T. p. XIX., repetendam esse quidam putarunt. Sed alius demum recentior adscripsit hunc titulum; hoc inde luculenter patet, quod antiquissimae huius libri editiones — Romana 1470. Veneta 1482. — habent: D. Th. Aq. Continuum in quatuor Evangelistas; imo ipse s. Thomas in ep. ded. ad Urbanum P. IV. dicat esse: continuam expositionem. Hac de re disputant R. Simon, Hist. crit. des principaux commentateurs du N. T. Rotterd. 1693. c. 33. p. 473. s. J. Echardus, Scriptores Ord. Praed. Par. 1719. I, 329. S. M. Maccarinelli, not. 6. ad l. II. H. Vielmii, de d. Thomae Aq. doctrina et Scriptis. Brixiae 1748. p. 101. J. A. Noesselt, de Catenis Patr. Graecorum in N. T. obs. Hal. 1762. p. 4. G. C. Harles, in J. A. Fabricii, Bibl. gr. Hamb. 1802. VIII, 692. Sunt vero Catenae istae graecae et latinae S. P. et S. E. diversi generis, ad alias maior ad alias minor industria adhibita est; in quibusdam verba Scriptorum, e quibus interpretamenta compilantur, non integra sed decisa exhibentur; nonnunquam eiusmodi centonum consarcinatores auctorum nomina permutant, vel ex diversis unum idemque comma conflant, vel interpolant et diffundunt; rarissime* αὐτολεξεὶ, *ut par erat, referunt. Quae cum ita se habeant ad quatuor quaestiones de his Catenis respondendum esse videtur. 1. De consarcinatione Catenarum. 2. An et quae sit fides iis habenda? 3. Earumdem usus in interpretatione. 4. Istiusmodi librorum editores.*

De Catenarum primo prima origine, difficile est aliquid certi definire; sic autem ut opinamur res initium habuit: Postquam summorum virorum illustriumque S. S. interpretum: Origenis, Ammonii, d. Basilii, s. Gregoriorum, Dydimi, Diodori Tarsensis, Theodori M., s. Joannis Chrysostomi, s. Cyrilli Al. aliorumque volumina innotuissent; reperti sunt, qui sive ἀπὸ φωνῆς s. Patrum et Scriptorum E. ipsorum, sive ex illorum editis libris, epitomatorum partes agebant. Adierunt Origenis Commentarios in omnes fere L. L. V. T., d. Chrysostomi interpretationes et homilias, Theodoreti et s. Cyrilli in Prophetas, Eusebii et Basilii in Isaiam, d. Athanasium et Eusebium in Psalmos, Polychronium et Olympiodorum in Jobum lucubrantes. Idem obtinuit in N. T. Hic in s. Matthaeum basis instar ponebatur d. Chrysostomi Commentarius, variis variorum symbolis auctus; in s. Marco commentarius ille qui vulgo Victori Antiocheno tribuitur; in s. Luca expositio, quae Titi Bostrensis nomen prae se fert; in s. Joannem rursus s. Chrysostomi Commentarius intertexta Ammonii explicatione. In Acta Apostolorum denuo fundus est d. J. Chrysostomi Commentarius, cum multa aliorum copia excerptorum. Catenarum sive ἐξηγητικῶν τομῶν ἐκλογαὶ in d. Pauli Ap. Epistolas fundamentum est Theodoreti expositio in breviora scholia redacta; quibus multis in locis subnexa est interpretatio Oecumenii, adiectis item symbolis Gennadii, Methodii, s. Cyrilli aliorumque. In Apocalypsim denique catena conflata est ex Andreae Caes. Ep., Arethae et Oecumenii commentariis. In Epistolis Catholicis praeter anonymum quendam, nominatim advocantur: idem s. J. Chrysostomus, Severus, Dydimus, s. Cyrillus. Quod ad consarcinationis rationem attinet, verisimiliter haec fuit. Compilatores Catenarum excerpendo integra S. Patrum et Scriptorum opera, quasi in formam synopticae expositionis redigebant, continua serie et sine S. S. Textu; nisi quantum ad interpretationem faceret, pedetentim autem in modum s. d. Scholiorum v. p. 143. abibant, quae commatibus disiuncta, et in oris librorum, — qui in medio paginae S. S. exhibebant — scribebantur. His scholiis subinde in extrema margine addunter S. P. et S. E. citationes; quas quisque compilator pro arbitrio et facultate excerpebat, et catenae suae inserebat. Frequenter etiam omissis interpretum nominibus, compilatores novi cuiusdam auctoris explicationem sequi arguunt, adiecta formula: καὶ ἄλλως, vel addita observatione ἀνεπιγράφου. Inde exorta est insignis harum Catenarum diversitas, ita ut si in eundem contextae S. S. librum plures conferantur, vix duae omnino sibi invicem respondeant. Omnium Codicum, qui Catenarum formam referunt vetustissimus est Coislinianus Codex I. olim LVI. membranaceus, inter praestantissimos Europae numerandus, sexto vel cum tardissime septimo saeculo exaratus; continebat olim Octateuchum et L. L. IV. Regum; sed temporum iniuria non pauca interciderunt. Habet praeter lectiones veterum interpretum Aquilae, Symmachi et Theodotionis, notas primae manus, quae passim referunt interpretationes allegoricas, anagogicas, ethicas, raro literales, in quibus — excepta prima quae s. Basilio adscribitur — nomina auctorum reticentur. Cf. Montfaucon, Bibl. Coisl. p. 1. s. De Catena in Psalmos. Bibliothecae Taurinensis saec. VIII. vel IX. testatur C. M. Pfaff, diss. apol. de fragmentis Irenaei anecdotis ap. Stieren II, 427.; de catena in Evangelia saec. IX. fidem facit Cramer, e testimonio Gaisfordi l. c. p. 18. Quo iuniores autem sunt catenae, eo copiosior habetur S. P. et S. E. e quibus consarcinantur numerus; imo recentiores Graecorum Commentatores Nicetas, Euthymius et Macarius interpretationes suas non iam amplius e perpetuis Veterum commentariis colligebant, sed ex variis fragmentis sua industria undecunque conquisitis.

Ad elevandam vel affirmandam Catenarum auctoritatem maximi momenti est disquisitio: an et quae fides habenda sit S. P. et S. E. excerptis, quae in Catenis servantur? Quomodo compilatores Catenarum versati fuerint in compilando Catenarum opere, sincere enarravimus; restat ut paulisper inquiramus: an falso et data opera, nomina auctorum mentiti sint, atque fidei lectorum imponere voluerint? Vir summus P. D. Huetius, praef. in Origenis Comm. ed. Col. 1685. p. 10. A. Gallandius, praef. gen. in Biblioth. Vet. Patrum. Ven. 1765. I, VI. s. aliique parum inesse interpretationibus Catenarum auctoritatis docuerunt. Cf. Sc. Maffeii, ep. ad A. Bacchini; apud Stieren ed. Oper. S. Iren. II, 395. Horum igitur obiectionibus ut occurramus, confitemur negari non posse: Catenarum quarundam consarcinatores in praefigendis scriptorum nominibus negligentes, incurios, imo sublestos exstitisse. Cum vero hoc Veterum integris commentariis in S. S. etiam, ut Critica demonstravit, acciderit, et promiscue omnibus P. et S. E. libris, ut interdum genuina spuriis admiscerentur; mirandum non est, eidem malo obnoxia esse excerpta ex iis Catenis inserta. Facilius autem semper ingeritur fraudis insimulatio, quam repellitur. Ad nostros usque dies, imprimis si de vetustissimis scriptoribus, quorum opera pridem iam deperdita fuere; non contigit eruditis, qui fraudis suspicionem ingerebant, eam claris indiciis et testimoniis probare. Magna interim est in catenarum codicibus varietas, et alii aliis multo sunt praestantiores; sed quod in plerisque raro reperiantur S. P. et S. E. veterrimorum expositiones, id quidem haud leve argumentum est compilatorum in his adstruendae fidei. Exinde sequitur veluti corollarium, qualis ad nos ex his catenis utilitas manare possit? Eadem — si peculiares attendamus Catenarum qualitates — quam quae ex operibus S. P. et S. E. hauritur; quoniam ex eorum scriptis sive adhucdum existentibus, sive iam aevo sequenti deperditis omnino collectae sunt.

Utilitas ceterum Catenarum vel ad ipsos S. S. Libros rite intelligendos pertinet, vel ad alias Antiquitatis S. disciplinas. De priori ut loquamur, usus Catenarum potissimum ad explicationem et Criticam Textus Sacri redit, et ideo se admodum commendare videtur. Etenim Catenae fragmenta comprehendunt multorum commentatorum — quales sunt Acacii, Apollinaris, Ammonii, Diodori Tarsensis, Dydimi, Severiani, Severi, Theodori Heracleensis atque Mopsuesteni et aliorum. — quibus aegre caruissemus. Insigniter iis adimplentur lacunae temporum iniuria ortae in scriptis S. Athanasii, S. Cyrilli, Eusebii, Origenis; quae aliter fere restitui non possent. Catenarum beneficio haud exigua ornamenta proficiscuntur ad lectionum variantium delectum. Nec minor usus cernitur Catenarum in variis Antiquitatis S. disciplinis. Quot egregia primorum saeculorum monimenta orthodoxa, Dogmata et Historias Ecclesiae illustrantia, in his Catenis provida Dei sapientissimi cura servavit? illius igitur cognitio quantum lucis Catenis debet, aequi rerum iudices ultro fatentur. Aurea illa antiquarum graecarum interpretationum Aquilae, Symmachi et Theodotionis aliarumque fragmenta; quo alio beneficio, quam Catenarum possidemus? Et si ipsa celebrium Scriptorum loca in Catenis haud amplius exstant, scripta tamen eorum, quae olim exararunt, cognoscimus. Quo denique tempore Literae Sacrae languerunt, qui tandem fuissent, qui legitimam Codicis Sacri interpretationem suscipere aggrederentur, nisi exstitissent haec clarorum ingeniorum ornamenta, publica quasi auctoritate ornata? Quae cum ita sint, idem honos concedendus esse videtur Catenis, qui aliis cascae Vetustatis libris merito defertur.

Quod denique ad Catenarum recensum attinet, mittimus codices mss., de quibus disputat Montfaucon, Palaeographia graeca I, 1. p. 7. I, 7. p. 71, IV, x. p. 316. V, 1. p. 347. Bibl. Coislin. II, 1. p. 240. s. alioeque, quos laudat J. C. Wolfius, exercitat. in Catenas Patrum graecas easque potissimum mss. Witemb. 1712. repet. ap. Cramer I, praef. p. 4. s.; paucis enumeraturi Catenas typis exscriptas ordine S. S. L. L., ad quos illae pertinent. Sunt: Nicephori Hieromonachi, cat. in Octoteuchum et ll. Regum Lips. 1772. volum. II. Fr. Zephyri, C. Gr. P. P. in Pentateuch. Flor. 1547. et Col. 1573. cum cat. in Cantica V. et N. T. A. Lipomanni, C. in Gen. Par. 1546. Ei. in Exodum. ib. 1550. J. R. a Corduba, C. in IV. ll. Regum. Lugd. 1652. P. Comitoli, C. in Job. Lugd. 1586. ed. II. Venet. 1587. ed. III. op. et st. P. Junii i. e. Lond. 1637. B. Corderii, exp. P. P. gr. in Psalmos. Antv. 1643—6. vol. III. Th. Peltani, C. P. P. Gr. in Proverbia S. ed. Schott Antv. 1614. J. Meursii, C in Canticum C. Lugd. Bat. 1617. M. Ghislerii, Catena P. P. gr. et lat. inserta comm. in Jerem. Lugd. 1623. III. vol. addita est Cat. in Lamentationes et Baruchum. Catena P. P. gr. in Danielem ed. A. Maii, Script. Vet. Nova Collect. Rom. 1825. I. 2, 161. Nov. Coll. ib. 1831. III, 27. s. P. Possini, Cat. P. P. gr. in Matthaeum. Tolos. 1646. 7. Ei. in Ev s. S. Marcum. Rom. 1673. B. Corderii, C. Gr. P. P. in S. Lucam. Antv. 1628. Ei in S. Joannem. ib. 1630. J. A. Cramer, in Ev. S. Matthaei et S. Marci. Oxon. 1840. Eiusd. in Ev. S. Lucae et S. Joannis ib. 1841. Catena Veterum Patrum Graecorum colligente Niceta Serrarum ep. in A. Maii, Script. vet. nov. Collect. Rom. 1837. IX, 626. s. Catenae instar sunto: Euthymii Zygabeni, Comm. in IV. Ev. et Theophylacti, commentarii e veteribus Scriptoribus in compendium redacti; item Glossa continua d. Thomae Aquinatis e graecis latinisque P. P. in IV. Ev. composita. V. Protheor. N. T. p. XIX. B. Feliciani, Cat. vet. Patr. in Acta et ep. cath. Ven. 1545. Excerpta in eadem S. Volumina vulgavit J. C. Wolf, Anecd. gr. sacr. et prof. Hamb. 1723. III, 92. integre J. A. Cramer, Cat. in Acta S. S. Apost. e cod. nov. coll. Oxon. 1838. P. Lombardi, in omn. Ep. Pauli coll. ex Aug. Ambr. Par. 1533. Cramer, Catenae in S. Pauli ep. ad Cor. Oxon. 1841. Ei. in ep. ad Gal. Ephes. Philipp. Thess. ib. 1842. Ei. in ep. ad Timoth. Tit. Philem. Hebr. ib. 1843. Ei. in ep. ad Rom. ib. 1844. Ei. in ep. Cath. acc. Oecumenii et Arethae Comm. in Apoc. ib. 1840. Catenae vices exhibent Scholia perpetua Codicis Quatuor Evangeliorum Pestinensis, quae publici iuris fecit S. Márkfi. V. p. 123. Censuram veterum Catenarum interim dabit J. G. Walch, Bibl. theol. sel. Jen. 1765. IV, 388.; recentiorum Noesselt, l. c. p. 5. s. et Tischendorf, prol. ed. VII. N. T. p. 266. 7.

SECTIO SECUNDA.

DE INTERPRETATIONE SACRAE SCRIPTURAE CATHOLICA BREVIS NARRATIO.

§. 140. Quae sit utilitas, quis scopus istius Narrationis.

Doctrinae de Sacra Scriptura eiusque interpretatione finem imposituri, sequenti tractatione breviter narrabimus: quae per novemdecim saecula in Ecclesia Catholica Divini Codicis fuerit expositio. Solent nautae, cum terram e summa navi prospiciunt exultare; cum vero portui appropinquant, certatim sese ad remigandum hortari, ceterosque qui simul navigant a tergo relinquere, et priores portum tenere atque anchoras iacere contendunt. Ita et nos, qui post longam et difficilem navigationem, ut Poeta canit ‚ὀξὺ μάλα προϊδὼν, μεγάλου ὑπὸ κύμμος ἀρθείς', quasi litora iam prospicimus atque labore diuturno fessi ad portum properamus optatum; succideremus libro, quod possemus, nisi meminissemus quid in sectione octava τῶν Προλεγομένων ad H. R. D. V. T. promiserimus: ‚Notitiam Interpretum' nos daturos. Et haec quidem Literarum Biblicarum pars, a plerisque minore in pretio habetur, ideoque intacta relinquitur. Invasit quippe haud paucorum animos ea opinio, frustra laboris aliquid huic disciplinae impendi; neque enim aut Ecclesiam et Theologiam, aut eruditionem eo quidquam iuvari, proinde sine damno se ea notitia carere posse. Quae sane non ferenda excusatio est, et S. Literarum studia professis plane indigna. Enimvero indubium est, e re Ecclesiae pariter ac illorum usu, qui Literis Sacris operam navant futurum; si maiori diligentia Historiae Interpretationis Catholicae S. S. excolantur. Certe vix quidquam cognitu magis utile existimari potest, quam scire: quae fuerint explicationis Divinorum Voluminum incunabula, progressus, incrementa et decrementa, fata atque restaurationes? quinam ex immensa interpretum multitudine prae ceteris in

Sacrae Scripturae recta sanaque intelligentia explicanda et vindicanda excelluerint? et propterea crebrius sint legendi. Qui denique commentatorum Catholicorum aut omnino fugiendi, aut cautissime legendi sunt. Vita functorum recordatio est quaedam eorum ad vitam restitutio: qua ad immortalitatem translati, posteris prodesse pergunt. Unde non inanis operae pretium fecisse existimabuntur, qui interpretum Catholicorum memoriam recolunt. Huius narrationis beneficio, apte refelluntur calumniae Acatholicorum, qui nunquam non clamaverunt: Versiones S. S. in linguas vernaculas et fieri et legi prohibitum ab Ecclesia Catholica; Verbum Dei scriptum negligi, non intelligi a Catholicis; et quae sunt his similia. Quantae opes theologicae, quam uberes fructus e lectione librorum, qui Historias s. Exegeseos conspiciendas exhibent, manent; sole clarius probatum iverunt omnis aetatis eruditi viri. Imo hac ipsa narratione excitati illustriores Divini Codicis commentatores, celeberrima opera sua condiderunt; quantamque meritorum messem apud posteros inde collegerint, nemo ignorat. Non potuissent sane, tam docta exarare scripta; nisi locupletes librorum notitias Veterum prae manibus habuissent. Sed satis de narrationis istius usu, pergamus ad eiusdem a nobis susceptae scopum. Sicuti Geographis solenne est: ut aliquam orbis partem descripturi totius regionis delineandae tractum, montes, valles, flumina, urbes, oppida atque vicos in tabulam contrahant; quam pictam ante oculos legentium ita proponunt, ut uno veluti obtutu iis liceat intueri et perlustrare; ita etiam nos in huius brevis narrationis contextu contracte edocendum duximus lectorem ‚de Studiorum Biblicorum in Ecclesia Catholica origine, cultu, vicissitudinibus a s. Patribus q. d. Apostolicis ad hos, quibus vivimus, usque dies.' Nostrum erit, quidquid sub lato quo Ecclesia Catholica patuit et patet imperio, explicandis S. Literis impensum fuit, enarrare. Sed tamen paucis, et quam brevissime hoc ipsum faciemus; cum iam in prius disputatis satis amplum librum scribendi nacti simus; pro ulterioribus autem tomis publicandis maiores expensae requirantur, quam quibus lectores et nos perstringendis sufficeremus. Unde et de singulis interpretibus rarissime et presse iudicium nostrum adiecimus, cum res sit maximi ambitus. Praeter eos S. Literarum interpretes, quos in hac concinna narratione recensuimus, sunt et alii bene multi, quos tacitos reliquimus. Neque enim animo nostro unquam sedit, integram numerisque suis omnibus absolutam construere Bibliothecam criticam illustrium virorum, quibus curae et cordi fuit Divinum Codicem explanare; sed ut sperare fas est, desiderium in animis L. B. accendere, ad libros huiusmodi scriptorum evolvendos excitare conati sumus.

§. 141. Eorum qui Biblia Sacra exposuere divisio.

Infiniti operis esset omnium virorum Catholicorum — de his enim solis loqui statuimus — qui in explicandis S. Scripturis operam posuerunt, nomina et lucubrationes recensere; sufficiet praecipuos indicasse, qui vel in universum Vetus Novumque Testamentum, aut in magnam ipsorum partem scripsere; vel Versiones, aut utilia ad Literas Divinas intelligendas adminicula contulerunt. Neque modo propositum fuit, de Commentatoribus sermonem instituere, qui exegesi diffusiori, scholiorum, glossarum, paraphrasium, translationum illustratione Textum Verbi Dei scripti explicuere; sed etiam de illis expositoribus, qui in variis, et quoad nomen et quoad rem operibus, saepe numero ex aliqua occasione, Sacrum Codicem dilucidarunt. Exponendae erunt simul etiam causae: quae interpretationis germanae orthodoxaeque S. Literarum progressus iam accelerarunt, iam retardaverunt. Ubi fugere oportebit quorundam scriptorum nostri aevi licentiam, qui pro arbitrio suo veteribus et recentioribus interpretibus alto supercilio laudem, vel bilosam censuram distribuunt. Atque haec fere de obiecto narrationis annotare voluimus. Ad tempus quod attinet, omnis confusio vitabitur, si universa Ecclesiae saecula in aliquot epochas diviserimus; iuxta quae narratio de explicatione Divini Codicis referatur. Sic enim certe iuvatur memoria, et anachronismi, pessimum in narratione cuiuscumque demum generis vitium, facilius declinari possunt. Sed rursus quot in epochas Historia interpretationis Sacrae Scripturae distribuenda sit, quaeritur? Viris Catholicis: epocha S. S. Patrum et Scriptorum E. nihil antiquius esse debere, manifestum est. Quousque vero S. Patrum aetas se extendat? nondum satis inter eruditos constat; plurimis tamen illa placet opinio, quae in s. Joanne Damasceno terminum figit. Hinc ad Medii aevi scriptores progrediemur. Quantum ad eos, qui ab initio saeculi decimi sexti ad hoc usque tempus in explicandis S. Libris desudarunt, duo imprimis intervalla distinguimus. Primum a celebrata Synodo Tridentina incipit, et usque ad suppressam Societatem Jesu expanditur; alterum atque ultimum ad nos usque currit. Totum igitur interpretum S. S. agmen, in quatuor classes opportune dividi potest: antiquae, mediae, recentioris et recentissimae aetatis. Quandoquidem Ecclesiae militantis fata, scriptorumque Catholicorum in quibus versarentur adiuncta, diversis temporibus admodum diversa essent, contigit; ut pro varia eruditionis sacrae conditione, variaret etiam Sacras Scripturas explicandi ratio.

§. 142. De Historiarum Interpretationis S. S. Catholicae fontibus et praecipuis subsidiis.

Ad Interpretationis Sacrarum Scripturarum Catholicae res quod pertinet, eas librorum veterumque monimentorum ope traditas, et felici quodam fluxu ad nos derivatas habemus. Expositio Divinarum Literarum, a parvis initiis sensim vastam excrevit in molem; oceanum dixerimus, qui magnitudinem suam fluminibus et rivulis debet; labyrinthum adpellaverimus, quo facilior est introitus quam exitus. Cum S. S. Theologiae studiosis, quidquid huius narrationis est, scripserimus, ea subsidiorum copia, quae ad discendam notitiam Interpretum necessaria est, fere destitutis: a nemine nos reprehensum iri confidimus, quod paucis et quam brevissime; ἐν ἐπιτομῇ tantum subsidia literaria, quorum immensa est seges, recenseamus. Jucundissima nos consolata est spes: futurum ut alius quisquam, feliciore temporis, otii, studiorum commoditate sibi oblata, ex amplissimo librorum manu et typis descriptorum suppellectili multo emendatiorem elegantioremque harum Historiarum elucubrationem, ad rigorem bibliographicae scientiae nostri aevi exactam, scribat. De interpretibus itaque Catholicis haud pauca ex relatione et sermonibus eorum, qui cum ipsis familiariter versati sunt, cognosci possunt; pleraque tamen ex ipsorum scriptis haurienda sunt. In primariis certe fontibus sunt, quotquot a S. S. P. P. Ap. ad nostra usque tempora floruerunt; sive Graecorum, sive Latinorum, sive aliorum populorum interpretes S. Bibliorum. Multum vero ad Scriptores in Biblia indagandos conferunt viri docti, qui de Interpretibus ex instituto et peculiaribus disquisitionibus exposuere. Alii rursus fuerunt, qui in alterius argumenti scriptis, aliaque occasione de pluribus paucioribusque illorum locuti sunt. Inter priores merito primus locus iis debetur, qui de omnium saeculorum classiumque interpretibus data opera disputarunt: in singulis fere nomen, cognomen, aetatem, patriam, dignitatem, professionem, annumque nativitatis, munerum, obitus diligenter annotarunt. Ad haec catalogum operum, editiones adiunxerunt, tandem elogium, censuram et auctores, qui de illis memoriam iniecerunt, addidere. Neque non huc referri possunt, qui Historias Interpretationis omnis, vel certae aetatis, in publicam lucem ediderunt. Qui autem notitiam Interpretum Catholicorum adiuvant subsidiarii scriptores, iterum varii sunt generis. Qui tametsi ad ipsam illam narrationem, non dedita opera semet accinxerint; eam tamen et mire adiuvant, et multum promovent. Locum in illis habent, qui de Hebraeis, Samaritanis, Aramaeis, Copticis, Aethiopicis,

Arabicis Literis, fuse vel strictim, commentationes scripserunt; nec minus qui de S. S. Codicibus mss., translationibus, editionibus egerunt, porro qui excerpta e manuscriptis codicibus et libris antiquioribus exhibent. Huc item spectant auctores, qui in genere egerunt de Historiis Literariis, qui Bibliothecas seu Catalogos Librorum vulgarunt; qui Vitas, Notitias, Icones, Elogia, Censuras, Epitaphia eruditorum descripserunt. In eundem censum referuntur indices codicum mss., itinera erudita, diaria virorum doctorum, acta eruditorum, commentaria de Bibliothecis publicis et privatis. Adiumenta adferunt praeterea scriptores, qui Bibliothecas Scriptorum Ordinum Religiosorum digesserunt. Magnus istorum numerus est, nec ullus fere inter Ordines monasticos ab Ecclesia approbatos reperitur, quin similis argumenti opus unum, vel plura egregia habeat. His cognatae sunt Bibliothecae variarum Nationum. Accedunt scriptores Historiarum Ecclesiae Catholicae, nec non qui de doctis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Canonicis, Magistris e. s. p. commentati sunt. Neque parum huc faciunt schediasmata literaria, ephemerides criticotheologicae; dissertationes, miscellanea, commentationes, opuscula, prolusiones, exercitationes, disputationes, orationes, epistolae, tractatus et programmata varii generis; de quibus optandum foret, si quis collectioni illorum pleniori studio instituendae se addiceret. Plurima denique alia ex genere subsidiorum obversantur animo. Sed non licet nobis, nunc quidem patentissimum hunc campum ingredi; eo quod brevis σκιαγραφία nobis tantum fuerit proposita; facient hoc alii, ἐὰν ὁ Θεὸς θελήσῃ. Interim hac nostra, qualicumque demum brevi, narratione utatur B. L. feliciter.

VETERIS AEVI Q. D. ‚PATRISTICUM' INTERPRETES S. SCRIPTURAE.

§. 143. Origo Theologiae Exegeticae.

Exordium narrationis ab Apostolica aetate sumimus. ‚Quis mihi det videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis!' Piis enim probisque Christi fidelibus non potest non esse suavissimum, cum illustribus illis primorum saeculorum doctoribus versare; atque quid crediderint et senserint, ex ipsorum veluti ore accipere. Duo genera doctorum saeculum p. C. n. primum suppeditat: unum eorum, qui afflante Spiritu S. summe veneranda illa Volumina Divina scripserunt, quae N. T. Canonem con-

ficiunt; alterum eorum, qui ab ipsis Apostolis, aut certe illorum sociis eruditi — dicti propterea ‚Patres Apostolici' a gratis posteris. — monimenta literis exarata ad nos transmiserunt. Et eorum quidem qui s. Patres Apostolici nuncupantur, chorum ducit S. Clemens Rom., S. Patrum quotquot reperiuntur vetustissimus; neque uno titulo primus, vir plane Apostolicus. In hoc censu porro sunt: S. Ignatius M. Ep. Ant., S. Polycarpus M. Smyrn. Ep., denique anonymus ‚Ἀποστόλων γενόμενος μαθητής' epistolae ad Diognetum auctor. Et isti quidem sanctissimi viri, cum non ad scholae modum docti essent, sponte sua S. Scripturas explicandi rationem simplicem, popularem potius quam grammaticam et cultam adhibuisse intelliguntur. Extra dubium est, illos s. P. P. Ap. eo potissimum omnes conatus intendisse: ut Religionem Christi cunctis nationibus annuntiarent; et demonstrata Evangelii veritate Judaeis et Ethnicis persuaderent, illam solam homines salvos facere. Hinc Judaeos variis convincebant argumentis: Christum esse tamdiu ab illis exspectatum Messiam; tum vero completa, quae de Jesu a Prophetis praenuntiata fuerunt vaticinia. Gentilibus autem ibant persuasum: fieri non posse ut plures sint dii, sed unum tantum modo esse Deum; Christum vero unicum esse Patris filium, qui ut homines redimeret, humanam assumsit naturam. Hagiographi N. F. saeculo secundo ineunte, ad unum omnes morte obierant. Quae hactenus ab illis fuerant literis mandata; ea — nec plura nec pauciora — cum Canone D. V. F. et Traditione Ap. Deus perennem fontem habere voluit, ex quo scriptores, qui non amplius inspiratos audierant fidei testes, suam doctrinae salvificae cognitionem haurirent. Nihil igitur S. P. et S. E. sequentis aetatis antiquius fuit, quam hunc fontem integrum servare; inde et fideles vera pietate assidue imbuerunt, et adversarios strenue represserunt. Quamvis autem Papiam Hier., s. Melitonem ep. Sard., s. Justinum M., Minutium, F. Tatianum Ass., Athenagoram, s. Theophilum Ant. atque s. Irenaeum pugnae cum haereticis, Judaeis et paganis, satis quidem ad Codices divinos diligenter inspiciendos, et si quid in eorum contextu esset dubium et ambiguum, enucleandum cogerent: tamen cultae interpretationis genus apud illos S. P. et S. E. quaeri non potest; ob ipsam quidem temporis — saevissimarum persecutionum — quo vixerant conditionem. Nihilominus cum in S. S. locis, non semper aperte inesset vis argumenti; interdum in disputationibus suis, illi quoque mystica ratione subtilius allegatos e Divinis Literis locos exposuerunt. Allegoricis igitur expositionibus, quas recentior nimium fastidivit aetas; plus aequo delectati sunt, quas nostris metiri legibus, prudens iudicium non sinit. Cumprimis s. Justinus, nomine quidem et instituto philosophus, sed ob ea, quae scripto

reliquit, inter Theologos iure omni numerandus — in dial. cum Tryph. — plurima S. S. loca praeclare explicat; quamvis nec a remoto, sed affini sensu enodando abstinuerit. Post hos floruit Q. S. Fl. Tertullianus, Carth. E. presbyter, primarius sermonis eccl. Latini auctor; de quo dolendum, quod ad Montani errores defecerit. Tertullianus operum suorum fundamentum posuit Verbum Dei scriptum. In libris variis eiusdem permulta S. S. testimonia ipsis verbis ex antiquissima Latina translatione laudat; adfert capitula etiam ex inspiratis Voluminibus, quae ab illo — primo rei novae auctore — fuerant glossis aucta, indeque in codices latinos derivata. Facile autem largimur istos S. P. et S. E. literarum hebraearum — cuius notitiam sibi vix ac ne vix quidem comparare poterant — subsidio ad intelligendum, explicandumque D. Codicem destitutos fuisse; et etiam illos, qui aliquam linguae huius notitiam habuerunt, Textui Originali τῶν LXX. interpretum versionem praetulisse; cuius auctores divinitus afflatos fuisse putarunt. Tertulliani perpetuus imitator exstitit S. Cyprianus, ep. Carth., vitae sanctitate, magna eruditione, mascula Ecclesiae defensione longe celeberrimus; quem nunquam absque Tertulliani lectione unum diem praeteriisse tradunt. In genere observandum: quod cum primi Latinae Ecclesiae S. P. et S. E., quorum monimenta supersunt, antequam ad sacra Christi transirent, passim Rhetorum et Jurisconsultorum praeceptis discendis docendisque operam posuerint: ideo earum autem rerum studia, formam quod attinet, etiam ubi iam Christiani scripsissent, in erudiendo et demonstrando e S. Scripturis adhibuerint.

§. 144. Celeberrimae Scholae Alexandrinae aliarumque magistri et discipuli.

Inde ab antiquissimo aevo, si qui erant, qui in doctrina sacra accuratius institui cupiebant, illi in familiarem episcoporum, presbyterorum, vel aliorum eruditorum virorum consuetudinem disciplinamque sese tradebant. Scholarum Christianarum haec est origo: quarum prima et mater sequentium fuit: ‚τὸ κατ' Ἀλεξάνδρειαν διδασκαλεῖον'; schola ‚κατηχήσεως' ecclesiastica. Jam d. Marcus Alexandriae scholam condidisse fertur; cuius e testimoniis Veterum si minus princeps, certe primum decus exstitit Pantaenus. Praeter hanc inclyta fuit schola Caesareensis, quam exul Alexandria Origenes instituit; Pamphilus M. collapsam restituit. Celebritatem nominis etiam nactae sunt scholae: Edessena, Antiochena, Atheniensis et Constantinopolitana. Qui interpretandis S. S. scholae Alexandrinae magistri operam dederunt, triplex

,ἐξηγητικῶν' genus adhibuerunt: historicum — quod et literae sensum adpellaverunt — mysticum et morale. Ab historico sensu fere semper exordiuntur atque ad mysticum, a mystico ad moralem in explicandis S. Literis progrediuntur; quamvis hunc ordinem haud raro invertant, literam saepe negligant, a morali expositione mox ad mysticam convolent. Olim, et dudum ante D. N. J. C. nativitatem, inter Judaeos floruit genus explicandi S. Literas mystagogicum; quod etiam S. P. et S. E. vehementer arrisit. Sedebat quippe Veteribus ea in re opinio: ,sensum literalem S. S. qui omnibus facile patet, fidem gignere elementarem, sensum vero mysticum ad praeclariorem rerum coelestium γνῶσιν ducere'. Expedire igitur, ut ad mysticum sensum confugiatur, literaque deseratur, quoties iners reperietur. Absit, ut hanc Divina Vulumina interpretandi rationem severius exagitemus, aut quos illi Veterum ea interpretandi ratione lucrati sunt fructus, flocci faciamus: id tamen candide fatemur, doctorum huius aevi labores longe amplius cunctis profuisse, si temperato allegorisandi studio, maiores literae Divini Codicis enodandae impendissent vires. Pantaeni quidem in S. S. commentarii, iniuria temporum periere; sed ex discipuli eius et successoris in praefectura s. a. F. Fl. Clementis, cognomine Alexandrini libris quae ,tam de scripturis divinis, quam de saecularis literaturae instrumentis' supersunt, intelligitur, quo modo S. S. explicuerit. E libris S. U. T. plurimos scriptis suis inseruit flores, quos ex multis saepe locis sic aliquando coniunxit; quasi in uno, eodemque contextu legerentur. Judice Clemente Al. tota S. S. sensum habet allegoricum; neque tamen ad literam explicare d. Codicem vetat, solum carnaliter atque haeretice S. S. exponentes, eos acriter reprehendit. Memoratu etiam dignum est: quidquid in Ethnicorum scriptis verum esse videbatur, id omne Clemens Philosophos et Poetas e V. F. libris hausisse putat; quos ideo saepe etiam fures vocat.

Ab Origene novam interpretationis S. S. penes Veteres aeram, non sine causa quidam accipiunt. Is enim, quamvis methodum Alexandrinam in d. Libris explicandis retineret, tamen idcirco valde memorabilis fuit; quod primus omnium commentaria perpetua exararet. Tranquillo otio, quo Caesareae sub imperio Philippi fruebatur, usus est non solum ad magnam L. L. V. F. partem illustrandam; sed ad plurimos etiam N. F. L. L. explicandos. Et sane si Apocalypsim, de qua num illius interpretandae consilium exsecutus fuerit? nihil constat, exceperimus; in omnia cetera S. Volumina U. F. explicationes reliquit. Vel enim diffusis commentariis, quidquid suppeditavit luxurians ingenium congessit; vel brevibus tantum scholiis loca S. S. obscuriora quaeque illustravit; vel ad

populi captum selectas quasdam pericopas per homilias interpretatus est. Nec ullum ad exquisitam S. Literarum scientiam subsidium neglexit; praeterquam quod hebraeae linguae cognitionem habuerit, quidquid a Veteribus in anagogico S. S. explicandi genere didicit, operibus suis inseruit. Immortalis memoriae opus Hexaplare confecit, quo eo maius S. Scripturarum sui temporis studiosis praestitit beneficium, quod LXX. interpretes inspiratos fuisse putarent, ipsisque Archetypis aliqui eorum aequipararent. Sed hanc gloriam obscuravit Origenis praeceps S. S. tractatio, temerarium evolvendi arcanos sensus studium; neglectus literae; ἀκρισία; usus corruptae ‚τῆς κοινῆς ἐκδόσεως' in N. F., aliique similes errores. Quantumcunque autem erravit, probe tenendum, quod magnus Alexandrinorum Pontifex monuit: ‚quae ille velut inquirens et disputans scripsit, non ita accipienda sunt, quasi sic ipse sentiret, sed ex eorum mente, quibuscum disputat.'

Origenis coaevi fuerant: Julius Afr. ‚in examinibus et quaestionibus S. S. multum versatus', atque S. Hippolytus, cuius plurima in S. L. commentaria edax rerum tempus absumsit. Neque fas est praeterire Origenis ‚ἐργοδιώκτην' Ambrosium, Alex. E. diaconum, qui verbo et opere Adamantium in commentandis S. S. incredibili plane liberalitate adiuvit. Dionysium quoque Alex., Pierium, s. Petrum Alex. E. et Didymum grammaticae explicationi S. S. favisse, allegoriae autem nimium studium missum facere cepisse ferunt; neque tamen ii erant, qui scholae Alexandrinae principiis imbuti, s. Codicem mysticae interpretandi rationi prorsus renuntiare valerent. Magis vero allegoriarum studium coercuisse, atque removisse meritum est scholae Antiochenae. Huius interim Alexandrinae interpretes memoria digni sunt: Eustachius Pamphylius ep. Berrh.; S. Cyrillus ep. Hier., qui ad faciendam fidem d. dogmatum multas S. S. U. F. sententias dilucide exposuit. S. Athanasius, qui Arianorum sophismata propellens e S. Literis, fusius etiam de sensu dictorum S. P. loquitur; Psalmorum autem librum singulariter erudite exposuit. Eusebii Caes. interpretatio vitiis quidem laborat; sed multa tamen etiam egregia continet. Praeclara duo Ecclesiae sidera s. Gregorius Nazianz. et s. Basilius M. Caes. ep., cuius in ‚ἑξήμερον' homiliae, iudice Gregorio Nysseno ‚nec ullis, nisi Testamenti divino spiritu dictante exarati monimentis cedunt'; inter praecipuos saeculi quarti commentatores locum suum tuentur. S. Gregorius Nyss., Basilii M. frater n. m., ingenio et doctrina prope aequalis, explicandi genere utitur, quod haud perperam ‚illustre et iucunditatem auribus instillans' dicitur. S. Epiphanius ‚πεντάγλωττος' cognominatus, vir erat Antiquitatis S. peritus, sed in temporibus distinguendis minus accuratus, in rebus historiarum facilis ad credendum.

§. 145. Schola Antiochena.

Quae nunc fere vasta est terra inter Euphratem et Tigridem media, eam accipimus literarum Sacrarum atque profanarum studiis saeculo a. C. N. III. IV. et V. floruisse. S. Bibliorum eruditio magno fervore quaerebatur; interpretationes D. Literarum fiebant; et singuli fere L. L. U. F. commentariis illustrabantur. Omnes qui primi in Aramaea occidentali vixerunt S. S. explanatores, Graecorum institutum secuti fuisse existimantur; sed successu temporis genus suum dilucidandi S. Codicem prorsus immutarunt. Eo enim aevo, quo in schola Alexandrina allegorica utcumque S. S. expositio in universum obtinuit principatum, apud Syros grammatico-historica ars invaluit. Quam artem ex quo adhibuerunt, nunquam eam deseruerunt; sed tales potius in scholis Nisibena atque Edessena fecerunt progressus, ut Aramaearum fama per universum orbem Alexandrinae fere aequaret. At omnium maxime inclaruit schola Antiochena, quae a doctis presbyteris — Dorotheo et Luciano — iam diu exculta, saeculo quarto cumprimis excelluit. Neque tamen huius scholae magna apud orthodoxos exstitit auctoritas. Namque si demas s. Joannem Chrysostomum, fere omnes illi, qui ad scholam s. d. Antiochenam spectant — Theodorus Her. ep., Eusebius ep. Emes., Diodorus presb. Ant., Theodorus Mops., — a fide sincere catholica alieni deprehenduntur. Cum e contra sub doctis et vere catholicis episcopis: Aitallaha, Abrahamo Chidunensi, Barse, schola Edessena eximiam S. Literis operam navaret; neque tamen humaniores q. v. negligeret. Inter huius scholae magistros et doctores numerantur: S. Ephraemus — eccl. Edess. diac. — omnium quicumque in Aramaea inclaruerunt Expositorum S. S. L. L. auctoritate et doctrina princeps ‚antiquam et novam scripturam assiduo studio versavit, accurateque ad verbum est interpretatus ab ipsa procreatione mundi usque ad postremum gratiae librum.' Sequebantur eum Zenobius Abb., Isaac E. Ed. diac., Isaacus M. pr. Ant., Jacobus Sarug., Jacobus ep. Edess., Dadjesu, patr., Ebed Jesu, ep. Nisibis. Hos inter b. Ephraemus solis ad instar, diem sola sua luce efficit. Enimvero quemadmodum reliquorum siderum fulgorem sol orbe continet uno; sic d. Ephraemus universam Syriae eruditionem S. S. suis commentariis aliisque scriptis complectitur. Graece et hebraice doctus; regionum Orientis bene gnarus; Veterum S. P. et S. E. diligens lector; philosophicarum quoque et naturalium cognitionum haud peregrinus; vividis coloribus exhibet imaginem interpretis D. C. orthodoxi, qui solidae doctrinae apparatum

consecutus, relictis theosophicis speculationibus, viam ab Ecclesia in explicandis S. Voluminibus praescriptam, indefesse trivit.

In schola Antiochena opera d. Chrysostomi Patr. Const., quasi officina haberi queunt interpretationis S. S. Graecorum orthodoxae. Sane nemo mirari debet, si s. Joannes C. et inter aequales et inter posteros tot tantosque habuerit laudatores; quot nulli alii contigerint. Nam et ingenium et facundia, et muneris tam eximie gesti dignitas, et S. Scripturarum studium flagrantissimum, et commentariorum atque tractatuum ab eo scriptorum praestantia, hos merito illi admiratores conciliarunt. Priorum ante se viventium interpretum gloriam obscuravit, imo palmam eis praeripuit; perspicuitate nemini cedit, nisi fortasse omnes superet; inventione quae ex ingenii felicitate nascitur, quotquot hactenus fuerant homiliarum auctores vicit; ideo et a sequacibus post se, inter omnes fere Graecos unus prae cunctis ‚ὁ ἐξηγητής' imitatione dignus habitus est. Theodorus Mopsuestenus cum s. Chrysostomo eiusdem temporis, multarum rerum scientia carebat — e. c. linguae hebraeae — quae in S. S. L. L. interprete bono aegre desiderantur; quaeve Theodorum in plurimos induxerunt errores. Eius scribendi genus nimiis repetitionibus valde fastidit. Quod ad ‚ἑρμηνείαν' attinet, peculiare Theodoro M. fuit; ut vaticinia V. F. historice de eventibus, hominibusque illius priscae aetatis explicaret; ad Christum vero nonnisi propter pleniorem ‚ἔκβασιν' referret. Canticum Canticorum penitus ad communem sensum humanum traxit; quod sane non fecisset, si diligentius huius Libri indolem considerasset. Theodori M. S. Scripturas explicandi ratio semper fluctuavit, neque unquam ad certam legem revocata est. Atque ideo non sine causa a Conciliis et S. P. reprobatus fuit. Theodoretus, s. Chrysostomi plus quam Theodori M. pedissequus; brevitati et simplicitati in expositionibus suis operam dedit. Inter sobriam s. Chrysostomi et vagam Theodori M. Libros S. S. exponendi artem, medium tenere voluisse censetur; nec tamen hoc institutum assecutus est. In Epistolis Paulinis enodandis hoc sibi propositum habuit; ut singulas sententias ex usu loquendi, voces ex etymologia explicaret, in exhortationes autem raro excurreret. Ubique concisus, ieiunus fit interdum, et multa lectori relinquit aliunde quaerenda. Post s. Chrysostomum, d. Cyrillo Alex. nihil habet Graecia tam copia dicendi, quam omni eruditionis genere nobilius atque praestantius. Eius commentarii in Evangelium s. Joannis, imprimis multa nobis exhibent et ad intellectum valde proficua, et ad pietatem iuvandam utilia. Adriani Εἰσαγωγὴ τῆς Γραφῆς, ‚utilis et lectione digna'; modos elocutionum S. S. per exemplorum diversas similitudines intelligi facit.

Haec fere sunt, quae de claris Graecorum interpretibus, qui primis quinque saeculis floruerunt dicenda erant. Quantum ad reliquos Scriptores Graecos, qui posterioribus temporibus ad saeculum usque duodecimum, in S. S. interpretatione desudarunt; de illis commodus hic occurrit locus aliquid iniiciendi. Sufficiet vero paucos illorum et praecipuos recensuisse; qui vel in universum V. et N. F. commentati sunt; aut in magnam ipsorum partem. Ex his celeberrimi sunt: Oecumenius, Theophylactus, Euthymius Zigabenus; docti quidem fuerant viri, attamen d. Chrysostomi fere et aliorum s. P. et S. E. se vetustiorum dicta compilarunt; cum quibus ad verbum in plurimis consentiunt, rarissime aliquid de suo addiderunt. Quod s. Chrysostomum vera recte dixisse viderent; illum cumprimis repetiere. Istud triumviris his non adeo vitio vertendum erit, cum et nostro tempore interpretes in commentariis sententias centies iam pronunciatas explicando S. L. iterum proferant, suasque faciant. S. Chrysostomi quod ad rationem explicandi S. S. attinet, — imitator exstitit S. Isidorus, iuxta Pelusium in monte Abbas; qui in epistolis suis haud paucas spinosas quaestiones Divini Codicis feliciter enodavit. Andreas Caesareae in Cappadocia ep. Apocalypsim dextere dilucidavit; quem aemulatus est Arethas eiusdem urbis episcopus. Procopii Gazaei commentarii, plurima fragmenta antiquarum graecarum versionum posteris transmiserunt. Hesychii et Suidae ‚γλῶσσαι‘, linguam graecam U. T. illustrant. Ad Hesychium, Suidam, Etymologici M. auctorem et Phavorinum emendandum, facit J. Zonarae ‚Συναγωγὴ λέξεων.‘ Ut alios omittamus scriptores, qui et ipsi ex istis temporibus commemorantur; et pariter atque illi, quorum meminimus meri tantum exstiterunt Veterum compilatores. Multa graeca S. P. et S. E. opera exegetica in latinum vertit Georgius Trapezuntius † 1486.

§. 146. Latini Interpretes S. S. qui fuerint praestantissimi?

Quod ad interpretes Latinos attinet, multa eorum, quae de Graecis monuimus, de istis quoque valere facile scient L. B. S. Victorinus Ep. Pentabionensis, d. Apocalypseos mysteria docte illustravit. Lactantius, scriptor dictionis nitore praestantissimus, locos S. Codicis non quidem impia, tamen intempestiva industria explicuit. S. Hilarius, ep. Pictaviensis, ‚non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum‘, in his exponendis duo pariter cavit extrema. Neque enim eos probavit, qui nihil praeter literam V. F. sapiunt; aut nihil non ad Christum referre volunt. Laudat quidem apud hos pietatem; sed ut in ea semper

permaneatur, vim S. S. saepe inferendam iis agnoscit. Duplicem intelligentiam tamen valde utilem esse existimavit. In U. F. latinum textum sibi exponendum sumsit. S. Ambrosius eo praesertim aliis praestare dicendus, quod perspicuus sit. Non vulgarem graecae linguae cognitionem adeptus; quae e Graecis S. P. et S. E. in suam rem congruere putavit, mutuatus est, ab illis tamen nominandis ferme semper abstinuit. Cum nihil ad informandos fidelium mores magis pertineat, quam genus loquendi exhortatorium, morales sensus frequenter usurpat. A s. Ambrosio distinguendus s. c. Ambrosiaster s. d. Comm. in XIII. Ep. s. Pauli auctor, quem Hilarium diac. Eccl. Rom. passim habent. Neque omittendi poetae Christiani: C. V. Aq. Juvencus, S. Paulinus Nol., Prudentius et Sedulius; qui poematibus s. Libros S. U. T. vel ex toto vel ex parte reddiderunt. Carmina eorum hodie quoque, magna cum voluptate leguntur.

Saeculo autem quarto et sequentibus nova in genere S. S. interpretandi literali, lux accensa fuit clarissimorum virorum industria; qui ad sensus S. S. accuratam notitiam eruendam, quem praesto habebant apparatum, diligentissime adhibuerunt. Unde novae penes Latinos ortae sunt S. Bibliorum versiones, aut antiquae emendatae; iuvante scientia illarum linguarum, quibus Hagiographi utebantur. Ex his viris eruditissimis summus extitit s. Hieronymus, cui similem vix reperiemus aliquem. Hebraeae ceterarumque S. S. linguarum cognitionem assecutus, Divinum Codicem adeo praeclare illustravit ut: ‚in exponendis S. S. Doctorem Maximum' illum adpellet Ecclesia; quamvis in N. F. commentariis minus placeat nostri aevi hominibus, quam in iis V. F. In omnibus facile, si vult, excellit; etiam in hoc magnus: quod ubi relictis haereticis — quibuscum perpetuum pro domo Dei bellum gessit — ad Christum in Lege et Prophetis ostendendum convertitur; mira plane pollet ratione inveniendi, eloquendi et confirmandi. Duo tamen de d. Hieronymo polyglotto Ecclesiae interprete — cui sancto in otio unicum negotium fuit V. et N. T. monimenta evolvere — animadvertere non praetermittemus; quae ad illum utiliter consulendum, multum adiumenti adferrent. Primum est, solere illum in prooemiis enumerare scriptores, quos secutus sit. Unde in suis libris postea sententias sine nominibus proponit, nihil definiens, sed lectori iudicium relinquens; et quidem non raro etiam tunc si eiusmodi opiniones non sint fundatae, et a S. P. mente discrepantes. Alterum est, illa interdum s. Hieronymum tradere, quae accepit a Hebraeis; in quibus nonnunquam, si quid falsum putat, reiicit; saepius autem lectoribus suis relinquit, ut quasi boni nummularii adulterinae monetae pecuniam ipsi reprobent. Quantum ad aequalem s. Doctoris d. sc. Augustinum eiusque

doctrinam S. S. attinet; nullum inter Catholicos invenimus, qui illam encomiis non prosequatur. Praesul Hipponensis, tametsi s. Hieronymo in linguarum peritia inferior fuerit; sensum S. S. germanum quaerentibus utilissimus est: legentem mox in sublimia erigit, in plerisque solide erudit. plurima dilucide aperit, singulari denique ingenii acumine et facilitate res abstrusas explicat. Propter aures imperitae multitudinis, ut scriba doctus in regno coelorum, profert de thesauro suo allegoricas et morales interpretationes, lingua quoque usus magis vulgari. ‚Malo, aiebat, ut me reprehendant grammatici quam non intelligant populi; eligens magis in barbarismis etiam damnantibus Grammaticis intelligi, quam in mea disertitudine auditores deserere.‘ Ea fuit erga S. Literas et Ecclesiam d. Augustinus reverentia, eaque in intimis praecordiis perfusus religione; ut quae divite ingenio concepit, ea subinde vehementioribus ἀποστροφαῖς enarrare, atque in eruditionem Christi fidelium convertere optime calluerit. Divinum Codicem magno loco habuit, et assidue usurpavit. Nemini de S. Scripturae ‚divinis auctoritatibus‘ dubium esse posse statuit; quodsi vero quis temerario conanime fundamentum οἰκονομίας Veteris et Novae aggredi audet: hunc Ecclesiae ‚λίθῳ ἀκρογωνιαίῳ‘ innixus veritate, intrepide adoritur, atque e sacrario eiicit.

In s. Gregorio M. simplicem, nullo artificio pictum sermonem agnoscimus. Ut est ubique gravis, e Sacris Paginis sensum eruit ad formandam vitam christianam aptissium. Neque tamen in morali tantum explanatione substitit; sed et literalem expendit et minutissima quaeque ob oculos ponit. E S. Scripturae verbis tanquam e suis *fontibus*, copiosos Anagogiae et Allegoriae rivulos in suis homiliis deducit. Interpretandi rationem, quam sequitur, ipse declarat his verbis: ‚Primum quidem fundamentum historiae ponimus, deinde per significationem typicam in arce fidei fabricam mentis erigimus; ad extremum quoque per moralitatis gratiam, quasi superducto aedificium colore vestimus.‘ Paterius s. Gregorii M. discipulus ep. Brix., allegoricis itidem explanationibus in varia S. S. volumina exaratis inclaruit. S. Isidorus, AEp. Hispalensis. vir multae sanctitatis et eruditionis, etsi minus in dictione fecundus; tamen praeclaras et copiosas dedit in S. S. annotationes. Beda Venerabilis Anglosaxo O. S. B., eo tempore, quo vixit, ita clarus fuit: ut in proverbium apud eius coaevos abierit: ‚hominem in extremo orbis angulo natum universum orbem ingenio suo perstrinxisse.‘ Plurimos S. S. L. L. exposuit ita, ut d. Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii M. sententias passim retractaret; in aliis haud multum dissimilis eisdem reperiatur. Hac aetate Aponius Cantici Canticorum interpres vixisse

creditur; qui de allegorico sensu magis quam de literali sollicitus, leges artis explicandi non semel neglexit. Possemus quidem si vacaret, plures adhucdum enumerare huius aevi interpretes; quos nobis erudiendis in S. S. providentia Divina dedit; sed isti sufficiant. Qui serio S. S. studere volet, celebriores eorum diligenter inspiciet.

AEVUM SCHOLASTICUM.

§. 147. Literarum Sacrarum cultura in Monasteriis.

A saeculo VIII. usque ad XVI.; seu tempus praetensae Reformationis, de conditione rei exegeticae aliquibus applicare placuit illud Poetae: ‚Ponto nox incubat atra.' Sed si res per se ipsam iudicetur, i. e. si libri scriptorum huius aetatis quae ‚Scholastica' vocatur evolvantur atque sine praeiudicio legantur, aliam planeque diversam faciem scientiae Biblicae conspiciemus. Omnes qui de historiis Aevi Medii sincere narraverunt, fatentur ad saeculum usque XIII. solos fere monachos literis et artibus colendis ingenium et industriam adhibuisse. Quae fortuna, qui status Literarum Sacrarum in Monasteriis fuerit? ex quo Barbari felicissimas Europae provincias sibi subdidere, cognovisse operae pretium est. Cum sc. saeculo aerae vulgaris quinto in regiones has ferae nationes irruerent, eisque leges darent; fieri non potuit, ut e devictorum populorum animis omnino excideret S. Literarum amor studiumque eruditionis, cui tanti viri culti sese antea totos devoverant. Et revera per idem tempus perstitit adhuc in Italia scholarum usus, et praesertim Romae Summorum Pontificum impensa cura fuit: ‚iuniores lectores, quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, et in lege Domini erudire.' Verum Barbaris omnibus sensim rebus potitis, et afflicta inter varios casus Italia, eruditio fere omnis exolevit. Erant sane adhuc Clerici et Laici, in Literis S. non prorsus hospites; sed si Romam excipiamus, ubi ne tunc quidem Canonum scientia desiit; reliquae celebres urbes nullum virum scientia insigni ornatum dederunt. Hac tempestate feliciter tandem accidit, ut Carolus M., perpendens optimorum principum esse, suis populis felicitatem ethicam comparare: ut studia S. Literarum in regnis suis, quam latissime fieri posset, restituerentur curavit. In Gallia praesertim, quae regio iam olim prae ceteris imperii occidentalis regionibus bonarum artium studiis excelluit, Caroli M. opera potissimum factum est: ut viri eruditi — quos clericos fuisse nemo

dubitat — in schola Palatina S. Scripturarum studiis vacarent. Praecipua subinde coenobia O. S. B. Fuldense, Sangallense, Augiense, Hirsaugiense, Moguntinense, Corbeiense, Prumiense, Mediolanense, Sandionysianum, Parisiense, Trevirense, Weissenbergense, Remense, Autissiodorense; quibus iungantur apud Italos Cassinense, Ferrariense, Ticinense aliaque bene multa, monachos aluerunt omnigena eruditione pariter ac pietate conspicuos; qui S. Literas docte et caste exponerent. Etiam Taurinos, Cremonam, Florentiam, Firmum, Veronam, Vicentiam, Forum Livium, Romam multos convolasse; ut in eruditione S. Literarum iustruerentur, vix est, quod moneamus. Prae reliquis excelluit coenobium, quod non procul ab urbe Ticino inter montes Apenninos ad locum, qui Bobium adpellabatur, saeculo p. C. septimo condidit Columbanus gente Hibernus. Monachi Bobienses vestigia beati statoris sui tam diligenter pressere, ut hoc monasterium et pietate religiosorum et eruditione, brevi fieret celeberrimum. Ei coenobio, in quod literae omnis generis per tempestates medii aevi ex Italia ceterisque Europae regnis male iactatae se receperunt, saeculo a. C. n. decimo praefuit Gerbertus Gallus, postea s. n. Silvestri II. S. P., vir omnium scientiarum longe peritissimus. Huic in cultu literarum nihil quidquam cessit Cantuarensis, Beccensisque monasterii schola; et Collegium Glocostrense in Anglia; e quibus perinde atque e scholis Galliae, Germaniae, Italiae, multi praestantes S. Scripturae doctores prodierunt. Inter familiae Benedictinae alumnos persuasum erat: ad monasterii cuiusdam celebritatem-parum facere sumtuosa aedificia, excelsos parietes, marmoreas turres, pretiosa tecta, agros, latifundia, divitias, nisi Religiosorum pietas et eruditio sedem in iis collocaverint. Quantae curae d. Benedicto fuerit: ut familiae suae alumni ad S. Literarum studium et s. Patrum lectionem se referrent, notissimum habetur. Itinerantes monachi ‚Sacros Codices in pelliceis sacculis portare solebant.‘ M. Cassiodorius Agapeto Rom. P. auctor exstitit, ut publicas in Italia aperiret Academias, Orientis exemplo, in quibus S. Scripturae traderentur. Idem porro Cassiodorius, ubi Ordini S. B. nomen daret, codices, quibus opus esse ad planiorem S. Literarum intelligentiam noverat, incredibili prorsus liberalitate emit. Qui serioribus saeculis vixerunt, eiusdem Ordinis moderatores in usum induxerant, ut sociata opera Libros Divinos excuterent. Magistrorum S. S. in numero Ambr. Autpertus s. Vincentii ad Vulturnum in Benevento Abbas, atque Iglacus monachus ad s. Petrum in finibus Berniciorum, minime omnium postremi fuere. Hinc Patres Concilii Cloveshoviensis in Anglia 747. celebrati decernunt: ‚Provideant vigilanti perspectione Episcopi, ut sint monasteria . . . . orantium, legen-

tium, Deumque laudantium.' ,Proinde, continuat S. Synodus, exerceantur in scholis pueri ad dilectionem S. Scripturae, ut per hoc bene eruditi inveniri possint ad omnimodam Ecclesiae Dei utilitatem.'

§. 148. Nonnulli praestantiores interpretes saeculi IX. X. XI. et XII. p. C. n.

Inter scholae Palatinae rectores non sine laude nominatur Alcuinus, moderatorum omnium illius scholae doctrina perinde ac pietate facile princeps; qui veterum s. Patrum vestigiis inhaerens literae Textus Divini Codicis explicandae insistit, frequenter tamen mysticum quoque sensum consectatur. Alcuinum tempore et doctrina subsecuti sunt: Angelomus Gallus, Chr. Druthmarus, Hrabanus Magnentius Maurus, vir omnium disciplinarum genere absolutissimus. Hrabanus cum Haymone, Halberstattensium eiusdem temporis Antistite, flores legit e commentariis S. P. et S. E. literales et allegoricos. Qui duumviri: ,quod ad historiae veritatem pertinet sagaciter investigarunt, quod ad allegoriam firmissimis Scripturarum testimoniis comuniverunt, quod ad rerum gestarum involucra miro quodam artificio evolverunt.' Eadem ratione in explicandis S. Paginis usi sunt: Remigius Autissiod. ep., Bertharius Cass. Abb. aliique; quibus brevitatis studio in praesens omissis, ad Walafridum Strabonem convertamur. Hic primus Glossam Ordinariam in universam S. Scripturam e Veterum S. P. et S. E. monimentis adornavit. Institutum Walafridi aevo q. v. medio usque adeo placuit, ut κατ' ἐξοχὴν ,Auctoritas', imo lingua S. Scripturae diceretur. A s. d. Glossa Ordinaria scite discernenda venit G. Interlinearis et marginalis, cuius auctor Anselmus Laudunensis sub initium saeculi XII. vixit. Reliquorum, qui iisdem saeculis explicando d. Codici operam navarunt — veluti Bruno Astens., Abb. Cass., S. Bruno Carthus. instit., S. Bruno ep. Herbip., Gerhohus sive Gerochus Reichersperg., Willeramus Abb. Merspurg., Rupertus Tuitiensis, Hugo de S. Victore O. S. Aug. abb. — non aequali quidem neque eruditione, neque iudicio; sed eadem diligentia in discutiendis s. Literis versati sunt. B. Laufrancus, antequam monasticae vitae se addixit celeberrimus Juris Professor, monachus factus per tres annos S. Literis studuit, tum iussu B. Herluini publicas scholas Beccenses aperuit, Sacrisque Literis immensum laborem impendit. Discipulum inter ceteros nactus est S. Anselmum, qui ei in AEpp. Cant. successit. Is vero cum officium Abbatis adhuc gereret, ut fratres suos ad lectionem S. Scripturae provocaret, omnibus in universum concessit:

‚ut quicunque vellet de quaestionibus S. Literarum, eum libere interrogare posset, neque desistere unquam ab interrogatione deberet, quousque per solutionem responsi satis sibi factum agnosceret.' Neque domesticis tantum, sed etiam exteris in Divini Codicis studio erudiendis, Lanfrancus insistebat. Leo IX. P., ultra quinquaginta annos iam natus, summo fervuit ardore: ‚ut Divinarum lectionem Scripturarum in Graeco addisceret eloquio!' Quanta vero fuit S. Bernardi abbatis Claraevall. doctrina, et in S. Literis exponendis excellens gloria; coaevi posterique testantur. Interpres pius, elegans, incendia excitans verae sanctitatis, haud absque miraculo ita doctus evasit; ut aliorum Doctor esset in finem usque saeculorum, cui ab adolescentia inter fagos versato, praeclaras ingenii dotes excolere vix licuit. S. Bernardum, ‚unius vere libri virum, non erudita docuit exercitatio'; sed iugis D. Scripturae meditatio. Admirabili S. Literarum peritia, quarum verba et sententiae dicenti se sponte offerunt, adeo festivus et iucundus est, ut ‚melliflui' cognomen merito habeat. Gilberti Folioti Ep. Lond., Gilb. Porretani Ep. Pictav., Honorii Eduens. pr., Honorii Augustodun., Joachimi Calabr. Cist., Lucae abb. M. S., Cornelii Ben., Petri Blesensis, Petri Lombardi Ep. Par., Richardi de S. Victore in S. Scripturas commentationes, e vetustioribus collectae habentur atque sensum spiritualem imprimis quaerunt. Sed tales palato nostri aevi hominum non satisfaciunt. Hac aetate vixit P. Abaelardus, linguae graecae gnarus, neque hebraeae expers, in errores attamen proclivis et lubricus, libros exaravit ‚ἀνίπτοις χερσί' quod dicunt. Discipulum habuit Joannem Sarisberiensem commentariorum in omnes Epistolas d. Pauli concinnatorem; qui sensus magis tangunt, quam explicant.

§. 149. S. Codicis expositores ‚scholastici' et ‚mystici.'

Saeculo decimo et tertio S. Literarum studia in deterius lapsa eius temporis testes queruntur: ‚qui in monasteriis erudiuntur, adeo stulti perseverant; ut literarum sono contenti nullam de intelligentia curam assumant'. Salva tamen et integra mansit penes singulos in tradendis et exponendis S. Scripturis peritia; quod nemo inficias ibit, qui scriptorum huius saeculi opera excutiet. Qui quidem omnes hoc suis lectoribus praecipiunt, ut Libros Sacros U. F. iuxta historicam, allegoricam et moralem sive tropologicam intelligentiam scrutentur. Occurrunt hic memoriae viri praestantissimi: Albertus M. Dom. Ep. Ratisb.,

Alexander de Hales ,doctor irrefragabilis' Minor. Franc., qui postillam in tota S. Biblia compilavit. S. Antonius Paduan. propter eximiam S. S. scientiam Gregorio IX. P. ,arca Testamenti' dictus. Deo hominibusque amabilis S. Bonaventura ,doctor seraphicus', Episc. Alban. longe lateque celeberrimus, in scribendo profundus, utile cum dulci miscet; fervet in sensibus mysticis indagandis, literam tamen minime negligit: ,quod per Sacrarum Scripturarum silvam quis secure incidendo et exponendo incedat opus est, ut prius noverit ipsius S. S. veritatem per verba explicita' praecipiens. Aimericus Placentinus O. Fr. Praed. in S. S. versatissimus, domui Bononiensi Dominicanorum pretiosos Codices S. Bibliorum acquisivit. Hugo Card. Carens. s. a s. Caro Ord. Fr. Praed. praeter commentaria in U. T. exarata, collegit etiam — et per alios, in quibus nominatur Conradus Halberstadius, et ante eum Joannes de Derlington. — S. Bibliorum Concordantiam, qui liber tantae utilitatis fuit, ut eum imitati Judaei similem literis hebraeis confecerint. De Correctoriis Biblicis v. q. n. a. l. d. S. P. Innocentius III. et V. in Ecclesia gubernanda assidui, Divina Volumina nihilominus feliciter enuclearunt. Guilelmus Par. Ep. Arvern., Petrus Archiep. Senonens., Nicolaus Bocasinus Ord. Praed., et Philippus Abb. bonae spei O. Praemonstr., S. Literarum studiis erant addictissimi. S. Thomas Aquinas O. S. D. scholasticorum sine ulla controversia princeps, felici ingenio multos S. Scripturae libros lucidissimis commentariis illustravit. Graecorum, quorum multi tunc in Italia degebant eruditione usus, versionem literalem S. quatuor Evangeliorum fieri curavit; quam in commentariis suis adhibuit. Et quamvis nisi venuste S. P. et S. E. in S. Scripturas praeclara dicta, centonis adinstar necteret: est tamen is, qui sui temporis Divini Codicis enarratoribus anteponatur ob copiam doctrinae et acumen iudicii. Quapropter iniquae censurae in S. Thomam postulandi sunt critici, qui re non bene examinata, Doctori Angelico ,interpretis' boni elogium adimere pergunt. Non inficiamur S. Thomam aliosque — cumprimis conditores catenarum — codices manuscriptos Textus Originarii U. F. manibus nequaquam evolvisse, partim quod linguam graecam ignorarent, partim quia Codices — cum care venirent et obvii non forent — ad manum paratos non haberent: id tamen s. Thomae in laudem cedit, quod Veterum locos d. Doctor Angelicus impiger excusserit, detersit, eorumque plures loqui latine fecerit; quodque ei egregium visum fuit, ex omnibus veluti sedula apis collegerit. Propter eximiam dictionis et diligentiae praestantiam celebrantur opera Hervaei Dolensis — al. Natalis —, Aegidii Rom. Augustin., discipuli Thomae Aq. eiusque doctrinae

defensoris acerrimi. Franc. Petrarca etruscae poeseos parens, in septem Psalmos poen. commentatus est; Ep. Simon Jutamaeus ol. Dom. hebraee eruditus exstitit. Richardus de Media villa ‚doctor solidus‘ S. Evangelia exposuit; Joannes Duns sive Scotus ‚doctor subtilis‘, commentaria in Genesim, Evangelia et Epistolas S. Pauli edidit; Joannes Ruysbrockius tabernaculum Moysis; Joannes vero Taulerus Vitam et Passionem Salvatoris N. J. C. piissimis exercitiis descripsit. Judaeos confutavit Raimundus Martini, Subiratens. Ord. Praed.; scriptorum Rabbinicorum, si quis alius, peritissimus. Nic. Liranus Brabant. Jud. f. Chr. Minor. Fr. ‚doctor utilis‘, Utrumque Testamentum studiose discurrens, ‚Postillam‘ vulgavit; cui maior adhiberetur fides, si aliquando iudaicis figmentis non adhaereret. Petri de Verberia, Breviarium totius S. Scripturae edidit ieiunum; allegoriae Rob. Holkot Angli O. S. D., veteribus ex parte similes, sed minores reperiuntur. Singulare vero encomium est, quod Ad. Estonus, ex mon. Ben. Nordvicensi in Anglia, S. R. E. Cardinalis de literis hebraicis meruit. Alph. Tostatus Abulens. Ep. J. Capgravius Augustinianus, et B. Cadolus Camaldulensis L. L. S. S. V. et N. T. utiliter explicuerunt. Dionysius, Laevis cogn., Carthusianus Utriusque Foederis Libros scholiis illustravit atque adversus Coranum disputavit. J. Manettus, Florentinus, iussu Nicolai V. R. P. ex Hebraeo Psalmos, e Graeco N. T. in Latinum transtulit; quae versio Romae inter codices mss. Vaticanos habetur. Jac. Perez, Augustin. in Psalmos et cantica commentarios scripsit. Joannes Gersonius famosissimus suae aetatis Theologus multos locos S. S. in Historiam et Allegoriam polite congessit. Laur. Valla, Quinctiliani imprimis admirator simul et imitator, exaravit annotationes in N. F. paulo liberaliores, quibus vellicat Vulgatam. Denique Petrus de Albiaco, Ep. Camerac. S. R. E. Card, expositiones et meditationes S. S. anagogicas dedit.

§. 150. Nova rerum facies.

At enim erunt, qui nobis hic obiiciant: quam tu, inquiunt refers narrationem? Siccine tibi interpretes Scholastici a peritia exponendi S. Scripturae commendantur? qui tamen non tantum Hebraeam linguam non calluerunt, sed ne Graecae quidem gnari fuere; ut de artis Criticae scientia, cuius nullam omnino habuerunt cognitionem, nihil dicatur. Ex quo factum esse, continuant iidem; ut saepius Sacris aliisque scriptoribus sententias adscribant, quas revera nunquam protulerunt; item doctrinam

de multiplici unius eiusdemque S. Scripturae loci excogitarint. Ubique vero in S. Codice testimonia et exempla quaerunt reperire earum notionum, quas Theologia speculativa, ut fundamenta suae demonstrationis posuit. Unde concludunt: Theologorum Scholasticorum et Mysticorum interpretationes nihil conferre ad lucem S. Scripturis adfundendam; quin imo tenebras iis offundere, lucemque adimere. Hisce et multis aliis, non tam accusationibus quam probris et calumniis occurrimus atque respondemus: Utriusque linguae hebraeae et graecae praesidiis Theologos scholasticos destitutos fuisse, uti in universum non diffitemur, ita quod ad nonnullos — d. q. v. s. l. — attinet negamus. Prae omnibus autem in eorundem libris aestimandam dicimus Rerum Divinarum scientiam. In hac autem scientia excelluisse criptores medii aevi, argumento sunt scripta ab ipsis exarata. Quodsi ı plerisque eorum arguatur, sententias modo S. P. et S. E. compilasse; oc generatim non adducimus in dubium, sed ex temporis circumstanarumque suarum natura explicamus. Cum in profundissimo S. Literarum ceano nemo tutus vela faciat, nisi S. P. et S. E. doctrina veluti cundis ventis provehatur; atque iisdem ad clavum sedentibus ab erro- m scopulis liberetur: hinc Theologi huius aevi in sententias S. P. igenter inquirebant, eas subtilibus disputationibus exornarunt et felier concinnarunt. Quae S. S. loca ad imbuendos fideles d. Codicis :trina, ad Haereticos Judaeosque refellendos necessaria fuerant; Vetus Bibliorum interpretatio Latina, ipsis sufficienter exhibere videbatur. :edit interpretes istos alia subsidia minime neglexisse, quibus Textus irati sensum et vim explicare licet. Sic Chronologiam, Chorographiam, orias; aliaque id genus adiumenta in usum suum omnino converte- :. Explicabant saepe prospero successu unum locum S. Scripturarum alios similes. Eruditio Critica studiumque linguarum tardius florere , ubi saeculo XIV. et magis adhuc XV., Graeci ex imperio Byzanprofugi cum graeca lingua simul literarum graecanicarum notitiam per pam disseminarunt. Hos inter fuerunt: Theodorus Gaza, Georgius ezuntius, C. Bessarion, Eman. Chrysoloras, Dem. Chalyles, Const. Lascaris, Andronicus Thess., aliique quam plurimi. alia quibus scientiarum in universum atque in specie Orientis et iae cognitio propagata fuit media, nullum est maius inventione typographicae. Ecquidem literas fixas ligneis metallicisve paginis ore veteres noverant, xylographiae haud ignari; a literis autem ilibus ad mobiles transitum fecit Joannes Gutenberg civis Moguntypographiae inventor. Moguntia ars recens inventa ad praecipuas

Orbis urbes pervaserat per viros, qui spe lucri alliciebantur, ut cum Gutenbergio societatis foedera sancirent. Singularis autem in omnis generis scientias theologicas exarsit amor, a quo Summi Pontifices et Principes auctoritate et liberalitate sua promoverunt novarum scholarum: videlicet Academiarum sive Universitatum institutum; unde tot viri S. Literarum eruditissimi exierunt. Jam Clemens P. V. salutariter providit: ut in Romano, Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi et Salamitano studio teneantur viri catholici habentes Hebraicae, Arabicae et Chaldaicae linguarum notitiam; earumdem peritiam studiosa instructione in alios transfundere, quibus etiam stipendiis competentibus voluit provideri. Celebrabantur scholae: Aurelianensis, Avinionensis, Bononiensis, Budensis, Coloniensis, Cracoviensis, Istropolitana, Lovaniensis, Oxoniensis, Parisina, Perusina, Romana, Rostochiensis, Tubingensis; Vindobonensis per Germaniam omnem sane clarissima. Quodsi enim undique allectos viros doctissimos ad ‚studium Viennense' in gloriae partem vocare fas fuerit, nulli per Germaniam eius temporis secundum merito dici intelligemus. Et vero gratulatur Archigymnasium hoc Vindobonense, habuisse S. S. Literarum cultores et eximios magistros: Thomam de Argentina, Henricum de Hassia, Michaelem Suchenschatz, Lambertum de Geldria, Petrum de Pulcka, Petrum de Pirchenwart, Bertholdum Ruchavoser, Thomam de Haselbach; quorum libri typis descripti — longe plures mss. haeserunt ineditique — parum noti, commonstrant, eos Divinum Codicem perita manu tractasse. Aluerunt istae et aliae per Europam Universitates: Burdigalensis, Cadurcensis, Cantabrigiensis, Dolana, Dublinensis, Erfordiensis, Gryphiswaldensis, Havniensis, Heidelbergensis, Ingolstadiensis, Lipsiensis, Pictaviensis, Remensis, Tolosana, Trevirensis, Vesuntina, S. Scripturae interpretes pios et doctos; qui depositum fidei custodientes et devitantes profanas vocum novitates, non sua tradiderunt, sed quae a Maioribus acceperunt.

AEVUM RECENTIUS.

§. 151. Conditio interpretationis S. S. catholicae s. XVI.

Saeculo XVI. cum Protestantes arma sua, quibus S. Romanae Ecclesiae bellum intulerunt e S. Scripturarum armamentario desumsisse audacter iactarent, quid ni etiam Catholici viri ex eodem ad vim repel-

lendam tela peterent? Sed si qui inventi sunt, qui strenue id facerent; certe pro tanto numero adversariorum non ea copia, qua opus erat, in Ecclesia fuerunt. Jam enim meliores queruntur: studium Literarum monachorum rarissimus curabat, venationibus, otio et commessationibus erant dediti, et nihil minus quam lectionem Scripturarum curabant.' Hinc Sectariorum illo aevo cum in saecularis tum regularis Cleri alumnos, frequentes sarcasmi et cavilli. Quae causa fuit: ut Deus Ecclesiam Christi ornaret magnificentissimo munere ,institutione Societatis Jesu.' Inter praecipua huius Ordinis decora, referendum esse censemus: quod ea multa theologicarum disciplinarum lumina atque columina produxerit; nec ullum fere sit Studiorum Bibliorum genus, de quo non quidam illius sodalium variis nominibus praeclarissime promeriti fuerint. Prodierunt ex ea viri, cunctorum eruditorum suffragio maximi, vere heroes literarii; non ad sui tantum, sed omnis aevi exemplum illustres. Quam viam ingressi fuerint viri Societatis Jesu in exponendis S. Literis, pandit ,Ratio Studiorum', quae inter regulas Professoris S. Scripturae statuit: ,Intelligat suas partes esse Divinas Literas iuxta germanum literalemque sensum, qui rectam in Deum fidem, bonorumque morum instituta confirmet, pie, docte, graviter explicare. Inter cetera, ad quae eius intentio feratur, illud praecipuum sit, ut Versionem ab Ecclesia approbatam defendat. Ex Hebraeis, Graecisque exemplaribus, quod usui fuerit in eam rem proferat, breviter tamen; nec ea vicissim praetereat, quae latinae editioni Vulgatae fideique mysteriis valde faveant. Si quem literalem cuiuspiam loci sensum esse significant Pontificum seu Conciliorum, praesertim generalium Canones, eum omnino literalem esse defendat. Quaestiones S. S. proprias scholastico more non tractet. Nihil antiquius habeat, quam ut primo ipsa S. S. verba perquam integra fide interpretetur. Studeat adiumenta quaerere ex aliis linguis Orientalibus.' Quis vero non demiretur ex nostris, et alienis exstitisse scriptoribus, qui interpretationi P. P. Societatis Jesu iuxta regulas laudatas adhibitae, infestos se praebuere, qui prae livore ac invidia illorum eruditionem atque industriam iniuriae loco habuerint? Et vero omnem rem Exegeseos Jesuiticae q. d. mordaci et acerbo scribendi genere insectati fuere Societatis adversarii; neque tamen hinc contigit quominus plurimi, aequi rerum iudices palam faterentur: quidquid aut linguarum orientalium peritia; aut notitia antiquitatum et geographiae; omnisque artis hermeneuticae apparatus suppeditare poterat ad S. Literarum explicationem, id multos P. P. Societatis Jesu secum attulisse. Non autem omnes S. S. J. recensere animus est, qui magno ardore, nec minori successu S. S. tractandas susceperunt —

ne b. narrationis limites excedamus — sed qui in hisce explicandis eximii quid prae ceteris praestiterunt, perenni memoria propterea dignissimi.

§. 152. Celebriores scriptorum Societatis Jesu, qui S. Biblia explicarunt enumerantur.

Impiis Reformatorum conatibus viriliter restitisse laus est et gloria sodalium Societatis Jesu. In hoc coetu saeculo XVI. claruerunt: Blas. Viega Lusit., Ben. Justinianus Ital., qui S. S. totus usque ad finem vitae incubuit; in enodando S. Paulo vere admirabilis. Alph. Salmeron Hisp., Car. Sagerius Gallus, Emm. Sá Lusit., Fr. Ribera Hispan., Franc. Toletus Hisp. interpres politus, qui non contentus attigisse superficiem, ad intima sensus Divini Codicis eruenda ingreditur. Georg. Sturm Germ., Hier. Pradus Hisp., graecae et hebraeae linguae peritissimus; ingenii subtilis, eloquii vivacis et promti. Joan. Maldonati Hisp. commentaria, viri pii et docti, paucis hoc in genere comparanda sunt, et quae multorum instar esse possunt. S. S. coluerunt quoque B. Petrus Canisius Belga, T. et A. Pellamus Germ. Saeculo XVII. floruere: Ad. Contzen, Germ., Andr. Crommius Belga, Balth. Corderius Belga, Casp. Kümmet Germ., Andr. Pinto Lus., Andr. Schottus Belga, Ant. Fernandez Lus., Aug. de Quires Hisp., Balth. Corderius Belga, Ben. Pererius Hisp., Christoph. a Castro Hisp., Corn. a Lapide Belga scriptor copiosissimus, Cosm. Magalianus Lus., Did. de Celeda Hisp., D. Petavius Aurelianensis. Magno conatu nihil, quod non magnum foret, praestitit; nec ullum fere est Scientiae Sacrae genus, in quo non feliciter versatus fuerit. In Graecis et Hebraicis haud leviter eruditus, libros scripsit, queis nullos meliores Theologia habet. Ant. Escobar de Mendoza Hisp., Franc. de Mendoza Lusit., Gabr. Alvarez Hisp., Gabr. Vasquez Hisp., G. Sanctius Hisp. S. Bibliorum explanator indefessus et solidus, Georg. Káldi Hungarus, Henr. Philippi Belga, Jacob. Bonfrerius Belga utilis et clarus, Jac. Salianus Gall., Jac. Tirinus Belga, J. Er. Fullonius et J. B. Villalpandus Hisp., qui singulari in enarrando S. Scripturae sensu dexteritate gaudebant. Joan. de la Haye Belga, Joan. Hier. Sopranis Ital., Joan. Lorinus Gall., Lud. de la Cerda Hisp., Joan. Mariana Hisp., Joan. de Pineda Hisp., interpretis eruditi S. S. nomine dignissimus, Joan. Steph. Menochius Ital., Lud. ab Alcasar Hisp., Lud. de Ponte Hisp., Mart. Ant. Delrio Belga, Mart. Becanus

Brabant., Nic. Caussinus Gall., Nic. Lombardus Gall., Nic. Serarius Lotharing., Octav. de Tufo Neap., Petr. Lanselius Belga, Petr. Possinus, Petr. Roverius Gall., C. Rob. Bellarminus Ital., e genere gigantum in Scientia Sacra, cuius eruditionem, iudicium, virtutes, dona omnes ingenue confitentur. Sebast. Barradius Lusit., Thom. Massutius Italus. Saec. XVIII. claruere: Joann. Harduinus, doctissimus pariter et laboriosissimus; qui ,et puer et iuvenis cartis impalluit et vir senexque., Literarum cum viveret sacratiorum decus; a cuius dicendi genere longe ıbfuit sermo durus. Sed quod dolendum, paradoxis opinionibus indulsit. 'hom. Le Blanc. Gall., Thom. Holtzclau Germ., Jos. Kleiner Germ., ac. Maciejowsky Germ., Ant. Remy Gall., Scip. Squambatus Ital., [enricus Kilber Germ., J. Ph. Lallemant Gall., F. A. Zacharia Ital., en. Joseph. Tourneminius Gall., Edm. Voit Germ., Georg. Fr. Wiesner erm., Laur. Veith Germ., Ign. Weitenauer, Fr. X. Widenhofer erm., N. Zillich Germ., Herm. Goldhagen Germ., Is. Pires Belg., s. Ghesquière a Raemdonck Belga., J. B. Froehlich et Jos. Khell ıstr. viri egregii; qui tenacitate memoriae, iudicii acie, lectionis assiitate, laboris constantia, plerarumque linguarum tam orientalium quam ;identalium scientia excelluerunt. Quae omnia Societatis Jesu in rem erpretationis catholicam merita, Acatholicorum etiam laudem extorsit. antos enim Ecclesiae Catholicae Societas ista dederit S. S. expositores, ex recensitis facile colligi potest.

. 153. Interpretes S. S. ex aliis Ordinibus religiosis eruditione praestantes commemorantur.

Ista vero gloria Ecclesiae Catholicae, haud parum aucta est per ', qui inter alios Ordines religiosos nomen sumserunt. Omnes fere 'ersitates cum Ordinibus religiosis multiplices vices habuere, etenim ɘdris S. Scripturae exponendae saepissime Regulares insederunt. ılo XVI. interpretum officium feliciter obierunt in familia S. Beneviri doctrina et diligentia spectatissimi: Marcus Cremonensis et rus Clarius Casin., Bened. Bonsignorius Casin., J. B. Folen- Padoliron., Gilbert Genebrardus Gall., Franc. Ruizius Hisp., Lauretus Guixolens., Lud. Blosius Belga, Rich. Kederminsterus ıs. Saeculo sequenti i. e. XVII. in studio quoque S. Scripturarum opera exsecuti sunt P. P. Congr. S. Mauri; e quibus celeber- Joan. Martinay, Petr. Sabatier, C. Fr. Baillard, P. Guarin,

J. Mabillonius, B. Montfaucon, L. Th. du Four inclyta eruditionis sacrae lumina; omni studiorum genere elucubrata monimenta ‚linenda cedro, et levi servanda cupresso, ad posteros transmiserunt. In Hispania, Gallia, Germania Benedictini S. Literarum scientiam, qua ipsi praestarunt, docuere: Duaci Leander a S. Martino, Salmanticae Jos. Senz de Aguirre, Patavii Leo Matina et Joan. Hier. Textorius, Salisburgi Franc. Jos. Paul. Mezger, Wessofontani Thomas Erhard, Cremifani Hier. Bezange. Viri in explicanda S. S. indefessi Aug. Calmeti, abb. Congr. s. s. Vitonis et Hidulphi commentaria, ubique gentium leguntur. Aemuli Benedictinorum exstiterunt Dominicani, quorum haud paucos in explicando d. Codice laborasse notum est; quodsi alia nomina deessent, vel Ambrosii Catharini, Aug. Justiniani, Did. Alvarez, Domin. de Soto, Franc. Forerii, Greg. Primatitii, Guilel. Hameri, Guil. Pepini, Hier. Vielmii, Joann. Hentenii, Jac. Naclanti, Sanctes Pagnini, Seraphini Capponi a Porretta, Sixti Senensis, Thom. de Vio Caietani, Lud. Soto-Maioris, Ludovici Ystella, Jos. Mar. de Turre Januens., Thom. Malvendae, Gabr. Fabricyi, Ign. Hyac. Amat. Gravesoni, Alexandri Natalis, M. Lequien; eruditionis Biblicae varietate ornatorum sufficerent. Ex Ordine autem S. Francisci commemorandi sunt: Adam Sasboldus, Alph. a Castro, Ant. Brouckwy a Koningstein, Ant. de Guevara, Joann. Pellicanus de Brundusio, Corn. Mussus, Evangelista Marcellinus, Franc. Georgius, Franc. Panicarola Ep. Ast., Franc. Titelmanus, acerrimus Erasmi insectator, Guerrius de Trejo, Joann. Ferus, Joann. Guyenz, Joann. de la Haye, Nic. Grandis, Seraph. Cumiranus, Pelbartus Oswaldus de Temesvár, Franciscus Feuardentius, Marc. Joan. Gostcalcanus, Bernard. a Piconio, Wilhelm. Smits, Marius de Calasio. Quos omnes s. Franciscus praecepit: ‚honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam.' Signandi sunt etiam ex aliis Ordinibus viri docti, quibus laus servatae et ampliatae orthodoxae Verbi Dei intelligentiae debetur. Sponte hic incident nomina P. P. C. Oratorii: C. Becilli, Joan. Morini, F. Justiniani, Rich. Simonis — Deippa Normanni, cuius tamen opera propter quasdam temerarias opiniones censurae subiicere oportet — vastae lectionis et iudicii haud vulgaris; vituperandus quod S. Scripturae auctoritatem licentia novitiarum hypotheseon pulsaverit. Bern. Lamy, J. Renou, Carol. Fr. Houbigant, linguarum et Literarum studiis impense deditus, sed in critica ultra modum progressus; J. Blanchinius editione Textuum immortaliter de S. Bibliis meritus, Jac. de Long Bibliographus diligentissimus, J. J.

Duguet, L. Carrières C. Saccarelli et alii. E reliquis variorum Ordinum sodalibus in dilucidandis S. Paginis praeclaram memoriam scriptis in lucem datis sibi pepererunt: Franc. Huisius, Ben. C. Montisferr., Hector Pinto Hieronymian. Balth. Paez, Ord. Redemt., C. Simon a Corroy, Phil. du Hamel Coelest., Gregor Coelius, Pannonius s. Pauli pr. Er. mon., Mich. Gislerius, Aloys. Novarinus, Joann. Roa Avila, G. Ere, Aug. Torniellus, Aug. Šteuchius, Petrus a Figuerio Clerici regulares; Ludolphus de Saxonia, Petr. Sutor, Andr. Capella Carthusiani, Cherubinus a S. Josepho, Claudius a Monte Martyrum, Thom. Beauxamis, Josephus Angelus a N. B. M. V., Joannes a S. Anna, Modestus a S. Joanne Ev., Joann. da Sylveira, Didacus le Leon Carmelitae. Demum Gasparus a Melo, Desid. Erasmus Rotterodamus, eruditus sed suspectus scriptor, impatiens omnis non ninus in scribendo, quam in vivendo ligaminis, Hier. Seripandus ialern., Jac. Veldius, Joan. Hoffmeister, Joan. Soaretz, Sebast. 'uscanus, Fr. M. Wouters e familia S. Augustini. Paulus Justiianus Camaldulensis, moribus et literis egregius.

§. 154. Encomia texuntur ceterorum virorum ab explanatis S. Scripturis insignium.

Non scribimus catalogum, neque recensere volumus nomina virom omnium, qui per tria illa saecula XVI. XVII. et XVIII. claruent exaratis commentationibus in S. Scripturas; sed e numero illorum ›ducemus eos, qui se scientia operibusque illustriores reddidere. Et : nomine dignus est memoria Urbanus VIII. S. P. paraphrasium in ılmos et Cantica nobilis scriptor. E Praelatis et Clero saeculari laudandi t: Card. Ant. Caraffa, Card. G. Sirletus, Corn. Jansenius Ep. ıdens., Fried. Nausea Ep. Vind., Card. Gasp. Contarenus, Ger. tthisisius Can. Col., Germ. Brixius, Can. Par., Gilb. Genebrardus Aquensis, Ep. Tortos. Lud. Tena, J. Nercassel, Ep. Gororm, 'iophilus Ep. Icon., Canon. Dominic. Garzias, Guilelm. Lindanus Batav., Card. Jos. Mar. Thomasius, ingenio acutus, memoria felix; ıcris et prófanis scriptoribus versatissimus, adeo tamen humiliter de ıo sentiens, ut nunquam suo sed alieno M. ‚Cari' nomine libros aret. Ben. Bossuet ep. Meld. et Card. Jac. Sadoletus doctrinae ı et ingenii celebritate eminentes, Hieron. Osorius Ep. Algarb., . Osorius iun. Can. Eborens., Joan. Eck, qui unus ex primis raetensae Reformationi opposuit, Joan. Faber Ep. Vindob., Card.

Joan. Fisher, Petr. Galesinius, Protonot. ap., Richard. Sampson Episc. Liehfeld., Joan. Laur. Helbig, Fr. Lucas Brugensis Can., Fabr. Palutius Ep., Petr. Dan. Huetius Ep. Abrinc., Mich. Angelus Giacomellus AEpp. Chalced., Libertus Fromondus Lovan., Lud. Lippomannus Venet., Jac. Lopez, Matth. Leo de Castro, D. Gr. Cornerus, Mich. et Paul. de Palacio, Joan. Lud. Vives, Marc. Ant. Flaminius, Anton. Agellius Ep., Ang. Rocca, Simeon de Muis Archidiac. Suession., Guil. Estius, Fr. Assemanni, A. Martinelli, A. Martini, Simeon de Magistris, C. Bugatus, Marchini, J. G. Kerkherdere, J. J. Guyaux, J. Pouget, G. Kröll, Alex. Sym. Mazochius, Can. Neap., Anton Sandini, Blas. Ugolinus, viri ecclesiastici literarum politiorum iudicio diligentiaque egregii. Augent hoc agmen etiam viri Laici, qui Literis quidem Divinis verbo et opere profuerunt: Illustres sunt e Svevia or. J. Reuchlin al. Capnio., Jo. Alb. Widmanstad, Aug. Imp. Ferd. I. Cancell. syriacae linguae imprimis et arabicae elegans cultor, Ben. Arias Montanus, Joan. Gagnein Gall., J. Vittement; E. Hunius et L. Küster, qui relicta haeresi fidem Catholicam amplexi sunt. C. Hure, E. Dupin, parum modestus sed et interdum irreverens, Jo. Leonard. Hasselius Lov., Petr. Staevartius Belg., Symphorian. Chamberius med. gall., Jac. Jansonius Batavus, Andr. Masius, cui plurimum hebraeas aramaeasque literas debere, nemo facile est, qui ignoret; Fr. Vatablus, in Academia Parisiensi linguae hebraeae doctor; Felix Pratensis, Petrus a Valle, Geographiae sacrae scientissimus. Haec itaque nomina nisi fallimur, perspicuè satis evincunt scriptores catholicos saec. XVI., XVII. et XVIII. viam posteris aperuisse S. Eloquia feliciter explanandi.

Amplissimus nunc pateret campus in crisim etiam librorum abs iis editorum excurrendi, sed arctiores narrationis nostrae limites, quominus eo labore defungi queamus, prohibent. Quilibet autem, cui cor sapit, nobiscum agnoscet: utile fuisse, quod his temporibus linguis Orientalibus impendebatur studium, indeque in omne propemodum genus disciplinarum Biblicarum uberrima redundasse commoda; laudanda etiam atque etiam esse illorum virorum molimina, qui non sine sudore atque vigiliis ad penitiora S. Literarum arcana aditum etiam nobis faciliorem parare laborarunt. Aequissimum etiam est, ut s. Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Praelatorum et Principum, atque omnium, quotquot Divinae Scientiae Fautores exstitere, nomina grata posteri recolant memoria; qui verae eruditionis S. Bibliorum studia strenue urgenda susceperunt. Vivent sane merita eorum, quousque virtus et industria praeconem reperiet.

AETAS RECENTISSIMA.

§. 155. De statu interpretationis S. S. catholicae s. XIX.

Exeunte saeculo XVIII. et XIX. ineunte, per universum orbem isciplinae Biblicae excultae fuerunt; studium Linguarum, Antiquitatum, ritices, diligenti opera provectum, scholae erectae vel instauratae, aria literaria condita, Bibliothecae auctae: quibus omnibus non potuit non, iam cognitio S. Scripturarum haud mediocre capere incrementum. Ipsae iam hostium continuae adversus fidem oppositiones necessitatem impoerunt, doctrinam Catholicam propugnandi. Reperti sunt inter nostros am plurimi, qui vel in omnia vel in aliqua Volumina s. Codicis scripta mmentati, sensum grammaticum S. S. investigarent, Historias S. novis quisitionibus illustrarent, Lexica et grammaticas concinnarent, Criticam exercerent, Versiones et Editiones Bibliorum adornarent; atque in genere oviori et magis accurata ratione, quam factum est ante, lectiones Literarum introducerent. Unde certa est conclusio, nulli hoc saeculum orum in quovis genere eruditorum copia cedere; qui tamen suis etiam caruerunt defectibus. Quemadmodum enim non omnes orthodoxam S. prarum doctrinam secuti sunt, ita quoque de interpretatione Hagiograrum U. F. non omnes eodem modo meriti fuere. Imo non defuerunt, Acatholicorum vestigia nimis fideliter prementes, novas explicationes s etiam dogmaticis intulerunt, quas quisque Catholicus iuste censet repudiandas. Neglecta Analogia fidei lucubrationibus suis Rationsmum in Textus S. invexerunt, S. P. et S. E. et aliorum proborum rpretum expositiones vel ignorarunt vel contemserunt; Vulgatam enderunt, de D. Hagiographorum inspiratione perperam statuerunt, n loquendi nimium urserunt, Acatholicorum opiniones librosque nse commendarunt. — Praecipui huius ingenii Theologi erant: . Brentano, Altm. Arigler, P. M. Arneth, H. Braun, Leand. Ess, Thadd. Andr. Dereser, Joan. Babor, Andr. Ben. Feilmoser, ischer, J. M. Engstler, Jos. Gehringer, Joan. Blas. Gerhauser, s. Petr. Gratz, St. Hayd, Jos. Laur. Isenbiehl, Joan. Jahn, mi, Joan. Greg. Mayer, Seb. Mutschelle, Monsperger, Adam Jos. mus, Aloys. Sandbüchler, Bon. M. Schnappinger, Christoph her, Ant. Vogt, Innocent. Fessler, Fr. Emer. Simanovics, irkel. Istis quidem interpretibus opposuerunt se alii viri iudicio,

multiplici cognitionum apparatu, haud prioribus inferiores: Petr. Four. Ackermann, Joan. Alber, J. Ansaldi, Anton Jos. Binterim, cuius eruditionem, industriam, pietatem laudant omnes; J. B. Branca, G. Czuppon, G. L. Eyrich, J. M. Feder, K. J. Fischer, F. J. Freindaller, Al. Gügler, C. J. Herber, J. H. Janssens, J. H. Kistemacker, Fr. Loewenheim, Fr. Oberthür, D. Ries, J. B. de Rossi, ingentis scientiae et laboris vir, Jo. M. Sailer, Jo. Nep. Schaeffer, Joan. Slesina S. J., M. Schlosser, Fr. Schrank, Ben. Venusi, Jo. Fort. Com. de Zamboni, Petr. B. Zimmer. Isti quidem omnia, quaecumque vere bona et doctrinae Catholicae proficua huius temporis eruditi Theologi in lucubrationibus suis docuerunt, grato animo exceperunt, quae vero huic minus consentanea vel adversa invenerunt illa reprobaverunt. Iidem porro non sine gravi fundamento novatoribus regesserunt: Veteres Ecclesiae S. P. et S. E. tam Graecos quam Latinos ad expositionem S. S. adhibendos esse; e novis vero non omnes promiscue, sed illos modo qui eruditione praestant, Veterum attamen expositiones non negligunt, vel quod multo peius est, contemnunt.

§. 156. Enumerantur praecipui scriptores in S. Biblia nostrorum dierum.

De conditione cognitionis et interpretationis S. Literarum, qualis progrediente saeculo et nunc est, quod attinet: non in linguis modo Orientalibus stetit eruditorum diligentia, sed praeclaris accessionibus ditatae sunt omnes disciplinae, quae interpretationem S. Codicis iuvant. Non paucos hocce, quo vivimus, tempus viros catholicos numerat, qui eruditione philologica, magno mentis acumine, notitia Veterum, peritia doctrinae Catholicae, S. Scripturas exponendas sibi sumserunt. Nos pro instituti nostri ratione non omnes, qui floruere, hodieque florent, sed praecipuos seligemus, quorum industria interpretationi catholicae praeclaros libros accesisse, quis hodie tam ingratus? et suis ipse bonis invidens sit, quin ex animo gaudeat. Praecipuos enumeramus, ordine literarum Alphabeti, ita ut nomenclatoris vicem sustineamus. M. Aberle, Jos. Fr. Allioli, P. Ballerini, Id. Thadd. Beelen, Aug. Berlepsch, Aug. Bisping, Jos. Brunati, J. Bucher, J. Th. Buslav, J. Brunati, Cavedoni, Ceriani, Jo. Fr. Ign. Demme, J. J. Döllinger, P. Drach, J. H. Friedlieb, J. B. Glaire, L. C. Gratz, G. J. B. Güntner, D. B. Haneberg, Jo. G. Herbst, F. Himpel, J. B. Hirscher, Jo. L. Hug, qui postquam operam plurimam in scriptoribus Classicis latinis grae-

cisque collocasset ad Libros S. N. F. erudite tractandos accessit, Fr. Hülskamp, J. H. Kalthoff, Fr. Kaulen, H. Klee, J. Kohlgruber, J. B. König, Fr. Kössing, V. Loch, M. Löhnis, Conr. Lomb, Th. J. Lamy, Jos. Langen, Ad. Maier, C. K. Mayer, J. M. Mack, Sam. Márkfy, Michon, J. B. Malou, J. A. Möhler, A. Messmer, Fr. X. Maszl, J. Pollák, Fr. X. Patritius S. J., J. Ranolder, Laur. Reinke C. Monast., Fr. X. Reithmayr, Georg. Riegler, Fr. H. Reusch, Jos. Al. Rotermundt, P. Schegg, J. Scheiner, G. Secchi, Th. Simar, Jo. Mart. Aug. Scholz, P. Scholz, Fr. Schrank, Car. Stern, Alb. Stöckl, Val. Thalhofer, F. Stiefelhagen, J. A. Smid, Al. Ungarelli, Casp. Unterkircher, G. Reischl, Aloys. Vincenzi, C. Vercellone, H. Wallon, Ben. Welte, Chr. Gottl. Wilke, Fr. H. H. Windischmann, J. B. Wenig S. J., P. Zingerle, Nic. Wiseman; denique Anton. Lutterbeck, Fr. C. Movers, J. A. Nickes, P. Schleyer et Jo. Nep. Sepp viri doctissimi, sed singularibus opinionibus addicti. Abstinuimus a commendatione scriptorum nostri aevi, ne suspicio nascatur adulationis vel simultatis. Scriptum est enim Eccli. 11, 2. ‚Non laudes virum in specie sua.‘ Illi, habet vetus proverbium, maior honos, cui iam sua forma recedit, qui proprior feretro est, pallidiorque iacet. Non ergo improbantur a S. Matre Ecclesia studia Exegetica, ut acatholici interpretes nobis obiiciunt, nec iacent; sed doctis lucubrationibus S. Literae a viris catholicis eruditione et diligentia illustrantur.

§. 157. Peroratio.

Sed temporis ratio et lectorum singularis patientia, ut vela contrahamus portumque tandem aliquando respiciamus, nos monet. Quod um agimus precamur: ut Orbis Catholicus viris affluat doctis et piis, quos ımmopere colimus: ‚καὶ φιλῶ πάντων μάλιστα.‘ Si quae a triginta annis ı scholis Catholicis fervent studia, maius in dies capient incrementum, e quo nulli dubitamus; Literarum S. amor brevi plures adhucdum ıimos accendet ad D. Volumina dilucidanda, qui recentiorum adminiculoım — quae cum interpretandi arte arctissimis vinculis coniuncta ınt — ope adiuti, bonis libris rem interpretationis ditabunt. Zelus oriae Dei, amor Scientiae Sacrae, Apologiae doctrinae Catholicae cupitas; e thesauro Sacrarum Literarum proferet nova et vetera.

Quod Deus bene vertat!

O. A. M. D. G.

AD

HISTORIAS

REVELATIONIS DIVINAE

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

ACCESSIO.

LECTORI B.

Quamvis omnia fere, quae sequenti accessione continentur, ex Historiis Revelationis Divinae Veteris et Novi Testamenti sumta fuerint: haud satis tamen visum est nobis ea mittere. Servient ea S. Literarum studiosis memoriae et utilitati. Temporum enim et S. Scripturarum determinatio pendet lerumque e plurium, quae in Historiis reperiuntur animadersionum comparatione; cui proinde non sine magno laboris npendio vacare deberent. Utantur igitur L. b. hac ad comodum suum concinnata accessione, eamque in Sacro Codice iscendo non superfluam esse, arbitrentur.

I.

TABULA CHRONOLOGICA

HISTORIAE REVELATIONIS DIVINAE VETERIS TESTAMENTI.

PERIODUS PRIMA.

AB ORIGINE MUNDI ET REVELATIONIS USQUE AD TEMPORA REGUM, SIVE AB ANNO 4274—1084. A. N. C.

Anni ante Ae. V.		Pag.
4274	Mundus a Deo creatus	3
	Lapsus Protoparentum	14
	Cainus et Abel nascuntur	19
3344	Adamus moritur	24
3287	Henochus vivus e terra sublatus	23
3218	Nativitas Noë	24
2718	Noë genuit filios: Japhetum, Semum et Chamum	25
2619	Initium diluvii, autumno, mense Octobri	26
2618	Noë iussu Dei egreditur ex arca	—
2551	Heber a Sale nascitur	44
2517	Phaleg Hebero natus eodem tempore, quo confusio linguarum et dispersio gentium accidit	—
2396	Thare patre Nachoro nascitur	—
2326	Nativitas Abrami filii Tharae	—
2269	Noë e vita decessit	—
2251	Vocatio Abrami in terram promissionis	46
2242	Abrahamus victor de quinque regum copiis a Melchisedecho Sacerdote Dei Altissimi, qui panem obtulit et vinum, benedicitur	49
	Deus repetitis vicibus Abrahamo facit promissiones foedusque cum eo init	51
2240	Abrahamo nascitur Ismaël ex Agar	52
2227	Abrahamus circumciditur simul cum maribus domus suae	53
2226	Sara peperit filium promissum Isaac	57
2166	Isaaco Esavus et Jacobus gemelli e Rebecca nati sunt	60
2151	Abrahamus ex hac vita in sedes illas Patrum transiit	—

Anni ante Ae. V.		Pag.
2089	Jacobus, benedictione ab Isaaco accepta, ad Labanem se recepit, apud quem viginti annos est commoratus	62
2069	Jacobus- relinquit Labanum; cum familia in terram Chanaan revertitur, et in via cum Angelo Domini colluctatus, venit Sichem; Rachel cum Benjaminum enixa esset obiit	65
2058	Josephus venumdatus a fratribus ex invidia Madianitis, ab iis in Aegyptum ducitur	68
2046	Moritur Isaacus	67
2045	Josephus somniorum Pharaonis, interpres Prorex Aegypti constituitur	70
2036	Jacobus 130. annos natus cum tota familia in Aegyptum descendit. Incipiunt 430. anni peregrinationis. [Gal. 3, 17.]	73
2019	Jacobus supremum diem obit	74
1964	Josephus 110. annos natus moritur	—
1688	Moyses Amrami filius nascitur	93
1648	Moyses occiso Aegyptio fugit in regionem Madian	95
1608	Moyses Aegyptum reversus cum fratre Aarone coram Pharaone stetit	101
1607	Exitus Israelitarum de Aegypto	105
—	Ad montem Sinai mense tertio Decalogus promulgatur . . .	109
—	Beseleel et Ooliab Tabernaculum iussu Dei exstruunt . . .	112
—	Sacer locus et sacerdotium inauguratur	113
1567	Sehon rex Amoraeorum atque Og rex Basan devicti sunt. Res Balaami	117
—	Moyses conscenso monte Nebo, anno aetatis 120., quod mortale habuit, deponit	120
—	Jussu Dei Josue succedit Moysi in imperio	192
1566	Israelitae sicco pede transeunt Jordanem ingrediunturque terram promissam	—
1559	Annus κληρουχίας terrae promissae inter Israelitas	195
1556	Josue 110. annos natus moritur	196
—	Anarchia annorum viginti et quatuor in quos cadunt ea, quae narrantur de Ephraimitarum et Danitarum idololatria et de bello Beniamitico eiusque causis	202
1534	Initium octo annorum quibus servierunt Israelitae Cuschano . .	214
1527	Othoniel iudicat annis quadraginta	203
1498	Incipit servitus Moabitica octodecim annorum	—
1471	Judicatus Aodi, quies data per octoginta annos	—
1392	Israelitae servitute Chanaanaea sub Jabino viginti annis tenentur .	204
1373	Liberati Deborae et Baraci manu per quadraginta annos quieti manent	—
1334	Servitus Madianitica per septem annos	—
1328	Gedeon praefuit quadraginta annis	205
1289	Abimelech triennio tyrannidem exercet	206
1287	Judicatus Tholae viginti et trium annorum	207

PERIODUS SECUNDA.

REGIBUS HEBRAEORUM USQUE AD EXILIUM BABYLONICUM, SIVE AB ANNO 1084—586. A. N. C.

Anni ante Ae. V.		Pag.
	Tempore, quo Joakimus vinctus tenebatur, acciderunt res a Juditha bene gestae	433
600	Nabuchodonosor Joakimum, indicto tributo, regno restituit . . .	427
597	Nabuchodonosor Joakimum sub foedere subiectionis dimissum, rebellem cepit, in eius locum filium Joachinum substituit; quo detrectante obedientiam, post trimestrem obsidionem Hierosolyma occupata regem cum praecipuis viris — inter quos Ezechiel et Mardochaeus — Babylonem deportat	427
596	Matthania, alias Sedecias, tertius filius Josiae, a Nabuchodonosore constitutus rex undecim annos praefuit	435
586	Sedecias cum fidem fregit a rege Chaldaeorum *eversis Hierosolymis* captus, effossis oculis, Babylonem deducitur. Atque ita translatus est Judas e terra sua [Jer. 52, 27.]	437

PERIODUS TERTIA.

AB EXILIO BABYLONICO USQUE AD CHRISTUM NATUM, SIVE AB ANNO 586—4. A. C. N.

561	Evilmerodachus, mortuo patre Nabuchodonosore, manet solus dominator imperii Chaldaici	478
560	Joachinus vinculis eximitur	—
558	Neriglisorus, Nabuchodonosoris gener, obtinet sceptrum Chaldaicum	469
553	Baltassar Nabuchodonosoris nepos imperio potitur	478
539	Cyrus Persarum rex, capta Babylone, et interfecto Baltassare, evertit imperium Chaldaicum	—
537	Cyrus edicto publico veniam Judaeis dedit in patriam suam remigrandi instaurandique templi. Accidit hoc, cum accurate 70. anni captivitatis completi essent	493
535	Auctoribus Zorobabele et Josua fundamenta ad Templum aedificandum iacta sunt	494
485	Xerxes, Assuerus Estherae, gubernacula monarchiae Persarum tenet	505
458	Esdra in Judaeam ab Artaxerxe dimittitur, ut rempublicam ordinaret	511
445	Nehemias regiis literis instructus Urbis plene restituendae consilium exsequitur	512
433	Nehemias Babylonem redux, brevi rursus repetit Palaestinam .	514
332	Alexander M. expugnata Tyro infesto animo Hierosolymas petit, sed Urbem ingressus Judaeis gratias elargitus est	535
331	Alexander M. Monarchiam Persicam evertit	470
174	Antiochus persecutor Judaeorum, occiso Seleuco, regno Syriae potitus; id omnino egit, ut Judaei a Deo vero deficerent. Eleazarus et septem fratres Machabaei martyrio coronantur .	555
167	Judas Machabaeus, Mathathiae filius, dux fit Judaeorum; ingentibus Antiochi copiis fusis, templum purgat et sacra instaurat.	557

II.

a. FAMILIA SAULIS.

Abiel
de tribu Beniamin. [I. Reg. 9, 1.]

- **Cis** [I. Reg. 9, 1. 14, 51.]
  - **Saul,** rex habuit uxorem Achinoam filiam Achimaas [I. Reg. 14, 50.], atque concubinam Respham filiam Aiae. [II. Reg. 3, 7. 21, 8.]
    - **Jonatha.** Amicus Davidis [I. Reg. 18, 1. 19, 2. c. 20. p. i. 23, 18.]
      - **Miphiboseth,** dictus etiam Meribbaal. [I. Par. 8, 34.]
        - **Micha.** [II. Reg. 9, 12. I. Par. 8, 34. 9, 40.]
    - **Abinadab.** dictus etiam Jessui. [I. Reg. 14, 49.]
    - **Melchisua.** [I. Reg. 14, 49. I. Par. 8, 33.]
    - **Isboseth.** dictus etiam Esbaal [I. Par. 8, 33.]
    - **Merob.** [I. Reg. 14, 49. 18, 17.] Vir eius Adriel Molathita. [I. Reg. 18, 19.]
      - eius quinque filii a Gabaonitis occisi sunt. [II. Reg. 21, 8. 9.]
    - **Michol.** [I. Reg. 14, 49. 18, 20. 19, 11.] vir eius David. [I. Reg. 18, 27.]
    - **Armoni.**
    - **Mephiboseth.**
- **Ner** [I. Reg. 14, 51.]
  - **Abner,** Princeps militiae Saulis [I. Reg. 14, 50.] et Isbosethi. [II. Reg. 2, 12.]

de tribu Juda, Bethlehemita. [I. Reg. 16, 1. 17, 12. I. Par. 2, 12. Ruth. 4, 22.]

Eliab. [I. Reg. 16, 6. 17, 13. I. Par. 2, 13. II. Par. 11, 18.

Abinadab. I. Reg. 16, 8. 17, 13. I. Par. 2, 13.]

Simmaa. [I. Reg. 16, 9. 17, 13. II. Reg. 13, 3. 21, 21. I. Par. 2, 13. 20, 7.]

- Jonadab. [II. Reg. 13, 3.]
- Jonathan. [II. Reg. 21. 21. I. Par. 20, 7.]

Nathanael. Raddai. Asom. [I. Par. 2, 14. 15.]

David. Uxores 1. Michol filia Saulis. [I. Reg. 18, 27.] 2. Achinoam de Jezrael. [I. Reg. 25, 43. 27, 3. II. Reg. 2, 2. 3, 2. I. Par. 3, 1.] 3. Abigail vidua Nabalis Carmelitae. [I. Reg. 25, 3. 42. 27, 3. II. Reg. 2, 2. 3, 3. I. Par. 3, 1.] 4. Maacha fil. Tholmai regis Gesurae. [II. Reg. 3, 3. I. Par. 3, 2.] 5. Haggith. [II. Reg. 3, 4. I. Par. 3, 2. III. Reg. 1, 5.] 6. Abital. [II. Reg. 3, 4. I. Par. 3, 3.] 7. Egla. [II. Reg. 3, 5. I. Par. 3, 3.] 8. Bethsabee, fil. Eliami, uxor antea Uriae Hethaei. [II. Reg. 11, 3. 12, 24. III. Reg. 1, 11. 2, 13. I. Par. 3, 5.] 9. Aliae.

- 2. Amnon [II. Reg. 3, 2. c. 13. I. Par. 3, 1.] ab Absalome occisus. [II. Reg. 13, 29.]
- 3. Daniel vel Cheleab. [II. Reg. 3, 3. I. Par. 3, 1.]
- 4. Absalom [II. Reg. 3, 3. I. Par. 3, 2. II. Reg. c. 13. c. 14.]; rebellavit contra Patrem [II. Reg. c. 15.]; a Joabo occisus in proelio. [II. Reg. 18, 14.]
  - 3. filii, filiaque Thamar. [II. Reg. 14. 27.]
- 4. Thamar filia [II. Reg. c. 13. I. Par. 3, 9.]
- 5. Adonias [II. Reg. 3, 4. I. Par. 3, 2.]; regnare vult [III. Reg. c. 1.]; iussu Salomonis occisus. [III. Reg. 2, 25.]
- 6. Saphathia. [II. Reg. 3, 4. I. Par. 3, 3.]
- 7. Jethraam. [II. Reg. 3, 5. I. Par. 3, 3.]
- 8. Samua. 8. Sobad. [II. Reg. 5, 14. I. Par. 3, 5. 14, 4.]
- 8. Nathan. [II. Reg. 5, 14. I. Par. 3, 5. 14, 4. Luc. 3, 31.]
- 8. Salomon.
- 9. Jebahar. 9. Elisua. 9. Nepheg. 9. Japhia. 9. Elisama. 9. Elioda. 9. Eliphaleth. [II. Reg. 5, 15. 16. I. Par. 3, 6. 7. 8. 14, 5. 6. 7.]

Sarvia et Abigail filiae.

Sarvia [I. Par. 2, 16. II. Reg. 2, 13. 18. 17, 25.]

- Joab dux exercitus Davidis. [I. Par. 2, 16. II. Reg. 2, 13. 18. 3, 22. I. Par. 11, 6. II. Reg. 8, 16. 20, 23. I. Par. 18, 15. II. Reg. 10, 7. I. Par. 19, 8. II. Reg. 14, 1. 18, 2. 20, 8. 24, 2. I. Par. 21, 2. III. Reg. 1, 7. 2, 34.]
- Abisai dux exercitus Davidis. [I. Reg. 26, 6. II. Reg. 2, 18. 23, 18. 10, 10. 18, 2. 20, 6. 21, 17. I. Par. 2, 16. 11, 20. 18, 12. 19, 11.]
- Asael [II. Reg. 2, 18. 23, 24. I. Par. 2, 16. 11, 26. 27, 7.]; ab Abnero occisus. [II. Reg. 2, 23.]
  - Sebadia. [I. Par. 27, 7.]

Abigail [II. Reg. 17, 25.] vir eius Jether. [I. Par. 2, 17. III. Reg. 2, 5. 32.]

- Amasa [II. Reg. 17, 25. I. Par. 2, 17.]; dux exercitus Davidis [II. Reg. 20, 4. III. Reg. 2, 32.]; a Joabo occisus. [II. Reg. 20, 10.]

III.

a. PROGENIES MACHABAEORUM.

Simeon
de tribu Levi. [I. Mach. 2, 1.]

Joannes.
[I. Mach. 2, 1.]

Mathathias.
[I. Mach. 2, 1. 7.]

Judas Machabaeus. [I. Mach. 2, 4.]

Jonathas. [I. Mach. 2, 5. 12, 3.]

Simon. [I. Mach. 2, 3. 13, 1. 36. 42. 14, 47.]

Eleazar. [I. Mach. 2, 5.]

Joannes. [I. Mach. 2, 2. 9, 36. 38.]

Children of Simon:

Judas. [I. Mach. 16, 2. 9. 14.]; Mathathias. [I. Mach. 16, 14.]; occisi ambo una cum patre. [I. Mach. 16, 16.]

Joannes Hyrcanus. [I. Mach. 13, 54. 16, 1. 2. 9. 23.]

? Uxor Ptolemaei. [I. Mach. 16, 11. 12.]

Children of Joannes Hyrcanus:

Aristobulus I., Rex.

Antigonus I., Conregens.

Alexander I. Jannaeus, Rex.
Alexandra, Regina uxor illius.

Children of Alexander I. Jannaeus and Alexandra:

Hyrcanus II. Rex.

Aristobulus II. Rex.

Child of Hyrcanus II.:

Alexandra uxor Alexandri II. Regis.

Children of Aristobulus II.:

Alexandri II. Regis.

Antigonus II. Rex.

Alexandra uxor Ptolemaei regis Chalcidis.

Children of Alexandra and Alexander II.:

Aristobulus III. Summus Pontifiex.

Mariamne uxor Herodis I.

Antipater Idumaeus
Procurator Judaeae.

Phasaëlus Tetrarcha.	Herodes I. M. Rex [Matth. 2, 1.]; occidit innocentes pueros [Matth. 2, 16.]; mortuus [Matth. 2, 19.]; Uxores: Daris, Mariamne Mach. et aliae tres.	Josephus. Pheroras.	Salome ter nupta.

Salome ter nupta → Berenice.

Herodes I. →

Antipater.	Alexander. Uxor: Glaphyra.	Aristobulus. Uxor: Berenice, filia Salomes.	Herodes Philippus. [Marc. 6, 17.] Uxor: Herodias. [Matth. 14, 3. Marc. 6, 17. Luc. 3, 19.]	Archelaus Princeps. [Matth. 2, 22.] Uxor: Glaphyra vidua fratris Alexandri.	Herodes Antipas Tetrarcha [Matth. 14, 1. Luc. 3, 1. 9, 7. Marc. 6, 14.]; occidit Joannem B. [Matth. 14, 3—10. Marc. 6, 20—27. Luc. 9, 9.]; spernit D. Jesum Christum [Luc. 23, 11. Act. 4, 27]; reconciliatur Pilato. [Luc. 23, 12.] Uxor: Herodias, coniux fratris sui Philippi. [Matth. 14, 3. Marc. 6, 17. Luc. 3, 19.]	Philippus Tetrarcha. [Luc. 3, 1.] Uxor: Salome filia Herodiadis.

Aristobulus →

Herodes II. s. Agrippa I. Rex [Act. 12, 1.]; occidit S. Jacobum Mai., et S. Petrum in vincula coniecit [Act. 12, 1—6.]; moritur a vermibus consumtus. [Act. 12, 21—23.] Uxor: Cypros.	Herodes Rex in Chalcide. Uxor: Berenice.	Herodias, uxor 1. Herodis Philippi, 2. Herodis Antipae.

Herodes Philippus → Salome uxor Philippi.

Herodes II. →

Agrippa II. Rex [Act. 25, 24. 26. 26, 2. 27.]; loquitur cum S. Paulo. [Act. c. 26.]	Berenice. Uxor patrui.

IV. CONSPECTUS LIBRORUM S.

Pag.	Hagiographi			quando? et	ubi scripserint?	Cap.	Ver.
175	Pentateuchus: Lib. Genes.	Moyses	Exod. 17, 14. 24, 4. 34, 27.	ante exitum ex Aegypto.	In Arab. Pet.?	50.	1533.
	Lib. Exod.		Num. 33, 2. Jos. 1, 7. 8. 31. 24, 26.	post exit. ex Aegypto.	In deserto.	40.	1211
	Lib. Levit.		Matth. 8, 4. 14.	p. exit. ex Aegypto.	In deserto.	27.	858.
	Lib. Num.		17. 3. Marc. 12, 26. Joan. 3, 14. 5. 46.	p. exit. ex Aegypto.	In deserto.	36.	1288
	Liber Deuteronomii.		Luc. 24, 27. 44. Act. 15, 21. II. Cor. 3, 15.	ante ingr. in Palaest.	In deserto.	34.	959.
200	Liber Josue.	?		ante Libr. Judicum.	In Palaest.	24.	658.
213	Liber Judic.	?		ante Davidem.	In Palaest.	21.	618.
217	Liber Ruth.	?		post Davidem.	In Palaest.	4.	85.
273	Liber Psalmorum.	David Ps., 3-9. 11-32. 34-41. 51-65. 68-70 86-101. 103. 108 -110. 122. 124. 131. 133. 138-145. Ps. 2. 94. 17. 104. 105. 106. 107. 135. Asaph. 50. 73-83. Corachitae. 12-48. 84. 85. 87. 88. Salomon. 72. 127.	Act. 4, 25. Heb. 4, 7. II. Reg. 22, 1. I. Par. 16, 7. Esd. I. 3, 10.	tempore Davidis et sequenti.	In Palaest.	150 ps.	2549
303	Canticum Cant.	Salomon.	C. Cant. 3, 7. 9. 11.	circa 1000 a. Ch.	Hierosol.?	8.	116.
310	Lib. Proverb.	Salomon.	Prov. 1, 1. Matth. 12, 42.	ante lapsum.	Hierosoly.	31.	915.
313	Ecclesiastes.	Salomon.	Ecclae. 1, 1. 2. 12. 7, 28. 12, 8.	post lapsum?	Hierosoly?	12.	222
319	Liber Job.	Fuit Hebraeus.		circa tempus Salom.?	In Austr. P.?	42.	1070.
351	Proph. Jonae.	Jona.	Jon. 1, 1. 3. 15. 2, 1. 2. Luc. 11, 32.	Sub Jerob. II. 819-779.	?	4	48
355	Proph. Amos.	Amos.	Am. 1, 1.	Sub Ozia. 804-753.	In Palaest.	9.	147.
359	Proph. Osee.	Oseas.	Os. 1, 1. 2. Rom. 9, 25.	Sub Ozia. 804-753. Joathan.-738. Achazo. -723. Ezech.-695.	In Palaest.	14.	198
364	Liber Tobiae.	?		ante saec. VI.?	In Palaest.	14.	298
377	Prophet. Joel.	Joel.	Joel 1, 1. Act. 2, 16. 17.	ante Amosum.	In Palaest.	3.	73
392	Proph. Isaiae.	Isaias.	Isai. 1, 1. 7, 3. 20, 2. 3. 37, 3. Eccli. 48, 25. Matth. 3. 3. Luc. 4, 17. Joann. 1, 23 Act. 8, 30. Rom. 10 20.	Sub Ozia. 804-753 Joathan.-738. Achazo. -723. Ezech. 695.	In Palaest.	66.	1293
410	Proph. Mich.	Michaeas.	Mich. 1, 1. Jer. 26, 18.	Sub Joathano. 753-738. Achaz.-723. Ezechia. -695.	In Palaest.	7.	104
412	Pr. Nahum.	Nahum.	Nah. 1, 1.	Sub Ezechia. 723-695.	In Palaest.	3.	47
414	Pr. Abdiae.	Abdia.	Abd. 1, 1.	Sub Achazo. 732-723.	In Palaest.	1.	21.
419	Proph. Habac.	Habacuc.	Hab. 1, 1.	Sub Josia? 638-608.	In Palaest.	3.	56

...TERIS TESTAMENTI.

Hagiographi			quando?	et ubi scripserint?	Cap.	Vers.
...r. Sophoniae.	Sophonia.	Soph. 1, 1.	inter XII. et XVIII. Josiae annum. 626-620.	In Palaestina.	3.	53.
...ber Judith	?		temp. captiv. Babyl.	In ex. B.	16.	336.
...ophetia Jeremiae.	Jeremia	Jer. 1, 1. 14, 1. 18, 1. 27, 1. Dan. 9, 2. Matth. 16, 14. II. Mach. 2, 1.	a XIII an. reg. Josiae. 627. usq. ad XI. Sedeciae 586.	In Palaestina.	52.	1363.
...reni.	Jeremia		post captas Hieros.	Hieros.	5.	154.
...ophetia Baruch.	Baruch	Bar. 1, 1. 3. Jer. 36, 27.	initio captiv. Babylone 581.	Babylon.	6.	213.
...ri I. et II. ...muelis, vel ...t II Regum.	?		non multum p. schisma Regni hebr.	In Palaestina.	31+24 = 55.	811+695 = 1506.
... III. et IV. ...gum, vel ...et II. Mala...im.	?		post captivitatem Babylonicam.	?	22+25 = 47	817+719 = 1536.
...ri I. et II. ...aralipome...on.	?		post captivitatem Babylon.	In Palaestina?	29+36 = 65.	940+822 = 1762.
...phet. Eze...elis.	Ezechiel.	Ezech. 24, 24. Eccles. 49, 10.	primis an. captiv. B.	Babyl.	48.	1272.
...phet. Da...lis.	Daniel.	Dan. 1, 6. 7. 9. Ez. 14, 14. 20. I. Mach. 2, 60. Matth. 24. 15.	durante captiv. Babylonica.	Babyl.	14	531
...r Esther.	Mardoch. ?	Esth. 2, 5. 7. 3, 2. 9, 20. 29. 31. 12, 4.	post captiv. Bab.	Susae?	16.	275.
...r I. Esdra.	Esdras	Esdr. 7, 1. 6. 12. 25.	parum post 445. an. a. Chr.	In Palaestina.	10.	280.
...Nehemiae ...et II. Es...s dicitur.	?		tempore Machabaeorum.	In Palaestina.	13.	404.
...h. Aggaei.	Aggaeus.	Agg. 1, 1. 12. 2, 2. I. Esd. 5, 1. 6, 14.	parum p. redit. sub Zorobabele.	In Palaestina.	2.	38.
...h. Zacha...	Zacharias.	Zach. 1, 1. 7, 1. I. Esd. 5, 1.	parum p. redit. sub Zorobab.	In Palaestina.	14.	211.
...h. Mala...e.	Malachia.	Mal. 1, 1.	paulo ante. 400 a. Ch.	In Palaestina.	4.	55.
...siastic.	Jesus fil. Sirach.	Ecclesi. 50, 29.	ante aetatem Mach.	In Palaestina.	51.	1592.
... Sapien...	?		saeculo III. a. Ch.?	?	19.	439.
... Macha...rum.	?		ante I. saec. a. Ch.	In Palaestina.	16.	929.
... II. Ma...aeorum.	?		ante I. saec. a. Ch.	In Palaestina.	15.	558.

V.

RECENSUS PRAESIDUM SYRIAE ET JUDAEAE

A NATIVITATE D. N. J. CHRISTI AD EXCIDIUM USQUE HIEROSOLYMARUM.

Syria.		Judaea.	
P. Quinctilius Varus . .	6—1. a. Chr.	Archelaus, Ethnarcha	3 a. Chr. — 6. p. Chr.
M. Lollius. . .	1 a. Chr. — 3. p. Chr.		
? C. Marcius Censorinus	3. „		
L. Volusius Saturninus.	4. „	Coponius	ab a. 6. „
P. Sulpicius Quirinius 4;	6—11. p. Chr.	M. Ambivius.	
Q. Caecilius Creticus Silanus	11—17. „	Annius Rufus . . .	usq. a. 14. „
Cn. Calpurnius Piso . .	17—19. „		
? Cn. Sent. Saturninus .	19. „	Valerius Gratus	15—26. „
Aelius Lamia	20—22. „		
Pomponius Flaccus . .	22—33. „	Pontius Pilatus	26—36. „
vacat	33—35. „		
L. Vitellius	35—39. „	[Marcellus 36.]	
P. Petronius	39—42. „		
C. Vibius Marsius . . .	42—44. p. Chr.	In Judaea Agrippa Rex	41—44. „
C. Cassius Longinus . .	45—50. „	Cuspius Fadus	44—47. „
		Tiberius Alexander . .	48. „
C. U. Quadratus. . . .	50—60. „	Ventidius Cumanus . .	49—52. „
Domitius Corbulo . . .	61—65. „	Antonius Felix	60. „
[C. Itius 63.]		Porcius Festus	61. „
Cestius Gallus	65—66. „	Albinus	62. „
C. Licius Mucianus . .	66—69. „	Gessius Florus	64—66. „

T. FLAVIUS VESPASIANUS. 66—69. P. CHR.

VI.

TABULA CHRONOLOGICA.

a. HISTORIAE EVANGELICAE

AB INCARNATIONE D. N. J. C. USQUE AD EIUS ASCENSIONEM IN COELOS, SIVE AB ANNO 4. A. C. — 30. AER. V. P. C.

Anni aer. Vulg.		Pag.
	Aera Christiana anno Mundi 4274., Urbis conditae septingentesimo quadragesimo nono; ante aeram Vulgarem quinto, eodemque Herodis penultimo . .	XXVIII. s.
8.	Christus anno duodecimo aetatis expleto cum Jerusalem venisset ad Pascha, non rediit cum parentibus, inventus post triduum in Templo	15.
26.	Anno imperii Tiberii quinto et decimo ineunte, Joannes praecursoris ministerium exorsus, circa festum expiationis praedicat poenitentiam	XLIII.
27.	Christus baptizatus secedit in desertum. Tentatur . .	—
—	Instante Pascha Judaeorum ascendit Jesus Jerosolymam; eiicit Templo vendentes et ementes . . .	XLV. 41.
28.	Joannes decollatur	XLVI.
—	Secundus praeconii coelestis annus	L.
—	Reverso in Galilaeam Domino Herodes audita eius fama Joannem putat surrexisse a mortuis	66.
29.	Jesus ascendit ad tertium Pascha celebrandum . . .	LVII.
—	Transfiguratur	71.
30.	Venit Bethaniam et Lazarum suscitat	79.
—	Annus D. N. J. C. „σταυρώσιμος“	LIX. LXIII.
—	Concilium Pontificum adversus Jesum	80.
—	Jesus Bethaniam divertit; Maria pedes illius ungit .	82.
—	Feria prima; Jesus ingreditur Jerusalem triumphans .	83.
—	Feria quinta; sub vesperam, incipiente prima die Azymorum, Jesus discipulis dicit: Parate nobis Pascha ut manducemus; coenantibus illis dat sub specie panis corpus, sub specie vini sanguinem suum.	96. 234.

VII. CON-

LIBRORUM SACRORUM

Pagina.	Hagiographi.	
264.	Evang. s. Matthaei.	Matth. 24, 15.
274.	„ s. Marci.	I. Petr. 5, 13.
285.	„ s. Lucae.	Col. 4, 14. coll. Act. 11, 20.
293.	„ s. Joannis.	Joann. 21, 20.
432.	Acta Apost.	Act. 16, 10. s.
LXXXVI.	S. Pauli Epist. ad Rom.	Rom. 16, 1. 23.
LXXXV.	„ I. ad Cor.	I. Cor. 16, 8.
—	„ II. ad Cor.	II. Cor. 7, 6.
—	„ ad Galat.	Act. 18, 23.
LXXXVIII.	„ ad Ephes.	Coloss. 4, 16.
LXXXIX.	„ ad Philipp.	Philipp. 2, 24.
LXXXVIII.	„ ad Coloss.	Coloss. 4, 10. s.
LXXXII.	„ I. ad Thess.	I. Thess. 3, 6.
—	„ II. ad Thess.	II. Thess. 1, 1.
LXXXV.	„ I. ad Timoth.	I. Tim. 1, 3.
—	„ II. ad Timoth.	II. Tim. 4, 6.
LXXXIII.	„ ad Titum.	Jac. 4, 4.
LXXXVIII.	„ ad Philem.	Vers. 24.
LXXXIX.	„ ad Hebr.	Hebr. 13, 23.
XCII.	„ S. Jacobi.	
XCVII.	„ I. s. Petri.	I. Petri. 1, 6.
—	„ II. s. Petri.	II. Petri. 3, 15.
XCIX.	„ I. d. Joann.	I. Joann. 2, 7.
—	„ II. d. Joann.	
—	„ III. d. Joann.	
XCVIII.	„ S. Judae.	Vers. 17. et 18.
C.	„ Apocalypsis.	Apoc. 1, 4. 9.

EXPLICIT COMMENTARIUS DE SACRA

SPECTUS

NOVI TESTAMENTI.

quando?	et ubi? scripserint.	Cap.	vers.	
c. a. 37. aer. vulgar.	in Palaestina.	28.	—	1070.
„ 65. „	Romae.	16.	—	677.
„ 66. „	—	24.	1141.	—
„ 90. „	in Asia min.	21.	879.	—
„ 67. „	Romae.	28.	—	1004.
„ 58. „	Corinthi.	16.	433.	—
„ 56. „	Ephesi.	16.	437.	—
„ 57. „	in Maced.	13.	—	255.
„ 55. „	Ephesi.	6.	149.	—
„ 61. „	Romae.	6.	155.	—
„ 62. „	Romae.	4.	104.	—
„ 61. „	Romae.	4.	95.	—
„ 53. „	Corinthi.	5.	—	88.
		3.	—	46.
„ 57. „	in Maced.	6.	113.	—
„ 66. „	Romae.	4.	83.	—
„ 58. „	in Maced.	3.	46.	—
„ 61. „	Romae.	—	25.	—
„ 63. „	in Italia.	13.	303.	—
„ 61. „	Hierosol.	5.	—	108.
„ 64. „	Romae.	5.	105.	—
„ 66. „	—	3.	61.	—
„ 90. „	in Asia min.	5.	105.	—
„ — „	—	—	13.	—
„ — „	—	—	—	14.
„ 68. „	in Palaestina.	—	25.	—
„ 95. „	in Patmo.	22.	405.	—

SCRIPTURA EIUSQUE INTERPRETATIONE.

TABELLAE CODICUM EXPLANATIO.

‚Et summi plena iam margine libri scriptus, et in tergo' paucis quaeso, illustremus imagines φωτο-λυθογραφουμένας antiquissimorum Codicum scripturae graecae, syriacae, latinae, gothicae; quarum subsidio L. b. — cum ad praeclaras sed quae multa pecunia venum dantur Veterum Manuscriptorum editiones, aditus raris pateat. — de palaeographia variis saeculis variisque nationibus multum diversa, aliquatenus cognoscere et iudicare posse confidimus. Elegimus codicum graecorum Vaticani B. n. **3**. p. 112.; Alexandrini A. n. **4**. p. 116.; Sinaitici ℵ. n. **5**. p. 117.; Pestinensis 78. n. **2**. p. 123.; Evangeliarii Syriaci Vat. 19. n. **6**. p. 185.; Ephraemi Syri Rescripti C. Par. 9. n. **8**. p. 119.; Latini S. Bibliorum d. Hieronymi F. n. **1**. p. 211.; et Codicis Argentei Ulphilae n. **7**. p. 236.; octo q. d. facsimilium a Hug, Woide, Tischendorf, Márkfi, Vercellone, Minischalci et Uppström optimae notae, magna cum fide expressa fragmenta. Addidimus denique n. **9**. tres series alphabeti hebraei, quorum prima literas antiquas, altera novas sive quadratas, ultima phoeniciacas exhibet. Quae omnia e delineatione subtili penicillo coloreque in carta facta, photographiae ope in lapide pingebantur. Caveant modo L. b. ne imagines characterum, quas ars in tabula pinxit, pro aeque perspicuis in libris manuscriptis habeant, sicuti hac in tabella apparent. Enimvero temporis iniuria plurimi codices dudum palluerunt, aut detrimenta saepe haud exigua acceperunt.

Quae typis describuntur, ut res venales accurate inspiciuntur, et facilius vituperantur, quam commendantur. Volumen tertium igitur concludentibus nobis, nulla opus esse, praeter eam quam in initio praefiximus admonitione, quamvis perspectum teneamus; tamen L. b. paucis adhuc loquentes verbis, nos passuros speramus: queis gratias agimus viro strenuo Guilelmo Braumüller, bibliopolae c. r. Aulae et Universitatis, cuius assiduam librorum theologicorum vulgandorum industriam cum bonis literis, tum nobis gratulamur. Memores quoque esse oportet indefessi laboris Adolphi Holzhausen, typographi Universitatis Vindobonensis; qui in hoc nostro opere literarum formis quam nitidissime exprimendo, plurimam collocarat operam. Si nihilominus quaedam menda occurrerint, quae fugisse oculos ac sedulitatem nostram potuere, peritia vestra L. b. emendetis precamur.

weihnai namo þein · qimai þiudi-
nassus þeins · wairþai wilja
þeins · swe in himina jah ana
airþai · hlaif unsarana þana sin-
teinan gif uns himma daga ·

8.

ριον της πιστεως εν καθαρα συνειδησει· και ουτοι δε δο-
κιμαζεσθωσαν πρωτον ειτα διακονειτωσαν ανεγκλη-
τοι οντες· γυναικας ωσαυτως σεμνας· μη διαβολους νη-
φαλιους πιστας εν πασιν.
διακονοι εστωσαν μιας γυναικος ανδρες τεκνων κα-
λως προισταμενοι και των ιδιων οικων· οι γαρ καλως δια-
κονησαντες βαθμον εαυτοις καλον περιποιουνται και

delineavit Joann. Schratt iun., arte photo-lithographica pinxit Reiffenstein et Rös

